Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA VIRTVTVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMAE VIRTVTVM, AC VITIORVM, *Tomus Primus.*

GVLIELMO PERÆLDO Episcopo Lugdunensi, ordinis Prædicatorum, authore.

OMNIA NVNC DENVO innumeris mendis repurgata, accuratiúsque quàm antehac vnquam excusa.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM.
1571.

Universidad de Deusto Biblioteca
24533
Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.

SVMMAE VIRTVTVM GENERALIS DISTINCTIO, CVM *summaria ordinataque declaratione rerum in eadem comprehensarum.*

***

PRIMVS iste Tomus, eò quòd de Virtutibus tractaturus est, SVMMA VIRTVTVM vocatur: & secatur in quinque partes principales. Prima est de Virtute in communi. Secunda, de tribus virtutibus Theologicis. Tertia, de quatuor virtutibus cardinalibus. Quarta, de donis. Quinta de beatitudinibus.

PRIMA PARS *principalis de virtute in communi, habet* XIII. *capitula.*

Capitulum primum, quòd expediat virtutem commendari.
Capitulum secundum, de notificatione virtutis.
Capitulum tertium, de descriptionibus virtutis.
Capitulum quartum, de triplici virtutis commendatione.
Cap. 5. q̃ virtus sit optimũ præsentis vitæ, & bonitas aliarũ retũ.
Ca. 6. q̃ virtus sit propriè bonũ nostrũ, possessio libera & sufficiẽs.
Capitulum septimum, quòd virtus sit magnæ iucunditatis.
Cap. 8. q̃ status virtutũ assimilatur paradiso terrestri & cælesti.
Cap. 9. de præexcellẽtia gaudij virtutis, respectu gaudij mũdani.
Capitulum decimum, de his quæ faciunt ad gaudium virtutis.
Capitulum vndecimum, de commendatione virtutis, facta comparatione ad futura bona.
Cap. 12. de commendatione virtutis ex authoritate Saluatoris.
Cap. 13. de commendatione virtutis à multiplici suo effectu.

SECVNDA PARS *principalis diuiditur in quatuor Tractatus.*

¶ Tractatus primus, est de tribus virtutibus Theologicis in communi. Secundus, de Fide. Tertius, de Spe. Quartus de charitate.

¶ Tractatus primus, vnicum continens capitulum, est de nume-

ro & ordine Theologicarum virtutum.

¶ Tractatus secundus, de Fide, xxx. habet capitula.

Capitulum primum, est de ordine dicendorum in isto tractatu. Et de necessitate Fidei.

Capitulum secundum, de descriptionibus Fidei.

Capitulum tertium, quòd vna sit vera Fides. Et quòd illa sit Christiana, multis argumentis ostenditur.

Capitulum quartum, de commendatione Fidei.

Capitulum quintum, de articulis Fidei.

Cap. sextum, de erroribus qui catholicæ Fidei aduersantur. Et primo de errore illorum qui negant Deum esse.

Cap. septimum, de errore idololatriæ. In quo primo ostenditur quid sit idololatria. Secundò, tangitur de causis eius. Tertiò, de speciebus. Quartò, error idololatriæ destruitur.

Cap. octauum, de principali errore Manichæorum, in quo authoritates & rationes quibus ipsi innituntur primò eis subtrahuntur, deinde ponuntur authoritates & rationes quibus error ille directè destruitur.

Cap. nonum, de aliis erroribus Manichæorum, quorũ aliqui enumerantur. Et de primo errore qui est in distinctione ciborum.

Cap. 10. de errore illo qui ponit veterem legem datam esse à principe tenebrarum, & malam.

Cap. 11. de errore illorum qui dãnant patres Veteris Testamenti.

Cap. duodecimum de errore illo qui ponit animas non de nouo creari, qui diuersificatur in quatuor oppositos errores.

Cap. 13. de errore illo qui ponit animas esse, angelos apostatas.

Capitulum decimum quartum, de errore illo qui ponit duas animas esse in corporibus humanis.

Ca. 15. de errore illo qui ponit omnes animas simul fuisse creatas.

Capitulum decimum sextum, de errore illo qui ponit animas de semine traduci sicut & corpora.

Capitulum decimũ septimum, de errore illo qui ponit Christum non habuisse veram humanam naturam.

Cap. 18. de errore illo qui condemnat Ioãnem Baptistam: in quo tanguntur xvj. quæ pertinent ad commendationem Ioannis.

Cap. decimum nonum, de erroribus negantibus pluralitatem, vel æqualitatem diuinarum personarum.

Cap. 20. de erroribus pertinẽtibus ad Dei misericordiã & iustitiã. Et primo de errore illorum qui filij Dei incarnationẽ negant.

Cap. 21. de errore illorum qui dicunt animam perire cum corpore: in quo immortalitas animæ probatur.

Cap.

Cap. 22. de errore illorum qui negãt corporum resurrectionem.

Capitulum vigesimum tertium, de errore illorum qui dicunt vnumquemque in fide, vel lege sua posse saluari.

Cap. 24. de errore illorum qui negant æternitatem pœnæ futuræ.

Cap. 25. de errore ponentiũ animas in charitate migrantes, nulla pœna purgatoria puniri: qui error tres habet sibi errores annexos. Et primò de errore illorum qui dicunt nullum peccatum esse veniale.

Capitulum vigesimum sextum, de secundo errore, illorũ scilicet, qui dicunt, q̃ quando dimittitur culpa, dimittatur tota pœna.

Capitulum vigesimum septimum, de tertio errore illorum qui dicunt, quòd suffragia ecclesiæ non prosint mortuis.

Capitulum vigesimum octauum, de causis errorũ, quæ sunt octo.

Cap. vigesimũ nonum de diuersitatibus fidei, quæ enumerantur.

Cap. 30. de quibusdam quæ faciunt fidem commendabilem.

¶ Tractatus tertius, de Spe, sex habet capitula.

Capitulum primum, est de ordine dicendorum in isto tractatu. Et de descriptionibus spei.

Capitulum secundum, est de commendatione spei.

Capitulum tertium, de his quibus spes adiuuatur. Et distinguitur in quatuor species meditationum seu cõsiderationum. Prima est directè in Deum. Secunda, circa ea quæ pro Deo agimus vel sustinemus. Tertia, circa Dei beneficia generalia vel specialia, corporalia vel spiritualia. Quarta, circa sanctorum merita, quæ subdiuiditur in quatuor alias species. Prima est circa mediatorem Dei & hominum Iesum Christum. Secunda, circa mediatricem, scilicet beatam Virginem: vbi etiam habetur multum de ipsius misericordia. Tertia, circa angelos. Quarta, circa sanctos.

Cap. 4. de his quæ spei aduersantur, scilicet de desperatione & cõfidentia in creaturam. Et de quatuor causis desperationis.

Cap. 5. de rebus sperandis: & de descriptione beatitudinis. De duodecim etiam quibus cognosci potest magnitudo futuræ gloriæ. Et de duodecim fructibus ligni vitæ. Et multiplici materia futuri gaudij. Et de differentia futuri gaudij ad præsens. Et de duodecim cognitionibus intellectis per duodecim stellas quæ sunt in corona sponsæ.

Capitulum sextum, de diuersitatibus spei: quæ spes detestabilis est ex quatuor, & commendabilis ex tribus.

¶ Tractatus quartus, de Charitate, xviij. habet capitula.

Capitulum primum, de ordine dicendorum in hoc tractatu. Et

de descriptionibus Charitatis.
Cap.2.de his quæ pertinent ad commendationem charitatis.
Capitulum tertium, de ordine dicendorũ de amore Dei. Et primò de his quæ incitant ad amandum Deum.
Cap.4.de his quę valere possunt ad hoc vt aliquis ametur à Deo.
Capitulum quintum,de modo amandi Deum.
Capitulum sextum,de diuersis speciebus diuini amoris.
Capitulum septimum,de signis diuini amoris.
Capitulum octauum, de ordine dicendorum de amore proximi.Et primò de his quæ incitant ad amandum proximum.
Capitulum nonum,de his quæ incitant proximum,vt amet nos.
Capitulum decimum,de modo amandi proximum.
Capitulum vndecimum,de ordine dicendorum,de diuersis speciebus amoris proximi.Et primò de amore parentum.
Capitulum duodecimum, de amore inter virum & vxorem, & de sexdecim quæ ad hunc amorem hominem inducant.
Capitulum decimumtertium,de amore bonorum.
Capitulum decimumquartum,de dilectione inimicorum: & de octo quæ ad hunc amorem hominem inducant.
Capitulum decimumquintum, de vera amicitia: & de quatuor quæ sunt attendenda in eligendo aliquem in amicum, & de duodecim pertinentibus ad veram amicitiam.
Capitulum decimumsextum,de quadruplici ordine charitatis.
Capitulum decimumseptimũ,de his quæ aduersantur charitati.
Capitulum decimumoctauum,de diuersis gradibus charitatis.

TERTIA PARS *principalis diuiditur in sex Tractatus.*

¶Tractatus primus, est de quatuor virtutibus cardinalibus in communi.Secundus,de Prudentia.Tertius,de Temperantia. Quartus,de Fortitudine.Quintus,de Iustitia.Sextus,de Diuisione virtutum secundum Macrobium.
¶Tractatus primus, de quatuor virtutibus cardinalibus in communi,duo habet capitula.
Capitulum primum,quare istæ quatuor virtutes dicantur cardinales.
Capitulum secundum,de numero prædictarum virtutum.
¶Tractatus secundus,de Prudentia,sex habet capitula.
Capitulum primum, de ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de diuersis modis quibus sumitur hoc nomen Prudentia.
Cap.secundum,de Prudẽtiæ descriptione, & quomodo prudentia virtus sit,cùm videatur esse scientia.
Capitulum tertium,de diuersis actibus seu officiis prudentiæ, & de duo

de duodecim stultitiis quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt.
Capitulum quartum,de commendatione prudentiæ.
Cap.quintum,de speciebus prudentiæ.In quo primò triplex eius diuisio ponitur.Secũdò agitur de memoria,& obliuione.Tertiò de prouidẽtia. Quartò, tangitur quædã diuisio prudentiæ, secundũ Senecã,& distinguitur quadruplex ordinatio.Quintò diuiditur prudentia in prouidentiam,circunspectionẽ, cautionẽ & docilitatem,& agitur de illis.Et de docilitate dupliciter.Primò prout ad eã pertinet docere:& tangũtur duodecim quæ faciunt ad hoc vt aliquis debito modo doceat,& tria quæ doctor debet attendere in sua doctrina.Secundò agitur de docilitate prout ad eam pertinet addiscere:& tanguntur septem quæ valent ad hoc vt aliquis bene addiscat.
Capitulum 6.de his quæ Prudentiæ aduersantur: & de duodecim stultitiis eorum qui peccant.
¶Tractatus tertius de Temperantia tredecim habet capitula.
Capitulum primum, de ordine cardinalium virtutum adinuicem,& ordine dicendorum in hoc tractatu.
Cap.2.de diuersis acceptionibus huius nominis Temperantia.
Capitulum tertium,de descriptionibus Temperantiæ.
Capitulum quartum,de commendatione eiusdem.
Cap.5.de partibus Temperantiæ, secundum Tullium:& de prima eius parte, scilicet continentia:vbi tanguntur duodecim, quæ nobis dissuadent inordinatum amorem voluptatum, & duodecim damna quæ nobis faciunt voluptates.
Capitulum sextum,de descriptione Clementiæ: & quòd principi maxime sit necessaria: & quòd duodecim sunt quæ possunt incitare principes ad clementiam.
Capitulum septimum,de Modestia.
Cap.8.de partibus Temperantiæ, prout ipsa est virtus regens aĩi mã circa delectationes sensuum,& ordine dicẽdorum de eis.
Cap.9.de Sobrietate:vbi nomen Sobrietatis primò distinguitur: secũdò sobrietas commendatur:tertiò de officiis eius tãgitur.
Capitulum decimum,de diuisione temperantiæ,quæ attenditur circa delectationes secundum tactum:& de illa parte tẽperantiæ,quæ pertinet ad membra generationi deputata,potest vocari continentia,quæ describitur, commendatur & diuiditur.
Cap.11.de continentia virginali:vbi primò nomen virginitatis distinguitur.Secundò describitur.Tertiò commẽdatur. Quartò tãguntur quatuor quę timẽda sunt virginibus. Quintò agitur

de triplici aureola, scilicet prædicatorum, virginum & martyrum. Et tanguntur quinque causę, propter quas multùm competit officio prædicationis abrenuntiatio propriorum.

Capitulum 12. de Castitate: & primò de continentia viduali.

Capitulum decimum tertium, de castitate ministrorũ Ecclesiæ, vbi octo tanguntur causæ quare castitas multum eis cõpetat.

Capitulum decimumquartum, de continentia coniugali: vbi primò destruitur error illorum qui damnant matrimonium.

Capitulum decimumquintum, de commendatione matrimonij.

Capitulum 16. de modo contrahendi matrimonium.

Cap. 17. quod opus carnale sit illicitum, & quod licitũ: vbi quædam tanguntur quæ faciunt ad hoc, vt opus carnale fiat sine culpa & meritorie. Et quædam quæ requirunt inseparabilitatem matrimonij.

Capitulum decimumoctauum, de temperantia delectationum secundum visum, auditum, & olfactum.

¶ Tractatus quartus, de Fortitudine, diuiditur in decem partes. In prima agitur de ordine dicendorũ in hoc tractatu, & de distinctione nominis Fortitudinis. In secunda, de descriptionibus eiusdem. In tertia, de commendatione fortitudinis. In quarta, de his quæ iuuãt Fortitudinẽ. In quinta, diuisiones Fortitudinis ponũtur, & numerus specierũ ostẽditur. Et de prima specie, scilicet securitate agitur, vbi multa solatia contra timorẽ mortis & alia terribilia tanguntur: vbi etiã tangitur de timore inordinato, & de securitate cõmẽdabili & reprehensibili. In sexta agitur de Patiẽtia, quæ subdiuiditur in sex capitula.

Cap. 1. de ordine dicendorum, de patientia, & de descriptionibus patientiæ: & de merito eius ac distinctione nominis.

Capitulum secundum, de commendatione patientiæ.

Capitulum tertium, de his quæ iuuant patientiam: vbi agitur de tribulatione, & de multiplici eius vtilitate.

Cap. 4. de diuisione patientiæ in patientiam diuinæ correctionis, humanæ persecutionis, & dæmoniacæ impugnationis.

Capitulum quintum, de tentationibus dæmonũ: vbi primò ostenditur q; dæmones impugnent homines. Secundò vtilitas tentationum. Tertiò tangitur de variis modis tẽtandi quos habet tentator. Quartò, de modo repugnandi, quem debet habere qui tentatur: & de octo adiutoriis eius qui tentatur.

Capitulum sextum, de aliis diuisionibus patientiæ.

¶ In septima parte agitur de Constantia: vbi tanguntur sex quæ pertinẽt ad Constantiam, & alia sex quę vidẽtur facere ad instabili

stabilitatem. In octaua parte agitur de perseuerantia, quæ & describitur & commẽdatur. In nona parte agitur de Magnanimitate. In decima parte agitur de Fiducia & Magnificẽtia: vbi vtraque describitur, & officia Magnificentiæ tam in pace, quàm in bello ostenduntur.

¶ Tractatus quintus, de Iustitia, diuiditur in xvj. partes. In prima agitur de ordine dicendorum in hoc tractatu: & nomen Iustitiæ distinguitur. In secunda parte de descriptionibus Iustitiæ. In tertia parte, de cõmendatione Iustitiæ. In quarta parte agitur de diuisionibus Iustitiæ. In quinta parte agitur de Latria, & religione, prout Tullius religionem sumit: & de vtriusque descriptione: de latriæ commendatione & diuisione: de partibus eius, ac quadruplici officio religionis. In sexta parte agitur de Dulia, quæ subdiuiditur in tria capitula.

Capitulum primum, de ordine dicendorum de Dulia, & nominis duliæ distinctione ac descriptione.

Capitulum secundum, de speciebus duliæ.

Capitulum tertium, de errore illorum qui dicunt Ecclesiam idololatrare circa sanctos & imagines sanctorum.

¶ In septima parte agitur de Oratione: quæ etiam subdistinguitur in x. capitula.

Capitulum primum de ordine dicendorũ de Oratione, & de diuersis acceptionibus huius nominis Oratio.

Capitulum secundum, de descriptionibus Orationis.

Capitulum tertium, de commendatione eiusdem.

Capitulum quartum, de præparatione orationis.

Capitulum quintum, de impedimentis ipsius.

Capitulum sextum, quando sit orandum.

Capitulum septimum, vbi sit orandum.

Capitulum octauum, quomodo sit orandum.

Capitulum nonum, quid in oratione sit petendum.

Capitulum decimum, de speciebus orationis.

¶ In octaua parte agitur de laude Dei vbi etiã tanguntur necessaria intendendi laudi diuinæ. In nona parte agitur de gratiarũ actione Deo exhibenda: vbi de octo quæ possunt hominem incitare ad gratiarum actionem: & de beneficiis, pro quibus homo debet regratiari Deo. In decima parte agitur de Obedientia, quæ subdiuiditur in septem capitula.

Ca. 1. de ordine dicẽdorũ de Obediẽtia & descriptionibus eiusdẽ.

Capitulum secundum, de commendatione obedientiæ.

Capitulum tertium, de his quæ possunt iuuare obedientiam.

Capitulum quattum,de gradibus obedientiæ.
Capitulum quintum,de partibus obedientiæ.
Capitulum sextum,de his quę aduersantur obediętię,& de duodecim malis quæ propria voluntas homini facit.
Capitulum septimum, de errore illorum qui dicunt, soli Deo obediendum esse,& non homini.
¶In vndecima parte agitur de Disciplina, quæ etiam subdiuiditur in septem capitula.
Capitulum primum,de ordine dicendorũ de disciplina,& diuersis acceptionibus huius nominis Disciplina.
Cap.2. de his quæ possunt incitare ad correctionem faciendam.
Capitulum tertium,de impedimentis correctionis.
Capitulum quartum,de modo faciendi correctionem.
Capitulum quintum,de his quæ possunt incitare ad libenter reciendum correctionem vel disciplinam.
Capitulum sextum,de partibus disciplinæ: & primò de Ieiunio, & eius commendatione.Secundò de speciebus eius. Tertiò de his quæ debent ipsum comitari.
Cap.7.de erroribus circa disciplinã:& primò de errore illorum qui dicunt nullũ esse excommunicandum.Secundò,de errore illorũ qui dicunt maleficos nõ esse puniendos pœna tẽporalẽ.
¶In duodecima parte,agitur de Æquitate & Pietate, prout Tullius & Macrobius eam accipiunt.In tertia decima parte, agitur de Gratia:vbi ostenditur quæ sint cauenda danti vel accipienti beneficia:& de vindicatione.In quartadecima parte agitur de Misericordia,quæ subdiuiditur in septem capitula.
Capitulum primum de ordine dicendorum de Misericordia,& de descriptionibus eiusdem.
Capitulum secundum,de commendatione misericordiæ.
Capitulum tertium,de his quæ possunt iuuare misericordiam.
Capitulum quartum,de diuisionibus ad misericordiam pertinentibus:& de operibus misericordiæ per ordinem. Primò de specialibus: vbi tanguntur octo incitantia ad compatiendum Crucifixo pro nobis:deinde de corporalibus.
Capitulum quintum,de quo sit eleemosyna facienda.
Capitulum sextum,cui sit danda eleemosyna.
Capitulum septimum,quomodo sit danda eleemosyna.
¶In quintadecima parte agitur de his quæ omnibus debemus:vt est dilectio,veritas,& fides,& præcipuè de Veritate,de qua primò ostẽditur quid sit, prout est pars iustitiæ. Secundò tanguntur aliqua quæ ad amorem veritatis incitant. Tertiò destruitur

tur error illorum qui dicunt veritatem non esse iuramento firmandam. In sextadecima parte agitur de Fide, prout fides idem est quòd fidelitas.
¶Tractatus sextus tertiæ partis principalis vnum continens capitulũ, est de diuisione Virtutũ cardinalium,secũdũ Macrobiũ.

QVARTA PARS *principalis.*

¶Tractatus de donis diuiditur in duodecim partes.In prima parte agitur de ordine dicendorum de Donis:& quare vocentur Dona.In secunda agitur de commendatione donorum,& eorum numeri manifestatione.In tertia agitur de dono timoris, quæ subdiuiditur in quatuor capitula.
Capitulum primum de ordine dicendorum de dono timoris, & de præscriptionibus timoris.
Capitulum secundum de commendatione eiusdem.
Capitulum tertium,de speciebus timoris,
Cap.4.de his quæ possunt incutere timorem, quæ sunt duodecim:& de viginti quæ sunt attendenda circa extremum iudicium,& de acerbitate,varietate,& infirmitate pœnarũ infernalium.
¶In quarta parte agitur de dono Pietatis.In quinta parte agitur de dono Scientię.In sexta parte agitur de dono Fortitudinis. In septima parte agitur de dono Cõsilij. In octaua parte agitur de præeminẽtia vitæ Contẽplatiuæ respectu Actiuæ.In nona agitur de distinctione cõtẽplationis à simplici cõsideratione & cogitatione: & de speciebus cõsiderationis & cõtẽplationis.Et primò ponũtur quæ Dicit Bernar. de hac materia in libro de cõsideratione. Secũdò quę dicit Richardus de sancto Victore in libro de contemplatione.In decima parte agitur de duodecim quę prẽparant hominem ad diuinorum contemplationem:& de octo gradibus secundum Bernardũ, quibus viri contemplatiui ascendunt. Item, de septem gradibus secundum Augustinum,& de diuersis speciebus visionum.In vndecima parte agitur de dono intellectus.In duodecima, de dono Sapientiæ.

QVINTA PARS *principalis.*

¶Tractatus de Beatitudinibus diuiditur in duodecim partes. In prima parte,agitur de ordine dicendorum in isto tractatu,& de descriptione Beatitudinis.In secũda agitur de quinque quę attendenda & admiranda sunt circa dictrinam illam,quę est cõpendium nouæ legis.In tertia parte,primò ostenditur quid sit paupertas spiritus.Secũdò,quare pauperes spiritu sint beati.

Tertiò

Tertiò, quare regnum cælorum sit eorum. Quartò, cui donò paupertas spiritus adaptetur.

¶In quarta parte, agitur de Humilitate: quæ subdiuiditur in quinque capitula.

Capitulum primum, de ordine dicendorum de humilitate, & de eius descriptione.

Capitulum secundum, de commendatione humilitatis.

Capitulum tertium, de causis humilitatis.

Capitulum quartum, de signis humilitatis, & de his quæ valent ad humilitatem.

Capitulum quintũ, de diuisionibus ad humilitatem pertinẽtib.

¶In quinta parte, agitur, de Paupertate.

¶In sexta parte, agitur de Mansuetudine, quæ primò describitur. Secundò, ostenditur quare Mites sint beati: vbi tanguntur sexdecim pertinentia ad commendationem mansuetudinis. Tertiò, quare mansueti possidebunt terram. Quartò, cui dono mansuetudo adaptetur.

¶In septima parte, agitur de luctu, qui primò describitur. Secundò, species eius distinguuntur. Tertiò, ostenditur quare lugentes sint beati: vbi tangitur de his quæ ad commendationem luctus siue lacrimarum pertinent. Quartò, de impedimentis lacrymarum. Quintò, cui dono luctus adaptetur.

¶In octaua parte agitur de Esurie iustitiæ. In nona, de Misericordia. In decima, de Munditia cordis, quæ primò describitur. Secundò tangitur de his quæ eam efficiunt, vel custodiunt. Tertiò ostenduntur quinque causę propter quas mundi tia maximè decet ministros ecclesiæ: vbi etiã tãguntur duodecim quæ faciunt ad commendationem munditiæ. Quartò agitur de partibus munditiæ. Quintò, quod donum ei adaptetur.

¶In vndecima parte agitur de Pace, quæ primò describitur. Secundò commendatur. Tertiò tanguntur duodecim quę valent ad pacem habendam. Quartò agitur de his quæ paci aduersantur. Quintò ponuntur diuisiones ad pacem pertinentes. Sextò ostenditur quid sit beatitudo illa quæ comendatur verbo illo, Beati pacifici. Septimò quare pacifici sint beati. Octauò quod donum ei adaptetur.

¶In duodecima parte agitur de patientia persecutionum.

FINIS.

REVERENDISSIMI AC EXIMII SACRÆ THEOlogiæ professoris Gulielmi Peraldi Episcopi Lugdunensis, ex sacro Ordine Prædicatorum, in Tomum Primum, qui SVMMA VIRTVTVM appellatur,

PROLOGVS.

QVM circa vtilia studere debeamus, exẽplo Salomonis dicentis: Cogitaui in corde meo abstrahere à vinò carnem meam, vt animã meam trãsferrem ad Sapientiã, deuitarẽque stultitiã, donec viderẽ quid esset vtile filiis hominum. Ecclesiast. 2. Vtilia etiam docere debeamus, exemplo Domini, dicẽtis Esaiæ 48. Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia. Virtutibus verò nihil sit vtilius in hac vita hominibus. Sapien. 8. Circa virtutes specialiter versari debet studium & doctrina, præcipuè cùm sine studio & doctrina virtus vix vel nunquam haberi possit. Senec. Virtus sine studio sui esse non potest. Bernar. Primum opus virtutis est doceri. Virtus cum humilitate vult doceri, cum labore quęri, cum amore haberi: nec aliter vel doceri, vel quæri, vel haberi potest. Item Sen. Cito nequitia surripit: difficile virtus inuenta est, ducem rectorémque desiderat: sine magistro vitia discuntur. Idem. Erubescimus discere bonam mentem: & turpe est huius rei quęrere magistrum: desperandum est posse casu tantum bonum nobis influere: pręcipua pars Philosophiæ est, quę circa virtutes versatur, studiosis minimè negligenda. Vnde Sen. dici Philosophiam studium esse Virtutis. Ideò ego minimus de ordine fratrum Prædicatorum desideraui colligere aliqua, quæ diffusè in scripturis inueniuntur de Virtutibus. Quod cùm dissuaderet mihi ingenij paruitas, & materiæ difficultas (materias enim grã des ingenia parua nõ sustinent, vt ait Hieronymus) pręualuit Superioris authoritas, qui hoc onus mihi iniunxit: cui non ausus fui contradicere, sciens quòd omnis potestas à Deo est: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Rom. 13. Et in memoria habens illud verbum Saluatoris Lucæ 10. Qui vos audit, me audit. verbũ à ministro eius dictũ habui, ac si de cælo sonuisset. Fiduciam ergo habens

go habens in Deo quòd vellet mihi ministrare quod per ministrum suum à me dignabatur exigere: cùm tamen sciret me nisi ab ipso hæc habere nō posse. Incassum enim laborat in doctrina virtutum, qui aliunde eam sperandam putat, quàm à Domino virtutum, ad gloriam Domini nostri IESV Christi, qui est Virtus & sapientia Dei Patris: ausus sum aggredi Tractatum Virtutum, ad vtilitatem humilium. Superbi enim dimittendi sunt sibi: quia separatum est conuiuium eorum. Osee 4. Dedignantur enim sedere ad communem mēsam cum aliis, scripta communia contemnentes. Vnde eo ipso quòd aliqua scriptura humilibus publicatur, superbis absconditur. Facies enim eorum nimis inflata non sinit eos videre quæ ab aliis videtur. Matthæi 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Superbi erubescunt aliquid dicere, ex quo semel dictum est: cùm tamen dicat Senec. quòd nunquam nimis dicitur quod satis non dicitur, quibusdam remedia demonstranda, quibusdam inculcanda sunt. Greg. Oportet sæpe reminisci quod modus cogit obliuisci. ¶ Superbi nolunt aliquid dicere, postquam bene illud sciunt: cum tamen Socrates inquirēti cuidam quomodo posset optimè dicere, dixit: Si nihil dixeris, nisi quod bene scieris. Augustinus in libr. de Vtilitate credendi: Miseri homines quibus cognita vilescunt, & nouitatibus gaudent: libentius discunt, quū norunt, cùm cognitio sit finis discendi: malunt vesci, quàm saturari, cùm finis voluptatis sit nec esurire, nec sitire. ¶ Nec de solis scripturis sacris testimonia volui assūmere in opere isto: sed etiā de scripturis Philosophorum, iuxta verbum Sen. In aliena castra transiens, non tanquam trāsfuga, sed tanquam explorator. Nec hoc reprehensibiliter. Sicut enim dicit Augustinus in libr. de Doctr. Christiana: Si Philosophi aliqua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed etiam ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Et Exod. 12. Ægyptij ab Hebræis præcepto Domini spoliantur. In principio verò operis, de Virtute in communi aliqua tangere volui. Secundò prosequemur de tribus virtutibus Theologicis. Tertiò de quatuor Cardinalibus. Quartò de donis. Quintò de beatitudinibus.

PROLOGI FINIS.

PRIMA PARS PRINCIPALIS DE VIRTVTE IN COMMVNI.

Quòd expediat Virtutem commendari. CAP. I.

SI separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Hieremiæ 15. Pretiosum est anima. Prouerbiorum 9. Mulier animā viri pretiosam rapit. Ideò filius Dei seipsum pretium animarū posuit, ne animę nobis vilescerēt. Pretiosę etiam sunt virtutes. Ber. Verę diuitię non sunt opes, sed virtutes, quas secū cōsciētia portat, vt in ppetuū diues fiat. Vile verò est corp⁹: animi enim pōdus ac pœna est, vt ait Senec. Imò quod plus est, factū est immūdities & materia propinqua vermiū. 1. Mach. 2. Gloria impij, stercus & vermis. Gloria impij vocatur corpus. Vilia etiam sunt bona temporalia, etiam quæ pretiosiora videntur. Aurum enim & argentum (secū dum Ber. in quodam sermone de Aduentu) sunt terra rubra & alba, quæ solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosa. Sap. 7. Omne aurum in comparatione ipsius, arena est exigua, & tanquā lutū ęstimabitur argentū in cōspectu illius. Pretiosum à vili separat, qui pretiositatē virtutū ostēdit, & tēporaliū vilitatē, & animam ab amore tēporaliū seiūgit, & ad amorē virtuū inducit: & talis quasi os Dei est. Saluator enim os suū aperiens, doctrinam suā à cōremptu tēporaliū inchoauit, dicēs Matt. 5. Beati pauperes, &c. Et de amore virtutis subdidit. Beati qui esuriūt & sitiūt iustitiam, &c. Vnde doctrina quæ cōtemptū temporalium inducit, & ad amorē virtutis allicit, quasi processisset ex ore Dei habēda est. Frater Guido Carthusiēsis: Rationalis creaturæ vera perfectio est, vnāquāque rem tanti habere, quanti habēda est. Senec. Quid tam necessariū, quàm pretia rebus imponere? Secundum Senec. tres sunt partes moralis doctrinę. Prima rebus dignitates distribuit, & pretia imponit, maximè vtilis. Secunda impetū animi reprimit. Tertia actionē regit, ostendens quādo vnumquodque, & vbi, & quemadmodū agi debeat. Ideò cōmēdationi virtutis in hac prima parte operis insistem⁹, vt eius pretiositas appareat, & vt ad amorē eius homines alliciātur. Magna enim pars bonitatis est, vt ait Sen. velle fieri bonū. Et Aug. Socratis sentētia est, quibus hominibus satis persuasum esset, vt nihil mallent se esse quàm bonos viros, his reliquā facilē esse doctrinā. ¶ Virtus cōmendatione indiget: quia hęc thesaurus est abscōditus in agro cordis:

cordis:qui ideo non quæritur,quia ignoratur.Matt.13.Est etiã velut lapis pretiosus qui conculcatur ab his, à quibus virtus eius ignoratur.Ecc.6.Quasi lapidis virtus probatio erit in illis:hoc est ictu de sapientia,quæ est de sapore virtutũ condita scientia,quem reprobant & despiciunt qui eius virtutem non agnoscunt.Matt. 7.Neque mittatis margaritas ante porcos,ne forte conculcẽt eas pedibus suis.¶ Ex ignorantia pretiositatis virtutis accidit, ꝙ ipsa adeò despicitur:ꝙ si esset venalis,non inueniretur qui eam emeret.Senec.Bona mens nec commodatur, nec venditur. Et puto si venalis esset, non haberet emptorem: at mala quotidie emitur. Greg.Carnalium mentes bona pensare non valent,nisi quæ carnaliter vident.Aug.Vix est aliquis qui diligat interiora bona,quę sola diligenda sunt:cæteris autem ad necessitatem vtendum,non ad gaudium perfruendum est.¶ Virtus quia non agnoscitur:ideo à Deo non petitur nec accipitur, qui paratus est eam dare, si esset qui desideraret eam accipere.Heb.12.Contemplantes nequis desit gratiæ Dei.Et 1.Petr.1.Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam .Extentam habet Deus manum dexteram ad largiendum bona spiritualia, sed non est qui accipiat. Omnes enim ad sinistram aspiciunt,vt inde temporalia recipiant. ¶ Commendationi verò virtutis aliqua, quæ pertinent ad eius notificationem, breuiter præmittemus.

De notificatione Virtutis. CAP. II.

NOtandum ergo, quòd nomen Virtutis antiquitus fuit solius fortitudinis, vt ait Tullius. Ratio verò huius hæc est: quia nõ statim innotuit hominibus virtuositas aliarũ virtutũ:sed virtuosi semper apparuerũt,qui laboribus & doloribus non faciè vinci potuerũt.Sed pòst experiẽtia docuit,animũ habere multa certamina cõtra diuitias,delitias & honores,quorum victoria difficilis est & vtilis:vnde & virtuosi nominati sunt,qui tales vincere potuissent.¶ Item notandum, quòd nomen virtutis in cano ne Sacræ scripturæ,vt frequentius, sumitur pro fortitudine,vel pro potẽtia,vel pro opere mirabili.Ratio autem prout hîc de ea intẽdimus.Sed quod Philosophi in morali doctrina virtutẽ vocãt,Scriptura sacra,vt frequẽtius,gratiã nominat.Ratio autẽ huius diuersitatis hæc est,Virtus duplicẽ habet comparationẽ. Vnã ad id à quo est,scilicet ad Dei liberalitatem,cuius donum est:& sic dicitur gratia.Et est gratia donum à Deo gratis datum,habentem se Deo gratum faciens, & opus eius Deo gratum reddens. Aliam comparationẽ habet Virtus ad id quod ab ea est, scilicet ad

ad opus suum:& sic vocatur Virtus: & sic nominant eam Philosophi,faciem habentes ad donũ Dei,& dorsum ad datorem. August.4.li.Confes. Dorsum habebam ad lumen,& ad ea quæ illuminant faciem,& ipsa facies, qua illuminata cernebam,nõ illuminabatur. Philosophi fuerunt propriæ gloriæ amatores, & diuinæ gloriæ neglectores,de propriis viribus cõfidentes,cõditori suo gratias non agentes, secundum illud dictum de ipsis Rom.1. Non sicut Deum glorificauerũt,aut gratias egerunt,sed euanuerunt in cogitationibus suis.Sancti verò faciẽ habentes ad lumen, in lumine Dei agnoscunt insufficientiã suam.2.Cor.3.Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis:sed sufficientia nostra ex Deo est.Itẽ agnoscũt boni ad quam tendimus eminentiã,quòd supra vires nostras est.Vnde super illud Mat.11. Regnum cœlorũ vim patitur,&c.dicit Glo. Grandis violẽtia est in terra nasci, & cælũ rapere, & habere per virtutẽ, quod per naturam nõ possumus.Agnoscunt etiã hostium inuisibiliũ præeminentiam,secundũ potestatem & statum malitiæ. Iob 40. Nõ est potestas super terrã quæ cõparetur ei. Nos quasi locustæ sumus, & ipsi velut gigantes. Num.13. Vidimus monstra filiorũ Enac, de genere giganteo:quibus comparati locustæ videbamur. Origenes:Vult Dominus Iesus mirabiles res facere: vult enim de locustis superare gigantes,& de his quæ in terra sunt,cælestes vincere nequitias.Ideo sancti intelligentes adiutorium gratiæ adeò eis esse necessarium,vt sine eo nihil possint,neque bonum agere, neque tueri:oportet enim gratiã præuenire vt velint,& subsequi ne inaniter velint.Aug. Parũ enim prodest homini bonum velle,nisi tentãti postea possit resistere,& tueri bonũ quod acquisitum est:omnia Deo attribuũt,& radicem meriti,virtutẽ scilicet & præmium,nõ videntes,nec in se,nec in alio bonũ aliquod,nisi gratiam Dei.1.Corin.15.Gratia Dei sum id quod sum.Et Ioannes testatur se vidisse Iesum plenũ gratia. Ioa.1.Et Angelus Mariam plenam gratia nominat. Luc.1.Et Gabriel monet natũ ex sterili, Ioannem vocari, quod gratiam sonat. Luc.1.Anima ex se sterilis secundum naturam,non potens ad meritũ regni æterni,gratiam Dei reputare debet tam meritũ quàm præmium.Rom.6.Gratia Dei vita æterna. Glos.Confitendũ est gratiam Dei vitã æternam vocari:quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini. Simile Io.1.Gratiam pro gratia. Et initium boni & finis gratia est. Aug.in li.de Correctione & gratia:Desiderare auxilium gratiæ, initiũ gratiæ est. Psal.Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Apoc.4.Vigintiquatuor seniores mittebãt coronas suas

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante thronum, ostendendo sedenti in throno deberi honorem, quòd coronas recepissent. Rom.9. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Esa.26. Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine. Rom.7. Velle adiacet mihi; adiacet inquam quasi infirmum: perficere autem bonum non inuenio. 1.Corin.15. Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Phil.2. Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere. Ioa.15. Sine me nihil potestis facere. ¶ Et notandum quod virtus dicitur à vi, vnde Dominus vocat virtuosos violentos, Matt.11. Violenti rapiunt illud. Et Luc.16. loquens de regno cælorum: Omnis enim in illud vim facit. ¶ Virtuosus tripliciter vim facit sibi. Primò ardua aggrediendo, & quæ sunt supra hominem. Secundo aduersa patiendo. Act.14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. Tertiò à placitis abstinendo. Gen.8. Sensus & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescentia sua. Ideo quasi cum quadam violentia oportet hominẽ ab his, quæ sibi placent, compesci. Ouid. in Epistolis: Est virtus placitis abstinuisse bonis. Vel dicitur virtus, quasi viri status, siue virilitas. virtus enim est perfecti animi & ad rectas operationes robusti: sicut virilis ætas est corporis robusti & perfecti. ¶ Item notandũ, quòd sicut dicit Tullius in li. de Offi. Virtus & honestas nomina diuersa sunt res autẽ subiecta prorsus eadem. Honestũ verò est quod sua vi ad se nos allicit, & dignitate trahit: vt idem Tullius dicit in 1. Rhet. Honestus verò dicitur aliquis eò quòd nihil habeat turpitudinis: vt dicit Isido. in li. Etymologiarũ. Et subdit: Nam quid est honestas, nisi honor perpetuus, & quasi honoris status? Vnde hominibus virtuosis & honestis honor maximè exhibendus est. ¶ Inueniuntur in scripturis multæ descriptiones virtutis: de quibus ad ipsius maiorem declarationem aliquas ponemus, & exponemus.

De descriptionibus Virtutis. CAP. III.

VIrtus sic describitur in lib. de Spiritu & anima. Virtus est habitus mentis bene instituꝛ. Et intellige mentẽ bene institutam, ad similitudinem regni, quod bene institutũ est, si rectè in eo consulatur, & rectè imperetur, & rectè obediatur. Sic mens bene instituta est, quum ratio rectè cõsulit, voluntas rectè imperat, & vires subiectæ voluntati rectè obediũt. Hanc bonã institutionem virtus in mente facit. Ipsa enim rationẽ illuminat, & voluntatem de seruitute vitiorũ ad imperiũ sublimat. Sine virtute mens pueriliter regitur. Vnde væ ei. Eccle.10. Væ tibi terra, cuius rex puer est. Sine ea regnũ mentis simile est regno Roboã, qui potius acquieuit

quieuit cõsilio iuuenum imprudentiũ, quàm consilio senũ. 3.Reg.12. Sic vbi virtus nõ est, derelicto cõsilio rationis, sensibus acquiescitur: vbi virtus nõ est, quod debuit in homine seruire, imperat, non sine magna inordinatione. Prou.19. Non decet seruũ dominari principibus. Et eiusdẽ 30. Per tria mouetur terra: id est, turbatur: & quartũ quod non potest sustinere, per seruum quum regnauerit. Virtus facit in regno mentis partẽ nobiliorẽ regnare, & tunc beata est anima. Eccl.19. Beata est terra, cuius rex nobilis est. Ipsa solium iudicij rationi reddit: ex quo sequitur dissipatio omnis mali. Prou.20. Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malũ. Virtus veram nobilitatem in anima perficit, quam natura inchoauit. De initio nobilitatis, ait Seneca: Quis est generosus? Ad virtutẽ à natura bene dispositus. De perfectione dicit Hie. Sola apud Deũ libertas est, nõ seruire peccatis: summa apud eum nobilitas, clarere virtutibus. Item virtus sic describitur ab Aug. in li. de quantitate animæ: Virtus est æqualitas quædam vitæ vndique consonans rationi. Virtus vitæ æqualitatem facit quia secundum Senecam, animũ reddit asperis blandisque inuictũ, neutri se fortunæ submittentẽ, quem nulla vis frangat, quem nec attollat fortuna, nec deprimat. Tullius: Præclara est æqualitas in omni vita: idem qui semper vultus, eadémq; frons: vt de Socrate accepimus. Virtus in vtraque fortuna par est: virtutem materia nõ mutat, nec peiorem facit dura aut difficilis: nec meliorem hilaris & læta, vt ait Seneca, virtus per omnia consonat rationi. Vnde Bernardus in epistola ad fratres de monte Dei: Virtus est ad iudicium rationis vsus liberæ voluntatis. Seneca: Humanis virtutibus regula vna est ratio recta. ¶ Virtus etiam sic describitur à Philosopho: Virtus est habitus animi, modo naturæ consentaneus rationi. Ad opera virtutum, Primò incitat nos natura. Secundo, ratio. Tertio, gratia. Verbi gratia: Natura incitat vt subuenias proximo indigenti. Idem etiã ratio dictat, quia similis indigentia potest tibi accidere, in qua velles idẽ tibi fieri. Gratia verò hoc suadet tibi, quia proximus es, Dei imago, Dei filius, vel ad hoc creatus, vt in æterna beatitudine sit tibi socius. De instinctu naturæ dicit Tullius: Sunt nobis innata virtutum initia, quæ si adolescere liceret & pateremur, nos ad beatitudinem eũ diuino munere ipsa natura perduceret. Idẽ: Nos ignicu-los natura datos extinguimus. Si quis autẽ obiiciat, quòd ad opus patientiæ nõ incitamur à natura, quod videtur potius esse contra naturã. Respondet Seneca, quòd materia boni cõtra naturã est, vt vulnerari, & subiecto igne tabescere, sed bonũ nunquam. Seruare

enim animũ infatigabilẽ inter iſta, quod eſt opus virtutis, ſecundum naturã eſt: quia nullũ bonum ſine ratione eſt, vt ipſe ait. Sequitur autẽ ratio naturam. Bernardus: Omnis virtus homini naturalis eſt. Idẽ: Virtus quoniã naturæ res eſt, cùm venit in animũ, aliquando nõ venit ſine labore, ſed venit in locũ ſuũ, & fideliter ſedet, & bene cum ea natura cõuenit. Seneca: Virtus ſecundum naturam eſt, vitia verò inimica ſunt & infeſta. Et ſecundũ Ariſt. Virtus non eſt præter naturam. Chryſoſtomus verò in quadam homilia dicit, quòd virtus animi eſt, rectè de Deo ſentire, & rectè inter homines agere. ¶ Virtus etiam ſic deſcribitur à Philoſopho: Virtus eſt habitus voluntarius in medietate conſiſtens quo ad nos, Medietas iſta attenditur inter ſuperfluitatẽ & indigentiã. Vnde idem Philoſophus dicit, quòd virtus eſt medietas duarum malitiarũ: huius quidem ſecundũ ſuperfluitatẽ, huius verò ſecundum indigentiam. Boëtius: Virtutes medium tenent: ſi vel vltrà vel citra quàm oportuerit fiat, à virtute diſceditur. Hæc autẽ medietas in virtutibus cardinalibus inuenitur: in virtutibus verò theologicis non videtur poſſe inueniri. Remigius: Ea quæ ſunt purè delectationes animæ, id eſt, quæ ſunt animæ ſecundum ſe, non determinantur ſecundũ ſuperfluum & diminutum, Canti. 1. Adoleſcentulę dilexerunt te nimis. Ergo nimietas dilectionis in Deum non videtur eſſe ſuperfluũ vel vitium. Quo ad nos dicitur eſſe hæc medietas: quia determinando hanc medietatem, habendus eſt reſpectus ad perſonã operantis. Alicui enim eſſet parum quod alij eſſet nimium, vel econuerſo. Aug. in lib. de libero arbitrio ſic deſcribit virtutẽ: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur, quã Deus in nobis operatur. Virtus dicitur bona eo modo quo albedo dicitur color albus: nõ ideo quòd albedo colori inhæreat vt accidens, ſed color eſt ipſa albedo: ſic eſt virtus bonitas mentis mentẽ bonam faciẽs. Virtus etiam bona eſt: quia ducens ad ſummũ bonum. Virtute etiã rectè viuitur: vitam autẽ rectam intellige, quæ extenditur ad Deũ principium, & Deũ finem, Deo qui eſt principiũ omnium bonorum de omnibus bonis gratias agendo, iuxta illud 1. Theſſ. 5. In omnibus gratias agite: & gloriam eius in omnibus quærendo: ad hoc enim creati ſumus. Deu. 26. Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem & nomen gloriam ſuam. Eſa. 44. In gloriam meam creaui eum. 1. Corinth. 10. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud agitis, omnia in gloriam Dei facite. Vita eius qui ſibi ſolum vult viuere, tantùm quæ ſua ſunt quærens, & ad gloriam Dei non attendens, non eſt recta, imò

imò curua, quum in ſe reflectatur. Item non eſt recta quæ declinat quaſi in latus per ſuperfluitatem vel indigentiam. Virtutes cardinales obliquitatẽ, quę eſt ſecundum ſuperfluitatẽ vel indigentiam, excludunt: Theologicæ verò curuitatem, quæ eſt vbi vita reflectitur in vtilitatem proprij ſubiecti, non ordinata ad finem vltimum. Virtutes ergo cardinales cum theologicis vitam rectam efficiunt. Item quum rectum ſit, cuius medium non exit ab extremis: extrema autẽ vitę noſtrę quum ſit Deus principium & Deus finis, vita recta eſt, quæ ſicut eſt à Deo & ad deum, ita & ſub Deo humiliter implens eius imperiũ, ſicut ab eo habuit initium, & ab eo expectat præmiũ. Vitam verò hic intelligas quatuor partes conſeruationis: ſcilicet cogitationem, affectionem, locutionem, & operationem. Rectitudo verò horum eſt, quum non diſcordãt à regula legis diuinæ, quæ nobis iudicat diuinam voluntatem. Huic autẽ rectitudini oppoſitũ eſt peccatum, prout deſcribit illud Auguſtinus dicens, Peccatũ eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Per concupitũ verò intellige cogitationem & affectionem. Itẽ vita recta eſt, quum voluntas in nullo diſſentit ab eo quod ratio rectè ſentit. Voluntate enim rectè viuitur, voluntate peccatur, vt dicit Aug. Ratio recta regula eſt voluntatis. Bernar. ſuper illud Canti. Recti diligũt te. Illum verè rectũ corde dixerim, qui & rectè in omnibus ſentiat, & à recto quod ſenſerit in nullo diſſentiat. ¶ Virtute etiam nemo male vtitur propriè loquẽdo. Si quis tamẽ obiiciat de illo verbo Iſidori, Interdũ male vſæ virtutes vitia generãt: dicẽdum eſt, q̃ virtus poteſt eſſe occaſio alicuius mali, ſed nunquã actus eius erit abuſus: ſicut accidit in potentiis naturalibus, quibus homo poteſt bene vti vel, abuti. Per hoc quod ſubditur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur: patet quod hæc deſcriptio eſt intelligenda de virtute gratuita: præcedens verò virtus, eſt habitus voluntarius &c. intelligenda eſt de virtute conſuetudinalis. Aliæ verò deſcriptiones poſitæ ferè omnes poſſunt intelligi & de gratuita & de conſuetudinali. Si quis verò obiiciat de illo verbo Auguſtini: Qui fecit te, ſine te, non iuſtificat te ſine te. Vnde videtur q̃ Deus nõ operetur in nobis virtutem ſine nobis. Reſpondendum eſt, quod Deus iuſtificat hominem ſine homine cooperante, ſed nõ ſine homine adoperãte: ſicut ſol illuminat domum cùm aliquis aperit feneſtram nõ ſine homine adoperãte, tamen ſine homine cooperante: homo enim nõ cooperatur ſoli illuminando domũ. Sic verus ſol infundit virtutes nobis præparatis ad earum ſuſceptionem: nõ tamẽ cooperamur illi in illa infuſione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De triplici virtutis commendatione. CAP. IIII.

SEquitur de commendatione Virtutis. Et notandũ quòd virtus est primò cõmendabilis à dignitate dantis. Retinuit enim Deus donationẽ eius ad manũ suam. Psa. Gratiã & gloriam dabit Dominus. Virtus fructus est Spiritussancti. Gala. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudiũ, pax &c. Ex nobilitate arboris fructus bonitatem agnoscẽ. Arbor bona fructus bonos facit. Matth. 7. ergo optima optimos. ¶ Secundò à dignitate eorum quibus datur: hoc enim donum non est nisi bonorũ & amicorum Dei: temporalia bona & etiam naturalia corporis vel animæ cõmunia sunt bonis & malis, amicis Dei & inimicis. Et frequenter mali & inimici Dei potius in talibus abundant quàm amici Dei. Ex quo apparet non esse vera bona. Si enim vera bona essent, potius daret ea amicis quàm inimicis. Aug. in primo li. de Ciuitate Dei: Ista tẽporalia bona & mala voluit Deus bonis & malis esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunq; afficiuntur. Item Aug. in eod. li. 20. Profectò salubriter discimus, nõ magnipendere seu bona seu mala, quæ videmus esse bonis malisque communia, & illa bona quærere, quæ bonorũ, & illa mala maximè fugere quæ propriè sunt malorũ. Item Aug. in eodẽ: Pulchritudinẽ ideirco Dominus largitur etiã malis, ne magnũ bonum videatur bonis. Deserto itaque bono bonorum proprio, lapsus est factus ad bonorũ minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque cõmune. ¶ Tertio quasi à situ: quia possessio est valde bona bene sedens. Bene sedet possessio quæ propinqua est ciuitati: melius quæ infra muros ciuitatis optimè quæ infra muros propriæ domus tuta est, & ab hostibus & à ciuibus. Peroptimè sedet virtus quæ est in secreto cordis. Seneca: Hunc dicito, hunc habe beatũ, non quẽ vulgus vocat, sed cui omne bonũ in animo est. Itẽ Seneca: Sapiẽs intra se omne bonũ terminabit. Et dicit quòd quidam capta patria, & vxore & liberis amissis, quum ex incendio publico solus & tamẽ beatus exiret: interrogãti victori, Nunquid aliquid perdidisset: Nihil, inquit, perdidi, bona mea mecum sunt.

Quòd Virtus sit optimum præsentis vitæ, & bonitas aliarum rerum.

CAPVT V.

QVartò cõmendabilis est cõparatione aliorũ bonorũ. Et primò facta cõparatione ad bona præsentia. Secũdo ad futura. ¶ Secundũ comparationẽ primã virtutis optimũ dicitur. Heb. 13. Optimũ est gratia stabilite cor Aug. in li. de moribus Eccle. Erit, inquit, hominis optimũ, quod animã optimã facit: nemo autem dubita

dubitauerit quin virtus animã faciat optimã. Et Iac. 1. Omne datum optimũ &c. Datũ optimũ, virtus vel gratia dicitur: respectu cuius simpliciter bona dicuntur quę cõmunia sunt nobis & brutis, vt fortitudo corporis, agilitas, pulchritudo, sanitas, & ea quæ pertinẽt ad corporis sustentationẽ, vel ornatum, vel protectionem. Bona meliora sunt bona animę, quę tamen animã nõ reddunt de necessitate bonam, quæ similiter sunt cõmunia bonis & malis, vt scientia & similia. Optimũ verò virtus, vel gratia. Perfectum, gloria. 1. Corin. 13. Quũ venerit quod perfectum, est euacuabitur quod ex parte est. Virtus non solum bona est, sed etiam bonitas bonũ faciens necessario possessorem suũ. Arist. in libro de eligendis: Si hoc facit bonum id cui adest, illud autẽ nõ facit, quod facit magis est eligendũ, vel quod melius & principalius facit bonum: & si quidẽ hoc facit animã, illud autem corpus. Nõ sic dignitates & diuitiæ, quę vt frequenter malos faciunt possessores suos, vel magis malos ostendunt. Boëtius: Collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed potius prodit & ostendit indignos. Eccles. 11. Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Seneca: Multũ est nõ corrumpi diuitiarũ cõtubernio. Ideo virtus multum appetenda esset, tanquam propria bonitas: sed tanta est hodie hominũ stultitia, quòd de propria bonitate nõ curant, cũ in omnibus suis bonitatem quęrant. Seneca: Nihil est cuique se vilius. Augu. Bona vis habere, & bonus non vis esse. Idẽ: Quid est quod te velis malũ habere? Nihil omnino. Nõ vxorem, non filium, non seruũ, non tunicam, postremo nõ caligam, & tamen vis habere malã vitam. Rogo te præpone vitã tuã caligæ tuæ. Idem: Quid te offendit vita tua quam solã vis malam, vt inter omnia bona tua tu solus sis malus? Idem: Adeò cæcitas mentis inualuit, adeò homo interior obsurduit, vt omnia velit habere bona prẽter seipsum. Plus deberet homo amare bonitatem sui, quàm totum mundum. Quum enim homo prævaleat toti mundo, bonitas eius bonitati mundi totius prẽualet. Seneca. In homine nihil ad rem pertinet, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incubet lecto, quàm perlucido poculo bibat, sed quàm bonus sit. Hoc autẽ debet mouere hominẽ ad amorem propriæ bonitatis, & sicut ipse quãdo bonus est, melior est omnibus creaturis visibilibus: sic quando malus est peior est illis: quia non solum malus est malitia pœnę, sed etiã malitia culpæ, ipse debitor est mortis tẽporalis & æternæ. In hoc deterioris conditionis est serpentibus & bufonibus. ¶ Nec solùm virtus bonitas est hominis, sed etiã est bonitas operum. Plus enim valet vna eleemosy-

na,vel aliud bonum opus ex virtute vel gratia procedens, quàm mille sine gratia. Si aliquis mille annis facit opera de genere bonorum sine gratia,nõ meretur regnũ æternũ, quod tamẽ meretur vnico bono opere ex gratia facto. Senec. Vnus dies hominum eruditorum plus valet,quàm imperiti longissima ætas. Qui faciunt opera de genere bonorũ sine gratia, picturas habent bonorum operũ,non bona opera. Senec. Apud sapientes sunt honesta,apud vulgus simulachra rerũ honestarũ. Opus de genere bonorum sine gratia factum,lumẽ esse videtur,& tamẽ non est verè lumẽ. Matth.6. Si lumẽ quod in te est tenebræ sunt, ipsę tenebræ quantæ erunt? Tale opus simile est ligno putrido, quod his qui in tenebris sunt lucidũ videtur. Tale opus videtur esse aurẽ, quum sit aurichalcum. Bernard. Melius est pallens aurum,quàm fulgens aurichalcũ. Qui habet abũdantiã talium operũ,est quasi diues quum nihil habeat. Prou. 13. Itẽ opus tale est velut cadauer exanime. Vnde anima cuius sunt opera talia,est velut mulier infœtrix,omnes fœtus suos pariẽs mortuos. Quid est fides quę non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Quod de fide informi dicitur,verum est de omnib.operib.informib.quę scilicet sine gratia fiũt. Homo absque gratia est velut arbor syluestris ferens fructus, quib.porci infernales pascuntur. Gratia verò est velut ramuscul⁹ cęlestis,qui huic arbori insert⁹ facit eã ferre fructus optimos,qui lętificent Deũ& angelos. Luc.15. Gaudiũ erit in cælo super vno peccatore pœnitẽtiã agẽte &c. ¶ Nec solùm virtus est bonitas operũ, sed etiam rerũ tẽporaliũ. Bonũ enim rerũ temporalium, est laudabilis vsus earũ qui virtutis est vel gratiæ. Vnde malis tẽporalia bona nõ sunt,cùm malè illis vtãtur. Senec. Stulto nulla re opus est,nulla enim re scit vti. Eccl.13. Bona est substantia,cui nõ est peccatũ in cõscientia. Sicut sanguis in corpore humano non est bonus,sisit materia infirmitatis,vnde euacuãdus est:sic tẽporalia nõ sunt bona his quib⁹ sunt materia infirmitatis spiritualis. Senec. Dicis, pecuniã perdidi. O te felicem si cũ ea auaritiã perdidisti:sed si manet illa apud te, es tantũ felicior,quo tãto malo materia subducta est. Prou.1. Vsquequo stulti ea quę sibi sunt noxia cupient? Fit iusto Dei iudicio,vt cùm aliquis malus est verè domino,illa mala sint ei quibus ipse dominatur quasi vindicantia creatorem suũ. ¶ Virtus etiã mala pœnę in bona conuertit:iuxta verbũ Sen. Eccl.8. Qui custodit prœceptum non experietur quicquã mali. Nõ est mala aduersitas viro iusto, cùm sit ei materia coronę ęternę. Et vt breuiter dicatur. Virtus siue gratia est totũ verũ bonũ hominis in vita ista. Vnde gl. Aug. super

super illud Psal. Signatũ est super nos lumẽ,&c. dicit de lumine gratiæ. Hoc lumen est totum & verũ hominis bonũ. Sine gratia non est homini verè bonum, vel bonũ naturę vel bonũ fortunæ. Bernar. Si quis callidus est ingenio,si viget arte, si præminet intellectu,instrumenta sunt hæc tam vitiorũ quàm virtutũ. Senec. Non viuere bonũ est, sed bene viuere:bene autẽ viuere virtutis est. Tullius: Quod rectũ & honestũ est & cũ virtute, id solũ bonum arbitror. Nũquid potest cuiquã malo bonũ esse, aut potest quisquã in abundantia bonorũ esse nõ bonus? Seneca: Doce non esse positũ bonũ vitæ in spatiũ eius,sed in vsu: vsus autem rectæ virtutis est. Sap. Omnia quę extra nos sunt dona,quæq; hominibus fortè contingunt,non ideo laudãtur,q̃ habuerit quis ea, sed quod his honestè sit vsus. Aug. Non vtiliter in tempore viuitur, nisi ad comparandum meritum,quo in æternitate viuatur.

Quòd virtus sit propriè bonum nostrum,possessio libera & sufficiens. CAP. VII.

VIrtus, secundũ Philosophos, bonum nostum est propriè, quũ bona fortunæ sint bona aliena à nobis. Hoc bonũ nulla vis à nobis excutit,iuxta verbũ Senecę,Nõ potest auferri ab homine, nec in vita,nec in morte. Tulli⁹,Omnia alia caduca sunt: virtus vna est, altissimis defixa radicibus. Tullius: Hęc demum sapiẽtia est,vt omnia tua in te posita esse dicas,humanósq; casus virtute inferiores putes. Senec. Non est tuũ fortuna quod fecit tuũ. Boëtius in lib. consola. Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ natura rerum à te facit esse aliena. Sen. Periturũ est, nempe quod aduẽtitiũ fuit. Idẽ: Quid stultius est,quàm in homine alienа laudare? quid eo demẽtius qui circa se miratur ea quæ ad aliũ protinus transferri possunt? Nõ faciũt meliorẽ equũ aurei freni. Aug. in libro Soliloquiorũ: Deus per quẽ dicimus aliena esse,quæ aliquando nostra:& nostra esse,quæ aliquãdo aliena putauimus, accipe me ab istis fugientẽ famulũ tuũ quia & ista me quãdo fugiebã à te,acceperũt alienũ,ad te mihi redeũdũ esse sentio, nihil aliud scio nisi fluxa & caduca spernenda esse, & certa & ęterna requirenda. Senec. Ratio arbitra est bonorũ & malorũ:aliena & hesterna pro vilibus habet, omne illi bonũ in animo est. Habacuc 2. Væ qui congregat non sua. Nõ sua vocat tẽporalia. Senec. Huc cogitationes tuę tẽdant,hoc cura,hoc opta,omnia alia Deo vota missurus, vt contẽtus sis temetipso, & ex te nascẽtibus bonis. ¶ Itẽ virtus possessio libera est,quæ possidet bona tẽporalia in subiectione,est aliqua vel fortunę, vel ipsarũ diuitiarũ, vel eorũ quibus occasione diuitiarum indiget. Se. Incipit esse fortunæ

subiectus, si quis partē sui foris quærit. Aug. Venditis rebus nostris nullū magis carū accipimus pretiū, quàm nosipsos. Implicati enim talibus nō eram' nostri. Sen. Minus quàm seruus est, qui seruos timet. ¶ Item virtus possessio est habēti sufficiens. 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Sene. Virtus nudo homine cōtēta est. Idē: Sapiens se contentus est, non vt velit esse sine amico, sed vt possit. Item Seneca: Se cōtērus est sapiens ad bene viuēdū, non ad viuēdum: ad hoc enim rebus multis illi opus est, ad illud tantùm animo sano & erecto & despiciente fortunā. Idem, Virtus nullo eget, & præter summū bonū extrinsecus instrumenta nō quærit. Econtrario, diuitiæ terrenæ multis indigēt. Boëtius: O angustas inopésque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quēliber sine cæterorū pauperrate nō veniunt. Idē: Verū illud est, permultis illos indigere, qui permulta possidēt. Homo absq; virtute vel gratia est regio egestatis. August. in lib. Confes. Defluxi à te ego, & errauī: erraui Deus meus nimis deuius à stabilitate tua in adolescentia mea, & factus sum mihi regio egestatis.

Quòd virtus sit magnæ incūditatis & dignitatis. CAP VII.

ITem virtus bonum est & magnæ incunditatis & magnæ dignitatis. Boēt. de cōsol. Nūquā sine pœna sunt vitia, nūquā sine præmio sunt virtutes. Sene. Rerum honestarum pretium in ipsis est: hoc pretium est mentis lætitia. Idē: Rectè factorū verus fructus est in ipsis: nec vllum virtutum pretium dignum ipsis extra ipsas est. Ber. Delectationes non perdimus, sed mutamus à corpore ad animam, à sensibus ad conscientiam. Item Greg. super Iob 1. Filij per domos conuiuium faciunt, dum virtutes singulæ iuxta modū propriū mentē pascunt. Econtrario curre per singula, tot inuenies animæ tormenta, quot vitia, vt ait Aug. Gaudium virtutis est velut fons gaudij in domo propria nascens. Senec. Existimas me detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui dulcissima spei oblectamenta censeo deuitanda, imò econtrà volo tibi nunquā deesse lætitiā: vollo illā tibi domi nasci: nascitur, si intra teipsum sit. Idem: Tu iudicas eum gaudere qui ridet: animus debet esse alacer & fidens, & super omnia rectus. Eccles. 30. Non est oblectamentum super cordis gaudium. Senec. Conculca ista quæ extrinsecus splendent, & de tuo gaude. Quid est autem hoc, de tuo, de teipse, & tui optima parte. Idem: Viri boni gaudium est ex bona conscientia, ex contemptu fortuitorum, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex placito vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. Idem: Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habēt ac perfusoriam voluptatem, & quod

quodcunque inuentitium est gaudium, fundamento caret: hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plus pateat introrsus. Idem: Fundamentum bonæ mētis est, non gaudere vanis. Fundamentum hic esse dixi culmē, cùm ad summa peruenit qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Item Seneca: Improbæ voluptates non sunt solidæ, non sunt fideles: etiam si non nocent, fugiunt: potius aliquod bonum mansurum circunspice. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obsistat nubium, materia interuenit, qua infrà feruntur, nec vnquam die vincunt. Gre. Absit vt tanta sit delectatio in vitiis, quanta est in virtutibus. ¶ De dignitate virtutis dicit Boë. Non virtutibus ex dignitate: sed ex virtutibus dignitati honor accessit. Idem: Virtuti propria dignitas inest. Virtus est beatitudo, vel felicitas præsentis vitæ. Beatitudo virtutum de fonte cælestis beatitudinis, amicis Dei in hac valle miseriæ stillatur. Vnde 2. Cor. 12. dicit glo. Aug. In regione intelligibiliū beata vita in fonte suo bibitur: inde aliquid aspergitur huic humanæ vitæ, vt in tentationibus huius seculi temperanter, fortiter, iustè, prudēterque viuatur. Tullius: In quo virtus est, nihil ei deest ad bene ac beatè viuendum. Macrobius: Solæ virtutes faciunt beatum nullāque alia via quisquam hoc bonum adipiscitur. Sene. Ratio recta & cōsummata felicitatē hominis impleuit: hoc vnū bonū hominis est, quod qui habet, etiā si aliis destituitur, laudandus est: quod qui nō habet, in aliorū omniū copia dānatur. Rationē verò rectā & consummatā facit virtus. Vnde Aug. dicit in libro Soliloquiorum, quòd virtus est ratio recta vel perfecta: id est, rationis rectitudo vel perfectio.

Quòd status virtutū assimilatur paradiso terrestri & cælesti. CAP. VIII.

VIrtus seu gratia quasi paradisum facit in corde hominis. Eccles. 41. Gratia Dei sicut paradisus in benedictionibus. Assimilatur cor vbi gratia est, paradiso & terrestri & cœlesti. ¶ Terrestri tripliciter, scilicet amœnitate, fœcunditate, & securitate. ¶ Amœnitatē & fœcunditatē ibi faciunt quatuor virtutes, velut quatuor flumina paradisi mentē irrigātes. Vnde Glo. Greg. super illud Gen. 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigādū paradisum &c. Quatuor flumina paradisum irrigāt: quia dū his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorū carnaliū æstu tēperatur. Ecc. 40. Super omnē aquā viriditas, & ad orā flaminis. Altitudo verò facit securitatē: quia sicut padisus terrestris in alto situs est pertingēs vsq; ad lunarē circulū. sicut dicit gl. Str. super illud Ge. 2. Plātauerat Deus paradisum voluptatis: sic cor

vbi

vbi Dei gratia est, in alto situm est. Sene. Talis est sapientis animus, qualis mundus supra lunam: semper illic serenũ est quod non est alieni muneris: nec arbitrij alieni est, quod non dedit fortuna, nõ eripuit. ¶ Paradiso verò cælesti in quatuor assimilatur. Primo, in hoc quod est Dei habitatio, placet enim Deo habitare in anima virtutibus ornata. Hier. Nihil quietius, nihil purius ea mente debet esse, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem non auro tẽpla fulgentia, non gẽmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus. Prou. 8. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Bernardus animam huiusmodi cælum vocat, dicens, Nec mirum, si cælum hoc libenter inhabitat dominus Iesus, quòd non quomodo cæteros dixit tantum vt fieret, sed pugnauit vt acquireret, occũbuit vt redimeret. Secundò in hoc quòd est locus luminis. Iob 38. Nosti per quam viam spargitur lux. Glo. iustitia est lux. Tertiò, quia locus est ordinati amoris. Breuis enim & vera diffinitio Virtutis, est ordo amoris: vt ait August. in libr. de Ciuita. Dei. Quartò, quia locus est gaudij. Esa. 51. Ponam desertum eius delicias & solitudinem eius quasi hortum Domini. Cor hominis antequam sit in gratia Dei, est velut desertũ, sed per gratiã fit quasi hortus domini. Ista quatuor in paradiso cęlesti inueniuntur. Est enim Dei habitatio, locus luminis, & ordinati amoris, & gaudij. ¶ Contraria verò quatuor prædictis cor peccatoris faciunt quasi infernum, cùm sit habitatio dæmonum, & habeat tenebras ignorantię & culpæ, & ignem prauæ concupiscentiæ, & vermẽ remordentis conscientiæ. Hæc enim quatuor sunt in inferno. Væ illis qui multis in laboribus & expensis sibi faciunt infernum. Væ illis qui potius eligũt habitare in inferno quã in paradiso. Mira insania taliũ qui infernũ præoccupant, quasi timerẽt se nimis tardè peruenturos ad eum.

De præexcellentia gaudij virtutis respectu gaudij mundani. CAP. IX.

ET notandũ, quòd gaudium virtutis quadrupliciter præcellit respectu gaudij mundani. ¶ Primò in cõtinuitate. Homo carnalis non semper sedet ad mensam corporalem, sed homini virtutis secura mens est quasi iuge conuiuium. Prou. 15. Iob 20. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Hipocrita est mũdus exterius deauratus. Aug. in li. Confes. Si quid arrisisset prosperũ, tædebat apprehendere: quia penè prius quàm teneretur, auolabat. Gaudiũ mundanũ venit de foris, & facilè impeditur, & discontinuatur. Seneca vitã virtutis luci cõparat, vitã verò mundanã fulgori, dicens, Magna existimas esse quæ relicturus es, &c. Proposuisti illam securitatẽ ad quã iturus es, retinet te huius vitę fulgor, à qua trans-

trãsiturus es tanquã in sordida & obscura casurũ terras. Ex hac vita ad illam ascẽditur, quod interest in splendorẽ & lucẽ, cũ hæc certã originẽ habeat atque suã, ille niteat ex alieno: hoc interest inter hanc vitã & illã, hoc fulgore veniente extrinsecus percussã est, statim crassam faciet illi vmbrã, quicquid obstiterit. illa suo lumine illustris est fulgor, est luminis repercussio. ¶ Secundò in puritate. Dulcedò enim felicitatis humanæ multis amaritudinibus respersa est, iuxta verbũ Boëtij, Homo enim carnalis vnam amaritudinem habet ex dilatione deliciarũ, quas vehemẽter appetit: aliam ex defectu quem inuenit in vsu earum: vbicunque enim caro quærit refectionem, inuenit defectionem, iuxta verbum Augustin. Excessum etiam in sumendo delectabili sequitur duplex amaritudo, scilicet remorsio conscientiæ & grauamẽ naturæ. Seneca: Voluptas quo auidius hausta est, citius in contrariũ recedit. Eccl. 31. Amaritudo animę vinũ multum potatum. Gaudiũ verò virtutis purum est, nõ respersum tot amaritudinibus. Aug. in lib. Confes. Tu semper aderas misericorditer sęuiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerẽ sine offensione iucundari: & vbi hoc possem, non inuenirẽ quicquã præter te Domine. ¶ Tertiò in dignitate. Gaudiũ enim virtutis est de iis de quibus dignũ est gaudere. Vnde super illud Galat. 5. Fructus Spiritus, est charitas, gaudium, dicit gl. id est, elatio animi de his quæ digna sunt gaudij: gaudiũ mũdi de indignis est. Sene. In voluptate nihil est magnificũ, nihil quod naturã Deo proximã deceat, mẽbrorũ vilium ac turpiũ ministerio veniens exitu fœda. Prou. 3. Stultorum exultatio ignominia. Item 15. Stultitia est gaudiũ stulto. Et Dominus gaudẽti Hierusalẽ flẽs ait, Si cognouisses & tu. Luc. 19. innuẽs cæcitatẽ causam esse illius gaudij. Prou. 2. Qui lætãtur eũ malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Aug. Quid est seculi gaudiũ? breuiter dico, Seculi lætitia est impunita nequitia: scilicet luxuriari, in spectaculis vagari, ebriositate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati, hoc gaudium dererius est dolore. Peius est enim gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione, vt ait Aug. ¶ Quartò in salubritate gaudium virtutis salubre est faciens contemni gaudia vana. Eccles. 1. Vbi multa est sapentia, multa est indignatio. Vbi enim sapor virtutum sentitur, iucunditas carnalis despicitur: quia gustato spiritu, despit omnis caro, iuxta verbum Aug. Item facit triumphare de diabolo. Vnica enim ratio vincendi inimicum, est lætitia spiritualis, vt ait Anto. Eccl. 30. Iucunditas cordis hæc est vita hominis & thesaurus

rus sine defectione sanctitatis: Qui gaudium sentit in vita bona, perseuerare potest in ea: econtrario in mœrore animi deiicitur spiritus. Prou.15. Deiicietur inquã ab altitudine virtutũ. Gaudiũ verò mũdi noxium est. Nec mirum, cùm sit à Deo maledictum. Luc.6. Vę vobis diuitibus, qui hic habetis consolationem vestrã, &c. Si quis non audeat gustare cibum ab aliquo sancto maledictum, quanto minus maledictum à Deo? Gaudium illud hominem infatuat: vt patet in Sãlomone, qui non prohibuit cor suum, quin omni voluptate frueretur. Eccl.2. Et infatuatus est.3.Re.11. Iob 28. Sapientia nõ inuenitur in terra suauiter viuẽtiũ. Hoc gaudiũ in dolorẽ vertetur. Prou.14. Extrema gaudij luctus occupat.

De bus quæ faciunt ad gaudium virtutis. CAP. IX.

ET notandũ quòd octo sunt quæ facere videntur ad gaudium eius in quo virtus est. ¶ Primò conscientiæ puritas. Animus enim generosus potius quiescit in lecto conscientiæ, quando est mundus, quàm quando est immundus naturaliter abhorrens immunditiam. Vnde super illud Galat.5. Fructus Spiritus, est charitas, gaudium. dicit glo. id est, puritas animi. ¶ Secundò, sanitas virium animæ, quam gratia facit. Anima sanata maiorem quietẽ habet. Prou.16. Dulcedo animę sanitas ossiũ: id est, virium, Chrys. Gratia est sanitas mentium. ¶ Fertiò libertas. Peccator ligatus est ante aduentũ gratię seruitute peccati, vt nõ possit facere quod vult superior pars rationis, iuxta illud Prou.5. Iniquitates suæ capiũt impium, & funibus peccatorũ suorũ quisque cõstringitur. Aug. in lib. Confes. Suspirabã ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: velle meũ tenebat inimicus, & inde mihi catenã fecerat, & constrinxerat me; quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dũ seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Gratia verò Spiritus sancti adueniens libertatẽ in homine facit. 2.Cor.3. Vbi spiritus domini, ibi libertas. ¶ Quartò quies à cruciatu tumultuosarum cogitationũ & inordinatarum affectionum, & à cruciatu vermis conscientiæ. Ab illis enim vis gratiæ cor liberat. Omnes qui illicita appetunt, vel in hoc mũdo aliquid videri volunt, desiis cogitationũ tumultibus in corde comprimuntur, vt ait Greg. Sancti verò, quia nihil huius mundi appetũt, nullis procul dubio in corde tumultibus opprimuntur, vt idẽ Greg. ait. Itẽ mali cruciantur in corde inordinatis affectionibus. Aug. in li. Cõfes. Iussit Deus, & sic est vt pœna sibi sit inordinatus animus. Alij cupiditate cruciãtur, quasi fame & siti insatiabili bonorũ tẽporaliũ, qui cruciatus nõ cessat, nisi Dei gratia famem & sitim huiusmodi ĩ-

det. Sen. Si vis animũ in perpetua voluptate esse, nõ voluptatibus adiiciendũ est sed cupiditatibus detrahẽdũ. Aug. Qui biberit de fluuio paradisi, cuius gutta vna maior est quã Oceanus, restat vt in eo sitis mũdi huius extincta sit. Alij autẽ timore cruciãtur habẽtes caput tremulũ sicut cãpana. Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & cũ sit pax, ille semper insidias suspicatur. Alij cruciãtur inuidia, amittẽtes quicquid alij lucrãtur. Alij exurũtur ira. Has affectiones gratia cessare facit: vnde animus quiescit & iucundus est: Itẽ peccatorem vermis cõscientiæ cruciat. Hier.2. Scito & vide quã malũ & amarũ est reliquisse te dominũ Deũ tuũ. Aug. Tale bonũ est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit. Hæc est prima vindicta, quam sumit Deus de peccatore, nõ sinens decus culpæ esse sine decore vindictæ. Seneca: Scelera etiã si non sunt deprehensa cùm fierent, solicitudo cũ ipsis abiit. Boë. Prima est hæc vltio, quòd se Iudice nemo nocens absoluitur. Cũ gratia hunc vermem cessare facit, animus quiescit, sicut aliquis melius quiescit in lecto suaui quã spinis pleno. Cant.1. Lectulus noster floridus. Lectulus inquã conscientiæ. De conscientia potest dici, quod dixit Philosophus Zeno de vxore. Vxor, inquit, aut pertutile refugiũ est, aut pertẽ tormentũ. ¶ Quintò cõuenientia virtutis cũ natura. Bene enim cõuenit natura cũ virtute: iuxta verbũ Bern. Chry. Gratia est cordis delectatio. Pro.3. Lux iustorũ lętificat. lux iustorũ gratia est, quæ naturæ cõiuncta lætificat. ¶ Sextò iucũditas boni operis. Psal. In custodiẽdis illis retributio multa. Gl. Non tantũ pro eis in futura redditur præmiũ: sed hic in eorũ custodia magnũ est gaudiũ. Cuius gaudij ratio potest esse, quòd opus virtutis est in medietate: natura verò in mediis delectatur, & in extremis contristatur: vt visus delectatur in viridi colore, qui medius est inter album & nigrum. Sicut mulier naturaliter gaudet cùm peperit filium: si autem peperisset bufonẽ, vel aliud contra naturam, doleret: sic anima gaudet, quando bonum opus fecit, tanquam fructum sibi competentẽ: & contristatur de malo opere, tanquã de fœtu cõtra naturã. Io.17. Mulier, cùm parit &c. propter gaudiũ, dicũt virtutes, Esa.3. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur. In operibus enim earum quædã spiritualis refectio est. ¶ Septimò discretũ regimẽ corporum. Hi in quibus virtus est, nõ habẽt tot molestias ex parte corporis, & diutius viuunt, quia corpus discretè regũt. Eccle.25. Beatus qui habitat cũ muliere sensata. Mulier sensata est caro disciplinata. Sene. Potest nostra prouidẽtia lõgiorem prorogare huic corpusculo moram, si voluptates, quibus maior pars perit, poterimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus regere & coërcere. ¶ Octauò, quod boni voluntatem suam conformãt voluntati diuinæ. Vnde sicut voluntas Dei impletur, ita voluntas eorũ. Aug. Iugum Christi suaue est, & onus eius leue: quia qui huic iugo subiectus est, cætera ei subiecta sunt, & nihil ei repugnat. Non habent mali pacem, qui Deo resistunt. Ioël. 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? Sene. Vir bonus quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit: scit enim hoc accidisse ex lege diuina ex qua vniuersa procedunt. Via virtutis in principio habet aliquid difficultatis: quia inconsueta est. Hier. Insuauem & asperam fecit nobis viam virtutũ longa consuetudo peccandi. Dulce est lumen, & delectabile oculis videre solẽ. Eccl. 11. & tamen lux solis contristat oculos tenebris assuetos, sic via virtutũ in principio est molesta, sed post iucunda efficitur gratia & assuetudine. Ber. Facillimũ esset & delectabile adiuncto Dei amoris cõdimẽto secũdum naturã viuere, si insania nostra nos permitteret, qua sanata statim naturalibus natura arridet. Tullius: Optima forma viuendi eligenda est, quã iucundã reddet assuetudo. Gl. super illud Mat. 11. Iugũ meum suaue est. Angusta est via quæ ducit ad vitã: quia non nisi angusto initio incipitur: processũ verò tẽporis ineffabili delectationis dulcedine dilatatur. Prouer. 4. Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, nõ arctabuntur gressus tui. Senec. Initium eundi ad virtutes arduũ est: quia hic primũ imbecille mentis, & ægrè est inexperta formidare: itaque cogenda est vt incipiat, deinde non est acerba medicina, protinus enim delectat dum sanat. Aliorũ remediorum post sanitatẽ voluptas est philosophia, pariter & salutaris & dulcis est.

De commendatione Virtutis, facta comparatione ad bona futura.

CAPVT XI.

COmparatione ad futura bona cõmẽdabilis est virtus multipliciter. ¶ Primò, quia signũ est quo distinguũtur recipiẽdi ad gloriã æternã à nõ recipiendis: Ephes. 4. Nolite cõtristare Spiritũ sanctũ in quo signati estis, &c. Apoc. 3. Ecce dedi ostiũ apertũ corã te, qd nemo potest claudere, quia modicã habes virtutẽ, id est, humilẽ virtutem. De defectu huius signi conquerũtur dãnati in inferno. Sapientiæ 5. Virtutis, inquiunt, nullũ quidem signum valuimus ostendere. ¶ Item virtus pignus & arra est hæreditatis æternæ. Ephes. 1. Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Quidam tamen codices melius habent, arra. Glos. Interest inter arram & pignus: quia pignus quando datur, soluto eo pro quo ponitur, aufertur. Arra verò est, cùm de ipso pretio datur aliquid quod non est auferendum, sed complendũ. Virtus vel gratia est arra beatitudinis: quia quædam inchoatio eius est. 2. Cor. 1. Signauit nos & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. ¶ Item vnctio est ad regnum: non ad regnum Franciæ, sed ad regnum gloriæ. Serua vnctionem, secutus es de regno. 1. Ioann. 2. Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, hanc vnctionem facit Deus ipse. 2. Corint. 1. Qui vnxit nos, Deus est. Nec solum vnctio est ad regnum futurum: imò per ipsam viri sancti viam ducunt regiam in præsenti. Lucæ 18. Regnum Dei intra vos est. Rom. 13. Regnum Dei nõ est esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Nõ solum regnum Dei dicitur esse in cordibus sanctorũ: quia Deus in eis regnat, cuius imperio in omnibus obediunt: sed etiam quia ipsi quodammodo regnant ad Dei similitudinem. Omnia enim & prospera & aduersa seruiunt eis, & cooperantur in bonum. Seneca: Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi. Idem: Vis habere honorem magnum, imperium dabo tibi, impera tibi. Bern. Non putent diuites huius seculi fratres Christi possidere sola cælestia, quia audiunt Christum dicẽtem: Beati pauperes, &c. possident & terrena. Fideli homini totus mundus diuitiarum est. Planè totus, quia tam prospera quã aduersa opus ipsius æquè omnia seruiunt ei & cooperantur in bonum. Sapien. 17. Omnia transfigurata omniũ nutrici gratiæ tuæ deseruiebant. ¶ Item virtus vel gratia pretium est regni cælestis. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Macrobius: Quanquã sapientibus conscientia ipsa factorũ egregiorum amplissimum virtutis est præmiũ: tamen illa diuina virtus stabiliora quædam præmiorum genera desiderat. Virtus est pretiũ quodammodo ipsius Dei. Aug. in lib. de ciuitate Dei: Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit.

De commendatione Virtutis, authoritate Saluatoris.

CAP. XII.

QVintò cõmendabilis est virtus authoritate Saluatoris, qui virtutẽ monet quærere, cùm bona terrena consulat relinquere. Mat. 6. Primũ quærite regnũ Dei, & iustitiã eius, &c. Mat. 19. Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Aug. Cũ ea quæ Deus laudat & promittit ab illo petitis, securè petite. Illa enim Deo propitio conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, & cũ timore illi cõmittite, vt si prosint, det: si scit obesse, nõ det. Quid enim obsit vel prosit, medicus nouit, non ægrotus. Amatores virtutis Christus beatos prædicat, cũ cõtemptores tẽporalium beatos dicat. Mat. 5. Beati pauperes spiritu, &c. Et in eodẽ, Beati qui esuriũt & sitiũt

iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. ¶ Cum Christus pauperrimus esse voluerit, quantum ad bona tẽporalia, tamen quantũ ad virtutes ditissimus voluit esse. vnde Ioannes refert se vidisse eũ plenum gratiæ. Ioã. 1. Et in eodem: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Præmiserat Deus diuersos sanctos in mundum, ad diuersas virtutes ostendendas: tandem venit ipse in propria persona eas docere, & per experientiam addiscere. Greg. in Moral. Ad ostendendam innocentiam venit Abel. Ad docendã mũditiam venit Enoch. Ad insinuandam longanimitatem spei & operis venit Noë. Ad manifestandã obedientiam venit Abrahã. Ad demonstrandam coniugalis vitæ castimoniam venit Isaac. Ad insinuandam laboris tolerantiam venit Iacob. Ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiã venit Ioseph. Ad ostendendã mansuetudinẽ venit Moyses. Ad insinuandã cõtra aduersa fiduciam venit Iosue. Ad ostendendam inter flagella patientiã venit Iob. Magisteriũ mansuetudinis & humilitatis sibi ascribit Saluator. Mat. 11. Discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde. Et eiusdem 10. docet prudentiã: Estote, inquit, prudentes. Et Luc. 21. sobrietatem: Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Io. 13. charitatem & humilitatẽ, in ablutione pedũ. Eiusdẽ 15. charitatẽ. Cæteras virtutes similiter docet, sicut patebit, cùm de singulis virtutibus tractabitur. Addiscere etiam eos voluit per experientiam. Vnde Lucas ostendit eum profecisse sapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Luc. 2. Et ad Heb. 5. Cũ esset filius Dei, ex his quæ passus est, didicit obedientiã. Nõ parũ efficax est exemplũ virtutũ Christi. Aug. Exemplo virtutum Christi nostra vitia curãtur, vt id quod ostendit esse faciendum, non solùm sine murmure, sed etiam cum delectatione faciamus.

De commendatione Virtutis à multiplici suo effectu. CAP. XIII.

EXtò commẽdabilis est virtus à multiplici suo effectu. Vnus effectus eius est, q̃ à malis defendit. Vnde quidam dixit, Virtutẽ dici eò quòd vi tueatur possessorẽ suum. Ideo Dominus exponere noluit post passionẽ suã discipulos periculis, antequã virtute muniti essent. Luc. 24. Sedete in ciuitate, quousq; induamini virtute ex alto. Sen. Nullus cõtra fortunam inexpugnabilis murus est: intus instruamur: si pars illa tuta est, pulsari homo potest, capi nõ potest. Tull. Mors terribilis est his, quibus cũ vita omnia extinguuntur. Sapientis animus virtutibus omnibus & manibus septus est. ¶ Itẽ virtus etiã bona tẽporalia discretè disponit. Vnde Aug. Deus ostendit in opulẽtissimo & præclaro imperio Romanorũ quantũ valerent ciuiles etiam sine vera religione virtutes, vt intelligeretur hac addita homines fieri ciues alterius ciuitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus ęternitas. Vnicũ vitiũ, vt superbia, vel ira, vel odiũ, occasio est quandoque destructionis vnius regni: Econtrario virtus vna, occasio est cõseruationis. ¶ Item virtus felicẽ cõmutationem facit in anima. Stabulum enim conuertit in templũ, desertum in cælum. habitationem dæmonũ in Dei habitaculum. Esa. 35. In cubilibus in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami & iunci, & erit semita, & via sancta vocabitur. Hoc fit, cũ anima virtutibus ornatur in amœnum Dei habitaculum, quæ prius erat habitaculum dæmonum. Conscientia peccatoris bestialiter viuẽtis, quasi stabulum est. Bernar. Puto iumenta dicerent, si loqui fas esset: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Aug. Domine, meritò dedignaris inhabitare corda infidelium, fornacem corruptionis, domos luteas, cloacam immunditiæ. Conscientia etiã peccatoris quasi desertum est. Ioël. 2. Quasi hortus voluptatis terra corã eo, & post eum solitudo deserti. ¶ Itẽ virtus siue gratia animam abominabilẽ peccato adeo decoram efficit, quòd eius decorem concupiscit rex gloriæ. Psal. Corrupti sunt, & abominab. &c. Itẽ rex decorem tuum. ¶ Gratia deformitatem diabolicam expellit, & decorẽ diuinũ introducit. Decorem animæ habentis gratiam, Sol & Luna mirantur: quia decor illorũ decore illius vincitur. Væ illis qui de hoc decore non curant, cũ tamẽ in omnibus suis decorem quærant. Augu. Cum iniquis omnia sunt pulchra, & ipsi sunt turpes. Diogenes, cùm illi domum suam homo turpis formæ ostẽderet, omnibus in ea locis lapidibus & auro nitentibus, in faciem domini expuit, dixítque, aliud vilius in domo illa non respexisse. Simile huic accidit in peccatore decorem proprium negligente, & in aliis pulchritudinem exquirẽte. Item virtus vel gratia lux est, eum in quo est nõ sinens periculose errare. 1. Io. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus. Sine hac luce homo in periculo est in mundo isto. Esa. 9. Habitãtibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Sine hac luce non habet homo veram lætitiam. Tobiæ 5. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? ¶ Item virtus hominẽ pretiosum facit. Prou. 16. Pretiosi spiritus vir eruditus. Sicut prudentia hominem reddit pretiosum, sic & temperantia. Eccles. 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Idem intelligendũ est de cęteris virtutibus. ¶ Vnde virtus similis est virtuti quæ dicitur esse in lapidibus pretiosis, quę vnũ modicũ lapi-

dem præualeré facit multis magnis lapidibus communibus. Sic vnus homo virtutẽ habens videtur præualere multis hominibus virtutem non habentibus. Eccl.16. Melior est vnus timens Deũ, quàm mille filij impij. Ex hoc perpẽdi potest fatuitas hominum qui tantũ desiderant meliorationem rerũ suarum, de sui meliore non curantes, nolentes laborare vt virtutes habeant, quę adeo meliorarẽt eos. Ad ostendendam pretiositatem hominũ in quibus virtus est, designati sunt viri virtutis, scilicet duodecim patriarchæ, vel duodecim apostoli, in duodecim lapidibus pretiosis, qui fuerunt in rationali. Exod.28. Et in duodecim lapidibus pretiosis, qui erunt in fundamẽto spiritualis Hierusalem. Apoc. 21. ¶Item virtus mira efficit. De mirabilibus eius effectibus patebit, cùm de singulis virtutibus agetur. Sed quantum ad præsens, ipsa operatur mira in cælo, in mundo, in inferno, & in corde humano. In cælo, quia regno cælorum vim facit, dum illis, qui per peccatum illud sibi clauserant, illud aperit. In mundo, quia hominem ne in mari huius mundi mergatur, custodit. Genes.1. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Esa.43. Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina nõ obruent te. Ab igne etiam tribulationis defendit. Esa.44. Cùm ambulaueris in igne, non comburẽris. Ipsa est ros, eos qui fidẽ habent Trinitatis, in fornace Babylonica custodiens. Daniel.3. In inferno: quia ignem infernalẽ, quantum ad illũ in quo est, extinguit, vt nihil possit ignis ille in eum, in quo gratia vel virtus est. In corde verò humano: quia plus potest vna gutta gratiæ ad extinguendum ibi ignẽ concupiscentiæ, quàm totus mundus. Plus etiam valet ad repletionem cordibus humanis, quàm omnes diuitiæ mũdi. Vna gutta gratiæ Pharaonem infernalem cum exercitu vitiorũ submergit in amaritudine contritionis, quasi in mari rubro. Hæc sola cor humanũ replere potest. Act.2. Repleti sunt omnes Spiritusancto. Ioan.3. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ. Sine gratia anima est, sicut terra sine aqua, quę in puluerẽ euanescit. Psal. 1. Non sic impij, nõ sic, &c. Anima sine gratia, est quasi terra maledicta, spinas & tribulos germinans. Gen.3. Homo absque gratia est velut inermis in medio inimicorum suorum positus, qui vndique sagittatur: nocent enim ei & prospera & aduersa. Thren.3. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittã. ¶Item gratia vel virtus vita spiritualis est. Homo sine gratia est velut mortuus. Eccles.9. Melior est canis viuus leone mortuo. Glos. Canis viuus, pauper iustus, leo mortuus, potens iniquus. Homo sine gratia quasi nihil reputatur, Esa.40. Omnes gẽtes quasi non sint,

sint, sic sunt coram eo. Gẽtes sunt gentiliter viuentes. Psal. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, &c. Esaiæ 41. Omnes gentes quæ pugnant aduersum te, erunt quasi non sint. Esse laudabile, & quod alicuius valoris est, esse gratiæ est. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Ipsa potentia recipiendi gratiam videtur præualere toti mundo, cuius signum est, quòd damnatis potius videretur expedire esse in statu in quo gratiam possent recipere, quàm totum mundum habere. Homo sine gratia vel virtute est velut arbor arida incendio infernali apta. Luc.23. Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Eccle.6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam. Et subditur: Et relinquaris velut lignum aridũ in eremo. Figura hominis absque gratia, est ficus maledicta à Domino, & arefacta. Matth.21. Vita gratiæ multum est amanda. Cùm enim triplex sit vita: naturæ scilicet, gratiæ, & gloriæ: vita naturæ valorem suum habet ex vita gratiæ. Sen. Non viuere bonũ est, sed bene viuere. Vita naturæ viuunt & dęmones & animę damnatæ, quibus bonum esset non esse. Vita verò gloriæ acquiritur per vitam gratiæ. Filius Dei vitã gratiæ morte sua voluit restaurare, & ad sustentandam eam pabulo doctrinæ vel exemplo ferè trigintatribus annis voluit in miseria huius mundi manere. ¶Item virtus vel gratia hominem super se lauat. Thren.3. Leuauit se super se. Sen. O quàm cõtempta res est homo, nisi supra humana surrexerit. Item, virtus non solum grata est Deo, imò est ipsa gratia hominem faciens gratum Deo & opera eius. Sine ea nullus Deo gratus est: cum ea nullus potest esse quin sit Deo gratus. Vnica gutta gratiæ si in diabolo esset, ipsum Deo gratum faceret. Omnes in quibus gratia non est, filij sunt iræ. Gratius est vnicum opus ex gratia factũ, quam infinita absque gratia. Ex hoc perpendi potest fatuitas eorũ quibus gratia grata non est, qui vel mala sua, vel bona cõtemptibilia ei præponũt. Sen. A deò gratiosa est virtus, vt insitum sit malis probare meliora. Sen. in epistolis: Errare mihi visus est qui dixit: Gratior est pulchro veniens ex corpore virtus. Non enim vllo honestamento eget: ipsa magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.

SECVNDÆ partis principalis, de tribus virtutibus theologicis, Tractatus I. vnicũ cõtinet capitulũ in quo succinctè de numero & ordine earũ in cõmuni agitur.

DICTVM est de Virtute in communi: nunc dicẽdum est de speciebus virtutum. Et primò de Theologicis scilicet

Fide,Spe,& Charitate.De quibus 1.Corin.13.Nunc manent fides, spes,charitas.His scientia & prophetia militant: vt dicit ibi glo. Aug.in libro de Trinitate dicit, quòd propter ista tria in animo ædificanda omnium diuinorum librorum machinamenta consurgunt.Ideò verò prius dicetur de theologicis, quàm de cæteris:quia theologicæ ordinant animam ad finem supremum:cæteræ verò circa ea quæ sunt ad finem illum. In intentione verò operantis prior est finis his quæ sunt ad finem. Secundum enim naturam finis,sumuntur ea quæ sunt ad finē.Causa finalis causa causarum est. Secundum enim exigentiam finis causa efficiens eligit materiā, & in materia electa intendit acquirere formam competentem fini.Verbi gratia:Qui vult facere instrumentum ad secandū,eligit materiam duram.Si enim esset mollis, potius cederet quàm secaret. In materia verò dura, acquiritur forma acuta:si enim obtusa esset, non esset penetratiua, neque idonea ad secandum.Sic finis in intentione operantis,prior est his quæ sunt ad finem,tanquam quædā causa motiua ad illa.Et virtutes Theologicæ quæ ordinant ad finem supremum,priores sunt cæteris virtutibus quæ disponunt animam ad ea quę sunt ad finem. ¶Tres verò sunt,quia necesse habemus finis bonitatem cognoscere & desiderare,& aliquam fiduciam obtinendi habere,vt sicut licet agnoscamus quò debeamus tendere, & velimus venire, & speremus posse peruenire.Non enim tentanda sunt quæ omnino effici non possunt, vt ait Sapiens: Fide bonitatem finis agnoscimus,Charitate desideramus, Spe fiduciam obtinendi habemus.Quum tria exigantur ad bene operandum, scire, posse, & velle: & scire nostrum propter peccata sit diminutum in vi rationabili,& posse in irascibili, & velle inordinatum in concupiscibili,fides supplementum est cognitionis in rationabili, spes supplementum fortitudinis in irascibili,charitas est ordinatiua voluntatis in concupiscibili. ¶Fide cognoscimus supremum finem,siue summum bonum esse bonū se communicans. Ex qua cognitione duæ affectiones oriuntur:scilicet spes, ex eo quòd cognoscitur liberalissimus bona sua communicando:& desiderium,ex eo quòd cognoscitur esse bonum, quo nihil melius potest desiderari. Bonum enim est, quod desideratur ab omnibus, vt ait beatus Dionysius. Etiam secundum Aristot. Omnia bona exoptant. Vita hominis absque lumine fidei vaga est, nesciens quò tendat.Io.12.Qui ambulat in tenebris,nescit quò vadat.Homo absque fide ad molam temporalium istorum circuit ad modum Sampsonis exoculati.Iudic.16. æterna nec cognoscens, nec cupiens

cupiens.Psal.In circuitu impij ambulant.Item viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.Eccl.10. Labor stultorū affliget eos qui nesciunt ad vrbem pergere. Thren.4.Errauerunt cæci in plateis. Fide homo in via dirigitur. Et quia via ardua est, spe omnipotenti innititur. Et per charitatē suauitate summi boni trahitur. Trahit enim sua quenque voluptas.Can.8.Quæ est ista quę ascēdit de deserto,deliciis affluens,innixa super dilectum? Aug.in lib. de libero arbi.Tanta est iucunditas diuini aspectus, quòd nō potest videri sine amore. ¶Harum trium virtutū est mentem virginem castā exhibere Christo.Virginitas enim mētis (vt ait Augu.)cōsistit in hoc,quòd fides sit integra,spes solida,& charitas syncera.Et vt ait idem Aug.in libr.de Doctrina Christiana: Homo fide,spe,& charitate subnixus, & eas inconcussē retinens, nō indiget scripturis,nisi ad alios instruendos. Et subdit: Multi per hæc tria etiā in solitudine sine codicibus viuunt.Fides(vt ait Augu.)nos Deo supponit,spes erigit,charitas vnit.Fide agnoscimus nos sub Deo esse,& debitores esse seruitij.Spes nos eleuat vt audeamus aggredi quod suprà vires nostras est. Charitas verò nos facit vnum esse cum Deo.Amor enim est vis vnitiua,vt dicit Dionysius. Inter virtutes theologicas prius de Fide dicetur: quia actus fidei prior est actu spei & charitatis: vt patebit inferius.

SECVNDÆ partis principalis de tribus Virtutibus Theologicis Tractatus II. de Fide.

De ordine dicendorum in hoc tractatu,& de necessitate Fidei. CAP. I.

DE Fide verò hoc modo dicemus. ¶Primò ostēdemus necessitatē huius virtutis. Secundò descriptiones eius ponemus.Tertiò,de vnitate fidei tangemus. Quartò, commendationi ipsius insistemus.Quintò,tāgetur de articulis.Sextò,de erroribus & causis errorū.Septimò,ad diuersitates fidei descēdemus.¶Circa primū notādū quòd cū homo sit ab aliquo,& sub aliquo,& ad aliquid,& supra aliqua,necesse habet cognoscere illū à quo est,ne sit de tāto beneficio ingratus,& per cōsequēs cæteris beneficiis indignus.Ber.Ingratitudo est vētus vrens,siccās sibi fontē pietatis,roré misericordiæ,fluēta gratiæ.Itē, necesse habet cognoscere eum sub quo est, ne sit inutilis seruus,& per consequens iræ Domini pœna dignus.Prou.14.Acceptus est regi minister intelligens: iracundiā eius inutilis sustinebit.Mat.25.Serium inutilem proiicite in tenebras exteriores. ¶Circa illum verò sub quo est,necesse habet cognoscere & eius maiestatē vt sciat eū glorificare. Maiestas est,qđ significatur per

hoc aduerbiũ, Summè: quum dicitur, summè potens, summè sapiens, summè bonus. Et quæ sit eius voluntas, vt sciat ei ad eius beneplacitũ seruire. Et iustitiam, & misericordiã eius in seruos suos, & exhibitã & exhibẽdã iustitiã in offendẽtes, misericordiã in debito modo seruientes. ¶ Itẽ necesse habet cognoscere illud ad quod est. Sine hac cognitione erit in mari huius mundi quasi sopitus gubernator amisso clauo. Prouerb. 23. Et nescit se dirigere: nescit se regere qui ignorat quò debeat tendere. In exilio etiã huius mundi quasi in patria appetit manere. Gre. Qui peregrinationem pro patria apperit, inter dolores dolere nescit. Item in itinere præsentis vitæ & fatigabitur, & quiete finis frustrabitur. Augu. in libro Confess. Domine fecisti nos, ad te inquietũ est cor nostrũ donec requiescat in te. ¶ Necesse etiam habet cognoscere à quo teneat ea supra quæ positus est, ne sit infidelis seruus in his in quibus solum ministeriũ habet, sibi vsurpans dominiũ, vel alij quàm debeat seruitium reddens, & ita qui pro fidelitate fuerat remunerandus, pro infidelitate sit puniendus. Matth. 25. Euge serue bone & fidelis quia super pauca &c. Et Lucæ 16. Si in alieno fideles nõ fuistis, quod vestrũ est quis dabit vobis? Alienum est bonum trãsitorium, nostrum est bonum æternum. Bernard. in quodam sermone de aduentu: Terrenæ diuitiæ nec vestræ nec nostræ sunt. Et paulò pòst: Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscũ. Psal. Homo cùm interierit, non sumet omnia, nec descendet cũ eo gloria eius. ¶ Conuenientissimus verò modus cognoscendi prædicta per fidem est: nec mirandum est si oportet habere cognitionem per fidem de patre inuisibili à quo sumus, quum etiam de parentibus carnalibus aliter cognitio haberi non possit: vt ostendit Gregor. 4. libro, dialog. his verbis: Audenter dico, quia sine fide neque infidelis viuit. Si eundem infidelem percontari voluero, quem patrem vel quam matrem habuerit, protinus respõdet illum atque illam: quem si statim requiram, vtrum nouerit quando conceptus sit, vel viderit quando natus fuerit, nil vel vidisse, vel nouisse minimè fatebitur: & tamen quod non vidit, credit. Item si de ipso suo visibili corpore credunt quod minimè viderunt, cur inuisibilia non credunt, quæ corporaliter videri non possunt? ¶ Iste modus cognoscendi & Deo est glorioſus, & homini meritorius, & laude dignus, & hunc requirit natura eorum quæ cognoscenda sunt, & etiam natura eorum qui cogniturí sunt. ¶ Quòd Deo sit glorioſus, ex hoc patet, quòd glorioſum est principi, si simplici verbo eius credatur absque cautione pignoris, vel iuramenti, vel

vel fidiussoris. Ignominioſum verò est ei, si simplici verbo eius non credatur. Etiam cuilibet viro notæ bonitatis & sufficientis facultatis moleſtum est, si simplici verbo eius non credatur: quanto magis Regi gloriæ, qui nec falli, nec fallere potest, diſplicet, si non credatur verbis eius sine cautione rationum quam quærunt gentiles, vel cautione signorum quam quærunt Iudæi? 1. Corinth. 1. Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt. ¶ Quantum Deus offendatur per hoc, ostendit Matt. 12. & 16. Generatio mala & adultera signum quærit. Eiusdem 17. O generatio incredula & peruersa vsquequo patiar vos? Hippocrates & Pythagoras indixerunt hanc legem discipulis suis, vt non essent ausi in sententiis suis interrogare, propter quid: sed esset eis pro ratione dicentis autoritas: quanto magis autoritas diuina pro ratione habenda est? Meritorius etiam est homini hic modus cognoscendi. Cùm enim homo assentit Deo in his quæ non sunt sensui manifesta, nec per se nota intellectui, nec violentia necessariæ probationis ostensa, libera est assensio illa, & ideo meritoria: assensio verò qua homo assentit vel manifestis sensui, vel per se notis intellectui, vel necessario probatis, meritum non habet, quia quasi coacta est. Vnde glo. super illud Hebræorum 10. Habentes fiduciam in introitum sanctorum, in sanguine Christi, &c. Fides non habet meritum vbi humana ratio, id est, humanus sensus præbet experimentum. Quæ gratia est creditori, si sub bona cautione credat verba alicuius? ¶ Item hic modus cognoscendi laude dignus est. Non est virtuoſum videre lucidum, sic nec credere quod manifestè probabile est. Sed virtuoſum & laude digum est credere Deo in his quæ sensus vel ratio videtur dissuadere. Sicut fecit Abraham, de quo legitur Romano. 4. quòd contra spem in spem credidit. Gloſſa: Prior spes secundum naturam fuit, dum iuuenis ex iuuencula secundum naturam sperauit sobolem, nec tamen habuit: modò cõtrarium illi spei sperauit, scilicet vt vetulus ex vetula sterili generaret. De eodem habes Geneſis decimoquinto. dicit Dominus Abraham: Qui egredietur de vtero tuo, habebis eum hæredem. Et ibidem: Suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum. Impoſſibilia putant hæc videri, quum Dominus concluſiſſet Saram. Gene. 16. Et quum ipsa consenuiſſet, & Abraham vetulus esset. Eiusdem 18. Et tamen credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iuſtitiam. Eiusdem 15. Similiter beata Virgo beatificatur Lucæ primo, quæ credidit angelo in illa sublimi promiſſione: Beata,

inquit, quæ credidisti &c. E contrario vero Moyses & Aaron puniuntur de incredulitate. Numeri 20. Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israël, nō introducetis hos populos in terram quam daturus sum eis. Et Zacharias similiter punitur. Lucæ 1. Ecce, inquit angelus, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis. Ecclesia. 16. In gente incredibili exardescit ira. Et Apocaly. 21. Timidis & incredulis pars illorum erit in stagno igne ardenti, & sulphure, quod est secunda mors. Natura eorum quæ cognoscenda sunt, requirit hunc modum cognitionis, cùm quædam eorum sunt præterita, quædam futura. Et cū quædam sint in cælo, quædam in inferno. Quomodo enim de his omnibus cognitio haberi poterit, nisi per fidem? Præterea Deus, de quo hęc cognitio principaliter est, lucem habitat inaccessibilē, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. 1. Timo. 6. Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet. Esaiæ 45. Verè tu es Deus absconditus. Io. 1. Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et Matth. vndecimo: Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. ¶ Credēdum est ergo de Deo filio enarranti, & his quibus filius enarrauit, quum à nobis in præsenti videri non possit. Et secundum verbum Hilarij, soli Deo de se credendum est, qui se solus nouit. Bene credit Deo, qui credit sanctis, in quibus Deus loquitur. Nec mirandum est si necesse habemus credere Deo de se, quum homini de interioribus suis necesse habeamus credere. 1. Corinth. 2. Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quę Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Et subditur: Nos autem non spiritum mundi huius accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Glos. Ambr. Manifestum est cogitationes à nullo sciri, nisi ab animo nostro. Non timeas viris sanctis credere assensum tuum, cùm Dominus eis crediderit sensum suum. 1. ad Corinthios 2. Nos autem sensum Christi habemus. Gregorius etiā in quarto libro dialogorum dicit: Quisquis incredulitate inuisibilium solidus non est, debet proculdubio maiorum dictis fidem præbere, eisque per Spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere. Nam stultus est puer, si matrem ideò existimat de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris nouit. Loquitur Gregorius de puero nato, & nutrito in carcere, cui mater quę grauida de eo posita fuit in carcere, de luce solis, quam ipsa quandoque nouit, loquitur.

Natura

¶ Natura' etiam eorum qui cognituri sunt, hūnc modum cognitionis requirit. Cognitio enim ista pertinet ad communitatem hominum, imo ad vniuersitatem. Est enim cognitio necessitatis, sine qua non est salus. Hebræ. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Multi verò sunt qui capaces non sunt rationum, quibus eis persuadere possint ea quæ necesse est cognosci accedentibus ad Deum: vnde oportet eos credere his, qui talium sunt capaces. Bruta animalia non sunt Dei perceptibilia: sic nec homines animales capaces sunt eorum quæ Dei sunt, nisi credendo viris spiritualibus. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. vbi ostendit gloss. August. quòd animalis est quis, vel in vita, vel in sensu. Vita animalis est quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet, eò quòd ipse Deo regendum se non subiicit. Animi vero sensu quis animalis est: quia de Deo iuxta corporum fantasiam, vel legis literam, vel rationem physicam iudicat. Iste modus cognoscendi supplet defectus aliarum cognitionum. Si alicui deficit visus, necesse habet credere alii de via & de aliis quæ ad visum pertinent. Si est intellectus parui & rudis, necesse habet crdere his qui habent magnum intellectum & exercitatum. Discentem enim oportet credere. Ergo quum prædicta sensui non subiaceant, & intellectus humanus, secundum verbum Philosophi, se habeat ad diuinam essentiam, sicut visus noctuæ ad solem, necesse est per fidem talia cognosci. Præterea cùm Deus altissimus sit, non est possibile reperire scalam sufficientis rationis, qua quilibet ad eum attingat. Non attingit nanus quocunque attingit gigas: nec attingit qui est parui intellectus, ad cōprehendendū per rationes omnia, ad quę attingit qui est magni intellectus. ¶ Itē qui nō appropinquat rei subtili, nō potest eā videre: licet ille qui propinquus est, eā videat. Sic homines qui in sensibilibus commorātur non appropinquātes studio vel exercitatione ad ea quæ sunt inuisibilia, non possunt ea agnoscere quæ agnoscunt qui studio & exercitatione appropinquant. Philos. Imperiti velut longè distantes speculantur. ¶ Item intellectus grossus subtilia videre non potest. Qui habet turbidum oculū, nō videt pilū, quem videt qui habet clarū: non videt visus humanus, quicquid videt aquilinus. Non potest ergo communitas hominum cognoscere quę necesse est cognosci accedē tibus ad Deum, nisi per fidem. Fides est, qua intellectus humanus Deo subditus est, qui indubitanter subiectionē ei debet, sicut & affectus cùm ab eo similiter sit. Nulla enim ratio est quare potius

tius intellectus ab hac subiectione sit exemptus,quàm affectus Et cùm duæ sint partes legis Dei,scilicet testimonia & mandata. intellectus credit testimonia,sicut affectus implet mandata. Itẽ quum intellectus induendus est gloria sicut & affectus, & gloria ipsius intellectus principalis videatur esse secundũ id quod dicit glos.super illud Psal.Ostendã illi salutare meũ:id est, Christum in maiestate.hæc visio est tota merces.Intellectus hic gratia fidei induendus.Quomodo enim fieret in futuro à Deo gloriosus,nisi in præsenti Deo esset gratus,vel gratiosus?

De descriptionibus fidei. CAP. II.

Ostensa necessitate fidei ponendæ sunt descriptiones eius. Prius tamen notandæ sunt diuersæ acceptiones huius nominis fides,vt appareat quomodo hic fidem accipiamus.Fides quandoque dicitur sponsio. 1. Tim.5. Quia primam fidem irritã fecerunt.Quandoque fidelitas.Prouerbiorum vigẽsimo:Virum fidelẽ quis inueniet?Quandoque conscientia.Rom.14.Omne quod non est ex fide,peccatũ est.Quãdoque creditum,vel collectio creditorũ.Vnde Athanasius:Hæc est fides catholica.Quandoque sacramentũ fidei.Augustinus ad Bonifaciũ:Quid est paruulos habere fidem, nisi fidei sacramentũ?Quandoque fides informis.1.Corin.13.Et si habuero omnem fidẽ,ita vt montes trãsferam &c.Quandoque fides viua,sic sumitur hic,& secundũ hoc sic describitur Hebr.11.Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. ¶Fides substãtia est. Substantia stat sub accidentibus ea supportans & sustinens,& non eget alio subiecto.Sic fides in ædificio spirituali substat totũ ædificiũ supportans & sustinens,non egens virtute aliqua quæ eam præcedat.Ipsa est firma petra supra quã sapiens ædificat domũ suam. Matt.7.& eiusdem 16. Super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meã. Petrã vocat firmitatẽ fidei in Petro.Hoc fundamentũ non timet nec pluuiã,nec flumina,nec ventos.Nec mirum.Innixũ enim est primæ veritati.Fides enim annititur primę veritati.Matth.7.Descendit pluuia,& venerũt flumina,& flauerunt venti,& non cecidit.fundata enim erat supra firmam petrã.Pluuia quę desursum venit,est impugnatio aëreæ potestatis.Flumina quæ de montibus descendunt,sunt persecutiones potentum. Venti dicuntur omnium tẽtationum genera.De hoc fundamẽto legitur 1.Corin. 3.Vt sapiens architectus fundamentũ posui.Glo.id est,fidẽ Christi.Et paulo post:Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positũ est,Iesus Christus,id est,fides Christi.Apocalip. 21.Fund

21.Fundamentũ primum iaspis.Iaspis viridis est coloris, & fugat fantasmata,& fidẽ significat,quæ viriditate æternorũ oculos cordis delectat,& vanitatem huius mundi,quæ quasi fantasma est, fugat,dum fugiendam esse indicat.Augustinus: O mũde immunde quid strepis?quid auertere conaris ? tenere vis fugiens, quid faceres,si maneres ? Absque fundamento fidei vanum est ædificium spirituale:id est,vadens in nihilum.Sapien.13. Vani sunt omnes homines,in quibus nõ subest sciẽtia Dei.Scientia Dei seu cognitio fides est.Sine hoc fundamento est ædificium spirituale quasi supra arenã,quod necesse habet corruere ad descẽsum pluuiæ,vel impetũ fluminis,vel venti.Matth.7.Descendit pluuia, venerunt flumina,& flauerũt venti,& irruerunt in domũ,illã,& cecidit:¶In descriptione fidei res sperandæ ponuntur:quia digniores sunt inter ea quæ sunt fidei,& quia sunt finis.Sicut enim fides bonum inchoat,sic adeptio rerum sperandarum consummat. Actus verò sperandi potius nominatur ibi quàm diligendi:quia immediatus est ad actum fidei:& quia sic notatur absentia eorum, de quibus est fides,diligi possunt & præsentia & absentia,sed non sperantur,nisi absentia vel futura.Fides autem dicitur substantia rerum sperandarum:quia causa est vt res quæ sperantur in futuro,in nobis subsistãt. In præsenti etiam quodãmodo facit eas in nobis subsistere.Per fidem enim futura bona mẽti nostræ quodã modo sunt præsentia.Per eam etiã quæ inuisibilia sunt quodam modo videntur.Propter primum,dicitur substantia rerum sperandarum:propter secundũ, dicitur argumentum non apparentium. Glos.Fides propriè est de his quæ non videntur. De visis enim non est fides,sed agnitio.Et subditur: Hæc est laus fidei, si quod creditur,non videtur.Fides dicitur argumentum non apparentium,quia est inuisibilium certitudo:vt dicit glos.super Galat.5.Ipsa est probans non probatum:dẽdignatur enim esse conclusio. Tria sunt quæ sequuntur ex hoc argumento,scilicet articulorũ certitudo,vitæ rectitudo,prẽmii æterni celsitudo.De primo iam habitum est.De secũdo habetur Rom.1.Iustus autem ex fide viuit:id est,vitã suam regit & disponit.De tertio,Ioan.3.Qui credit in filio,habet vitã æternã. Fides nobis primò proponitur. Secundò vitæ rectitudo assumitur,ex quibus vita æterna cõcluditur.Ex certitudine fidei infertur vita æterna tãquã ex imperfecta argumẽtatione.Ioan.6.Qui credit in me, habet vitam æternã.Ex fide verò cum vitæ rectitudine,quasi ex perfecta argumentatione vita æterna infertur.Ex fide cum vitæ prauitate concluditur mors æterna. De qua conclusione Ezech. 7. Fili hominis

fac

fac conclusionẽ: quoniam terra plena est iudicio sanguinũ: & ciuitas plena iniquitate. Iacob. 2. Quid proderit fratres mei si fidem se dicat quis habere, opera autem nõ habeat? nunquid poterit fides saluare eum? Secundũ Chrysostomum. Fides maiorum est argumentum fidei minorum. Confirmatur enim fides in minoribus per hoc quòd tot & tam sancti homines eam tenuerunt. ¶ Et notandum, quòd ad viuam fidem duo pertinent, scilicet primam veritatem cognoscere, & in ea tanquam summum bonum vel beatitudinem tendere. Quãtum ad primum, dicitur fides argumentum non apparentium. Quantũ ad secundũ, dicitur substantia rerum sperandarum. Item fides sic describitur ab August. in libr. de prædestin. sanc. Fides est cogitare cũ assensione ea quæ ad Christianam pertinẽt religionem. Et Isidorus: Fides est qua veraciter credimus. Chrisost. dicit quòd fides est sanctissimę religionis fundamentum. Religio (vt ait Isidorus) est appellata, quòd per eam vni Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum seruiendi vinculo. Magistraliter etiã sic describitur: Fides est virtus, qua ea quæ ad fundamentum religionis pertinent, rectè firmitérque creduntur. Bernard. in lib. de Cõsideratione: Fides est voluntaria quædam & certa prælibatio necdũ propalatæ veritatis. ¶ Et notandum quòd quatuor videntur facere ad hoc quòd fides viua, licet sit cognitio, virtus sit. Primũ est, quòd actus ipsius multùm habet à voluntate. Sicut enim ille qui multũ amat aliquem, voluntarius est ad credẽdum bona de eo, mala verò de eo credere non vult: Sic ille in quo est amor Dei intensus, voluntarius est ad credendum de Deo omnia, quorũ credulitatem credit esse placitam Deo: vnde sine ratione sufficienti assentit talibus. 1. Corint. 13. dicitur, quòd charitas omnia credit. ¶ Secundum est, quia consentit his, in quæ difficile est consentire. Vnde sicut diligere inimicum, virtutis est, cùm ad dilectionem illam meritum eius qui diligitur non iuuet, sed potius repugnet: sic consentire Deo in his quæ contra rationem videntur esse, virtutis est. ¶ Tertium est, quòd fides viua radius viuus est procedens à fonte vitæ, à sole scilicet intelligentiæ. De quo Sap. 5. Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Fides mortua est sicut lumen solis, quod est in locis obumbraris, non habens calorem. Fides verò viua non solum lucet, sed etiam calefacit: nec solũ lumen est ostendendum, sed etiam vita mouens: scilicet ad faciendum bonum, & declinandum à malo. Cui videtur concordare quod dicit Aristotel. De Diuina scientia, quòd plus est virtus, quàm ars. ¶ Quartum est, quòd mira operatur, vt infrà patebit. Marci vltimo: Signa autem eos qui

qui crediderint, hæc sequentur. Sicut impetuositas fluminis tunc primo apparet quum fluuius inuenit obstaculum: sic fidei virtuositas, cùm aliquid impugnans habuerit. ¶ Item fides sic potest describi: Fides est, digna Deo credulitas. Credulitas digna Deo est credere ei propter se, & super omnia. Vnde super illud 2. Corinthiorum 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. dicit glos. quòd cogitare est initium fidei: assentire autem summæ veritati propter se & super omnia, est eius cõplementũ. Et notandum, quòd licet fides viua non assentiat primæ veritati principaliter propter rationes, tamen rationes possunt esse introductiuæ ad eam. Sed postquam ipsa introducta fuerit, dicit sicut dixerunt Samaritani mulieri Samaritanæ: Iam nõ propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est saluator mundi. Ioan. 4. Augustinus in libr. de Correctione & gratia: Aliud est adiutorium sine quo aliquid nõ fit, & quo aliquid fit: nam sine alimentis non possumus viuere: non tamẽ afferunt alicui alimenta, quòd viuat qui mori voluerit, quasi causa sine qua non fit, vel ratio non fit. Fides viua in anima est, vel speculum creaturarum, vel miracula, vel rationes, vel doctrina: sed lux infusa desuper principalis causa est, quod intellectus consentiat firmè in ea quæ sunt fidei. Vnde Augustinus. dicit, quòd fides est illuminatio mẽtis ad summam veritatem. Et super illud Marc. 9. Credo Domine, adiuua meã incredulitatem. dicit glo. Credulitas nostra infirma est, nisi sit innixa adiutorio Dei.

Quòd vna sit vera fides. Et quòd illa sit Christiana, multis argumentis ostenditur. CAP. III.

SEquitur de vnitate fidei, de qua legitur Ephesios quarto: Vnus dominus, vna fides. Quinque verò videntur facere ad vnitatem fidei. Primò hoc, quòd illud de quo principaliter est fides, vnum est. Vnde super illud, Vna fides, dicit glos. Vnum & idem est quod creditur à cunctis fidelibus. Vnde fides catholica dicitur: id est, vniuersalis. Deus de quo fides est, principaliter vnus est, & non mutatur. Exod. decimo: Audi Israël, Deus tuus vnus est. Psalm. Non erit in te Deus recens. Iaco. 2. Apud quem non est transmutatio. Hieronymus: Nec fides mutatur. Tob. 2. Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo. Secundò hoc, quòd fides est lumen infusum desuper, & non est à probabilitate rerum quæ creduntur: ideò non diuersificatur secundum diuersitatem rerum creditarũ. Ipsa est lucerna quam Dei sapientia accendit ad recuperãdam drachmam perditam. Luc. 15. glos. Drachma est numus

certæ

certæ quantitatis habens imaginem regis. Drachma perdita est homo qui ad imaginem Dei creatus, in peccatum lapsus est. Ad eandem lucernam possunt diuersa videri,& vna fide diuersa credi. ¶ Tertiò hoc,quòd vna est ratio credẽdi in omnibus articulis, scilicet prima veritas, cui fides vna semper principaliter innititur. Credulitas quæ per rationes est,secundũ diuersitates rationum debet diuersificari: sed non sic est in fide. ¶ Quartò hoc,ꝙ natura hominum vna & eadem est apud omnes:ergo & naturalia hominum eadem debent esse apud omnes:sed intellectus debet Deo de iure naturali obsequium fidei: ergo fides vna & eadem debet esse apud omnes:vnica ergo est vera fides. ¶ Quintò hoc,quòd affectiones quas affectus hominis debet Deo, eædem sunt apud omnes: ergo & eadem ratione quod debet intellectus Deo, idem erit apud omnes. Præterea affectionum causæ sunt apprehensiones præambulæ: vt timoris causa est apprehensio diuinæ potentiæ vel iustitiæ: spei causa est apprehensio diuinæ liberalitatis, vel misericordiæ: amoris causa est apprehensio diuinæ bonitatis: ergo quum affectiones istæ eædẽ sint apud omnes,& apprehensiones quæ sunt causa illarum, eædem erunt apud omnes. Apprehensiones verò de Deo in præsenti oporter esse fidei, propter paruitatem intellectus hominum, sicut prius ostensum est: ergo vera fides vna & eadem est apud omnes. Præterea aut aliquod obsequiuum debet Deo intellectus humanus,quod sine eius iniuria non possit non soluere, aut nullum. Si dicatur quòd nullum, ostenditur hoc esse falsum, per hoc quòd simili ratione nec affectus aliquod obsequium deberet Deo,nec etiam corpus:ergo Deus non esset Dominus verus, quum nullum seruitium deberetur ei. Præterea conqueritur Dominus de subtractione seruitii affectus, Malac. 1. Si pater ego sum,vbi est honor meus?& si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Præterea certum est cuilibet habenti rationem bene dispositam, quòd sine Dei iniuria non potest dici Deum non esse adorandum, vel venerandum, vel timendum, vel amandum. Præterea omnis secta igne & ferro persequitur sentientes contraria fidei suæ, etiam potius, quàm fures vel raptores. Philosophus etiam dicit, eos qui dicunt deos non esse adorandos, pœna indigere. Relinquitur ergo, quòd aliquod certum seruitium intellectus debetur Deo,quod specialiter consistit in credendo illi. Aliud enim obsequium secundum intellectum, non videtur ei posse soluere vniuersitas hominum. Cogitare solum siue bonum, siue malum, non videtur meritorium esse

esse vel demeritorium:alioqui Deus qui omnia mala videt, pessimus esset: ergo assensus vel dissensus cogitationi aduenienti meritum vel demeritum facit. Assensus possibilis vniuersitati hominum circa illa quæ de Deo sunt fidei est: ea autem quæ homo tenetur credere de Deo, non sunt infinita: sunt ergo aliqua certa quæ quilibet adultus, nisi sit mente alienatus, tenetur credere de Deo. Vnde Hebræorum 11. Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Vbi dicit glos. Sine hac fide nemo vnquam saluari potuit. Si quis tamen obiiciat, quòd non est necesse eadam credi de Deo ab omnibus propter paruitatem intellectus quorundam, vel propter defectum doctrinæ vel gratiæ, sed sufficit quædam de Deo credi ab vno, & alia ab alio. Ad hoc dicendum est, quòd nullus est adultus, nisi sit mente alienatus: cuius intellectus capax esse non possit eius quod est Deum esse timendum, honorandum,amandum,& in eo esse sperandum:& nunquam fuit mundus quin habuerit doctrinam sufficientem ad huiusmodi credenda. Vnde Gregorius loquens de parabola illa quę est de operariis in vineam missis, Matth.20.dicit, Paterfamilias conditor noster est,qui habet vineam vniuersalem ecclesiam,quæ ab Abel vsque ad vltimum electum qui in fine nasciturus est, quot sanctos prorulit, tot palmites misit. Hic pater exiit ad excolendam vineam mane hora tertia,sexta,nona,vndecima,operarios conduxit: quia à mundi huius initio vsque ad finem ad erudiendam fidelium plebem, prædicatores mittere non desistit. Gratia etiam non deest alicui adulto sanæ mentis ad prædicta, nisi culpa eius impediat. Si quis tamen esset in loco vbi doctrinam circa talia non posset habere, verisimile est nisi culpa sua hoc impediret, occultam inspirationem ei vicem doctrinæ supplere, vel per creaturarum pulchritudinem de conditore & rectore vniuersitatis admoneri. Est igitur vna fides vera omnium verè fidelium, licet inter eos aliqui plura, aliqui pauciora de Deo explicitè credant. Omnes tamen parati debent esse credere Deo in omnibus, quæ vel per se, vel per viros fide dignos eos docere vellet. Debent etiam omnes credere omnia illa esse vera, quæ prophetæ & alij homines spiritu Dei docti credidерunt & docuerunt. Omnes autem sectæ quantum ad ea in quibus non conueniunt cum illa & vera vnica fide,errores sunt.

Argumenta quibus fides Christiana vnica & vera ostenditur.

ILla verò vera & vnica fides, fides Christiana est: sicut multipliciter potest ostendi. Et primo miraculorum confirmá-

tione. Nulla enim alia secta habet miracula ad sui confirmationem. Miracula huius fidei ab Abel filio Adam facta leguntur. De quo legitur Gene. 4. Respexit Deus ad Abel & ad munera eius. Quo modo respexit, alia translatio determinat, quæ sic habet, Inflammauit Deus super Abel & super munera eius. Ignis enim de cælo oblationem eius incendit: vt legitur factum Eliæ in Carmelo. 3. Regum 17. & in Leuiti. 9. sub Moyse. Deinde subsecuta sunt miracula sub Noë, & sub Abraham, & sub aliis vsque ad legem Moysi: & in gente Hebræorum multiplicata sunt, & ab exitu Ægypti vsque ad ingressum terræ promissionis consolata sunt gentem illam, & donec gens illa deseruit hanc fidem, non deseruerunt eam miracula. Tandem cum hac fide in Apostolis miracula translata sunt ad Ecclesiam ex Iudæis & gentibus collectam. Miracula verò quibus hæc fides confirmata est, talia fuerunt, quòd solus Deus ea facere poterat: sicut fuit statio Solis & Lunæ ad spatium xij. horarum ad præceptum Iosue ministri Dei obediente Domino voci hominis. Iosue 10. Et regressus solis tempore Ezechiæ. Esaiæ 38. Et obscuratio Solis & Lunæ in passione Domini facta, propter quam philosophi qui Athenis erant, non valentes inuenire naturalem causam illius obscurationis, inducti sunt ad hoc, vt dicerent, quòd Deus naturæ patiebatur: & constituerunt aram illi Deo ignoto, de qua Act. 17. Quis dubitat de hoc, quòd ille solus cursum solis mutare potest, qui instituit? Item notitia linguarum data Apostolis, & illuminatio subita, quia hi qui erant idiotæ docti facti sunt secundum promissionem eis factam à Christo. Io. 14. Paraclerus autem Spiritussanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c. Lu. 21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. ¶ Item roboratio Apostolorum, qui cùm adeò debiles essent, quòd petrus qui maior videbatur esse ad vocem vnius ancillæ, dum mori timuit, vitam negauit, virtute Spiritussancti induti ex alto, adeo fortes facti sunt, vt nullum timerent. Luc. vlt. Sedete in ciuitate quousque induamini virtute ex alto. Non timebãt eos qui iam Dominum eorum occiderant. Act. 4. Non possumus, inquiunt Petrus & Ioannes, quæ vidimus & audiuimus non loqui. Item subiugatio mundi per paucos simplices. Bern. Licet magna & diuina planè fuerint miracula quæ Dominus gessit in terris: hoc tamen super omnia alia enituit, quòd in paucis simplicibus totum mundum & omnem eius altitudinem sibi subiugauit. Item coniunctio

ctio fidei cum ratione quasi per totum mundum, quod est vnum trium operum mirabilium Dei, quæ enumerat Bernar. dicens: Tria opera, inquit, fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta sunt quippe adinuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Multi etiam mortui resuscitati sunt & à Christo & à fidelibus in nomine Christi. Quis autem dubitat quòd Deus solus qui homini vitam dedit, potest ei eam reddere, postquam eam amisit? Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Quomodo purus homo hoc posset? Posita enim anima iam non esset homo qui eam posset sumere. Cùm enim anima ponitur, homo desinit esse. Qui verò non est, se reficere non potest. In nomine etiam Christi cæci sunt illuminati, leprosi mundati, paralytici & alij infirmi insanabiles secundum naturam sanati. Quæ omnia quum Deus qui solus ea facere potuit, ad confirmationem dictæ fidei fecerit, & certissimum sit Deum nolle testificari mendacium aliquod, nec velle miraculis homines inducere in errorem, nec eos subtrahere à cultura sua, & sic diminuere gloriam suam: manifestum est, veram fidem esse fidem Christianam, quam Deus sic confirmare voluit. Nullus enim intellectus bene dispositus hoc reciperet, quòd primò veritas posset esse mendax, vel vellet esse causa erroris sibi contumelioſi. De hac testificatione dicitur 1. Ioan. 5. Qui non credit filio, mendacem facit patrem: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo. Item Ioann. 5. Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me; quia Pater misit me. Item eiusdem 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et eiusdem 14. Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Si quis tamen dicat miracula illa non esse facta ad fidei testificationem: patet hoc falsum esse per modum quo miracula facta sunt. Et exempli causa pauca miracula ponamus. Matth. 9. dicit Christus: Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit &c. Patet ex ipsa litera miraculum illud factum esse in testimonium fidei. Et Actuum 3. dixit

Universidad de Deusto Biblioteca
Bibliotheca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orientalis SJ

Petrus claudo ex vtero matris suæ: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et sequitur: Et protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, & exiliens stetit & ambulabat. Et de Dionysio Areopagita legitur, quòd cùm disceptaret cum Paulo, fortè pertransiit cæcus per viam coram eis, & statim ait Dionysius Paulo: Si dixeritis huic cæco: In nomine Dei tui vide, & viderit. ego credam statim. Sed ne vtaris verbis magicis: quia fortè nosti verba quæ habent huiusmodi efficaciam, ego præscribam tibi formam verborum. Hanc, inquit, formam verborum dices ei: In nomine Iesu Christi nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit, & ascendit in cælum, vide. Et vt omnis tolleretur suspicio, præcepit Paulus Dionysio, vt ipse eadem verba proferret. Et in ea verborum forma dixit Dionysius cæco vt videret: & statim vidit, & confessus est Dionysius se credere. De probatione per miracula, dicit Petrus Actuum 2. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Et Bernardus in sermone de Ascensione, ostendit Christum perfeciſſe probationem dominij sui, cùm in cælum ascendit, his verbis: Cùm Iesus se dominum vniuersorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno probasset: non restabat nisi vt aëris & cælorum se Dominum probaret. Terra eum Dominum cognouit: quia ad vocem virtutis eius, cùm clamaret voce magna, Lazare veni foras: mortuum reddidit. Cognouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius. Cognouit infernus, cuius ipse portas æreas & vectes ferreos confregit, & Satanam ligauit. Sic inquam qui in ore piscis cum ipso pisce staterem inuenire prædixit, proculdubio & maris, & omnium quæ in mari sunt, Dominus fuit. Qui mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit, omnes effugauit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eadem manu, qua fecerat quæ defecerant, reficiebat. Ad perficiendam igitur fidei nostræ integritatem restat, vt videntibus discipulis per medium aëris Dominus ascendat, & tunc probabitur, quia dominus vniuersorum es. etiam tibi profectò debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur. ¶ Circa miracula verò notabile est, quòd ministri Christi post passionem eius in nomine ipsius maiora miracula fecerunt quàm Christus feciſſet, sicut ipse promiserat. Ioa. 14. Qui credit in me, opera

opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Maius fuit, quòd ad vmbram Petri sanabantur infirmi, Actu. 5. quàm quòd ad tactum vestimẽti eius mulier fluxum sanguinis patiens sanata est. Matth. 9. Item longè fuit maius, quòd duo latrones qui veneno sumpto mortui erant, suscitati sunt tunica beati Ioannis Euang. posita super eos. Item Dominus in Euangelio legitur tres mortuos suscitasse: sed de beato Andrea legitur, quòd quadraginta submersos suscitauerit. Item sancti non solùm viui, sed & mortui fidem istam miraculis cõfirmauerunt. Et vt vno verbo dicam, quasi vniuersitas rerum fidem istam mirabiliter confirmauit. Vnde Greg. in Omilia Epiphaniæ: Omnia, inquit, elementa authorem suum veniſſe testata sunt: vt enim de his quidem vsu humano loquar, Deum hunc cæli esse cognouerunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognouit, quia sub plantis eius se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus cognouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit, & tamen hunc quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum esse minimè cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt: eúmque confiteri abnegant, quem elementa (vt diximus) aut signis aut scissionibus Deum clamant. ¶ Secundò potest ostendi veritas fidei Christianæ testium multitudine, omni exceptione maiore, & primò producamus in medium Ioan. Paptistam, qui à prophetis prædictus fuit. In Psal. Paraui lucernam Christo meo. Esa. 40. Vox clamantis in deserto &c. Et Malach. 3. Ecce ego mittam Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam. Hunc Deus miraculosè nasci fecit in mundo isto ex sanctis parentibus. Cùm Elizabeth esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Lucæ 1. vt ferret testimonium Christo. Ioannis 1. Hic venit in testimonium &c. Quis dubitat de hoc quòd Deus non ideo fecit eum nasci miraculosè in mundo isto, vt testimonium perhiberet mendacio. Ioannis 5. Vos misistis ad Ioannem, & ipse testimonium perhibuit veritati. Eius conceptio & natiuitas pronuntiata sunt ab Angelo. Luc 1. Hic in vtero materno testimoniũ dedit Christo. In eodem: Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, ait Elizabeth, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Sine omni dolo fuit testimonium illud. Ipse tantæ sanctitatis fuit, quòd à

Iudæi miserunt ad eum Sacerdotes & Leuitas, vt scirent ab eo vtrum ipse esset Christus. Io. 1. Et credidissent ei, si dixisset se esse Christum. Io. 5. Vos voluistis exultare ad horam in luce eius, vt credaretis ipsum esse Christum. dicit Gloss. interli. Quanto magis debuerunt credere ei ferenti testimonium alij? efficacius enim est testimoniũ quod aliquis perhibet alij, quàm quod perhibet sibi. Ioannis 5. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Sanctitas Ioannis non solùm Christianis, sed etiam gentilibus & Iudæis nota est. Testimonium eius multùm efficax est ad confundendum Iudæos. Ideo post illud Psalm. Paraui lucernam Christo meo, subditur, Inimicos eius induam confusione &c. Qualiter Christus testimonio Ioannis confuderit Iudæos, habes Matthæi 21. Baptismus, inquit, Ioannis vnde erat? de cælo, an ex hominibus? & illi cogitabant intra se, dicentes: Si dixerimus de cælo, dicet nobis, quare ergo non credidistis ei? Si autem dixerimus, ex hominibus: timemus turbam. Omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. De testimonio Ioannis de Christo habes Ioannis 1. Qui post me venturus est, ante me factus est. Ante, scilicet dignitate, quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et pòst: Cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calciamenti eius. Item: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Item: Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me Baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Aliud testimonium est Ioannis Euangelistæ: Vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Vidimus, id est, cognouimus, per miracula, per vocem elapsam de cælo, per Transfigurationem, Resurrectionem, Ascensionem, Spiritussancti missionem, gloriam eius talem & tantam, vt deceat vnigenitum Dei patris. Et 1. Ioannis 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis. ¶ Fidei nostræ testimonium dant Deus, & homo, & angelus. De primo habemus 1. Ioannis 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus. Et subditur: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, secundum

cundum glossam, Pater perhibuit testimonium Christo, dicendo: Hic est filius meus dilectus. Filius in transfiguratione, ostendendo potentiam deitatis, & speciem beatitudinis. Spiritussanctus super Christum in specie columbę descendendo, & in nomine Christi corda discipulorum implendo. ¶ Testimonium verò hominum talium fuit qui notæ fuerunt sanctitatis, mundi contemptores, nullũ hominem timentes, qui veritatem fidei morte propria ausi sunt confirmare, cùm manifestum sit, quòd nullus sani capitis morte mendacium auderet confirmare. Etiam homines mendaces in morte veritatem confitentur. Etiam ipse Christus veritatem fidei morte propria confirmauit. Hoc signum speciale tanquam certissimum promittebat ipse Iudæis. Matthæi 12. & 16. Generatio, inquit, mala & adultera signum quærit, & non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus &c. cùm omnino duæ res peccatum faciant, scilicet timor & cupiditas, vt dicit glossa super illud Psalm. Incensa igni & suffossa. quæ causa posset esse mendacij in illis qui transitoria bona contemnebant, & mala lætanter sustinebant? Philippen. 3. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Actuum 20. Spiritussanctus per omnes ciuitates, protestatur mihi dicens: Quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor. Si quis verò dicat sanctos noluisse decipere, sed deceptos fuisse: Quomodo potuit Christus decipi circa suum esse, cùm natura rationalis maximè habeat cognoscere se esse? Augustinus in libro de Anima & spiritu: Nihil tã nouit mens vel anima, quàm id quod sibi præsto est: nec mẽti vel animæ quicquam magis præsto est, quàm ipsa sibi: nihil ergo tantum nouit, quantum se esse. Quomodo ergo Christus decipi poterat, cùm dicebat Ioannis 8. Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Item 10. Ego & pater vnum sumus. Item cùm naturę rationalis per se notæ sint operationes suæ: Anima enim per se cognoscit se credere, vel intelligere, vel diligere: quomodo poterat decipi? circa illud Io. 8. Ego principium, qui & loquor vobis. ipse sciebat se simpliciter omnium quæ creata erant principium fuisse. Lucæ 8. Tetigit me aliquis: nam & ego cognoui virtutem de me exisse. Item quomodo Paulus circa cælestia bona decipi potuit, qui raptus est vsque ad tertium cælum, vbi audiuit arcana verba quæ non

licet homini loqui. 2. Corin. 1. ¶ De testimonio hominum de Christo legitur Actuũ 10. Nos testes sumus, ait Petrus, omnium quæ fecit Iesus in regione Iudæorum & Hierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus prǫordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquàm resurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est qui constitutus est à deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Testimoniũ vero istud tam citò Deus confirmauit. Vnde subditur: Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebãt verbum. Testimoniũ Petri de Christo habes similiter Mat. 16. Tu es Christus filius Dei viui. Et Ioãnis 6. Ait Petrus: Nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui. ¶ Fidei nostræ testimonium dedit Angelus in Christi Conceptione. Lucæ 2. Item in eius Natiuitate. Lucæ 2. Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos &c. Et pòst: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum. Item, & facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis exercitus. Item in resurrectione. Matthęi, Marci, & Lucæ vltim. Ioan. penulti. Item in Ascensione. Actuum 1. ¶ Fides ista testimonium habet, & à domesticis, & ab extraneis. Exod. 8. Magi Pharaonis deficientes, in tertio signo compulsi sunt confiteri, digitus Dei est hic. Deuteronom. 32. Non enim est Deus noster vt dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. Et Matthæi 9. Videntes turbæ Christum mirabilia operantem, dixerunt: Nunquam sic apparuit in Israël. Et Ioanuis 9. Illuminatus cæcus à natiuitate, dixit: A seculo non est auditum quòd quis aperuit oculos cæci nati. Et Ioannis 11. Ipsi pontifices & Pharisæi dixerunt: quid facimus? quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et Iosephus, qui semper fuit Iudæus sapientissimus in veteri lege, qui captus fuit in vltima captiuitate Hierusalem facta per Titum & Vespasianũ, tale testimoniũ dedit Christo: Fuit eisdem temporibus Iesus, sapiens vir, si tamen eum virum dicere fas sit. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorũ qui libenter quę ventura sunt audiũt, & multos ex gẽtibus sibi adiunxit: Christus hic erat. Item post crucem his qui ab initio eũ dilexerant, apparuit eis iterum visus secundũ quod prophetæ vel hæc vel alia de eo futura prædixerant. Sed vsque in hodiernum diem

diem Christianorum qui ab eo dicti sunt, & nomen perseuerat & genus. ¶ Hodie etiam fidei nostræ aliæ sectæ testimonium perhibent eam post suam aliis præferendo. Vnde cum testimonium quod pro se perhibent, nullũ reputemus, testimoniũ eorũ quod alicuius valoris est, pro fide nostra est. Itẽ nobiles Philosophi in his quæ de Deo noscibilia sunt, fidei nostrę testimonium perhibent: vt circa hoc, ꝙ vna sit prima causa, & ꝙ ęterna sit summæ potentiæ, summæ sapientiæ, summæ bonitatis. Vnde quantum ad ista fides nostra ex intimis Philosophię sumpta est disciplinis, iuxta verbum Boëtij in prœmio libri de Trinitate. ¶ Fidei etiam nostræ testimonium perhibet vniuersitas creaturarum, quantũ ad ea quę de Deo cognoscibilia sunt. Hoc enim ꝙ vnus est mũdus, attestatur ꝙ vnus sit Deus. Accedat quę cunq; vis creatura, & faciat aliũ mũdum tantũ, & talẽ qualis est iste mũdus, & dicã, Quia Deus est. Perpetuitas creaturarũ attestatur æternitati creatoris, cũ omnis causa potẽtior sit suo effectu. Magnitudo verò eius potentiæ, pulchritudo, sapientię vtilitas creaturũ bonitati. ¶ Tertiò potest ostendi veritas fidei nostræ per hoc quòd reuelationes & prophetias habet. Reuelationes habuit ante legem: vt sub Noë, Abraham, & Iacob, vt patet ex lib. Genesis, quæ multiplicatæ sunt lege susceptа. Numer. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei. Deuteronom. 4: Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Psal. Nõ fecit taliter omni nationi &c. Et Baruch 4. Beati sumus Israël: quia quæ placent Deo, nobis manifesta sunt. ¶ Prophetiæ quas habet fides nostra multum cõfirmant eam. Vnde cũ Ioannes Baptista misisset discipulos ad Christum ad certificandum eos de Christo, Matth. 11. Dominus certificauit eos ostendendo prophetiã esse impletam quam prædixerat Esaias de aduentu eius. Esaias 35. Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Vnde ait Dominus discipulis Ioannis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant &c. Item Esaiæ 41. Dicit Dominus ad deos non veros, Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Reuelationes & prophetiæ cum hac fide translatæ sunt in ecclesiam collectã ex

gentibus:vt patet in reuelatione illa excellenti, de qua 2. Corint.12.quæ Paulo facta est vsque ad tertiũ cælũ rapto. Et in Ioanne,cui reuelata sunt tot mysteria,quæ in Apocal.continẽtur. Iudæi verò modo nõ habent reuelationes vel prophetias,quia hanc fidẽ deseruerunt.¶ Quartò per,hoc,quod fides nostra dignissima de Deo sentit.Augu.Prudentum est æstimare & fidelium quæ sit fides purior & maiestate Dei dignior. Aliæ sectæ malè sentiunt de Dei omnipotentia: sicut qui negant Deum posse corpora nostra suscitare,vel naturã nostram potuisse sumere.Alij de eius bonitate, vt qui negant lapsos in peccatum per pœnitẽtiam posse redire ad Deũ.Alij de eius iustitia: vt qui negant Deum vindicaturũ peccata: aut qui dicunt eũ saltẽ non vindicaturũ æternaliter. Fides verò nostra omnipotentiã Dei prædicat,& summã eius sapientiam & bonitatẽ.¶ Quintò per hoc quòd fides nostra de homine probabiliora sentit,& quę magis deceant creaturã rationalẽ. Dicit enim eum ad imaginem Dei creatum.Genesis 1.Creauit Deus hominem ad imaginẽ & similitudinem suam. Ad similitudinem etiã Dei monet viuere.Ephesi. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. & ad gloriam similẽ diuinæ gloriæ promittit peruenire.1.Io.3.Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit nobis quid erimus.Scimus quoniã cum apparuerit,similes ei erimus.Gens Iudæorum & gens Mahometi sentiũt indigna de Dei magnificentia, dum gens Iudæorũ sperat solam affluentiam tẽporalium à Deo, & gens Mahometi solas delicias corporales quãtum ex promissione legis eorũ.Vtraque autẽ spes dicta videtur esse hominũ,qui in vanum acceperunt animas suas, & ferè est bruralis.Cùm anima inuisibilis sit,bonis inuisibilibus remuneranda est:nec natura rationalis bonis se inferioribus beata fieri potest.Aug.Beata vita inuenitur:cũ id qđ est hominis optimũ, & amatur,& habetur, quod deterius esse quàm ipse homo non potest:quisquis qđ seipso deterius est, sequitur, fiet ipse deterior.¶ Fides etiã Christiana hominem ad maiorẽ perfectionem perducit,quantum ad Deum,& quantum ad proximũ:quantum ad Deum, quia de Deo prædicat quæ maximũ timorẽ Dei nobis incutiũt,& ad spem maximè erigunt,& Dei amorẽ in nobis maximè accendũt. Ostẽdit enim districtissimam iustitiam Dei in rebelles ipsius,& vindictam ęternam miræ acerbitatis,quod efficacissimum est ad timorem incutiendum.¶ Item ostẽdit liberalitatem Dei qua filio proprio propter nos nõ pepercit, propter quod nullus locus desperationis in nobis relinquitur. Roma

Romano.8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Item beneficium redemptionis, quod est maior ignis ad accendendum cor nostrum, quàm esset totus mundus ad accendendum corpus nostrum,si totus arderet.cordibus nostris immittit amorem: quid magis idoneum ad incendendum & inflammandum diuinum amorem in nobis? Non accenditur melius ignis quàm igne: nec est maior ignis spiritualis amore quo filius Dei amauit nos. Io.15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis: quantum ad proximum:quia dilectionem iubet ad inimicos extendere,& nostra proximo communicare:& si necesse est,etiam animam pro eo ponere. Matt.5.Diligite inimicos vestros:benefacite his qui oderunt vos &c. 1.Io.3. Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? In eodem: In hoc cognouimus charitatẽ Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. ¶ Sextò per successum quem habuit populus qui hanc fidem suscepit, dum secundum eam vixit, & dejectionem ipsius: vel dum fidem istam deseruit, vel dum secundum eam non vixit. Vt enim omittamus de aliis, quis sufficeret narrare nobiles triumphos quos habuit populus iste in paucis vincens infinitos? iuxta promissionem domini.Leuit.26. Si in præceptis meis ambulaueritis &c. persequemini inimicos vestros,& corruent coram vobis: persequentur enim de vestris quinque centum alienos,& centum ex vobis decem millia. Quando autem male se habebãt in fide,vincebantur. Leuit.26. Quòd si non audieritis me,nec feceritis omnia mandata &c.corruetis corã hostibus vestris, & subiiciemini his,qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. Et paulò pòst: Terrebit vos sonitus folij volantis &c.Et Iosue 7.Non poteris stare coram hostibus tuis,donec deleatur ex te qui contaminatus est hoc scelere. Deuteron. penult.Beatus es tu Israël,quis similis tui populę, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui,& gladius gloriæ tuæ Deus tuus. Item Iudi.5. Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit, & non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultura Domini Dei sui. Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in opprobriũ, & in gladium.Quotiescunque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cælĩ virtutem resistendi.Quum igi

tur

tur fides Christiana tot habeat veritatis suæ argumenta, inexcusabiles sunt tot argumentis nolentes acquiescere, & meritò punientur. Valde incredulus est, cui tot testimonia facere fidem nõ possunt. Valde ponderosus est vel valde debilis, quem tot appodiationes sustentare non sufficiunt. Nec mirum si offenditur prima veritas, quando tot pignoribus signorum vel aliarum probationum ei non creditur, cùm paucioribus testibus crederetur vni Iudæo vel Saraceno. De punitione infidelium, legitur Deuteron. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, &c. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Quod verbum assumit Petrus Act. 3. dicens: Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Eiusdem 4. Non est in alio aliquo salus, nec nomen est aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Et Io. 3. Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc autem est iudicium, id est, causa damnationis. dicit Augu. quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Et eiusdem 8. Si non crediderit is quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Et eiusdem 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Esa. 60. Gens, & regnum quod non seruierit tibi, peribit. Matt. vlt Qui non crediderit, condemnabitur. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. 1. Cor. 14. Ignorans ignorabitur.

De commendatione Fidei CAP. IIII.

SEquitur de cõmendatione Fidei. Notandum ergo quòd fides Deo multum placet, diabolo displicet, homini multum prodest. De primo Eccle. 1. Beneplacitum est Deo fides & mansuetudo. Hæ duæ virtutes multum placent Deo in homine: quia fides Deo subiicit intellectum, mãsuetudo affectum: vnde Dominus hominem mãsuetum & fidelem diligit quasi suum. Fides adeò placet Deo quòd sine ipsa nihil placet ei. Hebræ. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Omnes infideles filij iræ sunt. Vnde Io. 3. Qui incredulus est filio, non videbit vitam æternã, sed ira Dei manet super ipsum. Oculi diuinæ misericordiæ nõ respiciunt nisi vbi est fides. Vnde propitiatorium non excedit arcam. Exo. 25. Arca significat populum fidelem quẽ propitiatio diuina non excedit. Remissio enim peccatorũ non est extra fidem Ecclesi. Hier. 5. Domine oculi tui prospiciunt fidem. Vbi amo

amor, ibi oculus. Io. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quẽ misit ille. Credere in Deum est speciale opus Dei: & quia Dei donum, & quia Deo valde acceptum: nec mirũ si multũ placeat Deo fides, quũ ipsa primũ obsequium faciat Deo. Signum huius placentiæ est hoc, quòd Deus tantum facit pro fide. Matt. 8. Vade, dixit Iesus Centurioni, & sicut credidisti, fiat tibi. Hieron. Cuique sicut Credit, ita fit. Fides Deo placet etiam sine sacramentis: vt patet in Abraham, qui ante sacramentum Circũcisionis per fidem Deo placuit. Gen. 15. Credidit Abrahã Deo, & reputatum est ei ad iustitiã. Sacramenta vérò sine fide Deus quasi non reputat. Calat. 5. In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur. Fides porta est per quam princeps vniuersorum intrat ad cor hominis. Ezec. 46. Sine ea nõ videtur dominus dominium habere in corde, quũ non habeat ibi ingressum. Ipsa est porta aurea per quã intrauit in mentẽ virginis lux & decus vniuersę fabricæ mundi. Prius enim intrauit filius Dei in mentẽ virginis, quã in ventrẽ. Luc. 1. Beata quæ credidisti: quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi à domino. Aug. in lib. de Virginitate: Beatior fuit Maria percipiendo fidẽ Christi, quam concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christũ corde quã carne gestasset. Porta fidei morti & authori mortis clausa est: nec infernalis exercitus prævalebit aduersus eã. Vnde super illud Mat. 16. Et portæ inferi: dicit gl. Qui intimo cordis amore fidem Christi percipit, quicquid ingerit extrà, facilè vincit. Hæc porta sanguinẽ agni debet habere & in superliminari & in vtroque poste, ne exterminator, menti noceat. Exo. ca. 12. Superliminare tinctũ debet esse sanguine Christi, vt intuitu humilitatis Christi & passionis eius mens superbiã caueat. In vtroque etiã poste debet esse sanguis agni, vt exẽplo Christi, nec aduersa mẽs timeat, nec prospera concupiscat. ¶ Fides porta est tabernaculi, scilicet militantis Ecclesiæ, vbi hostia offerenda est Leuit. 17. Homo quilibet de domo Israël, qui occiderit bouẽ, aut ouem, siue caprã in castris, siue extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationẽ Domino, sanguinis reus erit: Nec mirum si fides valde est Deo grata: quia sine fide Deus non colitur, quum de eo nõ cognoscatur quare timendus sit, vel amandus, vel obsequio honorãdus. ¶ Fides thesaurum absc̃ditum regni cælestis quem daturus est Dominus seruientibus sibi hominibus ostẽdit. ¶ Fides primum Dei hostẽ, scilicet sensum humanum occidit. Hostis iste in sapiẽtibus huius

ius mundi est fortissimus hostis Dei, qui significatus est per cinifes, quorum plaga non legitur curata. Exod. 8. Cinifes de puluere terræ educti, argumenta sunt philosophorum de subtili terreno sensu prodeuntia, qui oculum fidei lædunt. Vnde glo. Origc. Hoc animal corpus cui insederit acerbissimo terebrat stimulo, vt quem volantem videre quis non valet, sentiat stimulantem. Hoc ergo animal arti dialecticæ comparatur, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animas terret, & tanta calliditate circunuenit, vt deceptus non videat, nec intelligat vnde decipiatur. Hæc plaga non curatur. Idola enim philosophorum remanserunt, quum idola gentium destructa fuerunt, vt ait quidã. Fides intellectum captiuat in seruitium Christi. 2. Corint. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequiũ Christi. Fides in arce mentis, scilicet in intellectu insigne regium ponit, scilicet filium in cruce pendentem de morte, & de mortis authore triumphantem. ¶Item fides matrimonium inter animam & Deum initiat. Osee 2. Sponsabo te mihi in fide, quod charitas consummat. 1. Corinth. 6. Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum illo. ¶Fides est velut anulus argenteus positus in digito sponsæ. Ornamentum enim est à Christo datum rationi, quæ per digitũ intelligi potest: quia discretiua est. Anulus nec excedere debet, nec excedi: sic fides nec excedere debet, nec excedi. Non enim debet Christo attribuere alter quid, quod eius non sit: nec de eo negare quod ipsius sit. In argento verò intellige quòd fides candore puritatis & luce salutaris veritatis debet resplendere, & suauitate synceræ confessionis debet resonare. Argentum enim candidum est & resonat. ¶Item fides virginitas est, mentis intellectum à corruptione erroris seruãs, & vndique protegens: sicut anulus digitum cingit ex omni parte. ¶Fides quantum proprio sensui detrahit, tãtum intellectum diuini sensus capacem facit: sicut Sapiens dicit de propria voluntate, quòd tantum virtuti adiicies, quantum propriæ voluntati detraxeris. Qui vult venire post Christum, debet abnegare semetipsum: iuxta verbum Domini Matthæi 16. & quantum ad proprium sensum, & quantum ad propriam voluntatem. ¶Fides primogenita est inter virtutes: ideo merito à Deo benedicta. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20. & Luc. 16. Beati oculi qui vident quæ non videtis: quod de visu fidei intelligendum est. Galat. 3. Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham: propter prædicta nõ est mirum, si fides Deo placet. ¶Diabolo verò multum displicet: nec mirum, quum ipsa ei cultum

cultum & honorem, qui ei in mũdo exhibebatur, abstulerit: ipsa diabolum expulit ab hominibus, & quantũ ad animas, & quãtum ad corpora. Act. 15. Fide purificans corda eorum. Marc. vlti. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient. hæc est quæ diabolo resistit. 1. Petr. vlti. Cui resistite fortes in fide. Ipsa est scutum, ignea tela inimici extinguens. Ephes. 6. In omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela inimici ignea extinguere. Ipsa est lorica totum hominem interiorem à diabolo protegens. 1. Thessalon. quarto: Sobrij simus, induti loricam fidei. Ipsa caput serpentis infernalis, quod est error vel infidelitas, conterit. Gene. 3. Ipsa conteret caput tuum. Eccle. 25. Non est caput nequius super caput colubri. Sicut caput noui hominis fides, scilicet diligentissimè custodiendum est, secundum illud Matth. capit. decimo: Estote prudentes sicut serpentes: sic ad destruendum caput serpentis infernalis, scilicet errorem, maximè est conandũ. Et in primo peccato angeli, & in primo peccato hominis error videtur fuisse. Esaiæ 14. Ero similis Altissimo. Genes. 3. Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus &c. Fides diabolum de arce mentis expellit, ponens ibi vexillum Christum in cruce pendentem, quod multum diabolo displicet. Quum enim superbissimus sit, multum displicet sibi, quum ab arce mentis expellitur & cum vexillum illud exosum ei sit, eò quòd in cruce deiictus fuerit, hoc vexillum timet hostis sciens adesse regis præsentiam. Non enim dat regale vexillum exercitui, nisi rex præsens fuerit. Videns ergo illud, de victoria desperat, sciens se contra regem dimicare. Item quia diabolus in cruce deiictus fuit, multum timet crucem. Bernar. Nullus dæmon propè stare poterit, videns gladium in quo deiectus est: crucem scilicet. ¶Fides lux est, valde exosa latroni infernali. Io. 3. Qui male agit, odit lucem. Iob 34. de latronibus: Quum subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Ipse est vt falsus mercator volens homines decipere: ideò tenebras quærit. Et est velut deformis adulter, qui non vult se ad lucem ostendere. Iob 24. Oculus adulteri obseruat caliginem. ¶Fides oculus est quem coruus infernalis multum quærit eruere: sicut coruus visibilis primò currit ad oculum cadaueris. Nec mirum, quum fides diabolũ & eius insidias detegat. Sine fine hostis inuisibilis non videtur: & ideò non cauetur. Oculum fidei diabolus seruientibus sibi velat, ne videant quò ducantur, sicut solent oculi velari his qui ducuntur ad patibulum. Quidam senex dicit in vitis Patrum: quando operiuntur

oculi

oculi animalis, tunc circuit ad molendinum, alioquin non ambulat in circuitu molæ: sic diabolus si operuerit oculos mentis, in omne peccatum humiliat hominem. Iudic. 16. Sampson cæcutis oculis ad molam circuit. Fides est oculus dexter animæ, quo amisso homo ad pugnam inutilis est: ideò hostis inuisibilis fidem multum conatur destruere. 1. Reg. 11. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. Cuius intentio erat, quòd dextris oculis erutis, quum operirentur sinistri scuto, ipsi inutiles fierent ad pugnam. ¶ Fides diabolo non cessat contumeliam facere, ipsa ostendit eum nullius creaturæ dominum esse, & authorem totius mali, & propter culpam suam iam iudicatum. Ioa. 16. Princeps mundi huius iam iudicatus est: ideò non est mirum, si fides multum exosa est diabolo. ¶ Fides est valde vtilis homini: ipsa est lux tenebras infidelitatis expellens: vbi fides non est, tenebræ sunt. Exod. 10. Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. Et subditur: Vbicunque habitabant filij Israël, lux erat. ¶ Fides inter opera creationis prima est, in, minori mundo, homine scilicet, sicut lux in maiori mundo prima fuit. Genesi. 1. Post creationem cæli & terræ, subditur: Fiat lux, &c. ¶ Fides columna nubis est de Ægypto tenebrarum errorum intellectum potenter educens. Exod. 13. Fides columna est fulciens cor hominis. Vetus enim homo qui per ea significatus est habet caput tremulum, & oculos caligantes: sed fides viua, & oculum intellectus illuminat, & cordi vacillanti fulcimentum præstat. Est enim fides fida & salutaris credulitas. Bern. in 5. lib. de consideratione. In his quæ fidei sunt omnino cauenda est confessio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixúmq; est, fidei opinio reuocet in quæstionem. Opinio enim si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est. ¶ Et notandum quòd columna illa ex parte filiorum Israël lucida erat: ex parte verò Ægyptiorum, tenebrosa: sic fides fidelibus lux est, quam infideles tenebras reputant: maximè quãtum ad ea quæ pertinent ad incarnationem filij Dei: & liberationem generis humani. Ipsi sunt quasi noctuę lucem reputantes tenebras. Esaiæ 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Fides videtur eis stultitia, quum tamen sit vere sapientia. 1. Corint. 1. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Fides est lucerna, ad quam in nocte vitæ præsentis ambulatur. 2. Corinthior. 5. Per fidem ambulamus, & non per speciem. Augustinus in libro de Fide, ad Petrum: Si quis non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem. ¶ Fides cæteris virtutibus lumen ministrat. Ipsa est stella matutina, solem iustitiæ & intelligentiæ præueniens. Per eam oritur dies gratiæ, quem sequetur dies gloriæ. Ipsa est stella cardinalis nauigantibus per mare huius mundi, portam ostendens & patriã. Ipsa est stella reges spirituales ad Saluatorem adducens. Matth. 2. Ipsa est prima gemma in corona intellectus, quæ ex quinque luminibus fabricatur. Corona intellectus est lumen salubris cognitionis. Iob 31. Librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi. ¶ A sole intelligentiæ quasi quinque radij luminis viui fluunt super intellectum nostrum: scilicet lumen fidei, consilij, prudentiæ, intellectus, & scientiæ. Diuersitas verò horum luminum videtur sic posse ostendi. Anima ad tria habet comparationem: scilicet ad principium à quo est, scilicet ad Deum: & ad opera, quorum ipsa est principium: & ad ea quæ dant ei occasionem, vt sit principium eorum, instruendo scilicet eius intellectum, vel mouendo affectum siue volũtatem. Signa naturalia vel positiua intellectum instruunt: bona & mala inquantum talium, talia mouent affectum. Fides est lumen illuminans intellectum circa principiũ, à quo est anima, ostendens ei Dei maiestatem, & iustitiam, & misericordiam Dei in creaturas rationales. Donum verò cõsilij & virtus prudentiæ illuminat animũ circa opera quorum ipsa est principium. Ad consilium pertinet deliberare an aliquid sit faciendum. Ad prudentiam verò pertinet prouidere, vt opus fiat eo fine quo debet, & vestire illud aliis debitis circunstantiis: prudentia verò prouidere debet vt opus agenti sit fructuosum, Deo gratum, proximo lucens per bonum exemplum. Et sicut alterius scientiæ est cognoscere an expediat aliquem sanari, alterius verò cognoscere qualiter aliquis sit sanandus, quia primum pertinet ad theologiam, secundum ad medicinam: sic aliud lumen est donum consilij quàm prudentia. Donum verò scientiæ propriè pertinet ad bonum & malum, inquantũ mouent affectum nostrum. Vnde à tali materia denominatur. Gen. 2. Cùm dicitur lignum scientiæ boni & mali. Et eiusdem 3. Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Ad hoc donum pertinet cognoscere deceptiones, quas bona præsentia, & mala quæ non sunt vera bona, vel vera mala faciunt hominibus. ¶ Tripliciter fallunt homines bona temporalia. Primò, quia faciunt eos credere quòd ipsa habeant suauitatem veram & magnam, cùm aliter sit. Sic falluntur voluptuosi. Eccl. 7. Inueni amariorem morte

te mulierem, hæc mulier voluptas carnalis est, & temporalis. Secundò faciunt credere quòd in eis sit copia, cũ in veritate exinaniant possessores suos. Luc.1. Diuites dimisit inanes. Tertiò faciunt credere, quòd sit honor quod est ignominia. Luc.16. Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Propter has deceptiones cupiunt homines non vera bona pro veris bonis. Fugiunt etiam mala pœnæ præsentis, quæ non sunt vera mala, pro veris malis, quæ sunt mala culpæ & mala futura. Ad donum verò intellectus pertinet cognoscere signa naturalia & positiua, scilicet creaturas quæ sunt quasi libri naturales, & sacramenta, quæ sunt quasi signa positiua, & situs, & formas, & ornatus ecclesiarum, & ministrorum, & habitus religiosorum, & similia, inquantum pertinent ad salutem animarum. Quæ significatio præcipuè est ratione similitudinis. Verbi gratia: Homo per terram significatur ratione similitudinis, vt intelligat homo se ad modum terræ esse sterilem, nisi excolatur, & quòd super nihil temporale debet esse fundatus: sed Deo inniti, & quòd super irrigari debet rore gratiæ & pluuia doctrinæ. ¶Item fides est initium vitæ spiritualis. Per fidem enim habitat Christus in cordibus nostris. Ephe.3. Qui vita est, vt ipse ait Ioan.14. Et sicut vnumquodque vitiũ mors spiritualis est: sic vnaquæque virtus vita est. Vnde dicitur Roma.7. de prudentia spiritus quòd vita est. ¶Fides vita est intellectus. Est enim viuus radius à vero sole procedens, sufficiens ad producendum fructum boni operis, sicut arbor viua fructus ex se producit. Ipsa etiam est causa residui vitæ spiritualis. Ipsa causa amoris est, qui dicitur vita animæ. Vnde super illud Gala.5. Fides quæ per dilectionem operatur: dicit gloss. Opus fidei dilectio est. Bernard. ad fratres de Monte Dei: Vita animæ amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, Spiritussanctus format & viuificat, lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat, & illuminat. Amor Dei dici potest vita: quia opera bona ideò sunt Deo accepta & remuneratione digna, quia ex amore Dei processerunt, & in hoc attendi potest vita eorum. Fides ergo causa est dilectionis, & per dilectionem causa est operum. Vnde ipsa est prima pars vitæ gratiæ, & causa totius residui vitæ. Ideò bene dicitur Roman.1. & Hebræ. 10. quòd iustus ex fide viuit. Et Galat.2. In fide viuo filij Dei. Vita etiam gloriæ ex fide erit. 1.Io.5. Vitam habebitis æternam, qui creditis in nomine filij Dei. Extra fidẽ nihil viuit: in mari mortuo nihil viuere potest, sed ante faciem fidei ibit mors. Habac.3. Ipsa est lux quæ oritur his qui sunt in vmbra mortis, &c. Esa.9. Habit

Habitantibus in regione vmbrę mortis, &c. ¶Ante faciem eius ibit triplex mors. Prima mors culpæ. Prouerb.5. Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Galat.2. Ex operibus legis non iustificatur homo, nisi per fidem Iesu Christi. Roman.1. Iustificati igitur ex fide, &c. Actuum 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. In hoc omnis qui credit iustificatur. Secunda est mors temporalis, quæ in portam vitę æternæ per fidem conuertitur. Augustin. 13. libro de Ciuitate Dei: Tantam Deus fidei gratiam præstitit, vt mors quam constat vitæ esse contrariam, instrumentum fieret per quod trãsiretur ad vitam. Ioan.11. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet. Intell. Credens etiam mortuus viuit, sicut non credens etiã viuus mortuus est. Tertia mors æterna. Vnde Ioann.11. Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. ¶Item fides est initium salutis humanæ, vt dicit August. Et causa totius salutis est aspectus ille Christi in cruce exaltati, qui sanat à morsu serpentum infernalium. Ioan.3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hoc significatum est Numeri 21. Roma.10. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quia Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris. ¶Fides est fundamentum omnium bonorum: vt dicit August. Vnde videtur ruinam quærere, qui sine ea vult ædificare. Romano.11. Tu autem fide stas. 1.Corinth.16. Vigilate & state in fide. Eccles.2. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Etaiæ 7. Si non credideritis, non permanebitis. In fide stabile est ædificium: cum fides in aliquo destruitur, funditus bonum in eo destruitur. Seneca: Nihil retinet qui fidem perdidit. Qui sine fide est, omni vero bono vacuus est. Vnde de quodam Iudæo, qui propter defectum hospitij in templo Apollinis iacebat, dæmones qui ibi conuenerant requisiti à magistro suo, quis ibi iaceret i Responderunt, Vah vah, vas vacuum, sed signatum, vt refert Gregorius in dialog. Ille non habebat fidem Christianam: sed signabi in nocte impresserat signum crucis, quia viderat Christianos sic facientes: vnde cùm non haberet veram fidem, vacuus erat omni bono. ¶Item fides est radix omnium bonorum. Cæteræ virtutes sunt radices suorum operum: sed ipsa est radix cæterarum virtutum. Si hæc radix auellatur, cæteræ virtutes arescunt. August. super Ioann. Sicut in radice arboris nulla prorsus appa-

ret ſpecies pulchritudinis & decoris:& tamẽ quicquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit:Sic ex fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid vel beatitudinis anima ſuſceptura eſt, procedit. Item Gregorius: Sicut rami ſine radice virtutis areſcunt:ita quælibet opera, licet bona videantur, nulla ſunt ſi à fidei ſoliditate diſiunguntur. ¶Fides hominem filium Dei efficit.Galat.13.Omnes filij Dei eſtis per fidem. Ioann. 1.Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c.1.Ioann.5. Omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Auguſtinus de fide ad Petrum: Sine fide nemo poteſt ad filiorum Dei numerum peruenire. ¶Fides eſt quæ viam oſtendit regni.Vnde Auguſtinus ſuper illud Romanorum 3. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem.Bona ante fidem inania ſuntuta enim mihi videntur eſſe vt magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet verè bona opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, verè bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Idem de fide ad Petrum:Sine fide omnis labor hominis vacuus eſt. Tale quippe eſt, vt ſine vera fide quiſque velit Deo placere: quale ſi quiſque tendens ad patriam in qua ſcit ſe bene victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus ſectetur errorem quo non ad beatam vitam perueniat, ſed in præcipitium cadat, vbi non gaudium peruenienti detur, ſed cadenti interitus inferatur. Idem: Si bona videbantur antequam crederes,currebas quidem: ſed præter viam currendo, errabas potius quàm perueniebas. ¶Item fides videtur eſſe mater cæterarum virtutum genitura:vt tangit gloſ.interli.ſuper illud Matth. 1. Abraham genuit Iſaac, &c. ¶Item fides habet primum congreſſum in bello ſpirituali:ſecundum illud Prudentij:Prima petit campum dubia ſub ſorte duelli, Pugnatura fides. ¶Fidei in ſcriptura ſacra ſpecialiter victoria adſcribitur. Vnde de ſanctis dicitur Hebr.11.quòd per fidem vicerunt regna. Vicit fides & regnum inferni,& regnum cæli,& regnum mundi.Regnum inferni vicit,quum fidelibus Chriſtus contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit:& quotidie infernum vincit,dum oratio fidelium animas à porta inferi eripit, & dum ignem infernalem quantum ad eos qui verè fideles efficiuntur,extinguit.Legitur etiam de beato Gregorio, quòd eum quodã tempore ante palatia Traiani,qui Imperator fuerat tranſiret: recordatus clementiæ eius,amariſſimè flere cœpit,& pro eo tandiu ante altare ſancti Petri flens orauit,donec obdormiuit,& ad eum dormiẽtem vox dixit, Traianum precibus eius à pœnis infernalibus liberatum:ſed de cætero caueret, ne pro aliquo infideli defuncto orare præſumeret.Regnum cęli etiam vincit:quia quaſi quadam violentia illud acquirit. Per fidem enim ſancti adepti ſunt repromiſſiones. Hebræ.11.Pet.1.Reportantes finem fidei ſalutem animarum veſtrarum.Item vincit mundum.1. Ioann.5.Hæc eſt victoria quæ vincit mundum,fides noſtra.Fides vincit mundum in quibuſdam mundum ſubiiciendo,in aliis eũ abiiciẽdo.Subiiciendo vincunt mundum,qui remanentes in mundo terrena ſibi ſubiiciunt, & dominantes eis faciunt quodammodo ſe altiores, & ad impugnandum inimicum potentiores. Faciunt enim inde largas eleemoſynas. Qui modus impugnandi diabolum valde efficax eſt. Vnde ſuper illud Pſalm. Miſericordia mea,& refugium meum.dicit Auguſtinus: De nulla re ſic vincitur inimicus diabolus, ſicut de miſericordia. Et Eccleſi. 29. dicitur de eleemoſyna: Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit. Econtrario cupidi & auari non ſibi terrena ſubiiciunt, ſed potius ſe terrenis, ſuper humeros ſuos ponentes ea quæ malè acquirunt, & quaſi ſe vino ſepelientes,ſimiles talpæ ſuper humeros ſuos ponenti terram quam fodit. Secundò modo vincunt mundum, qui rebus mundi pro amore Chriſti renuntiant, qui ad modum luctantium ſe terrenis ſpoliant, ne diabolus habens quo eos teneat, deiiciat eos & deuincat.Luc.14. Omnis ex vobis qui non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Fides vincit mundum,id eſt,ea quæ ſunt in mundo:ſcilicet diuitias, delitias, & honores.Diuitias vincit,dum oſtendit corpus noſtrum latronem eſſe morti condemnatum: de quo patet quòd non decent eum deliciæ. Senec. Omnes capitali ſupplicio condemnati ſumus. Eccleſi.33. Seruo maleuolo tortura & compedes. Eſaiæ 11. Et erit fides cinctorium rerum eius. Diuitias vincit,dum oſtendit eas eſſe in muſcipulam diaboli.Auguſt.Præda quam vis rapere, in muſcipula eſt:tenes alienum, & teneris à diabolo. Item diuitias vincit,dum æternas longè meliores eis oſtẽdit. Hebræ. 10. Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. 1. Timoth.vlt.ſuper illud, Sectare iuſtitiam,pietatem,fidem.dicit glo.Qui veram fidem de Deo habet,non cupit in miſeriis ſeculi diues fieri:nec pluris eſt ei mundus, quàm Deus. Gregorius:Vileſcunt temporalia,dum conſiderantur æterna: honores vincit, dum plenos confuſione eos eſſe oſtendit.Phil.3.Gloria in cõfu-

sione eorum qui terrena sapiunt. Bernar. Omnis purpura illusionis est, postquam Domino in purpura illusum est. Hęc tria Moyses fide vicit. Vnde ad Heb. 11. Fide Moyses factus grandis, negauit se filium esse filiæ Pharaonis: ecce contemptus honoris: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: ecce contemptus deliciarum: maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: ecce contemptus diuitiarum: aspiciebat enim in remunerationē. De hac victoria mundi dicitur 1. Io. 5. Quis est qui vincit mūdū, nisi qui credit quoniā Christus est filius Dei viui? quod intelligēdum est de illo qui hoc credit fide viua. De fide enim mortua dicit Ber. Nec mirū videri potest si nequaquā vincit fides, quæ nec viuit. ¶ Et notādum quòd mūdus quasi duabus manibus nobiscū pugnat, scilicet dextera prosperitatis, & sinistra aduersitatis, prosperis scilicet alliciens, & aduersis terrens: quem ille vincit qui credit quòd Christus est filius Dei. Qui enim hoc credit, cum filius Dei fuerit summe bonus, nouit quoniam in ipso non fuit defectus veri boni, nec præsentia veri mali. Vnde cùm in eo tēporalis prosperitas defuerit, & aduersitas affuerit, cognoscere potest, quòd temporalis prosperitas non est verum bonum, nec temporalis aduersitas verum malum: vnde nec illa est appetenda, nec ista timenda. Augusti. Omnia bona terrena contempsit homo Christus, vt conténenda monstraret, & omnia mala terrena sustinuit quæ sustinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. ¶ Idē: Fides regna vincit faciēdo ne peccatum in nobis regnet. Rom. 6. Nō regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Fides est scutū triangulare quo circundat nos veritas Dei. Vnus angulus est fides de pœnis æternis. Alius de bonis æternis. Tertius fides Christi mediatoris. Fides ostendit iis qui sunt in pugna spirituali ex vna parte regnum eis paratū, si vicerint, ex alia parte patibulū infernale eis paratū, si victi fuerint: & sic causa est strenuè pugnandi & vincendi. Bernar. Quid est quod non optamus etiam per medios enses, si oporteat declinare tantam miseriam, ad tantam accelerare gloriā, nisi quòd mortua est fides nostra? ¶ Fides ostendit Christum pugnātibus. Et hoc tripliciter. Primò vt strenuū ducē strenuè agendi exemplum dantem. Secundò, vt fortissimum adiutorem. Tertiò, vt liberalissimum remuneratorē. Primo modo ostēdit ipse se Apostolis, cùm essent clausi in domo propter metum Iudęorū ostēdens eis manus, & latus. Lucæ vlti. Et Ioan. penulti. & 16. Confidite

fidite, ego vici mundum. Thre. 3. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Augusti. Magna consolatio membris ex capite. Gregor. Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeò durum quod non æquo animo toleretur. Hebr. 12. Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Secundo modo ostendit se Christus Stephano pro eo lapidando, qui vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris eius, tanquam paratum ad adiuuandum. Act. 7. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Iosue 1. Confortare, & esto robustus, noli metuere, & noli timere, quia tecū est Dominus. Iob 17. Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Fides ponit Deum iuxta hominem, imò infra hominem. Per fidē enim habitat Deus in cordibus nostris. Vnde ipse pugnans in homine triumphat. 2. Paral. 20. Non est pugna vestra, sed Domini. Et pòst: Non eritis vos qui dimicabitis: sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. Bernar. Quoties tentationibus resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus: noli in te, sed magis in Domino gloriari: quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Tertio modo ostendit se Deus Abraham, Genesis decimoquinto. Noli, inquit, timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Augusti. Labor te terret, vide mercedem. Berna. Vtrunque mihi es Domine Iesu, & speculum patiendi, & premium patienti: fides determinat nobis & locum pugnæ spiritualis, & tempus. De loco dicit Ber. In mundo isto quasi in stadio certaminis positi sumus, vbi Christus mortuus est. Quisquis ergo hic liuorē vel plagā non susceperit, in futuro iudicio miles inglorius apparebit. Tēpus vero militare est tēpus præsentis vitæ. Iob. 7. Militia est vita hominis super terram. Fides ostēdit hostes cū quibus pugnare habemus, & modum pugnādi quem habēt. Fides etiam ostēdit & Deum, & angelos bonos, & malos aspiciētes certamen nostrum. Boni aspiciūt, vt si vicerimus gaudeāt: mali, vt si victi fuerimus, irrideāt. 1. Cotin. 4. Spectaculum facti sumus mūdo, & angelis, & hominibus. Homo sine fide est quasi homo cæcus, qui pugnat cū videte. ¶ Fides radix sapientiæ. Ecclesiast. 1. Gregorius vocat eam sapientiam in primo Moralium: Fides est sapientia illa quam nō vincit malitia. Sapient. 7. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter. A fine inquam cogitationis vsque ad finem operis. Fides

enim ostendit cogitationem malam esse velut caput serpentis infernalis, cui fortiter resistendum est. Hieronim. Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, statim totus illabitur. Item, fides attingit à fine, id est, à creatione mundi, vsque ad finem: id est, vsque ad extremum iudicium. Per beneficium creationis inuitans homines ad Dei seruitium, & per districtionem iudicij exterrens à Dei offensa. Item fides attingit à fine vsque ad finem, à cœlo scilicet vsque ad infernum, à delectationibus transitoriis separans homines amaritudine suppliciorum infernalium, & amaritudines quæ occurrunt in seruitio Dei dulcorans magnitudine præmiorum. Greg. Si dulcia quærimus, necesse esse vt amara toleremus. Ecclesiast. 1. Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis. Sic sapientia disponit omnia suauiter guttas amaritudinum præsentium immensa dulcedine futurorum bonorum condiens. Fides, dicit illud Esaiæ 38. In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. nunc habitat in cælo, nunc in inferno. Ipsa descendit in infernum viuens, ne descendat moriens. Fides triumphat de vitiis, alia aqua lacrymarum submergendo, alia igne infernali exurendo, alia fame ieiuniorum & aliis afflictionibus effugādo, & sacerdoti ea exponendo, vt præ erubescentia & confusione ab homine recedant. Fides à Deo fortitudinem recipit. 2. Paralipo. 16. Præbet fortitudinem his qui perfecto corde credunt in eum. Fide Deus ab hostibus protegit. Eiusdem 20. Credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis. Item à periculis eripit. 1. Machabæorum. 2. Ananias, Azarias, Misaël credentes liberati sunt de flāma. Fides miracula facit. Marci 16. Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo &c. Matthæi 17. Si habueritis fidē sicut granum sinapis, dicetis monti huic, trāsi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Et Marc. 12. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Ioan. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horū faciet. Hebræorū 11. Fide transierunt mare rubrū tanquam per aridam terram. & pòst: Fide muri Iericho corruerunt. Matthæi 9. Fides tua te saluam fecit: dictum est mulieri patienti fluxum sanguinis. Et Marci 10. dictum est cæco, Vade, fides tua te saluum fecit. Etiam fidei informi fiunt miracula. Vnde cùm Alexander venisset ad montes Caspios, & petiissent filij captiuitatis x. tribuū licentiam egrediendi ab eo, ipse cognita causa inclusionis eorū, quòd scilicet recessissent apertè à Deo Israël vitulis aureis immolando, & per prophetas Dei prædictum eos à captiuitate non redituros respon-

respondit quòd arctius includeret eos. Cúmque angustas vias eorum obstruere vellet molibus bituminatis: videns laborē humanum non sufficere, orauit Deum Israël vt opus illud compleret: & accesserunt ad se inuicem prærupta montium, & factus est locus immobilis. Et vt ait Iosephus, Deus quid facturus est pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infideli? Etiam fides informis triumphare facit. Sicut videtur accidisse Alexandro, cui per somnium Deus apparuit in habitu summi sacerdotis, dum adhuc Alexander in Dio ciuitate Macedoniæ esset constitutus: dūmque cogitaret vtrum Asiam posset obtinere, iussit eum confidere: nam ipse exercitum eius perduceret, & principatum Persarum ei traderet. Qui promissioni eius credidit, & secundum fidem suam factum est ei. Vnde cùm ipse Alexander iratus Iudæis veniret Hierosolymam, & pontifex Iudæorum præcepto domini pontificalibus indutus, & reliqui sacerdotes cum eo legitimis stolis induti obuiam exirent ei extra ciuitatē, Alexander intuens antistitem pontificali stola insignem, & super cidarim laminam, in qua scriptum erat nomen Domini, descēdit de equo, & adiit eum solus, & nomen Domini adorauit, & pontificem veneratus est. Et obstupuerunt principes exercitus putantes mentem regis ludificatam. Solus Parmenio quæsiuit ab eo, cur sacerdotem gentis Iudææ adorasset: respondit, Non hunc adoraui, sed Deum, cuius principatum sacerdos gerit: nam per somnium in tali habitu Deum conspexi. ¶ Item fides vsque ad Deum attingit. Vnde August. Fides est res audax & improba, perueniens quò non pertingit intelligentia: ipsa ascendit super Cherubin, & volat super Seraphin senas alas habētia. Esaiæ 6. Bernar. Quid non inueniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa apprehēdit nouissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circunc ludit. ¶ Fides est virtus probata, quæ corripit insipientes. Sapi. 1. Ipsa est communis via salutis, & sapientibus, & insipientibus: ipsa in fornace præsentis tribulationis non læditur, sed meliora tur. 1. Petr. 1. Vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro quod per ignē probatur. Ipsa ordinat & regit totā vitā præsentē. Vnde Apostolus Heb. 11. Opera antiquorū patrū quibus vel Deo placuerunt, vel hominibus mirabiles extiterunt: fidei attribuit, exempla ponens de diuersis libris Veteris testamenti. Apocalyp. 13. Hæc est patientia & fides sanctorum. Et hæc de commendatione fidei sufficiant: licet multa ad eius laudē pertinentia deficiant. Apostolus ad Heb. 11. laudes fidei non compleuit. Deficiet

inquit tempus me enarrantem de Gedeon &c. Vnde non est mirum si nos eas non expleamus.

De Articulis fidei. CAP. V.

SEquitur de Articulis fidei. Sunt autem articuli modicæ partes fidei, prout fides nominat ea quæ creduntur: sicut articulos dicimus modica membra in corpore humano. Arctamur ad articulos credendos: & ipsi crediti arctant nos ad timorem Dei, vel amorem, vel aliam affectionem in Deum. ¶ Et notandum quòd non omnia credenda dici possunt articuli fidei. Sunt enim quædam quæ fidem antecedunt, vt quæ sunt iuris naturalis, sicut est hoc, quòd proximo non est nocendum. Quædã verò consequuntur fidem: vt antichristum esse futurum. Et licet tam hæc, quàm illa sint credenda, tamen nõ sunt articuli fidei, vt videtur quibusdam, quòd non sint articuli nisi sint de Deo. ¶ Item notandum quòd inter credenda quædam sunt de Deo, quædam de aliis. Inter ea verò quæ sunt de Deo, quædam sunt de Deo sine respectu creaturarum, quædam de Deo per respectum ad creaturas. Quæ sunt sine respectu creaturarum, sunt vnitas essentiæ, singularitas in nobilitate, & supereminẽtia: contra quæ blasphemauit Manichæus ponẽs duo principia, bonorum scilicet & malorũ, & duos principes lucis & tenebrarũ, & duo regna, æternitas, simplicitas, immutabilis personarum Trinitas, & earũdem æqualitas, hæc sunt quasi septem stellæ in dextera Christi. Apoc. 1. Fides enim illuminans circa ista septem, donum Christi est. Inter ea verò quæ dicũtur respectu creaturarum, principalia sunt Dei potentia, sapientia, bonitas vel benignitas. Consequentia verò ad hæc sunt, creatio, recreatio, & similia. Ex apprehẽsione verò potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, oriuntur quasi omnes partes diuini cultus. Ex apprehensione diuinæ potẽtiæ, adoratio & veneratio. Ad adorationem pertinent humiliatio nostra exterior vel interior, qua recognoscimus nos subesse Deo ad saluandum vel perdẽdum iure pleniſſimo. Exterius fit hæc recognitio in curuatione, genu flexione, prostratione, & cum exprimimus verbo nostrã subiectionem ad dominatiſſimam potẽtiam Dei. Interius verò fit hæc recognitio, dum cogitamus prauitatem nostram diuinæ maiestati subiectam. Ad venerationem verò pertinet, quòd ad Deum nos nisi loti præsumimus accedere, vel sacra loca intrare, vel sacra contrectare. Item ad eandem pertinet sacrorũ locorũ decor, vasorum & ornamẽtorum & illuminarium apparatus, & celebritas diuini officij. ¶ Ex sapientia verò Dei cuncta lucidè intuente oriuntur timor & pudor, & solicitudo declinãdi ea quæ Deo displicent

splicent, & quærẽdi ea quæ Deo placent. ¶ De bonitate vero primo oritur amor: & si referatur bonitas ad operationes, quatuor sortitur nomina. Primò vocatur gratuita beneficẽtia, inquãtum gratis tribuit bona sua. Secundò misericordia, inquantũ tollit vel lenit mala nostra. Tertiò iustitia, inquantũ vlciscitur mala. Quartò, largitas remunerans obsequia. ¶ Ex bonitate Dei primo modo nominata oriuntur quatuor partes diuini cultus ex radice vnius virtutis procedentes, quæ dici potest gratitudo vel deuotio. Prima pars est gratiarum actio. Secunda benedictio, seu bonorum imprecatio. Tertia laudatio. Quarta glorificatio, quę est beneficiorum Dei prędicatio ad alios. ¶ Ex misericordia verò oriuntur multæ partes diuini cultus procedentes ex radice vnius virtutis, quæ est spes veniæ vel gratiæ. Prima pars est deprecatio pro malis tollendis vel leniendis. Secunda oratio pro bonis obtinendis. Tertia afflictio, vt ieiunium. Quarta, eleemosyna. ¶ Ex iustitia per donum timoris oriuntur, pœnitentia de præteritis & cautela à malis futuris inquantum referuntur ad fugiendam diuinã vltionem. ¶ Ex largitate obsequia remunerante oritur spes remunerationis, ex qua est omnis diuinus cultus, inquantum via est ad mercedem æternam. ¶ Inter credenda verò quæ sunt de aliis rebus à Deo, Primum est, quòd nihil numinis est in aliis rebus à Deo. Secundum, mundi inchoatio cum vniuersis quæ de eo sunt. Tertium, creatio animarum in corporibus. Quartum, earum immortalitas. Quintum, singularitas corporũ contra pluritatem Pythagoricam. Sextum, resurrectio corporum. Septimũ, loca tormentorum futurorum, scilicet infernus & purgatoriũ. Octauum, sacramenta. Nonum, gratia. Decimum, liberum arbitrium. Circa ista inueniuntur errores. ¶ Item notandum quòd articuli fidei collecti sunt in tribus locis, scilicet in Symbolo Apostolorum, quod dicitur submisse, & in illo Symbolo quod cantatur in Missa, quod à sanctis compositum est: & in Symbolo Athanasii, quod cantatur ad primam, scilicet, Quicunque vult. Primũ factum fuit ad instructionem Ecclesiæ, quando nouella erat. Aliud pòst, hæresibus ortis, ad explanationẽ primi, & expugnationem quarundam hæresum ortarum, & maximè contra illam quæ dicebat adorationem Spiritui sancto non esse tribuendam, vnde contrarium multum exprimitur in illo Symbolo. Tertium verò factũ fuit contra alias hæreses, & maximè contra illas quæ erant contra incarnationem Filii, & resurrectionem mortuorũ. Primum ideò dicitur submisse: quia quando factum fuit, non ita publicè fiebat fidei protestatio. Alia verò duo alta voce:

quia

quia facta fueruut cõtra hæreticorum proclamationem, & quia tunc publica erat fidei protestatio. Primum Symbolum dicitur ad primã, & ad cõpletorium, duplici ratione. Primò, quia altera harum horarũ principiũ dici est, altera noctis. In principio ergo diei, & in principio noctis dicitur, Credo in Deum: quia fides est principiũ omnis boni. Secundo, quia fidei professio valet ad effugandos dæmones qui diurnis & nocturnis actibus insidiantur, & eisdem horis, eisdem rationibus à laicis fidelibus dicendum esset. A religiosis tamen dicitur quando frater morti appropinquat ad dæmones effugandos, qui fini hominis insidiantur, secundum illud Genes. 3. Tu insidiaberis calcaneo illius. ¶ Possumus autẽ distinguere Symbolũ Apostolorum in duodecim articulos, sicut duodecim fuerunt Apostoli, qui cõposuerunt. Fides verò horum duodecim articulorum est velut corona duodecim stellarũ in capite sponsæ: in intellectu scilicet. Apoc. 12. ¶ Primus articulus pertinet ad Patrẽ, sex sequẽtes ad filium. Primus illorũ est secundũ deitatẽ, quinque alii secundũ humanitatẽ, & quinque vltimi pertinent ad Spiritumsanctum. Primus articulus est. Credo in Deũ Patrem omnipotentẽ creatorẽ cæli & terræ. Et notandum quòd non est idẽ credere Deo, & credere in Deum. Deo credit, qui credit esse vera, quæ ab eo dicuntur: & hoc modo possumus dicere quòd aliquis credit Petro & Paulo. Credere in Deum, est credendo diligere, & credendo in eum ire. Vnde glos. Augu. super illud Rom. 4. Credenti in eum qui iustificat impium &c. Quid est credere in Deum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & mẽbris eius incorporari. Fides ostendit homini Deũ esse summũ bonum: ideo gressu amoris & boni operis habens fidem tendit in Deum. Ex iam dictis patet, quòd ille qui in peccato mortali est, mentitur, cũ dicit, Credo in Deũ, si intendit illud dicere in propria persona. Aliud est si intendat hoc dicere in persona Ecclesiæ fidem eius profitendo. Ad declararionem verò huius verbi, Credo in Deum, additur in. Symbolo sanctorũ, vnum, cũ dicitur, Credo in vnum Deum. Sequitur, Patrem omnipotẽtem. Omnipotentia in tribus attenditur, scilicet in amplitudine potentiæ: potest enim quæcunque vult facere. Secundò in hoc quòd ad agendum nullo indiget. Tertiò in hoc quòd à nullo prohiberi potest. Et attende hanc coniunctionem, Patrem omnipotentẽ, valde dulcem esse verè fideli. Patri enim non deest bona voluntas ad filios, præcipuè patri misericordiarũ, qui minus obliuiscetur filiorum suorum, quàm mater. Esaiæ 49. Omnipotenti verò non deest potestas implẽdi illam bonam voluntatem. Patris omni

omnipotentiam non videntur credere, qui relicto Deo adhærent diabolo, credentes se fame morituros, si Deo seruierint: quasi diabolus vel melioris voluntatis vel maioris potestatis sit ad prouidendum his qui sibi seruiunt, quàm Deus. Sequitur, Creatorem cæli & terræ. Creare est de nihilo aliquid facere. Ad declarationem huius verbi, dicitur in Symbolo sanctorũ, Factorẽ cęli & terræ, visibiliũ, & inuisibilium. Quæ expressio facta est contra illam hæresim, quę dicit visibilia esse à principe tenebrarũ, inuisibilia verò à Deo. ¶ Secundus, articulus est, Et in Iesum Christũ filium eius vnicum, Dominum nostrũ. Et est sensus: Credo &c. id est, fide tẽdo in Iesum Christum, fidem habeo de ipso, quòd ipse sit Iesus, id est, saluator eorum qui ei adhærẽt, ideo ei adhæreo. Et iterum quia fidẽ habeo quòd ipse sit Christus: id est, vnicus, & benignus. Bernardus: Omnino propter mansuetudinẽ quæ prædicatur in te, currimus post te Domine Iesu, auditis quòd pauperes non spernas, peccatores nõ horreas. Itẽ credo quòd sis filius Dei, cui seruire, honor est. In hoc quòd dicitur filius Dei, insinuatur quòd ipse sit Deus. Sicut enim filius hominis homo est non alterius speciei: sic filius Dei Deus est. Sequitur, Vnicũ Dominũ nostrũ. Christus Dominus noster est duplici iure, scilicet iure creationis & iure redẽptionis. Creatura necessariò est creatoris, cùm eam gratis fecerit & ex nihilo. Tribus de causis aliquis habet ius in re, quæ fit, vel quia eam facit, vel quia pretio eius fit, vel quia materia ex qua fit ipsius est: sed nulla harum causarũ aliquod habet dominium in creatura, nisi creator. Contra vniuersale dominium Christi peccare videtur, hi qui volunt dominari, & qui cõtra voluntatem Dei terrenis dominis nolũt obsequi. Qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi. Ille solus pro domino habendus est, qui suscitare potest hominem, si in eius seruitio mortuus fuerit. Non libẽter sequitur miles dominum illum qui non potest ei restituere equũ suum, si in seruitio eius eum amiserit. ¶ Primus inter articulos pertinentes ad filii humanitatem est hic. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Christus conceptus est de Spiritusancto: id est, Spiritussancti operatione: quia Spiritussanctus separauit à beata Virgine quod purissimum erat in ea, & formauit inde corpus Christi, & instãti animam infudit, vt tam citò esset verus homo & verus Deus. Non fuit anima infusa circa 40. diem à conceptione, sicut dicitur fieri in aliis. Imò fuit vir ab ipsa conceptione. Hierem. 31. Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum &c. Christus in conceptione culpam cauit, in natiuitate verò matri suæ

tri suæ damnum virginitatis nõ intulit, nec ei doloris causa fuit. Mansit enim mater eius virgo post partum, & sine dolore eum peperit:in quo dedit exẽpla aliis vt benignè sese habeãt erga matres suas, nec sint eis causa doloris vel depauperationis. ¶ Secundus articulus pertinẽs ad humanitatem est, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Attẽdere debet fidelis quanta pro eo sit passus, & à persona quæ indigna erat etiã vita, cùm esset infidelis. Crucì etiam affixus est, quod erat vilissimum genus tormentorum, in qua perseuerauit vsque ad mortem, vt fideles à cruce pœnitentiæ ad suggestionem diaboli non descendant. Sepultus est, licet corpus eius non esset dandum corruptioni, secundum illud, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Volens in ista absconsione aliis assimilari. ¶ Tertius articulus pertinens ad humanitatem, est, Descendit ad inferna: & hoc secũdum animam: vt extraheret suos qui in limbo erant. Et attende peruersitatem hominis qui non vult Christum sequi in cælum, qui hominem secutus est in infernum. ¶ Quartus est, Tertia die resurrexit à mortuis. Si Christus mortuus sua virtute resurrexit: verisimile est quòd ipse iam viuens mortuos suscitare posslit. ¶ Quintus est, Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Si Christus ascẽdit in cælũ, ascendent post eum qui ei adhærent. In eodem enim hospitio membra recipientur, in quo caput receptum est. Christus secundum quòd homo, sedet à dextris Patris, quia est in potioribus bonis eius: secundum verò quòd Deus est, conregnat æqualis ei, vt tangit Glo. super illud Psalm. Sede à dextris meis. Christus sibi & suis ad dexteram Patris locum elegit: quia in dextera sunt delectationes eius vsque in finẽ. Inde vẽturus est iudicare viuos & mortuos: id est, bonos & malos, vel illos qui in aduentu suo viui reperientur, qui in momento morientur, & postea resurgent, & illos qui prius erant mortui. Magna fiducia erit fidelibus, quòd frater eorũ iudicabit. Ioan. 5. Pater non iudicat quenquã, sed omne iudiciũ dedit filio. ¶ Primus articulus pertinẽs ad Spiritũsanctũ est, Credo in Spiritũsanctũ, sanctã Ecclesiã catholicã. Credo: id est, fide tendo in Spiritumsanctum. Qui fidẽ habet quòd Spiritussanctus magnæ bonitatis & suauitatis sit his in quibus habitat, præparat se ad hoc quòd sit eius habitaculum, hic per gratiã, in futuro per gloriã. Sap. 12. O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in nobis. Eccl. 24. Spiritus meus super mel dulcis. ¶ Ad spiritumsanctũ tria pertinent vt in præsenti, & duo in futuro. Cùm enim ipse sit bonitas, ad eũ pertinet

nec destructio malitiæ: bonitas enim contraria est malitiæ. Vnde ad eũ pertinet sanctificatio, ideò dicitur, Sanctam Ecclesiã catholicam. Et pertinent ad eundem articulum hæc duo, Spiritumsanctum, sanctam Ecclesiã catholicã. Credere enim debemus, quòd Spiritus ipse sanctus sit, & quòd Ecclesia sancta sit ab eo. Item ad Spiritumsanctum pertinet sanctorum cõmunicatio: vnio membrorum in corpore Ecclesiæ & ad caput & ad inuicem: sicut spiritus humanus in corpore humano membra vnit, cuius vnionis signum est sacramentum Dominici corporis. Item ad Spiritumsanctũ pertinet communio quam habent sancti ad inuicem in hoc quòd sunt socii in lucro. quod tangit Dauid, dicens, Particeps ego sum omnium timentium te, &c. In communione ergo sanctorum triã intelligamus ad quæ pertinet secundus articulus. Sacramẽtum communionis mystici corporis, quod est Ecclesia. Communionem sanctę societatis, ex qua accidit quòd qui libet qui est de Ecclesia, verè partẽ habet in omnibus bonis quæ fiunt in Ecclesia, per quam viam aliquis de facili ditatur. Ad quã etiam communionem sequi debet communicatio tam bonorum quàm malorum temporalium, vt mala proximorum nobis assumamus per compassionem, & bona nostra eis communicemus per eleemosynarũ largitionem. Item ad Spiritumsanctum pertinet remissio offensionum cum ipse sit benignitas ad quod pertinet tertius articulus, Peccatorum remissionem. Credere enim debemus, quòd peccata remittuntur in Ecclesia per baptismum & pœnitentiam & alia sacramenta: nec solùm semel remittit Spiritussanctus peccata homini: sed quotiescunque verè quis pœnitet. ¶ Ad bonitatem etiam Spiritussancti pertinet remuneratio tam in corpore, quàm in anima. Ad remunerationẽ corporis pertinet quartus articulus, Carnis resurrectionẽ. Ad remunerationẽ animæ quintus, Vitam æternam. Qui carnis resurrectionem fideliter credit, non timet miserum corpus exponere in seruitio Christi, ex quo sperat se recepturum illud cum quadruplici gloria claritatis, impassibilitatis, subtilitatis, & agilitatis. Item qui fidem habet de vita æterna, sollicitus debet esse quomodo illi prouideat. Si cum tãta sollicitudine prouidetur huic miseræ vitæ, de qua nemo certus est per diem: quãta sollicitudo debet esse prouidẽdi illi vitæ de qua certum est quòd erit æterna! ibi nec locus erit mendicãdi, vt manifestũ est in dite epulone Luc. 16. Et in fatuis virginibus. Matth. 25. Nec locus laborandi, nec aliquid mutuo accipiendi. In vita enim præsenti vix est aliquis, cuius paupertati non consulatur aliquo istorum

trium

trium modorum. Ibi verò qui sibi non prouiderit, egestatẽ æternam patietur, vt nec guttam aquę modicam habere possit. Et notandum quòd Aug. in libro de fide, ad Petrum, enumerat 40. firmiter credenda & indubitanter tenenda, quæ causa breuitatis hîc non posuimus.

De erroribus qui catholicæ fidei aduersantur. Et primò de errore illorum, qui negant Deum esse. CAP. VI.

SEquitur de erroribus qui fidei catholicæ aduersantur. Et primò dicetur de errore illo quem tangit Dauid, dicẽs: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. ¶ Et notandũ q; hi qui sunt in errore isto, omni bono sunt indigni, quia largitori omnis boni ingrati: vnde indigni sunt disputatione qua laborant ad destructionẽ erroris eorũ. ipsi meritò sunt à Deo despecti, quũ ipsi Deũ non reputẽt: & ideo à correctione sunt valde remoti. Eccl. 7. Cõsidera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit. Tum quia Dei misericordia immensa est, & quia scriptũ est, Respondе stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Prouerbio. 26. Ad extirpationem huius erroris aliqua dicemus. ¶ Error iste non solũ est insipientia, imò insania. Quæ maior insania, quàm dicere, illud non esse quod causa est omnibus vt sint? Cum insano verò nemo solet philosophari ad destructionem errorum ipsius. Philosophus: Stultum est de quolibet contraria opinionibus proferente esse solicitũ. Item Philo. Nõ oportet omne problema nec omnẽ positionẽ desiderare: sed quã dubitabit aliquis indigentiũ rationis & nõ pœnæ vel sensus. Nam qui dubitat vtrũ oporteat Deum venerari, & parentes honorare, vel nõ, pœna indiget: qui autem vtrũ nix alba, vel nõ, sensu. Verè qui Deũ nõ agnoscũt, pœna indigent, vt qui in bonis positi non agnoscũt bonorũ omniũ largitorẽ, in malis positi agnoscãt. malorum liberatorẽ. Greg. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Esa. 28. Sola vexatio tantũmodo dabit intellectũ auditui. Hier. 16. secundũ aliam translationẽ: Per omne flagellũ & dolorẽ eruditis Hierusalẽ. Et Tob. 11. Recuperauit visum Tobias, cũ filius eius liniuisset oculos eius felle. Et 2. Mac. 19. Antiochus Deum recognouit in tormentis à Deo positus, dicens: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Pœna timorem incutit: timor verò initiũ sapientiæ est, Prou. 1. Qui in errore isto sunt, rusticissimi & ignobilissimi sunt: vnde verbis eruditi non possunt. Prou. 29. Seruus verbis erudiri non potest: quia quod audit, & respõdere contẽnit. Verè contẽptus siue voluntas in causa est, vel potius in culpa est, quòd tales non credũt Deũ esse. Animo

Animo enim inuito nihil facile suaderur. Ignobilis animi est & ingrati nolle agnoscere benefactorem suũ: nobilis verò animi est multũ desiderare agnoscere eũ à quo beneficia recipit. Sicut patet in paupere illo, de quo legitur in vita diui Nicolai: cui cùm S. Nicolaus multiplici iniectione auri in domũ eius paupertati ipsius cõsuluisset, proposuit deinceps vigilare, donec sciret quis esset qui aurũ in domũ illius tã cautè proiecisset. Patet ergo valde ingratos esse, qui negant Deũ esse à quo incessanter beneficia recipiunt, nec infinitis testibus hoc credere volunt. Tale est hoc acsi aliquis nollet credere ignẽ esse, à quo tamen incessanter vehementer calefierer. Psa. Non est qui se abscondat à calore eius. Bern. in lib. de diligendo Deũ: Inexcusabilis est infidelis, si non diligit Deũ toto corde, tota anima, tota virtute. Clamat intus ei innata iustitia; quia ex toto se illũ diligere debeat, cui totum se debere nõ ignorat. Idem: Infidelẽ vrget iustitia naturalis se totũ tradere illi à quo se totũ habet, & ex se toto diligere. Nullus est qui compos sit mentis suæ, qui nõ possit agnoscere quòd ipse non semper fuit, & quum nõ fuit, nihil boni habuit: ergo esse suũ & quicquid boni habet, ab alio habet: ergo vel à solis parentibus carnalibus, aut nõ: si à solis parentibus carnalibus, illi nõ semper fuerũt: vnde ab aliis habuerũt: & illi similiter ab aliis, donec perueniatur ad aliquẽ, qui semper fuit, à quo primus pater carnalis initium habuit, à quo etiã habuit vt posset aliũ generare. Cõstat enim quòd parẽtes carnales nõ habent à se quòd generẽt filium, cùm quandoq; generẽt quãdo nollẽt generare, & quandoq; non generẽt cùm vellent, & cùm vellẽt generare filiũ, quandoq; generant filiam. Nescit etiam mater quomodo filius in ea generetur: sicut quędã laudabilis mater quæ dixit filiis suis, 2. Mac. 7. Nescio, inquit, qualiter in vtero meo apparuistis: neq; enim ego spiritũ & animã donaui vobis, & vitã, & singulorũ membra nõ ego ipsa compegi. Si verò nõ à solis parentibus carnalibus esse suum habuit, sed à parentibus carnalibus corpus, & à patre spirituum spiritũ: secundũ illud Arist. in li. de animalib. Intellectus diuinitus ab extrinseco aduenit, quum primus pater carnalis qui non semper fuit, ab aliquo qui semper fuit, totũ esse suũ acceperit, & quòd aliquid boni posset habere, & quòd aliquid boni posset cõferre patri illi qui semper fuit, omne bonũ debetur, quod à nobis habetur, qui verè Deus est. Magna est ergo ingratitudo illum non agnoscere, cuius beneficia nõ cessamus recipere: nec solum per parẽtes carnales beneficia ipsius recipimus, sed etiã per alias creaturas. Collatio verò beneficiorum ipsius quædam exhorta-

tio est ad amorem ipsius. Aug. lib. 10. Confes. Cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndiq; mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. ¶ Error iste est quē odire debēt quicquid odire potest, quum interimat patrem omnium. Vnde debemus eū odire, sicut aliquis odit eum qui patrem eius interimit. Qui in hoc errore sunt, dæmonibus quantum ad hoc deteriores etiam videntur, qui saltem Deū credunt esse. Iacobi 2. Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Qui in hoc errore sunt, in vanum videntur accepisse animā suam, quum Deum nō agnoscant. Ad quem cognoscendum ratio eis data est. Propter quod enim rationē habent potius quàm bruta animalia, si tantū illa quæ sensibus corporis subiacent agnoscunt sicut & illa. Vnde Dominus iustissimè posset tales punire, sicut puniuit Nabuchodonosor. Dan. 4. Ab hominibus eiicient te, & cū bestiis & feris erit habitatio tua. Fœnum quasi bos comedes, & septē tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, et illud. Bernard. super Canti. An non tibi videtur ipsis bestiis quodammodo bestialior esse homo ratione vigens & ratione non vtens? Magna fatuitas dubitare de fonte, ex quo apparet fluuius cōtinuè perseuerans. Fonti indeficienti attestatur fluuij continuitas, & certissimū iudicium creatoris est continuus fluxus creaturarum. Et notandū quòd ad cognoscendum Deū esse, natura incitat. Hoc idem omnis scriptura indicat, & omnis creatura clamat. De primo, Io. Damasc. Cognitio existendi Deū nobis naturaliter inserta est. Intantum verò prævaluit malitia hominum naturæ, vt quosdā in irrationabilissimū & omnium malorum pessimū perditionis barathrum deduceret, vt dicāt non esse Deū. Deum esse, vox omniū est. Apud enim omnes nationes instinctus naturæ habetur. Vox autem omniū, vox naturæ est: iuxta verbum Sapientis. Secundū manifestum est: quia & scriptura gentiliū, & Iudæorū, & Christianorum affirmat Deū esse. Doctrina etiam nobilissimorū philosophorū hoc indicat, vt Platonis, Arist. Tullij, Sen. & similiū. Scriptura Iudæorum in principio asserit omnia à Deo esse creata. Scriptura Christianorū in principio euangelij Io. per Deū verbum asserit omnia esse facta. Omnis etiā creatura clamat Deum esse, vt ostendit Aug. 11. lib. de Ciuitate Dei: exceptis propheticis vocibus. Mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate visibiliū omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factū se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter fieri

fieri se non potuisse proclamat. Idem 10. lib. Confes. Interrogaui de Deo meo, cœlū, solem, lunā, stellas: neq; nos sumus Deus quē quæris, inquiunt: & dixi omnibus qui circunstant carnē meam, Dicite mihi de Deo aliquid: exclamauerunt voce magna, Ipse fecit nos. Interrogatio mea intentio mea, & responsio eorum, species eorū, flores, & alia quæ terra producit quæ est infimum elementorū, & pedibus omniū calcatur, speciē nobis talē ostendunt qualem nullus homo qui dignissima creatura est, & qui rationē habet, cuius est discernere, posset facere: vnde ostensione illius speciei apparet maiorem homine esse qui talia facit. Terra enim per se talia facere non potest. Sicut mater non parit nisi aliunde receperit: sic terra aliunde recipit quòd talia producat. Augu. in lib. de Trinitate: Sicut matres grauidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus grauidus est causis nascentiū. Ostensione ergo speciei suæ exclamat flos se à Deo factū esse, cùm nulla creatura nec etiā rationalis eum possit facere. Matth. 6. Considerate lilia agri &c. Dico autē vobis quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnū ex istis. Quod de flore dictū est, intelligatur de aliis creaturis. Aug. in lib. de Vtilitate credendi: Non frustra intueri oportet, & inaniter pulchritudinē cæli, ordinē syderum, vicissitudines temporū, in quorum consideratione non curiositas est exercenda, sed gradus ad æterna faciendus. Sap. 13. A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Iob. 12. Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit? Rom. 1. vbi loquitur Apostolus de philosophis, Deus, inquit, reuelauit eis. glo. Ambro. Vt Deus qui natura inuisibilis est, etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem visibilitate sua manifestauit, vt per certū incertū posset sciri, & ille esse omnium Deus crederetur qui hoc fecit quod ab aliis impossibile est fieri. Et subditur ibi in tex. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Dū sumus in hoc mundo inferiori, quasi per quandā scalā creaturarū ad cognitionem creatoris oportet nos ascēdere. Ber. Sanè hac scala cæli ciues non egent, sed nos exules: quia creatura cæli in verbo conspicit facta per verbū, nec opus habet ex his quæ facta sunt factoris notitiam mendicare. Esa. 40. Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc qui educit in numero militiā eorū. Et glo. Aug. super cap. ad Ro. 1. Philosophe totū considerasti rerū ordinem, &

nō vis attēdere quòd mūdus opus Dei sit, idolū opus fabri. Si faber idolo sicut dedit figurā, daret & cor, ab ipso idolo faber adoraretur. Ex quo sequitur, inexcusabilē esse qui creatorē suum non adorat, qui eū præ creaturis visibilibus honorauit dando ei rationē. Cùm homines agnoscant animā esse per effectus ipsius in corpore, vt est vita sensus, motus, licet ipsa inuisibilis sit, & omnino insensibilis: quare similiter nō agnoscūt ipsi creatorem esse in mūdo per eius opera? Ambr. super c. 1. ad Ro. Sicut ex motibus & administratione corporis animā quam nō vides intelligis: sic ex administratione totius mūdi & regimine omniū creatorem philosophi intellexerūt. Sen. in lib. de natu. quæst. Quid est Deus meus, inquit, vniuersi? Sic se habet Deus regēdo vniuersum, sicut mens regēdo corpus propriū. Noli ergo de Deo dubitare, etsi eū non videas, sicut nō dubitas de anima, etsi eā non videas: certissimum habeas multa esse quæ tamen inuisibilia sunt. Inuisibilia sunt causa visibilibus vt cognoscātur. Vnde Gre. 4. li. dialo. Nulla visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ipse corporeus oculus nihil corporeū videret, nisi hunc res incorporea ad videndū acueret. Nam tolle mentē quæ nō videtur, & incassum patet oculus qui videbat. Si oculi per se videbāt, cur descendente anima nō vidēt? Item in hoc mundo visibili nihil nisi per creaturā inuisibilē disponi potest. Bern. Nobilē hospitē habes ô caro, & nobilem valde, tota salus tua pendet ex eius salute: da honorē hospiti tanto: diligenter attende, quid hospitis huius præsentia largiatur. Ipse est qui retribuit oculis visum, auditū auribus præstat. Deniq; discessus probat quid præsentia cōferat. Itē cùm ad fidē faciendam de parētibus carnalibus sola fama publica sufficiat, nec testes super hoc requirātur, nec aliæ probationes, maximè cùm parentes carnales nobiles sunt, nec cedūt ad dedecus filio, & cùm sperat se successurū eis in magna hęreditate, quæ causa est, quòd cùm tanta difficultate sit fides aliquibus de patre cælesti, qui nobilissimus est, & à quo tanta speratur hæreditas? ¶ Præterea secundū considerationem Sapientis, cui cōsequens est maius bonū, hoc magis est eligendum: si autem consequentia sunt mala, cui consequens est minus malū, hoc magis eligendū est. Sed ex eo, quòd aliquis credit Deum esse: cōsequens est magis bonum quàm ex eo quòd aliquis credit Deum non esse, si bonum ex hoc sequitur: & si malum inde sequeretur, minus malū sequeretur: ergo magis eligendum est quòd homo credat Deū esse, quàm quòd credat Deum non esse. Media propositio sic potest manifestari: Si aliquis credat Deū esse & est, sequitur inde vitæ æternę remuneratio. 1. Io. 5. Habe-

Habebitis vitam æternam qui creditis in nomine filij Dei. Posito autem per impossibile, q̄ Deus non sit, nullū sequetur malum post præsentem vitam, ex eo quòd aliquis credit Deū esse, quia non erit qui eum puniat. Ille verò qui credit Deū non esse, si ipse est, magnum malū habebit, quia mortē ęternā. Posito autem per impossibile, quòd Deus non sit, nullum lucrū in futuro habebit aliquis, ex eo quòd credidit deū nō esse: ergo maius bonum consequens est ad hoc q̄ aliquis credit Deū esse, quàm ex hoc q̄ aliquis credit Deum non esse, & si malū sequeretur ex his credulitatibus, minus malū sequeretur ex eo quòd aliquis credit Deum esse, quàm ex alia credulitate. ¶ Item inter ea quæ incœperunt esse, nihil est cuius ortum causa non prœcesserit: sed causa quæ præcessit omne quod incœpit esse nō est de numero eorum quæ incœperunt esse. Sic enim prœcessisset seipsam, quod est impossibile: ergo aliqua causa est, quę nunquā incœpit esse. Sed quod nō incœpit esse, nō definit esse. Esse enim quod habet ex se, amittere non potest. Sene. Perituri est, nēpe quod aduentitiū fuit: ergo aliqua causa est sine principio, & sine fine, & hoc indubitanter est Deus. ¶ Item Io. Damasce. Creabilia siue creata omnino ab aliquo condita sunt: oportet autē conditorē increabilem esse. Si enim & ipse creatus est, omnino ab aliquo creatus est, quousq; deueniamus ad aliquid increabile. Probatio autem hæc Io. Damasc. supponit, q̄ Philosophis probatū est, q̄ in causis nō est processus in infinitum. Vnde demonstrato aliquo causato sic pōt procedi: Aut causa huiusmodi habet causam, aut nō. Si nō, est ergo causa, ita q̄ nō causatum: ergo est prima causa. Si autē habet aliā causam, & illa causa aliā, cùm in causis nō sit processus in infinitum, ad vltimum inuenietur aliqua causa, quæ ita est causa, q̄ non causatū: vnde & prima causa est Deus. Præterea potētia agēdi quæ est in igne, & sole, & aliis creatūris visibilibus, non est potentia libera: ideò quū aliquis grauatur ab igne, vt cū domus eius cōburitur, vel ab æstu solis: si discretus est, non rogat ignē vel solem vt cessent. Potētia enim eorū est vt potentia ministrorū, qui necesse habēt implere imperium dominorum quibus subiecti sunt. Constat ergo aliā potētiā superiorē esse quæ libera est, cui hæc potentia subiecta est: & hæc est potentia Dei, cuius voluntatē necesse habent implere dictæ creaturę, nec possunt cessare ab operatione indicta eis à Deo, nisi Dei volūtas aliter ordinaret: sicut accidit quādo sol & luna steterūt per spatiū 12. horarum. Iosue 10. Et in regressu solis tēpore Ezechiæ. Esa. 38. Et in fornace Baby. quādo pueros in igne po-

sitos ignis non læsit. Dan. 3. Item potentia agendi quæ est in elementis & aliis creaturis visibilibus absque sapientia & discretione, est quæ sit illarũ creaturarum, & tamen opera earum discretissimè fiunt: ergo necesse est sapientiam aliquam esse à qua operationes earũ ordinatæ sint. ¶ Ad hoc autem non suffícit aliqua sapientia creata, cùm nec ad cognitionem earũ videatur sufficere. Est ergo aliqua sapientia increata infinita, à qua est ordinatio vniuersorum. Io. Damasce. Sit omnia generari casus cuius erit ordinare: & hoc si videtur, demus cuius erit obseruare & custodire. Itẽ ipsa creationis permanentia, & conseruatio, & gubernatio docet nos, quoniã est Deus qui hanc vniuersitatẽ consistere facit & cõtinet, & conseruat, & semper ei prouidet: qualiter vtiq; contrariæ naturæ, ignis dico & aquæ, aëris ac terræ in vnius mundi consummationẽ adinuicẽ conuenissent, & indissolubiles permansissent, nisi aliqua omnipotens virtus ea concordasset, & semper indissolubilia cõseruaret. ¶ Itẽ cùm visibilia sint causæ aliquorũ, aut sunt causæ primæ, aut nõ. Causæ primæ esse non possunt. Sunt enim omnia cõposita. vnde necessariò præcessit ea aliquid quod ea composuit. Præterea partes sunt quædam causa totius, & pars est naturaliter prior suo toto: ergo necesse est aliquid incompositum & simplex quod omnia cõposita præcessit, à quo omnia sunt composita. ¶ Item in eis quæ creata sunt quædam sunt corruptibilia, quæ principium habuerunt & finem sunt habitura: quædam verò habẽt perpetuitatẽ, quæ principium habuerũt, sed finẽ non sunt habitura: ergo cũ causa abundare debeat ab eis quorum est causa, & causa eorũ habebit æternitatem, vt sit sine principio & sine fine. ¶ Itẽ omnis potentia creata determinata est circa esse, & operatur circa materiã existentem, & nullatenus trãscendit esse vt de nihilo aliquid possit facere: ergo oportet aliquã potentiã increatã esse quæ infinita sit, & trãscendat esse, & de nihilo fecerit illud ex quo creaturæ operãtur. ¶ Itẽ cùm in rebus sit inuenire quædã bona & quædã meliora, an non erit perfectio in vniuersitate rerum, aut necesse est aliquid esse optimũ. Itẽ cùm appetitus summi boni naturaliter in anima sit, nullus autẽ motus naturalis frustrà sit. Frustrà autẽ esset appetitus ille, nisi aliquid esset summũ bonũ: ergo aliquid est summum bonũ. Hoc autẽ non est nisi Deus. ¶ Item secundũ Arist. Magis eligendum est quod natura est, eo quod nõ est natura, vt iustitia iusto: hæc enim natura, illud autẽ acquisitum est. Est igitur aliquid quod est sua bonitas, & sua iustitia, omnibus illis quæ bona sunt per participationẽ præferendũ. Item nihil quod mutabile sit, optimum est. In mutatione enim aliquid boni amittitur, & aliquid acquiritur quod optimo accidere non potest. Item dicit Aug. quòd in omni re quæ mutari potest, nõnulla mors est ipsa mutatio: mors autem optimo accidere non potest: omnis autem creatura mutabilis est: ergo nulla creatura optimũ est: aliquid tamen optimum est, aliter non esset perfectio in vniuersitate rerũ: ergo aliquid increatũ est. Aug. super 1. ad Ro. Videsit summi Philosophi quos cæteris nõ immeritò fama atq; gloria prælatos cernimus, quicquid mutabile est nõ esse summũ Deũ: & ideo omnem animam mutabilem esse quia speciẽ transeunterũ: deinde viderũt omnem speciem in re quacunq; mutabili quæ naturaliter est, omnéque vniuersi mundi corpus nõ posse esse nisi ab illo qui incõmutabilis & simplex est: quia nõ aliud est illi esse, aliud viuere, aliud intelligere, aliud beatum esse: sed quod est illi viuere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hãc incõmutabilitatẽ & simplicitatẽ intellexerũt eũ & omnia bona fecisse, & à nullo fieri potuisse. Itẽ cùm modico corpori hominis regẽdo ratio sit accommodata, qua ipsum regatur, qua impedita vel omnino amissa, corpus periclitatur, vel in pulverem redigitur, verisimile est rationem aliquam esse qua vniuersitas fabricę mundi regatur. ¶ Item cum ratio quæ in homine est agnoscat se esse & non semper fuisse, & causam aliquam habuisse quæ eã præcesserit, causa autem rationis irrationabilis esse non potuerit, necessariò rationem humanã & quancunque aliam rationem quę esse incœpit, præcedit aliqua ratio quæ esse non incœpit: & hæc ratio Deus est, qui vniuersitatem rerũ regit. Vnde Sen. in lib. de naturalib⁹ quęstionibus: Nostri melior pars est animus: ideo extra animum nulla est pars, totus est ratio.

De errore idololatriæ. Et primò de descriptione idololatriæ. secundo de causis eius. tertiò de speciebus. & quartò de destructione erroris idololatriæ. CAP. VII.

Dictum est suprà de errore eorum qui Deum esse negãt. Nunc dicendũ est de errore eorũ qui creaturas deificãt, qui error idololatria dicitur. Primò ostẽdemus quid sit idololatria. Secundo tangemus de causis. Tertiò de speciebus. Quartò de destructione eius intẽdemus. ¶ Notandũ ergo quòd latria est summę venerationis cultus soli Deo exhibẽdus. Vel latria est voluntaria possessio diuinę maiestatis. Idololatria verò est cultus Deo debitus creaturę exhibitus. Et dicitur quasi idololatria: non quia iste cultus semper idolo exhibeatur, sed quia frequenter, vel quia idolo primo est exhibitus. Et notandum quòd idolum

quandoque dicitur lignum, vel alia res sic figurata: quandoque verò dicitur coniunctum ex imagine & dæmone præsidẽte. Et sic sumitur 1. Cor. 7. vbi dicit Apostolus, q̃ nihil est idolũ in mũdo. Illud enim q̃d putabãt esse idolũ, personã scilicet subsistentẽ ex simulacro & spiritu præsidente, nihil erat. ¶ Itẽ notãdum quòd inter idola gentiliũ quædã imagines erãt tantũ ad memoriã & representationẽ aliquorũ in quibus nihil numinis esse credebatur: aliæ verò erãt quę credebãtur esse habitacula deorum, id est, dæmoniorũ. Omnes enim dij gentiũ dæmonia. In quibus dæmones decipiebant homines dantes eis responsa acsi in ipsis habitarent, inducti ad hoc sacrificiis & honoribus quæ eis exhibebãtur. In quibusdã etiã imaginibus credebãt gẽtiles aliquam virtutem esse infusam, eò q̃ sub certis horis funderẽtur, vel sculperentur, vel fabricarentur: sicut Mathematici mẽtiũtur homines trahere mores ex hoc q̃ tali hora, vel tali nascuntur. Similis error inuenitur in quibusdã vetulis nomine Christianis, quę dicũt imagines lx. annos à factione sua virtutẽ sortiri, & de cætero habere eã. Imagines prædictas quas non credebãt solũ esse imagines, vocauit Mercurius Deos factitios, scribẽs librum de Deo Deorũ. Proaui, inquit, nostri inuenerũt artẽ quæ deos efficeret: & quoniã animas facere non poterant, inuocantes animas deorũ, eas indiderũt imaginibus factis. ¶ Possumus autẽ octo rationes seu causas ostendere quibus idololatria vel inducta est vel augmentata. ¶ Vna causa fuit, dolor nimius de amissione alicuius amici. Pater enim amisso filio nimiũ dolens imaginem filij fieri fecit, vt ei esset qualecũque solatium. Vnde sapiẽ. 14. Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginẽ. Ac illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nũc tanquã Deũ colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. deinde interueniente tẽpore conualescẽte iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est. Hãc primã causam idololatriæ ostẽdit Gregor. super illud Lucæ 11. In Belzebub principe dæmoniorũm &c. dicẽs: Ninus rex Niniuæ Belo patre suo mortuo statuã fecit, quã summa reuerentia honorauit, ita vt etiã reis ad eã fugientibus parceret: vnde progressu temporis homines cœperunt eam venerari vt deum, & multiplicare: & quidam vocauerunt Bel, alij Baal, alij Baalim, alij Beelzebub, secundũ varietatẽ linguarum. ¶ Alia causa fuit vesana superbia principũ, qui non attendentes infirmitatem suam voluerunt se vt deos honorari, vt Nabuchodonosor, qui præcepit Holoferni principi militiæ suæ, vt omnes deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur

retur ab his nationibus quæ potuissent Holofernis potẽtia subiugari. Iudith 2. Principes superbi imagines suas faciebãt adorari ab his qui erant subiugati ab eis. Vnde Sap. 14. Tyrannorum imperio colebãtur figmenta: & hos quos pasãm homines honorare nõ poterãt, propter hoc, quod lõgè essent, è lõginquo figurã illorũ allatã euidentẽ imaginẽ regis, quem honorare volebãt, fecerunt, vt illum qui aberat tanquam præsentem colorẽt. Alioqui etiam vt diuina stirpe nati viderentur, diuinos honores parentibus detulerunt, deferríque iusserunt: vt dicit Glo. super 14. Sap. ¶ Tertia causa fuit adulatio, seu desideriũ, quod habebant minores acquirendi gratiã maiorũ. Sapi. 14. Affectui aut regibus deseruientes homines incõmunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. Per hoc quod dicitur Affectui, tãgitur prima causa iam habita: per hoc quod dicitur Regibus, tertia causa, de qua etiam dicit gl. Per populos & regiones paria sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos principes cupiunt. Aug. in libro 10. de Ciuitate Dei: Multa vsurpata sunt de cultu diuino, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera. ¶ Quarta causa fuit amor reipublicæ. Vnde dicit Gl. ibidem: Alio loco dicit Cicero, quòd inplerisque ciuitatibus acquirendæ virtutis gratia, vt libentius gratia reipublicæ periculum adirent, optimos quosque viros fortiũ honore deorũ immortaliũ esse consecratos: hinc Roma ni Cæsares suos consecrauerũt, & Mauri suos Reges. ¶ Quinta, decor vel operis humani, vel alterius creaturæ. De primo Sapientię 14. Multitudo hominum adducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquã homo honoratus fuerat, nunc Deum existimauerunt. De secundo Sap. 13. quando locutus est de stellis, sole, & luna, subditur: Quorum si specie delectati deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. ¶ Sexta potentia quam crediderunt super eminere in his quos deos putauerunt, vt dæmones crediderunt potestatem habere in hominibus, & res humanas, & etiam in elementa. Cuius erroris occasio fuit quòd credebant dæmones sanare læsiones corporum, dum ab eis cessãbant. Credebant etiam eos sedare mundi turbationes, dum eas facerent, cessãbant. Credebant etiã eos prænoscere futura: quia prædicebant eis mala, quæ Dei permissione ipsi erant illaturi hominibus: & malorum cessationes, q̃ non erat mirum. ¶ Item alia causa huius erroris fuit quòd facere videbantur quædam opera quæ verè naturalia erant: sed imperitis videbantur esse supra naturam. Tale opus est subita

generatio ranarum, & pediculorum,& vermium in quibus natura operatur. Dæmonibus tamen procurantibus quòd hæc citius fiant, coniungendo vel commiscendo ipsas naturas rerum, & addendo aliqua semina, quæ semina naturam adeò adiuuant,quòd opus tardum acceleratur : ita quòd creditur non esse opus naturæ quæ tardius operari consueuit:sicut factum est in signis quę facta sunt à magis Pharaonis.¶ Septima, cæca cupiditas hominum, qui tantum sunt curiosi sciendi vel cupidi aliqua acquirendi,vt seipsos vendant dæmonibus,vt cupiditatē suam possint adimplere.¶ Octaua,voluptas & lasciuia,quę erant in festis idolorū:vacabant enim idololatræ deliciis & ludis,quę multum alliciebant homines ad idololatriā.1.Corint. 10. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. ¶ Et notandum multas esse species idolatriæ. Quædam est cultus dæmonum,alia luminum,vt solis & lunę vel stellarum:tertia,elementorum:quarta,hominum:quinta, animaliū irrationalium: sexta, imaginum vel alterius operis humani: septima temporis vel partium eius.Est etiam idololatria aliarū rerum.¶ Et notandū,quòd idololatria ideo peccatum magnū est:quia Deo honorem suum aufert, & creaturæ cuius non est confert, & ęquat creaturam creatori.Si pro modico furto vel rapina quam aliquis facit homini, meretur exilium, vel mortem, vel aliam magnam pœnam, quanta pœna dignus est, qui diuinū honorē Deo surripit?¶ Duplex autem rapina est in peccato idololatriæ, Vna eius qui honorē Dei Deo aufert,& alij offert. Alia eius qui honorem diuinum sibi oblatum suscipit. Idolorum cultura omnis mali causa est,& initium & finis.Sap.13. Glo.Cum enim mens à creatore se auertit,omnibus implicatur sceleribus.Aggrauatur autem peccatum idololatriæ ex vilitate rei in quam transfertur honor diuinus.Maius enim peccatum est cùm honor iste transfertur in quadrupedes aut reptilia, quàm quando in homines:& quando in imagines hominum, aut animalium,quàm quando in homines vel animalia.Rom.1.Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum, & quadrupedū, & serpentum.Gl.Ambr.Quanta est stultitia eorū, apud quos plus potest imago quàm veritas,& potiores sunt mortui quàm viui ? Ps.Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.Tanto magis contumeliosum est Deo,quāto vilior est creatura quæ ei æquatur,& magis contra rationem est.¶ Contumelia etiā fit humanę naturę,quādo creaturę inferiori se subdit.

dit.Refert Augu.in lib.de vera religione,quòd Socrates occisus fuit, quia noluit adorare idola, quia erant tantum opus hominis : & dixit se prius adorare canem qui erat opus naturæ,cùm causa nobilior sit suo effectu. Multum est contra rationē,quòd homo adoret opera manuum suarum. Illa species idololatriæ qua homo adorat creaturam se manifestè inferiorem,hominē reddit infelicem & maledictum & derisione dignū. De primo Sap.13. Postquam præmissum est de sole, & luna, & stellis quæ aliqui rectores orbis terrarum & deos putauerunt,subditur,Sed in his adhuc minor est quærela. Et paulò pòst : Infelices autem sunt,& inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum.De secundo Deu.27.Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile abominationē Domini,opus manuum artificum, ponítque illud in abscondito.Sapi.14. Per manus autem quod fit idolum,maledictū est,& ipsum & qui fecit illud.De tertio Hiere.10.Non est spiritus in eis,vana sunt,& opus risu dignum. Irrisione digni ostenduntur qui sunt in hoc genere idololatriæ. Sap.13.vbi sic legitur, Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est,& pro sanitate quidem infirmū deprecatur,& pro vita mortuum rogat,& in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest. Et Esa.44. Medietatem eius cōbussi igne, & de reliquo eius idolū faciā:ante trūcū ligni procidā,pars eius cinis est.Quibus verbis vilitas materię ostēditur ex qua fit idolum,& vilitas materiæ in quā redigitur.De materia eadem habes Baruch 6. Subtrahūt ab eis sacerdotes aurum & argentum : dant autem & ex ipso prostitutis,& meretrices ornant.Itē: Quū receperint illud à meretricibus:ornant deos suos. Et subditur ibi multum de vilitate & impotentia idolorū:Hi,inquit,non liberabuntur ab ærugine & tinea.Item:Habet in manu gladiū & securim,se autem de bello & latronibus non liberat.Item,Oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeuntium.Et paulò pòst: Lucernas accēdunt illis, & quidem multas,ex quibus nullam videre possunt.Item.Nigrę sunt facies eorum à fumo qui in domo fit. Supra corpus eorum & supra caput eorum volant noctuæ & hirundines. Item : Sine pedibus in humeris portantur ostentantes ignobilitatem suam hominibus.Mirum erit si idola iuuare possunt,quum nec preces auxilio indigentium possint audire, nec defectum eorum intelligere.Vnde subditur in Baruch:Quū audierint mutum nō posse loqui, offerūt illud ad Bel,postulantes ab eo loqui, quasi possint sentire qui non habent motum. Psal. Os habent & non loquentur

quentur &c. Et Baruch eodem ca. Quum superuenerit illis prælium & mala, cogitant sacerdotes vbi se abscondant cum illis. Quomodo ergo sentiri debeat, quoniam dij sunt qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? Item: Sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dij illorum lignei, argentei, & inaurati. ¶ Post idololatriam illam, quæ est cultus illarũ creaturarum, quæ manifestè sunt homine inferiores: destruenda est illa idololatria, quæ est cultus dæmonum, quæ valde detestabilis est. Primò quia dæmones hostes Dei sunt: & magis displicet Deo, quum honor eius transfertur in eos, quàm quando ad alias creaturas. Et etiam magis periculosa homini. Quum eum dæmones hostes sint humani generis, & cultoribus suis fiant familiares: ipsi sunt eis familiares inimici. Nulla autem pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Ideo dicit Augustinus in lib. 83. quæstionum: Nihil tam contrarium Christiano, quàm si curam artibus magicis adhibeat. Tunc enim eos recipit familiares, qui damnationem animarum quærunt. Item August. 19. libr. de ciuitate Dei: Magna Dei misericordia necessaria est, ne quisquam quum bonos Angelos se amicos habere putat, habeat malos dæmones factos amicos, eósque tanto nocentiores, quanto astutiores aut fallaciores patiatur inimicos. Periculosum est, valde ei credere qui mendacissimus est. Ioan. 8. Ipse est mendax, & pater eius. Præterea dæmones licet sublimes sint conditione naturæ: inferiores tamen sunt etiam brutis animalibus deiectione culpæ: quum miseri sint non solum miseria pœnæ, sed etiam culpæ, imò inferiores videntur esse simpliciter cæteris rebus quæ sunt. Vnde diabolus non esse dicitur. Iob 18. Habitent, inquit, in tabernaculo illius socij eius qui non est. ¶ Multipliciter autem potest ostẽdi, quòd spiritus illi non sint colendi. Primò quia aut ipsi sunt boni, aut sunt mali. Si boni sunt, offenduntur, cùm honor qui soli Altissimo exhibendus est, eis exhibetur. Non enim potest eis placere tanta contumelia & iniuria Domini eorum. Præterea si boni sunt, non placabuntur malitia offerentium eis honorem alienũ. Quis bonus & discretus honorem reputet, & non magis derisionem, si quis mentiatur eum esse regem, vel episcopum, quum non sit? Sic si sunt boni spiritus & discreti, erubescent honorem Altissimi sibi exhiberi. Iuxta enim verbum Sapientis, Qui falso prædicatur, necesse est, vt suis laudibus erubescat. Item quanto quis maiorem honorem indebitum sibi vult impendi: tanto ipse superbior & vanior est: vt clericus si honorem sacerdotalem vult

vult sibi impendi, superbus est: si episcopalem, superbior: ergo si ipsi volunt sibi impendi summum honorem, superbissimi & vanissimi sunt. Si verò ipsi sunt mali, indigni sunt & honore isto & alio. Item aut ipsi præstant beneficia cultoribus suis de suo, aut non. De suo non possunt. Vnica enim potentia est increata, vt in sequentibus ostenditur. A qua & sub qua sunt omnia: & quum eos creauit Deus, nõ à se eos alienauit, nec à potestate sua eos exemit. Ipsi ergo à Deo sunt & Dei sunt, & beneficia si qua præstant cultoribus suis dona Dei sunt, ad hoc data vt dentur. Igitur ipsi sunt vt nuntij & deferentes dona illa. Nuntij verò & deferentes beneficia non sunt habendi vt domini, nec deificandi: sed gratia reddenda est ipsi Deo eorum. Bernardus loquens de bonis spiritibus: Honoremus, inquit eos quantum debemus: totus tamen ei reddatur amor & honor noster, à quo tam ipsis quàm nobis est totum: vnde honorare possumus, vel amare, vnde honorari amarive mereamur. Loca remota à fonte ita habent aquam ab ipso, sicut & loca fonti proxima: licet aqua fontis primo proueniat ad loca proxima, & per ea ad loca remota. Sic cum vnicus sit fons omnium bonorum Deus: ita habent bona sua ab eo creaturæ: quæ remotæ sunt ab eo dissimilitudine, sicut & illæ quæ sunt propinquæ ei dissimilitudine: vt sunt spirituales creaturæ. Deo ergo soli debetur totus honor & gloria. ¶ Item aut potentiæ quibus possunt spiritus isti dare beneficia cultoribus suis, sunt potentiæ irrationales siue naturales: sicut potentia calefaciendi, quæ est in igne, quæ ex necessitate sic operatur: aut sunt potentiæ liberè agentes seu rationales. Si primo modo nulla gratia debetur eis propter illa beneficia, nec propterea sunt colendi. Tales enim potentiæ operantur per modum seruientis, vt ait Sapiens: Si vero liberè agunt, aut consulunt voluntatem diuinam cultoribus suis dando beneficia, aut non. Si sic, ergo se habent vt dispensatores secundum voluntatem domini sui dispensando bona ab eo accepta: non ergo habendi sunt vt domini, & multo minus vt dij. Si autem non consulunt voluntatem Dei, non curãtes vtrum Deus hoc velit vel non, indiscretè dispensant: nec videntur curare de rectitudine operum suorum, quum non respiciant ad voluntatem Dei, quæ regula est bonorum operum, & ideo sunt mali. Si quis verò dicat quòd isti spiritus placandi sunt ab hominibus, quia ab eis sunt offensi. Si boni sunt, non debent ab hominibus offendi, nisi propter peccata. Si autẽ propter peccata ab eis sunt offensi, per recessum à peccatis maximè deberent placari. Contrario

trariorum enim contrariæ sunt causæ. Si verò iustificatio eorũ non placat eos, sed manet adhuc ira eorum donec offerantur eis carnes & sanguis animalium, ira talis non est ira diuina, sed potius ira leonũ, aut aliarum bestiarum quæ non quiescũt donec aliquid prædæ ceperint: vnde si propter hanc iram colendi sunt, & diuino honore digni, deificemus ergo leones & alias bestias. ¶Item aut placato altissimo & amico existente mortalium, potest ira huiusmodi deorum eis aliquid nocere: aut non potest. Si sic, non videtur Altissimus esse omnipotens, quum coërcere non possit illos deos ne noceant amicis suis. Si verò non potest eis nocere, non est timenda ira eorum amicis Dei, nec ira eorũ sacrificiis placanda. Præterea nulla potentia aliquid potest contra beneplacitum Dei. Nulla enim est quæ non redigeretur in nihilum, nisi à Dei potentia, à qua accepit esse in eo retineretur: ergo in tuto est omnis homo qui Dei fauorem habet, vel gratiã. Non est ergo necesse gratiam istorum deorum sacrificiis quærere gratia Altissimi obtenta. ¶Item spiritus isti qui falso dij vocantur, si mali sunt, aut altissimus compescit malitiam ipsorum, aut non. Si compescit malitiã eorum, non est malitia eorum timenda. Si verò permittit eos exercere malitiam suã, aut hoc facit ignorãtia, aut quia nõ curat, aut iudicio, quia videt expedire. Ignorantia non est: quum enim ipse sit sapientissimus, ignorãtia in eum non cadit. Iterũ non accidit hoc quòd ipse non curet de malis quæ fiunt in mundo: cùm enim ipse sit rex iustissimus, non potest non curare de malis quæ fiunt in regno suo. Ergo quando permittit hos spiritus in mortales sæuire, ipse facit hoc iudicio, quia videt hoc mortalibus expedire: ergo nõ est timenda malitia eorũ mortalibus. ¶Itẽ cùm spiritus iam dicti potestatem habeãt ab altissimo, aut illã potestatẽ comitãtur sapiẽtia & iustitia moderantes eã, aut nõ. Si sic, cum ipsi sint sapiẽtes & iusti, ipsi nõ irascũtur mortalibus bonis, nec nocẽt eis: peccatoribus verò nũquã sunt placati, nisi à peccatis recedãt. Inutile ergo est eis sacrificia offerre tam bonis quã malis, quantũ ad eorũ placationẽ: sed mali si volunt eos placare, recedãt à peccatis suis. Si verò Sapientia & iustitia nõ comitãtur eorũ potestatẽ: ergo potestas eorum est vt gladius in manu furiosi: vnde si propter hãc potestatẽ aliquis eos deos reputat, reputet ergo Deũ si quẽ viderit furiosum in manu tenentẽ gladiũ. Mira fatuitas eũ Deũ reputare, quẽ homo cognoscit esse sine sapientia & bonitate. Belluinũ est potius quã diuinũ, potestate vti absque sapiẽtia & iustitia. ¶Itẽ potestas eorũ aut ligata est, aut non est ligata. Si nõ est ligata, mirum est quo

quomodo non occidunt omnes cõtemptores sacrificiorũ eorũ. Præterea longè videtur esse à sapientia & bonitate Dei, ponere gladium in manu furibũdi, dando potentiã cui homo nõ possit resistere maligno, nisi ipse eam velit compescere. Si verò ligata est, ille qui tenet eam ligatam, obsequiis est placandus non ipsi. Cùm aliquis tenet aliquã bestiam ligatã, ille orãdus est, vt bestiã cõpescat ab his qui sæuitiã bestiæ timent, & non ipsa bestia. ¶Itẽ cũ cultura illorũ deorũ exterminata sit à terra promissionis iussu Dei Hebræorũ, & iterum de regno Christianorũ, etiã de Ægypto vbi omnes colebantur, & de vrbe Romana, maximè de templo quod Pantheon vocabatur, quod erat vnũ tẽplum omnium deorum: constat hoc factum fuisse à maiori potentia quàm esset potentia eorũ. Luc. 11. Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt omnia quæ possidet: si autẽ fortior eo superueniens vicerit illum, vniuersa eius arma auferet &c. Illa ergo potentia aut fuit diuina, aut humana. Si diuina ergo ipsi erant aduersarij Dei & mali. Si verò humana, ergo magis timenda est humana potestas eis quã potestas eorum hominibus. ¶Et notandũ quòd aliqui peruenerũt ad tantã fatuitatẽ, vt crederẽt deos huiusmodi partitos fuisse totũ orbẽ. Sed puerile est dicere altissimũ sortẽ misisse pro diuisione illa, cũ sors non habeat locum nisi vbi est ignorantia, quæ in altissimũ, qui sapientissimus est, non cadit. Si verò ipsi altissimo inconsulto sortem miserũt, nihil iuris per hoc habuerunt in orbem terrarum. Si verò de beneplacito altissimi, quod ridiculũ est, quomodo de partibus illis exterminati sunt? ¶Item aut amicitia est inter deos huiusmodi, aut non. Si est, ergo vnus eorum amat cultores alterius: nec propter cultores suos proprios inimicus erit cultoribus aliorum, nec contra illos iuuabit cultores suos. Si verò non est amicitia, sed odiũ: ergo ipsi mali sunt. Quia aut est iustũ odium inter eos, aut non iustũ. Si iustum, ergo ipsi sunt iustè odiendi, & ita sunt mali. Si iniustum, illud non possunt ipsi habere, nisi sint mali. Malitiam etiam eorũ ostendit, quòd cultores suos iuuant in eis quæ mala sunt, vt patet ex scriptis Magicis, vbi docetur quomodo consilio taliũ spirituũ viri vel mulieres nimio amore intendãtur, vel quomodo alia scelera possint perpetrari. ¶Si quis verò dicat tales spiritus non esse honorandos honore diuino, sed honore qui eis cõpetit, quia apud Deũ possunt impetrare vel procurare aliquod beneficiũ eis qui eos honorant. Hoc planè cocedendum est, & hæc est assertio fidei catholicæ. Quid si spiritus boni honorandi sunt tanquam amici Dei, non tanquã domini vel dij, sed tanquã serui

Altis

Altissimi, quorũ ministerio multa beneficia possunt nobis prouenire,& spe suffragij in eis potest poni? Sed non debemus eos reputare authores salutis, sed potius impetratores: nec sacrificiũ faciendũ est in eis. Eo enim quod aliquis alicui sacrificat,eũ cui offert authorem sanctitatis cõfitetur,& eum inuocat ad sanctificandum illum pro quo illud sacrificium offertur.Item facto profitetur se esse in manibus illius cui sacrificat ad perdendum vel ad saluandũ: sicut animal illud est in manibus suis ad occidendum vel perdendũ.Ista verò soli Altissimo attribuenda sunt. Mali verò spiritus non sunt honorandi, qui apud Deũ nullum bonũ nobis impetrare possunt.Nõ sunt etiã timendi amicis Dei cum nõ possint eis nocere. ¶ Cõsequenter tangendũ est aliquid de illa specie idololatriæ, quæ est cultus luminũ. Et notandum quòd hi qui sunt huius erroris, dicunt mortales subiectos esse soli,& lunæ,& stelis,etiã quantum ad sapientiam vel ignorantiam,& quantum ad mores bonos siue malos. Et dicũt cælestia lumina secũdum situs suos seu constellationes causam esse morũ bonorũ vel malorum in hominibus.Quod multis modis patet esse falsum. Primo quia non propter stellas homo, sed stellę propter hominẽ factę sunt,vt dicit Gre.Itẽ haberi potest ex principio Gen.vbi sic legitur:Fiant luminaria in firmamẽto cæli&c. Et subditur:Vt illuminẽt terrã.Illuminatio terrę causa fuit quare fierẽt.vnde subditur ibidẽ:Et posuit eas in firmamento cęli,vt lucerent super terrã.Propterea Iosue iubẽti sol & luna obedijt, Iosue 10.Ergo cultoribus Dei sol & luna subiecta sunt,& nõ ipsi cultores soli & lunę. Item & sol & luna naturaliter operãtur in hominibus ea quæ ipsi eis imponũt,aut sciẽter & voluntariè. Si naturaliter,operatio illa seruilis est, propter quod dicit Philosophus, quòd natura operatur per modũ seruientis,Vnde virtus sic operans ignobilis est respectu virtutis liberè operantis,quæ potest super vtrunque oppositorũ, scilicet super suũ operari & suũ nõ operari:quod autẽ ignobilius est, nõ est causa rei nobilioris: ergo virtus naturalis luminũ cælestiũ nõ efficiet sapiẽtiam, vel virtutes, vel bonos mores, vel quascunque artes in hominibus, cùm hæc sint nobiliora virtute naturaliter operante, quã ponũt in dictis luminibus. Si verò sciẽter & voluntariè operantur prauos mores vel errores in hominibus:ergo ipsa mala sunt,& Deo inimica.Præterea malitia ista aut est eis innata,aut est acquisita. Si innata,ergo sunt mala naturaliter:hoc autẽ impossibile est q̃ aliquid sit naturaliter malũ.Præterea cũ nihil fit in eis naturaliter q̃ deus cõ creauerit in eis,de° illã malitiã creasset,q̃ longè

est à Dei bonitate.Si verò acquisita:ergo corrupti sunt & mutati à suo statu naturali quãtũ ad spiritũ,quẽ secundũ istum errorẽ necesse est ponere in eis:hæc autẽ corruptio nõ potest esse in eis secũdum spiritũ,cùm corpora eorũ sint incorruptibilia.In sustãtiis enim ex spiritu & corpore cõpositis, quales filij qui sunt huius erroris credunt esse cælestia lumina,necesse est nobiliorẽ esse statũ spirituum quã corporum. Præterea creaturæ rationales cùm aliquid volũtariè operantur,primo intelligunt & desiderãt: ex quo sequeretur lumina illa cælestia mala esse quæ desiderarent malos mores esse in hominibus. Item hic est modus operãdi substantiarum quæ cõpositæ sunt ex spiritu & corpore,vt primo operentur in seipsis operationes merè spirituales,vt est intelligere & desiderare:secundo in corporibus sibi coniunctis operationes corporales, vt est motus, & per illas iterũ alias in corpora aliena,& iste ordo operationum semper procedit quasi ingrossando & quasi per elongationẽ à spirituali subtilitate & nobilitate.Vnde si iste est modus cælestiũ luminũ operandi in hominibus,per hãc viã non poterant imprimi nisi corporales dispositiones ignobiles in hominibus,& nõ sciẽtiæ & virtutes.Præterea diuersitas hominũ qui eadẽ hora nascũtur & mores habẽt diuersos,ostendit falsa esse quæ dicuntur ab his qui sunt in hoc errore de cælestibus luminibus.Dicunt enim eũ qui sub tali constellatione nascitur,talẽ hominẽ futurũ,& qui tale opus sub tali hora incipiet,prosperaturum.Manifestè autem videtur q̃ nati vna & eadẽ hora, vel aggressi opus aliquod diuersos habẽt euẽtus. Falsum est ergo quod prædicti idololatræ de effectibus cælestiũ luminũ dicũt. ¶ Itẽ cõstellationes seu positiones stellarũ aut sunt tantùm signa euẽtuum inferiorũ,aut sunt signa & causę.Si tantũ signa,aut comitantur res de necessitate,aut non.Si sic,cùm signa euerti nõ possunt, vel mutari,erunt ipsi euentus ineuitabiles, & omnia de necessitate euenient mortalibus.Si nõ erunt signa ista possibilia separari ab his quorum sunt signa:ergo poterũt fallere: ergo nõ est sciẽtia de significationibus eorũ. Sciẽtia enim & ars nõ sunt de fallibilibus. Si verò signa sunt & causæ istorũ euentuũ,erunt euẽtus rerũ necessarij,cùm causæ istæ sint necessariæ: motus enim cælorum cũ suis dispositionibus necessarius est immutabilis.Figura enim cæli & positio stellarum futura cras hac hora,nullo modo auerti possunt,quin sint futura cras:& similiter se habet de omni dispositione cæli & cælestium:ergo omnes euẽtus,quorum causa est cõstellatio,sunt ineuitabiles. ¶ Præterea qui luminibus cælestibus seruiebant, aut intendebant seruire

spiritibus qui præsidebãt huiusmodi corporibus, aut compositis ex corporibus & spiritibus aut corporibus inanimatis. Si solis spiritibus, eisdẽ rationibus potest destrui hæc species idololatriæ, quibus cultus dæmonum prius destructus est. Si verò corporibus inanimatis, vanè & ignominiosè ei seruiebãt, cùm nec seruitium eorũ nec seruitores agnoscerẽt, nec in remunerationẽ eorum intẽdere possent. Si verò compositis, composita erant animalia, vt ipsi credebãt: ergo vel rationalia & intelligẽtia, aut non. Si nõ, ergo ignobiliora erãt homine: animal enim rationale nobilius est irrationali: peruertebatur ergo naturalis ordo, cum homo colebat animal irrationale. ¶ Præterea cùm tanta distãtia esset huiusmodi animaliũ ab hominibus, vt nullus clamor hominum ad ea posset attingere: idẽ erat acsi surdis tales preces fierent. Præterea impossibile est, ꝙ deitas sit in eo quod non intelligit. Intelligere enim est illud in quo maximè spiritus creatus Deo assimilatur. Si verò rationabilia & intelligibilia, impossibile est eos Deos esse, cũ secũdum astronomos ipsimet fiant infortunati & nõ liberi à malis, & impediãtur casu aut oppositione fortiorum signorũ. Diuinitas enim semper est libera & inuicta & impedimẽtum signũ est impotẽtiæ. ¶ Vltimo tangẽdum est de illa specie idololatriæ, quæ est cultus militiæ cæli: de qua frequẽter loquitur scriptura sacra. Adorans militiã cæli, siue sit vir, siue mulier iubetur lapidibus obrui. Deut. 17. De militia cæli habes 4. Reg. 21. & 23. & Esa. 14. & Sophon. 1. Act. 7. Et notandũ ꝙ militiam cęli vocauerũt qui huius erroris fuerũt, multitudinẽ spirituum, quorũ quosdam dicebant præesse cælo stellato, alios autẽ Saturno & circulo eius: alios aliis planetis & circulis eorum: alios verò præesse igni, alios mari, alios terræ, & vtebantur inuocationibus huiusmodi spirituum prout credebant cõgruere maleficiis suis. Impietas autem huius erroris manifesta potest esse ex hoc, ꝙ inuocationes huiusmodi spirituum æquè fiebant ad bona facienda & ad mala. Vnde si spiritus illi exaudiebant illos & in bonis & in malis, ipsi erant mali. Si verò in bonis tantum, mendaces erant libri eorum, & scriptores eorum, & ipsi spiritus secundum ipsos, quorum reuelatione se talia scripsisse scripserunt.

De errore principali Manichæorũ. Et primò authoritates & rationes quibus ipsi innituntur, eis subtrahuntur: dein ponũtur authoritates & rationes quibus error ille destruitur. CAP. VIII.

SEquitur de errore Manichæorum, qui, vt ait Augu. in lib. de natura boni, sensum perdiderunt studio contradicẽdi. Hi ponunt duo principia: vnum principium boni, alterum mali. Vnus secũ-

secundum eos princeps lucis est, cuius habitatio est regio lucis super ista visibilia. Alter est princeps tenebrarum ex aduerso, cuius habitatio est regio tenebrarum, & vterque princeps habet secundum eos populum suum. Manichæi ad principem tenebrarum ponunt esse corruptibilia & mutabilia. ¶ Iste error valde contumeliosus est & creatori & creaturis. Creatori, quia magnam partem regni sui & gloriæ suæ ei aufert, dum aufert ei dominium creaturarum visibilium, quæ plures videntur esse quàm inuisibiles. Creaturis etiam cõtumeliosus est, quas subtrahit dominio tam honorabili: & subdit eas tam vili seruituti, vt est seruitus diaboli. Vnde error iste valde odibilis est & creatori & creaturis. Huic errori primo subtrahemus authoritates & rationes quibus innititur, ostendendo authoritates impertinentes esse ad eius confirmationem, & rationes infirmas, vt sic facilius corruat. Authoritates verò quibus innituntur, hæ sunt. Legitur Gen. 1. Post creationem cæli & terræ, ꝙ tenebræ erant super faciem abyssi. Ex quo ipsi inferunt non fuisse Deum benignũ qui opus suum incœpit à tenebris, non intelligẽtes tenebras non esse alicuius rei existentiam, sed lucis absentiam. Vnde non oportet ponere aliquem authorem tenebrarum, cùm tenebræ nihil sint nisi lucis absentia. Nec minus laudabilis est mundi creator, si à nihilo incœpit: imò hoc commẽdat eius potentiam, quòd ex nihilo lucem & alia creauit. Per hoc enim ostenditur per se potens operari sine materia præiacente vel instrumento, quod proprium est omnipotentis. Item Matth. 4. legitur de diabolo, quòd ostendit Christo omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Ex quo inferunt: omnia ergo regna mundi diaboli erãt, cùm omnia Christo promiserit. Quæ probatio ridiculosa est, cùm diabolus sit mendax & pater eius. Ioan. 8. Et cùm Ouid. primo de Arte amãdi dicat: Pollicitis diues quilibet esse potest. ¶ Item Matth. 6. Dicit Christus: Nemo potest duobus dominis seruire: vocans diabolum dominum, eò quòd sit dominus mundi, vt ipsi aiunt, ergo ipse est Deus vel creator ipsius. Quæ argumentatio nulla est, cùm reges gentium dominentur eorum. Luc. 22. qui tamen non sunt dij vel creatores. Præterea diabolus dominus est vsurpatione iniustè detinens alienum, secundum illud Luc. 11. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Sathanas, ecce, decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati? ¶ Item legitur Matthæi 7. Non potest arbor bona malos fructus facere. Ex quo inferunt: ergo mala non possunt esse ab eodem prin-

cipio à quo sunt bona: ergo sunt duo principia, vnum bonorũ, & aliud malorum. Sed sermo veritatis quo vtuntur ad confirmationem falsitatis, materiam ministrat confusionis eorum. Licet enim arbor bona non faciat fructum malum: tamen nihil prohibet fructum quem arbor bona bonum produxit, pòst putrefieri & corrumpi: & nemo adeò fatuus est, cùm videt diuersa poma in arca vel in mensa, quorum alia putrida sunt, alia sana, ꝙ propter hoc credat ea nõ posse esse ex eadem arbore. Præterea multæ mulieres sunt hodie corruptæ, quæ tamen virgines natæ sunt, nec aliquis credit duas mulieres non habere posse vnã matrẽ, eò quòd vna virgo, alia corrupta sit. Sic nihil prohibet diabolum esse bonum creatione & factum à Deo: malum verò sua peruersa voluntate. ¶Item Ioã.8. Vos ex patre diabolo estis. Ex quo inferunt: ergo diabolus est creator eorũ. Sed non sequitur. Pater enim dicitur aliquis alterius, vel quia ab eo habet substantiam, vel quia ab eo habet mores, susciendo eius doctrinam, vel imitando vitam: hoc tertio modo, scilicet per imitationem, diabolus erat pater eorum, imitabantur enim eũ. Sic Paul. 1. Cor. 4. ostẽdit se patrẽ Corinthiorũ qui eius susceperant doctrinam, dicens: Vos vt filios meos charissimos moneo. Nam si decẽ millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Hunc sensum Dominus insinuat in hoc, ꝙ eos qui sunt ex Deo distinguit ab his qui non sunt ex Deo per auditum diuini verbi, dicens: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Obedientia diuini verbi ostendit, qui per gratiam sint filij Dei: inobedientia verò qui filij diaboli. ¶Item Io. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: diabolus princeps huius mundi dicitur: ergo mundus est ab eo. Sed non sequitur. Non enim omnes principes sunt dij vel creatores. Præterea ipse princeps erat vsurpatiuè, vnde iudicio à mũdo erat eiiciendus. Io. 12. Nunc iudicium est mũdi, nũc princeps mundi huius eiicietur foras. Eiusdem 16. Princeps mundi huius iam iudicatus est. ¶Item Io. 18. Dicit Christus Regnum meum nõ est de hoc mũdo: ergo Christus non est rex huius mundi: ergo mundus regnum diaboli est. Sed dicẽdum ꝙ regnum Christi fideles vocantur, qui non sunt de hoc mundo, quia nõ sunt dediti mundanis: sunt tamen in mundo, sed quasi exulantes & æternum regnum Christi desiderantes. Io. 15. Si de mundo fuissetis, mũdus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Fuerunt etiam quãdoque Apostoli de mũdo scilicet de amatoribus mundi, sed iam non erant. Item Ioann. 17. De mundo non sunt, sicut & ego nõ sum de mundo. Regnum etiã Christi in quo ipse perfectè regnat, regnũ cęleste est: vbi nihil fit nisi beneplacitũ suum, de quo potest intelligi verbũ prædictum. ¶Item legitur 2. Cor. 4. In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium: diabolus ergo Deus huius seculi est. Sed ad hoc satis respondet Pau. 1. Cor. 8. dicens: Scimus quòd nullus est Deus, nisi vnus: nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra, si quidem sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia. Diabolus ergo nuncupatiuè solũ Deus vel dominus est, & nõ secundum veritatem. Vẽter etiam aliquorũ Deus, vocatur, ad Phil. 3. vbi dicitur, Quorum Deus vẽter est: non tamen vẽter creator eorum est. Item 1. Ioann. vlt. Mundus totus in maligno positus est: ergo malignus fecit mundũ. Sed non sequitur: nõ enim dicitur ꝙ mundus à maligno conditus sit, sed in maligno positus: id est, in potestate maligni: amatores enim mundi qui mundus dicũtur, suppo suerunt se seruituti maligni. ¶Itẽ legitur Eph. 2. Eramus natura filij iræ: ergo eramus natura mali, ergo natura est mala, ergo à principio malo. Ad quod dicendum, ꝙ sicuti contingit patrem carnalem adeò irasci filio propter magnitudinem culpæ eius, vt ira illa extendatur etiã ad filiũ filij quantũ ad priuationem hæreditatis vel alterius beneficij quod esset ei daturus, nisi fuisset culpa patris: sic Deus adeò iratus fuit primis parentibus propter magnitudinem peccati eorũ, vt ira illa extẽderetur vsque ad filios eorũ, quãtum ad priuationẽ visionis diuinæ. Nullus enim homo dignus fuit videre facié Dei vsque ad Christum, in quo Deus pater sibi bene complacuit, per quẽ credentes in eum perfectè sunt reconciliati Deo. In verbo ergo Apostoli, natura dicitur non prout est primò instituta, sed pro natiuitate qua nati sumus à parẽtibus qui peccauerũt, à quibus habebamus ꝙ filij iræ essemus. ¶Causam quare valde magnum fuit peccatũ Primorum parẽtum, tãgit Aug. 14. lib. de Ciui. Dei, dicens: In paradiso tanto maior inobediẽtia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit: vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tãtæ potestatis imperio, & tanto terrẽte supplicio? ¶Rationes quibus instituntur Manichæi, hæ sunt. Dicunt enim: si Deus bonus creauit ista corruptibilia, aut potuit ea facere incorruptibilia, aut non. Si non potuit, impotens fuit. Si potuit & noluit, inuidus fuit. Sed

mira est cõsequẽtia ista q̃ Deus inuidus fuerit, si facere vel dare noluit quod potuit. simile enim est, acsi diceretur: fuit inuidus, si nõ prodigus, vel indiscretus. Sapiẽtiæ est moderari potestatẽ & volũtatẽ. Insipiẽs est qui omnia vult quæ potest. Sũmæ bonitatis fuit, q̃ visibilia ista fecit. Sapientiæ verò fuit, q̃ voluit ea finẽ habere, vt manifestũ fieret ea habuisse principiũ & esse, quod poterãt amittere, aliunde habuisse, & sic essent via veniẽdi ad cognitionẽ Dei: voluit enim Deus bona tẽsitoria esse, ne quis adhæreret eis bonis permanẽtibus neglectis. Aug. O munde immunde quid strepis? quid auertere conaris? tenere vis fugiẽs, quid faceres si maneres? Itẽ peccare est spreto incõmutabili bono cõmutabilibus adhærere. ¶ Alia ratio eorũ est, q̃ videt multa noxia inter creaturas quæ nullã videtur habere vtilitatẽ: vt sunt serpẽtes, muscę, araneæ, quæ non videntur eis esse à Deo. Sed certè nulla creatura est quæ nõ habeat vtilitatẽ, licet aliquãdo lateat. Aug. in li. 11. de Ciui. Dei: Venena ipsa quæ per inconueniẽtiã pernicioſa sunt, probè abhibita, in salubria medicamẽta vertũtur: nequaquã à cõtrario etiã hæc quibus delectãtur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno vsu noxia sentiuntur. Vnde nos monet diuina prouidentia, non res insipiẽter vituperare, sed vtilitatẽ rerũ diligẽter inquirere: & vbi nostrũ ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occulta: sic erant quædam quæ vix potuimus inuenire, quia ipsa vtilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. Idem lib. 11. Quid igne flammante, vigente atque lucente pulchrius? quid calefaciente, curãte, coquente vtilius, quãuis nihil sit eo vrente molestius? Creaturæ vtiles sunt discretè vtẽtibus, noxiæ indiscretè vtentibus. ¶ Inter creaturas quædã sunt creatæ in nutrimẽtum, vt herbæ & fructus arborum. Quędã in adiumẽtum, vt iumenta. Quędã ad humiliandum hominẽ: vt muscæ & pulices, à quibus homo nõ potest se defendere. Augu. Homo dicit tibi conuitium, & tumes, & iratus es: pulicibus resiste vt dormias. Quædam ad eruditionẽ, vt formica. Pro. 6. Vade ô piger ad formicã, & considera vias eius, & disce sapientiã. Quædã ad puniendum peccatores, vt gehẽna. Quædã ad exercitium patiẽtiæ nostræ, vt serpentes. Quędam ad consolationẽ vel delectationẽ, vt flores. Ber. Quanta largitus est nobis Deus ad sustẽtationẽ, quanta ad eruditionẽ, quãta ad cõsolationẽ, quanta ad correctionẽ, quãta ad delectationẽ? ¶ Alia ratio eorum est, q̃ videt multa in hoc mundo inordinatè fieri, propter quod eis videtur q̃ Deus nõ sit huius mũdi rector, nec dominus, neque creator. ¶ Ad quod dicẽdum q̃ vniuersitas creaturarũ in

in mundo isto ordinata est: & vt ait Philosophus, Nulla res est cuius ortum legitima causa & ratio nõ præcedat. Iob 5. Nihil fit in terra sine causa. Etiã aues viles non moriuntur in mũdo isto sine Dei prouidentia. Matth. 10. Nõne duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet sũper terram sine patre vestro. As assis, est nomen ponderis, quod nõ solent ponderatores diuidere propter sui paruitatẽ. Eccl. 5. Ne dicas corã angelo, Non est prouidentia: qui angelus tibi deputatus est à Deo ad custodiam: ne fortè iratus Dominus super sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. Et in eodem: Si videris calũnias egenorum, violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, nõ mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior alius est: & super hoc quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terrę rex imperat seruienti. Aug. Omne quod in terra fit ab intelligibili aula summi Imperatoris, procedit iusta permissione, salubri ordinatione, vel efficaci voluntate. Bona Deus volendo ea efficit: mala verò iustè permittit fieri, & salubriter ordinat. ¶ Tripliciter autem mala sunt ordinata etiam mala culpæ. Primo modo, quia habent secum mala pœnæ, vt nõ sit dedecus culpæ absque dedecore pœnæ vel vindictæ. Iudas ita sedet in inferno, sicut lapis pretiosus in auro. Aug. in libro de libero arbit. Nullo interuallo tẽporis ista diuidũtur, vt quasi alio tẽpore nõ faciat quod debet, & alio patiatur, ne vel temporis puncto vniuersalis naturæ pulchritudo turpetur, vt sit in ea peccati dedecus sine dedecore vindictæ. Secundò quia bona comparata malis pulchriora apparent. Aug. 11. lib. de Ciuitate Dei: Mala voluntas quæ ordinẽ naturæ seruare noluit, non ideò iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit: quia sicut pictura cum colore nigro, loco suo posito, ita vniuersitas rerũ, si quis possit intueri, etiã cũ peccatoribus pulchra est, quamuis eos per seipsos consideratos sua deformitas deturpet. Tertiò, quia prosunt bonis. Ro. 8. Scimus quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Aug. 11. lib. de Ciuitate Dei: Deus sicut naturarum bonarũ optimus creator est: ita malarũ voluntatũ iustissimus ordinator, vt eũ illæ malè vtãtur naturis bonis, ipse etiã bene vtatur volũtatibus malis. Itaque fecit vt diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus in inferioribus ordinatus illuderetur ab angelis eius: id est, vt prosint tentationes eius sanctis quibus obesse desiderat: & quum Deus eum conderet, futuræ malignitatis eius non erat ignarus, & præuidebat quę bona de malo eius esset facturus. Prętereà Psal. ait: Draco iste quem formasti ad illudendum ei: vt in

eo ipso ꝙ fecit eũ, licet per bonitatẽ ſuam bonũ, iam per ſuam præſentiã præparaſſe intelligatur quomodo illo vteretur & malo: neque enim Deus vllum nõ dico angelorũ, ſed vel hominum crearet quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret. Ber. Iucundũ Dei iudiciũ, quòd ille ſuperbus malleator humiliũ neſciẽs eis coronas fabricat perpetuas, omnes impugnando & omnibus ſuccũbẽdo. ¶ Alia ratio eorũ eſt, ꝙ ſi cauſa eſt immutabilis, erit immutabilis effectus. Sed hoc nõ eſt verũ vniuerſaliter. Nõ enim neceſſe eſt, ꝙ effectus aſſimiletur cauſæ efficienti volũtariè operãti: imò fœdus pictor interdũ pingit imaginẽ pulchrã, & pictor pulcher interdũ pingit imaginem turpẽ. ¶ Alia ratio eſt, quòd cõtrariorum cõtrariæ ſunt cauſæ, vnde cũ ſecundum eos bonũ & malũ ſint cõtraria, erunt à contrariis principiis, ſcilicet in principio bono & principio malo. Ad quod dicẽdũ, ꝙ illud verbũ, contrariorum contrariæ ſunt cauſæ: non eſt verũ vniuerſaliter. Cauſa enim efficiẽs volũtariè operans poteſt eſſe cauſa cõtrariorũ. Idẽ enim pictor poteſt facere imaginem albã & imaginẽ nigrã, & pulchram & turpẽ. Ro. 9. An non habet poteſtatẽ figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidẽ vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Sed cauſa naturaliter operans quæ operatur ſecundum ſimilitudinẽ, dans ſpeciem ſuã patienti, nõ poteſt eſſe cauſa cõtrariorũ: cũ nõ habeat in ſe contrarias ſpecies ſeu formas. Præterea malũ nõ eſt cõtrariũ bono, ſed boni priuatio: vnde nõ eſt neceſſe aliquid exiſtẽs ponere eius principiũ. Io. 1. Sine ipſo factũ eſt nihil. Aug. in lib. Soliloquiorum: Deus qui paucis ad id quod verè eſt refugiẽtibus, oſtendit malũ nihil eſſe. Idẽ. 12. lib. de Ciui. Dei: Malę voluntatis cauſa efficiẽs nihil eſt. Et iterũ: Nemo quærat cauſam efficientẽ malæ volũtatis. Nõ enim eſt efficiẽs, ſed deficiens: quia nec illa eſt effectio, ſed defectio: deficere enim, quod ab eo ſummè eſt ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere volũtatẽ malã. Quod idẽ Aug. exclamat in lib. de lib. arb. dicẽs: Peccare eſt ſpreto incõmutabili bono, bonis cõmutabilibus adhærere. Idẽ in li. de natura boni: Deus nõ plãtauerat arboré malã in paradiſo, ſed ipſe erat melior qui eã tangi prohibebat. Nõ eſt ergo peccatum malæ naturæ appetitio, ſed melioris deſertio. ¶ Itẽ cũ duplex dicatur eſſe malũ, malũ, ſ. pœnæ, & malum culpæ. De malo pœnæ cõſtat, ꝙ bonũ eſt, cũ ſic punitiuũ & deſtructiuũ mali culpæ, & à Deo poteſt eſſe, cũ ad iuſtitiã eius pertineat punire offenſas ſuas, & hoc cedat Deo ad gloriã. Aug. 12. lib. de Ciui. Dei: Cùm in pœnis eſt natura vitioſa exceptо

ceptо eo ꝙ natura eſt, etiã hoc ibi bonũ eſt, ꝙ impunita nõ eſt: hoc enim eſt iuſtũ, & omne iuſtũ proculdubio bonũ. Itẽ in li. de natura boni: Peccãtes ordinãtur in ſuppliciis: quę ordinatio quia naturæ eorũ nõ cõpetit, pœna eſt: ſed quia culpæ cõpetit, iuſtitia eſt. Itẽ cũ alicui pœna debita redditur, nulla eſt iniquitas apud Deũ: quia melius ordinatur natura vt iuſtè doleat, quã in peccato impune gaudeat. Malũ etiã culpę eſt in natura bona. & ideo malũ eſt, quia naturæ bonæ nocet. Aug. 12. li. de Ciui. Dei: Etiã vitio valde magna valdéque laudabilis oſtenditur ipſa natura. Cuius enim rectè vituperatur vitiũ, proculdubio natura laudatur, nã recta vitii vituperatio eſt, ꝙ eo honeſtatur natura laudabilis. Itẽ ſi naturę bonę nõ eſſent, eis vitia nocere nõ poſſent. Nũquid eis nocẽdo faciũt, niſi, ꝙ adimũt integritatẽ, pulchritudinẽ, ſalutẽ, virtutẽ, & quicquid bonę naturę per vitiũ detrahi ſiue minui cõſueuit: Quod ſi omnino deſit, nihil boni adimẽdo, nõ nocet, ac per hoc nec vitiũ eſt. Nã eſſe vitiũ & nõ nocere, eſſe nõ poteſt. Idẽ in li. de natura boni: Nõ poteſt eſſe dolor in naturis bonis: hoc enim ipſum quod reſiſtit vt doleat: quodãmodo recuſat nõ eſſe quod erat, quia bonũ aliquod erat. Itẽ in animo dolorẽ facit voluntas reſiſtẽs poteſtati maiori: in corpore dolorẽ facit ſenſus reſiſtens corpori potẽtiori. Dio. Non eſt natura mala, ſed hoc eſt naturæ malũ, nõ poſſe, quæ ſunt naturæ perficere. Dama. Malitia nõ ſubſtãtia aliqua eſt, neque ſubſtãtię idioma, id eſt proprietas, ſed accidẽs, ſcilicet ex eò ꝙ ſecũdũ naturã volũtariè eſt euerſio. Idioma vel proprietas dicitur quod ineſt ſubſtãtię ſecũdũ primã inſtitutionẽ naturę, quod nõ eſt peccatũ. Dama. Omnia quęcũque fecit Deus ita manẽtia quẽadmodũ creata ſunt. bona ſunt valde: volũtariè autẽ receẽdẽtia ab eo quod ſecũdũ naturã ad id qđ prętter naturã eſt veniẽtia, in eo qđ malũ eſt. Fiũt igitur ſecũdũ naturã omnia ſeruiẽtia naturę, & obediẽtia ſunt cõditori. Quãdo igitur volũtariè aliqua creaturarũ effrenata & inobediẽs faciẽti eã fit, in ſeipſa cõſtituit malitiã. ¶ Malũ culpæ eſt actus deficiẽs vel imperfectus, & eſt velut fructus degener. Ab eadẽ vite poteſt eſſe vua & labruſca. Eſa. 5. dicitur de vinea ſynagogę: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Et Hier. 2. Ego plãtaui te vineã electam omne ſemen verũ: quomodo ergo cõuerſa es in prauũ vinea aliena? Eundẽ patrẽ poſſunt habere filius degenerãs, & filius ſecũdũ generoſitatẽ patris viuens. Sic ab eodẽ poteſt eſſe bonus actus, ſcilicet ex libero arbitrio. Sed malus actus qui eſt actus imperfectus, eſt ab eo non defectu, ſicut eadẽ potẽtia gradiendi poteſt eſſe principiũ rectæ ambulationis & claudicationis: ſed clau-

dicationis est principium ipsa deficiēs. Dion. Bonum in quibuscunque perfectè inest, perfecta facit & integra & pura & optima: minus verò ipsum participantia & imperfecta sunt bona & mista per defectum boni. Itē defectus formæ est priuatio ordinis: hoc nō omnino malum, sed minus bonū. Itē malū est infirmitas & defectus boni, & sicut ex stipite arboris inflexibili est virga flexibilis, eò q̄ virga est tenuis & infirma: sic ex Deo inflexibili ad malū est liberum arbitrium flexibile ab bonū & malum. Ad bonū, quia ex Deo bono: ad malum, quia ex nihilo. August. in libr. de fide, ad Pet. Quia Deus summè bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit vt bonæ sint. Ideò naturæ factæ ex Deo proficere possunt, quia esse cœperūt. Ideò deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Idē in li. de lib. arb. Ideò possibilitas ad defectū est in creatura: quia à nō esse in esse procedit. Secūdum Damas. Quæcūque creata sunt alterabilia sunt, vel secūdū corruptionē, vel secūdū electionē, vel voluntatē. Secundū corruptionē, corruptibilia ista: secundum electionē vel volūtatē, spirituales substātiæ. ¶ Et notādū, q̄ actus qui est peccatū, malus est, cùm sit miseriæ adductiuus. Dio. Nō est malum puniri, sed malum est dignum pœna fieri. Est etiam malus qui Deū bonū ostēdit cōmutabile ei prælegendo. Peccamus enim prælegētes, vt dicit Aug. & hæc prælectio cōtumeliosa est. Itē malus est: quia potētiā & à qua est corrūpit, diminuendo habilitatem eius ab bonū. Iusto enim iudicio Dei fit, cū potētiam Domini à quo est offendit, vt ipsa corrūpatur ab actu qui ab ea est. Et sicut virga flexibilis ad dexterā & sinistrā, si frequēter flectatur ad sinistrā, remanet magis inclinata ad partē illā: sic liberum arbitrium si frequēter inclinetur ad malum, pronū fit ad illud, & magis elōgatur à bono. Itē est malus: quia legi diuinæ est cōtrarius, & ita volūtati diuinæ non subiectus. Secūdū illud Aug. Peccatū est factū, vel dictū, vel cōcupitū contra legē Dei. Itē est malus, quia imperfectus respectu actus qui deberet exire à tali potētia, scilicet libero arbitrio: est enim quasi brutalis actus qui in cane vel in leone nō esset malus actus, qui in libero arbitrio malus est. Et ponit exēplū Dionys. de ferocitate leonis & ira canis. Ira enim in cane bona est, cū sit animal custoditiuū, & ad ipsum pertineat extraneum abigere. Ferocitas etiam nō est mala in leone, cū naturam eius non corrūpat: quod enim nō corrūpit naturā, nō est malum, vt ait Dio. Itē malus est actus, quia est in habente rationem à quo ordinari debuit, & nō ordinatur: vnde in puero nōdum habēte vsum rationis malus nō esset, nec in insano qui rationē haberet omnino

omnino impeditā. Diony. Malū dæmoni est contra deiformē intellectū esse, animę cōtra rationē, corpori contra naturā. Et licet actus malus deficiens sit prædictis modis: tamen adhuc non est omnino priuatus bonitate, cùm principiū eius & finis sit bonū. Itē Dion. Principiū enim eius est liberū arbitriū, quod bonū est: finis eius est bonū aliquod trāsitoriū: nemo enim malū respiciēs facit quæ facit, vt ait idem Dion. Et propter bonū sunt omnia, & quæcūque sunt bona: & quæcūque sunt cōtraria: vt ipse ait. Et ponamus exēplū in comestione cibi vetiti, quę bona est in prę̄senti, quia delectabilis, licet in futurum occasio sit maioris tristitiæ, & potest esse expediens etiā ipsi agēti in casu. Vnde Aug. Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertū manifestúmque peccatū, vnde sibi displiceāt qui iā sibi placēdo ceciderant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit quādo fleuit, quā placuit quādo præsumpsit. Vnde vetū est quod dicit Diony. quòd nihil existentiū priuatur vniuersaliter bono. Et iterū: quod per omnē modū bono priuatū est nūquā nusquā, neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest. Et etiā malus actus ordinatus, vt prius ostēsum est. Dion. Factis malis optimè & pulchrè diuina prouidentia vsa est ad nostrā aut aliorū formationē aut vtilitatē. ¶ Subtractis erroris Manichæorū authoritatibus & rationibus qbus innitūtur, ponēdæ sunt authoritates & rationes quibus ipse directè destruitur, & quibus ostenditur vnicum esse principium à quo sunt omnia visibilia & inuisibilia. Et primò ponentur authoritates: quia, vt ait Augu. in lib. de morib. Eccle. naturæ ordo ita se habet, vt cùm aliquid dicimus, rationem præcedat authoritas: nam infirma videri ratio potest, quę cū reddita fuerit, authoritatem postea per quam infirmetur assumit. Legitur Matth. 6. Respicite volatilia cæli &c. Et subditur: Et pater vester cælestis pascit ea. ergo cibus corruptibilis quo aues pascuntur à patre cælesti est: nō ergo sola incorruptibilia ab eo sunt. Item Matth. 3. Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanū mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei! ergo decor quo herba prati vestitur, à Deo est. Eiusdem 5. dicitur de patre cælesti, quòd pluit super iustos & iniustos: ergo pluuia est ab eo. Itē Christo venti & mare obediūt tāquam domino. Matth. 8. Ergo ipse erat Dominus maris: simili ratione aliarum rerum visibilium. Item eiusdem 14. & 15. Ipse panes multiplicat, quibus pascitur populus: sed eiusdem potentię est panes sic multiplicare, & de nouo facere: ergo panes corruptibiles ab ipso poterant esse. Itē Marci 5. Viram mortalem amissam reddidit filiæ archisynagogi. Et vnico filio

viduæ.

viduæ. Lucæ 7. Et Lazaro. Io. 11. ergo non solum incorruptibilia: sed & corruptibilia ab ipso sunt. Et Marci 10. legitur: Ab initio creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus. Itē Lucę 11. dicit Pharisæis, Quod intus est vestrum, plenū est rapina & iniquitate. Stulti, nōne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit? Ergo ab eodem principio est anima & corpus. Lucæ 3. vbi texitur genealogia Christi, dicitur: Qui fuit Adam, qui fuit Dei: Adam ergo fuit filius Dei: fuit ergo à Deo, & non à diabolo. Item Ioann. 1. dicitur de Deo: Omnia per ipsum facta sunt. Ergo visibilia & inuisibia. Et post: Mundus per ipsum factus est. Et iterum: In propria venit, & sui &c. Non erant sui per gratiam, cū essent mali, ergo sui erant creatione. Item mutauit aquam in vinum corruptibile. Io. 2. ergo etiā corruptibilia sunt ab ipso. Romano. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c. Et paulò pòst subditur: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Præterea 1. Cor. 10. Domini est terra & plenitudo eius. Ephes. 2. Ipsius factura sumus &c. Eiusdem 3. In Deo qui omnia creauit. Colos. 1. In ipso condita sunt omnia, quæ sunt in cælo & in terra visibilia & inuisibilia. & 1. Timot. 4. In nouissimis temporib. discedēt quidam à fide &c. Et subditur, prohibentium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. Hebr. 1. Initio tu Domine terram fundasti &c. Et in eodem: Quem constituit hæredem vniuersorum. Act. 4. Domine, tu fecisti cælū & terram. Et 17. eiusdē: Deus qui fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cùm sit dominus. Et canonica Iudæ: Solum dominatorem & dominum nostrum Iesum Christum negantes. Et Apoc. 10. Iurauit per viuentē in secula seculorū, qui creauit cælum & omnia, quę in eo sunt, & terram, & omnia, quæ in ea sunt, mare & omnia, quæ in eo sunt. Et Petrus in li. cle. Totius mundi machinam cum vna esset domus, in duas regiones diuisit Deus, vt superior regio angelis, inferior verò hominibus præberet habitaculum. In symbolo etiam Apostolorum dicitur. Creatorem cæli & terræ. In hoc etiam conueniunt vobiscum nobiles philosophi. Plato loquens de Deo, Genitorē, inquit, vniuersitatis tam inuenire difficile est, quàm inuentum dignè profari. Boēt. li. Consolat. O qui perpetua mundū ratione gubernas, Terratū cęlique sator. Seneca. Vir bonus quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc accidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedūt. ¶ Nūc ponēdę sunt rationes ad destructionē dicti erroris. Dicunt Manichæi lucē & tenebras non posse esse ab eodem principio. Sed

eadem ratione vox & silentium erunt à contrariis principiis. Sic enim se habet silentium ad vocem, vt tenebræ ad lucem. Vnde Augustī. irridendo Manichæos. ait, Si est gens tenebrarum pugnans contra Dei lucem: quare non est gens silētiorum pugnans contra vocem? Item si lux est à bono Deo, visus qui melior est luce, cùm lux propter visum sit, & sine visu inutilis sit, erit à Deo: quis dubitat eum cui seruit lumen candelæ præualere luminī illi? Et si visus & lux quæ maximè est visibilis, sunt à Deo: eadem ratione auditus & audibile, olfactus & odorabile, gustus & gustabile, tactus & tangibile: ergo omnia corruptibilia corpora sunt à Deo. Itē cùm viuere sit melius quàm fulgere, si nihil potest fulgere sine Deo, multominus nec viuere, vt ait Augustī. Ergo omnia vitā habentia sunt à Deo. Item Aug. in lib. de duabus animabus: Sēsibus omnibus intelligentia præstat & excellit: ergo intelligibilibus sensibilia inferiora sunt. Dementia igitur est cū omnis vita & omnis anima solo intellectu percipi queat, sol autē & luna & omnis lux mortalibus oculis cernitur, quāliber animā Deo authore priuare, & quòd lux bono Deo tributa dicatur. Item aut ista corruptibilia sunt purè mala, aut mista ex bono & malo: ergo sunt quantum ad bonum à bono principio: quantum ad malum, à malo. ergo aliquod corruptibile à bono principio est. Præterea ergo secundum hoc est aliqua societas lucis ad tenebras, & aliqua conuentio Christi ad Belial: cuius contrarium ostenditur 2. Cor. 6. Sic verò sunt purè mala. Contrà cum bonum tripliciter dicatur, honestū, delectabile, expediens: hæ tres species boni inueniūtur in his corruptibilibus. Honestū, vt pascere esurientem, dare potū sitienti, & cætera opera misericordię quę cōmendat Dominus. Matth. 25. Delectabile, vt cū cōiungitur conueniens cum conuenienti. Expediens, vt cum infirmi bibunt potiones amaras, salubres tamen, vel causa sanitatis vruntur, vel secātur: ergo omnem spē boni possumus inuenire in his corruptibilibus: ergo non purè mala sunt. Itē quilibet sensus dicit aliquod bonū in eis, vt gustus dicit aliquod bonū vinum. Io. 2. Tu autē bonū vinū seruasti vsque adhuc. Dicit auditus vocē aliquā bonā. Dicit visus formā aliquā bonā. Dicit tactus vestem aliquam bonam & suauem. Dicit odoratus aliquem odorem bonum. Ergo sicut ille qui negat niuem esse albam, sensu indiget: sic Manichæi omni sensu videntur indigere. Ipsi videntur esse & cæci & surdi, & aliis sensibus indigentes: nec digni sunt vt cōrra errorem eorum disputetur. Arist. Non oportet omne problema nec omnium positionē cōsiderare, sed quam dubitabit aliquis ra-

tionis

tionis indigentium & non pœnæ vel sensus. Videtur quòd ipsi velint hominibus oculos eruere, & non solũ oculos, sed omnem sensum eis auferre, vnde multũ sunt odiendi quantum ad hanc malitiam. Videtur etiam bestiis bestialiores esse: cùm bestiæ inter hæc corruptibilia, quædam bona sibi à quibusdam malis distinguant, hæc fugiendo, illa appetendo. ¶ Item cognitio boni bona est: ergo cùm lux bona sit, cognitio lucis bona est: ergo in illis corruptibilibus quæ possunt lucem cognoscere, aliquid boni est: ergo non sunt purè mala. Item legitur Matth. 6. Benefacite his qui oderunt vos &c. vt sitis filii patris vestri qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos: ergo pater cælestis facit bonum malis, faciẽdo solem suum oriri super eos: ergo mali sunt receptibiles boni ipsius. Sed potentia recipiendi bonũ bona est: ergo ipsi habent aliquid boni: ergo nõ sunt purè mali. ¶ Itẽ corruptibilia ista aut ideò mala sunt, quia possunt corrumpi, aut alia de causa. Si quia possunt corrũpi: ergo creata sunt mala. Omnia enim à Deo possunt dissolui quæ ab eo sunt composita. Facilius enim est destruere quàm cõstruere: vt ait Philosophus. Ioã. Damasce. Omne quod incipit esse, finitur secundũ naturam. Greg. Esse omnium quæ de nihilo sunt in nihilum tenderet, nisi ea omnium author manu regiminis retineret. Omnia itaque creata, nec per se subsistere, nec mouere prealẽt. Quod dicit Greg. sic potest probari. Quod semel requiritur ex necessitate ad essentiã alicuius rei, semper ad eã requiritur: sed prima causa requirebatur ad hoc, quòd hęc anima esset quãdo primo fuit: per aliã enim causam nõ potuit à nõ esse in esse adduci: ergo semper prima causa ad hoc quòd illa anima sit, requiritur. Itẽ si non potuit illa anima esse in a, nisi per primã causam: ergo eadem ratione nec in b, nec in c, & sic de vno quoque instanti, in quo ipsa fuit: ergo prima causa requiritur ad esse huius animæ: eadem ratione ad esse vniuscuiusque creaturæ. Item sicut inchoatio diei est à sole visibili: sic eius continuatio, & si desinat esse sol, vel lumen eius iuxta ipsum intercidatur, desinit totum lumen esse in aëre. Sic posito quòd prima causa desinat esse, vel cesset à conseruatione rerũ quas creauit, omnes desinunt esse. Sicut vita corporis inchoationem habet ab alia: sic & continuationem. Vnde recedente anima à corpore, desinit corpus viuere: sic si prima causa desineret esse, cuncta desinerent esse. Item sicut ascensus lapidis in aëre non potest fieri propria virtute: sic nec permanentia ipsius ibidem. Non minoris virtutis est in bono inchoato perseuerare, quam illud inchoare. Ouidius in epistolis: Nõ minor est virtus

virtũs, quàm quærere, parta tueri. Sic non minoris est virtutis creata in esse cõseruare, quàm creare. Aug. Deus ex nihilo omnia fecit, & si se subtraheret, in nihilum redigerentur. Et Plato introducit Deum loquentem ad nobiliora opera sua, dicentem ea natura dissolubilia, volũtate verò sua indissolubilia. Si verò sunt mala alia de causa: aut sunt mala quia variabilia, aut propter aliud. Si quia variabilia: ergo animæ quæ sunt à principio bono erunt malæ: cùm sint variabiles ab ignorantia ad scientiam, à gaudio ad tristitiã, ab iniustitia ad iustitiam. Lucę 15. Gaudium erit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ex hoc verbo cõstat quod aliquis potest peccare & malus fieri: & qui iam peccator est, per pœnitentiam fieri bonus. Sed cuius erit hæc variatio? Aut purè boni, aut purè mali. Purè malum nullatenus potest fieri bonũ, quũ sit essentialiter malũ: vnde si desinit esse malũ, desinit esse. Neque purè bonum secundum eos potest fieri malum: ergo perit pœnitentia. Aug. Nũquàm negauerunt Manichęi dari veniã peccatorũ, cùm fuerit ad Deũ quisque conuersus: quæro ex illis, duobus generibus animarũ, cuius sit pœnitere peccati? & scio hoc nec illius animæ posse quę malefacere, nec illius quæ benefacere potest. Dic etenim anima quam de substantia Dei assẽrunt, quomodo nihil ex me mali si ego perperàm feci? Aut quomodo recte pœnitet, si ego nõ feci? Audi partẽ alteram. Quomodo ex me nihil boni est cui bona voluntas inest? Aut quomodo me rectè pœnitet si non inest? Mihi autem satis est sic scire quòd Manichæi errant, aut scio pœnitendum esse peccati. Si verò mala sunt propter contrarietatẽ quã habent: ergo cùm summè bonũ habeat cõtrariata sunt quia corporalia & visibilia: ergo sol & luna & stellæ mala essent, cùm sint corpora visibilia. Si verò mala sunt propter contrarietatẽ quã habẽt adinuicẽ, mala dicũtur: sicut aliqua dicuntur mala, quia cõtrarietatẽ & bellũ habẽt cũ aliquibus: sic & bona dicẽda sunt propter cõuenientiã & pacẽ quam habẽt cũ aliis, vel bona simpliciter, vel bona quãtum ad hoc: ergo nõ erũt purè mala. Et si odium inter aliqua corruptibilia malitiæ attestatur: amor qui inter aliqua inuenitur, bonitati attestabitur. Præterea cum bonum sit quod desideratur ab omnibus: vt ait Dionys. & secundũ Arist. omnia bonum exoptent, & omnia appetãt esse sui conseruationẽ: esse vniuersaliter est bonũ. Dolor qui inuenitur etiam in animalibus irrationabilibus quũ occiduntur vel lædũtur, attestatur amori quẽ habent ad suũ esse. ¶ Præterea quũ sit scriptum in corde hominis, quòd sicut bona sunt faciẽda, ita mala sunt de-

struen

Universidad de Deusto Biblioteca

strueda: si corruptibilia ista sunt mala, destructio illorum est bona: ergo contrarietas vel potestas destruendi se inuicē bona est. Itē si corruptibilia ista mala sunt, quia destructiua sui inuicem, necessariò esse eorū bonum est: ergo cùm Manichæi ponunt ꝙ mala sunt quæ sunt destructiua sui inuicē: per cōsequens ponunt quòd ipsa sunt mala & bona. Itē si principiū malū, per se potest esse causa malorū: ergo semper potest esse causa eorū: ergo potest perpetuare ea: ergo perpetua & nō solū corruptibilia possunt esse à principio malo. Itē cùm aliqua mors iusta sit, secundū illā sententiam domini, Matth. 26. Omnes qui gladium acceperint, gladio perhibunt. ergo mors potest esse à Deo, & corruptio: ergo corruptibilia possunt esse à bono principio. Item corruptio istorum corruptibilium, aut est bona, aut est mala. Si bona: ergo est à Deo bono: ergo corruptibilia possunt esse ab eo. Si mala, sed cuius corruptio mala est, ipsum quoque bonum, iuxta verbum Sapientis: ergo ipsa sunt bona: ergo possunt esse à Deo bono. Item principium malū aut est mutabile, aut nō. Si nō est mutabile, ergo nō erūt potius mutabilia ab eo, quàm à principio bono. Præterea immutabilitas nō solū pertinet ab bonum, imò ad optimū. Diony. Propriū est optimi esse semper idipsum. Senec. Necesse est eadem placere, cui nisi optima placere non possunt: Deo scilicet. Diony. Malū quidē instabile est. Itē nō sunt immobilia & semper sic habentia mala: ait idem Diony. Non est ergo principium mali immutabile. Itē cùm sapiētia bonū sit, nō erit in summo malo. Stultus autē vt luna mutatur. Eccl. 27. Sene. Stultitiæ nihil cōstat, nihil diu placet. Si verò principium mali mutabile est: ergo habet aliquā compositionē ad minus quæ est proprietatis ad subiectum. Vbi enim est mutatio & recessus alicuius proprietatis & accessus alterius: necesse est etiā ibi esse aliquam essentialē compositionē. Nihil enim est agens & patiēs secundū idē. Ergo oportet aliquid esse in eo quod agit dādo esse eis quorū est principium, & aliquid quo recipit proprietatē quæ ei aduenit eū mutatur. Si autē cōpositū est: ergo cōpositū ab aliquo quod est eius principiū: aliud autē principiū habere nō potest, nisi principiū bonum: ergo est à bono principio: sed ab eo nō potest esse nisi bonū fuit: ergo ab eo factū bonū, sed postea factū est malū. Et hoc est quod veritas dicit Ioā. 8. Ille homicida erat ab initio: ergo habuit initium. Et subditur: Et in veritate non stetit. In bona enim voluntate non perseuerauit. Item Luc. 10. Videbam sathanā sicut fulgur de cælo cadentem. Fuit ergo aliquādo bonus & in cœlo: sed peccauit, & de cælo cecidit. Item radix omnium malorū est cupi-

cupiditas. 1. Timo. vlt. Ergo ante cupiditatem non est malum, sed antè est naturaliter potentia, à quo exit actus cupiditatis: ergo potentia illa non est mala: ergo natura ipsius diaboli bona est. Præterea si principium mali non habet principiū, ergo habet esse, & non ab alio: sed hoc non solūmodo boni est, sed etiam melioris: melius enim est quod natura est, quàm acquisitiuum: ergo principiū mali non solum bonū est, sed etiā melius his quæ esse incœperunt. Item proprium est Altissimi, à nullo aliquid tenere, nulli aliquid debere, nulli subesse: absit ergo vt talia malo conueniant. Præterea, impossibile est duo esse principia absolutè. Si enim aliquid est principium absolutè, est primū. Si autē est primum, non habet prius vel coæuum. Vnde Dionysi. Omnis dias siue dualitas non est principium: monas autē siue vnitas erit totius diadis, id est, dualitatis principiū. Item, oppositorū oppositæ sunt causæ: ergo si principiū boni est ens, principiū mali est non ens. Aug. 12. lib. de Ciuitate Dei: Et naturæ quæ summè est, qua faciente sunt quæcunq; sunt contraria naturæ, non est nisi quæ non est. Item aut principiū boni & mali in aliquo cōueniunt, aut in nullo. Si in nullo, ergo nec in esse, nec in potētia: ergo si principium boni est, principium mali non est. Et si principium boni est, omnipotēs: principium mali est, nihil potens: ergo nullius rei principium. Si verò conueniunt in aliquo, vt in eo quod est esse, & viuere, & intelligere, & posse: non est ergo purè malum quod in nullo conuenit cum summè bono. Dionysius: Si omnino bonū consumpseris, neq; essentia est, nequevita, neque concupiscentia, neque motus, neque aliquid aliud. Præterea aut in aliquo differūt, aut non. Si non, ergo sunt idem principiū, & nō duo principia. Si verò in aliquo differunt, hæc differentia uidetur esse in malitia voluntatis. Posito enim quòd voluntas eius sit bona, iam habet pacem & amicitiam cum summo bono, & non contrariatem. Sicut enim pax est hominibus bonæ voluntatis, Luc. 2. sic & angelis bonæ voluntatis. Iam imago Dei relucet in eo, quum in eo sit & potentia, & sapientia, bonitas siue bona volūtas: vnde relinquitur quòd à Deo sit. Similitudo enim inter aliqua ostēdit ea eandem vel similem causam habere, vel vnū esse causam alterius. Præterea si principiū mali in aliquo differt à principio boni, & in aliquo conuenit: ergo ipsum habet aliquid & aliquid: ergo est cōpositum, ergo non est principium primū. Illud enim est prius à quo compositum est. Item constat quòd principiū bonum est perfectū, & sine aliquo defectu. Matt. 5. Pater vester cælestis perfectus est. Damas. Deus perfectus est, & indeficiēs; & se-

cundum bonitatem, & secundū sapientiam, & secundum virtutem, sine principio, infinitus, æternus, incircūscriptibilis, & simpliciter per omnia perfectus: ergo potentia ipsius nō habet defectum, nec admistionē impotentiæ: ergo nihil est quod non subsit illi potentiæ: ergo dominium eius vniuersale est: & nihil est exceptum ab eius iurisdictione: ergo si principium malum habet potestatem aliquam, potestas illa est à Dei potentia, & sub ea. Matth. vlti. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, ait Christus. Et Rom. 13. Non est potestas, nisi à Deo. Et vt vno verbo dicamus, Dei potentia omnipotentia est. Apo. 4. Sanctus, sanctus, sanctus Deus omnipotēs, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Eiusdem 5. Magna enim & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Et 16. Domine Deus omnipotens vera & iusta iudicia tua. Et 21. Dominus Deus omnipotens, templū illius est. Et Mat. 19. dicitur, quòd apud Deum omnia possibilia sunt. Et Luc. 1. Nō erit impossibile apud Deum omne verbum. imò quod plus est, omnia possibilia sunt credenti in eum. Matt. 9. & Matt. 17. Nihil impossibile erit vobis. Manifestum est ergo ex prædictis, diabolum non esse exemptū à potestate Dei. Vnde Lucæ 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem potestatem inimici. Non est ergo diabolus principiū malum æternum quod sit à se: sed natura eius à bono principio est, & ab institutione prima bona: sed à corruptione voluntatis est in eo malitia. ¶ Præterea cùm Deus sit incircunscriptus, non sic capitur vno loco, quòd non possit esse in alio: nec potest esse locus sine eo, quod non esset si duo essent principia. Dama. Quomodo diis multis existentibus incircunscriptibile seruabitur, quod in Deo dicimus? Vbicunque enim fuerit vnus, nequaquam erit alter. Item cùm castra destruantur propter diuersitatē dominorum: quomodo non esset iam mundus dissolutus, si essent diuersi domini? Damas. Qualiter à multis gubernabitur mundus, & non dissoluetur, & corrumpetur pugna in gubernantibus considerata? Et subdit: Si autem dixerit quis, quoniam vnusquisque parti principatur, quid est quod ordinat & permanentiā eius facit? illud vtique erit Deus magis. Item si multos diceremus deos, necesse esset differentiam in multis considerari. Si enim nulla est differentia in eis, vnus magis est, & non multi. Si autē differentia est in eis, vbi est perfectio? Siue ei secundū bonitatem, siue secundum virtutem, siue secundum sapientiam, siue secundū tempus siue secundum locum defecerit à perfectione, nequaquam erit Deus. Item non minus pertinet ad Deum bonitas, quàm potentia,

tia vel sapientia: ergo sicut ridiculū esset ponere aliquem Deum, sine potentia vel sapientia: sic ridiculum est ponere Deum, sine bonitate. Dionysius: Neq; diuinum malum est, neq; malum diuinum. Præterea, impossibile est perfectā esse sapientiam & potentiam absque bonitate. Impotentia enim est, si nō potest velle bonum cognitum. Si autem potest velle bonum, non est sine aliqua bonitate. Posse enim velle bonū, bonum est. ¶ Itē duo sunt principia: aut principiū malum est inuisibile sicut bonum, aut est visibile. Si est visibile, est corpus, & ita compositum: ergo habuit initium. Si verò inuisibile, ergo per ea quæ facta sunt conspicitur, sicut & principium bonum. Cùm ergo esse principij per se eorum, quæ facta sunt, agnoscatur: per quid cognoscetur multitudo principiorum, nisi multitudine eorū quæ facta sunt? ergo tot sunt ponenda principia, quot sunt res factæ. Si verò cōtrarietate rerum quæ factæ sunt cognoscatur diuersitas principiorum: ergo omnia contraria erunt à contrariis principiis: ergo album & nigrum non erunt ab eodem principio, neque calidum & frigidum, & sic de aliis cōtrariis; vnde oportebit multo plura principia, quàm duo poni. Item potentia Dei & sapientia, de quibus constat, sufficiunt ad creationem omniū, & ipsa mors etiā potest esse ad eius bonitatē. Multoties enim valde vtilis est homini, vt viris sanctis, quibus est finis miseriæ & porta gloriæ: vnde multum desideratur ab eis, vt in Paulo patet Phili. 1. Desideriū habeo dissolui, &c. Etiam mors malorū est à iustitia Dei. Luc. 12. Timete eum qui postquā occiderit habet potestatem mittere in gehennam. De potentia verò alia non potest constare per aliquem prium effectū eius. Quanta ergo fatuitas est, Deo omnipotenti propter illam potentiā somniatam auferre dimidium regni sui, & gloriæ suæ? Quis est qui nesciat quòd duo possunt habere eundem patrem, vnus tamen eorū est sanus, & alter æger, & filio existente infirmo pater potest esse sanus, & ab eadem radice potest esse & spina, & rosa? Præterea quotidie videmus hoc in corporibus, corpus quod sanū est fieri ægrū, & econtrario. Idem etiam necesse habemus concedere de animabus: anima enim peccando potest fieri mala, & pœnitentiā agendo potest fieri bona. Alioquin pro nihilo monetur aliquis ad agendum pœnitentiam. Matt. 3. Agite dignum fructum pœnitentiæ. Et eiusdem 4. Pœnitentiā agite: ergo potest accidere in spiritibus corpori non vnitis, vt qui boni sunt natura, fiant mali malo consentiendo. Vnde 2. Petr. 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in

iudicium reseruari,&c. Et canonica Iudæ, Angelos qui non seruauerũt principatum suum, sed dereliquerũt suum domicilium, in iudicium magni Dei uinculis æternis sub caligine reseruauit. ¶Et aduertendum est, quoniam sapiẽtia Dei voluit, quòd aliqua diuersitas creaturarũ contrarietatem principiorũ posset ostendere: Prima diuersitas in rebus est substantiæ & accidentis: sed vnum istorum inest alteri, scilicet accidens substantiæ. Substantia verò causa est accidentis, nec possunt esse à contrariis principiis, cùm tanta sit eorum conuenientia & adhærentia, & maximè cùm nulla sit societas lucis ad tenebras, nec conuentio Christi ad Belial. 2. Corinth. 6. Alia est diuersitas materiæ & formæ, quarum conuenientia manifestè indicat ea non esse à diuersis principiis. Alia est diuersitas substãtiæ corporeæ & incorporeæ. Sed cùm substantia incorporea perfectior sit corporea, & conueniat cum ea ad perficiendum vnum, vt in arboribus est vegetabile, in brutis animalibus sensibile, & in hominibus anima rationalis: manifestũ est quòd non sunt à cõtrariis principiis. Alia diuersitas est corruptibiliũ. Sed nec ista diuersitas ostendit contraria esse principia, cùm corruptibilitatẽ inueniamus non solum in corporibus, sed etiam in substantiis incorporeis, vt in vegetabili, & sensibili: imò quædam corruptibilitas videtur esse in omni creatura à prima cõditione ipsius. Quia sicut ait Augu. in lib. de ciuitate Dei: omnis creatura mutabilis, quia de nihilo facta. Præterea corruptibile & incorruptibile conueniunt ad vnũ perficiendũ: vt corpus & anima ad perficiendum hominẽ: & est naturalis amor vnius ad alterũ, quod indicat separatio vnius ab altero, quæ cum dolore fit: ex quo manifestum est ea non esse ex contrariis principiis. ¶Item si duo sunt principia, vnum boni & alterum mali: aut creare pertinet ad principiũ boni, sicut ad principiũ mali, aut non. Si non, aut principium mali ex materia, quæ sit à principio bono, operabitur, aut nihil omninò operabitur. Si nihil omninò, ergo non erit principium. Si ex materia creata à bono principio, quod tamẽ fiet, nõ erit purè malũ, cum materia sit bona. ¶Præterea forma quæ erit à principio malo, mala erit, nec cõueniet materiæ bonæ, vt faciat vnum cum ea. Si uerò creare est vtriusque principii, aut bonũ principiũ habebit hoc à malo, aut malũ à bono, aut ambo ab altero. Dion. Si malum æternũ est, & creat, & potest, & est, & agit: vnde ei hoc, aut ex bono, aut ex malo, aut ambobus ex alia causa? Si bonũ principiũ hoc habet à malo, malũ tantummodo erit principiũ & nõ bonũ. Si malũ à bono tantũ, bonũ erit principiũ & nõ malũ. Si ambo ex alia

alia causa, illa magis erit principiũ. Itẽ cùm operatio sit secundum virtutẽ, & virtus secundũ essentiã: si operatio creãdi communis est duobus principiis, vna virtus cõmunis erit illis à qua erit ista operatio, & vna essentia siue vnũ essentiale ad quod pertinebit virtus ista. Et si illud erit principiũ malũ, purè malũ, cùm habeat bonũ sibi essentiale. Si vero illud est malũ, nõ erit principiũ bonũ summè bonũ, cùm habeat malũ sibi essentiale. Præterea si duo principia in aliquo essentiali cõueniunt, & in aliquo alio differũt, vtrunque cõpositũ est: ergo neutrũ est principium simpliciter, cùm aliquid sit prius à quo compositũ est. ¶Præterea malum videtur esse cõtra naturam principij. Ad principiũ enim pertinet facere, non destruere: malũ verò destructiuũ est. Dion. Malo natura est corrumpere & perdere. Itẽ malum secundum quod malũ nullius est generatiuum vel nutritiuũ, aut omninò factiuũ, vt saluatiuũ: ergo malum non est primum principium. Itẽ bonũ inquantũ bonũ est ex se diffusiuum, vt ait Diony. quia multiplicatiuũ est: ergo cùm malum bono sit cõtrariũ secundũ quod malũ: nõ erit multiplicatiuum, sed potius retentiuum vel contractiuũ: ergo non erit principium. Item corruptio naturaliter est posterior generatione: ergo potentia corrumpendi erit potẽtia generãdi. Quæ enim est proportio actus ad actũ, & eadẽ est potẽtiæ ad potentiã: ergo destructiuum boni naturaliter est posterius principio boni: ergo malum & bonũ non sunt principia cœcua. Item priuatio naturaliter posterior est habitu: ergo destructiuum boni naturaliter est posterius bono. Item aut sunt aliqui spiritus mali à principio malo, aut non. Si non, sed cõstat quòd sunt aliqui spiritus mali ex Euãgelio in multis locis. Matt. 12. Cùm immundus spiritus exierit, &c. Et paulò pòst: Et assumit septem spiritus nequiores se. Et Lucæ 8. de quodam dicitur, Ruptis vinculis agebatur à dæmoniis in deserto. Et interrogauit illum Iesus, quod tibi nomẽ est? At ille dixit: Legio: quia intrauerãt multa dæmonia in eũ. Aut igitur sunt æterni spiritus illi, aut non. Si sic, non sunt ergo tantum duo principia, à quibus sint omnia alia. Præterea cùm boni spiritus creati sint, verisimile est quòd & mali spiritus sint creati. Absit enim quòd hęc nobilis cõditio nõ esse ab alio sit in malis spiritibus, & nõ in bonis. Si verò creati sunt: ergo aut ex principio bono, vel ex malo. Si à bono, ergo tunc erãt boni: sed post facti sunt mali, sicut asserit veritas fidei catholicæ. Si verò à principio malo: ergo ab eo nõ solũmodo sunt corpora, sed etiã spiritus: nec solùm corruptibilia, sed etiã incorruptibilia. Itẽ dicit Sen. in lib. de Naturali° quę-

stio. Deus est quo maius excogitari non potest. Et sicut ait Augustin. in libro de fide ad Petr. Deus est immensus virtute, non mole. Virtus ergo Dei est, qua maior excogitari non potest: sed maior est virtus quæ summè malum potest destruere, quàm quæ non potest: ergo virtus diuina potest summè malũ destruere: ergo summè malũ habuit principium, & potest finem habere: ergo non est primum principium. ¶ Præterea ad bonitatẽ pertinet non solum velle bonum facere, sed etiam velle malũ destruere, & magis malũ magis velle destruere: ergo maximè malum maximè velle destruere: ergo cùm summè bonum habeat potestatem illud destruendi, iam illud destruxit tanquàm radicem omnis mali. Securis enim ad radicem arboris à sapiente ponitur, non ad ramos: hac radice extirpata omne malum cessat. Item Deus excedit intellectum nostrum: potentior enim est agendo, quàm nos intelligendo: sed intellectus noster attingere potest tam regionem tenebrarũ, quàm regionem lucis: ergo Deus non est exclusus à regione tenebrarum: nec inclusus in regione lucis, vt dicunt Manichæi. Quod manifesto ostenditur 1. Cor. 6. Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritussancti qui in vobis est? Et eiusdem 3. Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Et subditur: Qui violauerit templum hoc, disperdet illum Deus. Græci verò sic habent: Qui corruperit templum hoc, corrumpet illum Deus. Deus ergo non est exclusus à regione tenebrarum. Nec membra illa mala sunt in quibus Deus habitat, & quorum violationem vindicat. Nec omnis corruptio mala est, ex qua Deus corrumpẽtes bonos corrumpit. Item cum magis conueniat aliquid cùm quolibet, quàm aliquid cum nihilo, quod potest per se ex nihilo aliquid facere, potest quodlibet ex aliquo facere: ergo quicunque potest creare, est omnipotens. Verisimile est quòd potentia quæ extendit se ad ea quæ non sunt, extendat se ad omnia quæ sunt: ergo cũ mancipium malũ non sit omnipotens, non potest creare. Itẽ si duo sunt principia, aut vtrunq; erit imperfectum, aut alterum erit superfluum. ¶ Item dicit Dama. Cõtraria sunt inuicem bonũ & pernicioſum, & sui inuicem corruptiua, & in se inuicem & cum se inuicem non subsistentia. Et subdit: Necesse est duorum esse alterum: vel tangere & corrumpere se inuicem, vel esse quid medium in quo nec bonum nec malum erit: velut quædam macheries separans ab inuicem vtraqua, & non duo, sed tria erunt principia. Item necesse est horum alterum vel pacificare, quod illud quod malum est, non potest: vel præliari, quod id quod perfectè

perfectè bonum est, non potest, vel quod malum est quidẽ præliari, & quod bonum nõ ex aduersario præliari, sed corrumpi vel semper cõtristari, vel malum pati. Itẽ beat⁹ est cui omnia optata succedunt: sed si summum bonum habet aliquid sibi cõtrarium, nõ omnia optata sibi succedunt: ergo nõ est beatum. Itẽ Deus bonus aut potest cohibere mala quæ fiunt à principio malo suis, & vult, & sic cohibet: aut potest, & nõ vult, si nõ est summè bonus aut vult, & nõ potest, & tunc est impotens. Item cùm bonum sit quod desideratur ab omnibus, vt dicit Dionys. ergo malum est quod oditur ab omnibus. Sicut ergo Deum diligit quicquid diligere potest, vt ait Augustinus, & ipse diligit omnes quos creauit, nisi ipsi fiãt mali, & inter eos est mutuus amor. sic mutuum odiũ erit inter eos qui sunt à malo principio, & ipsi odient malum principium, & ipsum eos. Ergo mirũ est si iã nõ destruxit eos. Nõ potest ergo stare regnũ tale nullo amore cõpactũ. Itẽ cũ ipsum summè malum sit, ergo vult malũ & sibi & suis, & nõ modicum malum, cùm nõ sit modicum malus: quo modo permittit ergo suos viuere? Itẽ aut princeps iste vel gens eius aliquid amat, vel nihil. Si nihil, ergo nec seipsum, quod nõ est verisimile. Si enim esset superbus, esset & amator gloriæ suæ. Præterea si non potest amare: ergo nec odire. amare enim & odire cõtraria sunt & nata fieri circa idẽ. Præterea principiũ bonũ & quę ab eo sunt, dicũtur odire mala & amare bona: ergo principiũ malũ odit bona & amat mala. Si verò amat aliquid, ergo vult ei quod optatur esse bonũ: sed aliquẽ velle quod ipse opinatur esse bonũ quoddã bonũ est: ergo principium mali habet aliquod bonũ, ergo nõ est summè vel purè malum. Itẽ ridiculum est dicere aliquid nõ esse bonum, quia nõ est vbique: ergo ridiculum est dicere ꝙ non sit bonum: quia nõ semper, vel quia est corruptibile. Præterea si nõ facit aliquod malum, hoc quod habet principiũ: ergo neq; hoc quod ipsum habet finẽ, vel quod est corruptibile. Itẽ cum nõ sit malum nisi respectu boni, & summum malum, & ea quę sunt ab eo sint purè mala, nihil est malum respectu alicui⁹ eorum: ergo si ipsa sunt mala, ipsa erunt mala: vel quia nociua summè bono, vel bonis quę sunt ab eo: sed nõ quia sint nociua summè bono. Et enim nihil potest nocere, quia vt dicit Augst. Non est Deus inviolabilis, si aliquid potest ei nocere. Itẽ non possunt nocere bonis quæ sunt à principio bono, cum illa sint purè bona nullius mali susceptibilia, & cum princeps eorum tanquàm summè potens eos seruare possit, & tanquàm summè bonus velit: ergo non sunt mala, quia bonis nociua: ergo simpliciter loquendo non

sunt mala. Præterea natura bona non potest cogi à mala vt consentiat malo: cum bonum potentius sit quàm malũ. Si autẽ voluntariè potest consentire malo, ergo bonum natura, voluntate potest fieri malum: ergo non est necesse ponere aliquam naturam essentialiter malã, à qua sint alię naturę malę: sed omnis natura à principio bono est, & ab institutione bona: sed voluntate postea facta est mala, sicut fides catholica dicit. Itẽ summũ malum cum fecit visibilia ista, aut fecit ea ex bonitate vel ex malitia. Si ex bonitate, ergo aliqua bonitas erat in eo: ergo non erat pure malũ. Si ex malitia fecisset, non esset tanta pulchritudo, nec tanta vtilitas, nec tanta ordinatio in eis. Item princeps tenebrarum est aut bonus sibi, aut malus. Si bonus ergo nõ est summè malus, cum alicui sit bonus. Si malus sibi, ergo est malus malo: ergo ipse est contrarius malo: sed esse contrariũ malo est bonũ, ergo aliquid habet boni, & non est summè malus. ¶ Itẽ summũ malum aut est malũ malitia culpæ, aut malitia pœnæ. Si pœnæ, sed summum malum pœnę videtur esse gehẽna: ergo vel ipsum non est maximũ malũ, vel est ipsa gẽhena. Si fortè dicatur quòd summum malum est miseria suorum, sicut bonum summũ est beatitudo suorum: Contrà delectatio est coniunctio conuenientis cum cõuenienti: ergo ea quæ sunt à summo bono, & sunt eius capacia, vt sunt creaturæ rationales, delectationem habẽt cum coniunguntur ei, eò quòd sint conuenientia illi. Similiter ea quæ sunt à summo malo, si sunt eius capacia & cõiunguntur ei, cùm sint conuenientia cũ eo, habebunt in eo delectationẽ. Item cùm ipsa sint purè mala, & amẽt omne malum: amor vero amãti suaue faciat quod amatur, gehenna etiam suauis esset his qui in ea erunt, si amarent eã, & placeret eis: ergo summum malum delectabile erit malis qui ab eo sunt. Si verò ipsum est malũ malitia culpę culpa non potest esse nisi vbi est lex. Vbi enim nõ est lex, nec præuaricatio. Rom. 4. Ergo summum malũ legi alicui subiectum est, cuius transgressione malum est factum: ergo non est primum principium. Præterea operatio qua ipsum operatur malum, aut naturalis est, aut voluntaria. Si naturalis, ergo nõ est culpabilis. Augustin. Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se conscriptum legit. Si verò voluntaria est, & habet potentiam liberam faciendi malum, vel declinãdi à malo, cùm potentia declinandi à malo sit bona, aliquid boni est in eo: ergo non est summè malum. Item cùm aliquid horũ corruptibilium destruitur, non intendit agens destructionem, sed generationem. Et est certamẽ quod est inter creaturas; certamẽ est quasi

quasi liberalitatis. Verbi gratia: Cùm agit ignis in ligna, & facit inde carbones, intendit ignis dare speciem suã materię in quam agit, & semper in corruptione remanet aliquid vtile. Etiã post destructionem quam facit ignis qui vehementissimè videtur destruere, remanet cinis, qui habet vim mũdificatiuã: ergo corruptibilia ista non sunt purè mala. Præterea licet corruptibilia ista non possint seruare speciem suã in seipsis: tamen in recompẽsationem huius habent potentiam dandi speciẽ suam alteri materiæ & multiplicandi eam, quod non habent incorruptibilia. Sol non efficit alium solem, nec Angelus Angelũ, sed ignis causa est ignis. Bona ergo sunt etiam corruptibilia. Multi sunt qui nõ minus amarent vaccam vnam, licet mori posset, quæ valde fœtosa esset, de qua mille alias habituri essent, quàm vnam sterilem quæ mori non posset.

De aliis erroribus Manichæorum, quorum aliqui enumerantur. Et de primo errore qui est in distinctione ciborum. CAP. XI.

POst destructionem erroris Manichæorum quantum ad radicem ipsius, licet rami non soleant proficere radice destructa, secundum illud Osee 9. Radix eorum exiccata est, fructum nequaquam faciant. tamen aliqua breuiter dicemus contra aliquos errores qui velut rami à radice venenata, de qua iã tactum est processerunt. ¶ Vnus error est, distinctio ciborum. Dicunt enim aliquos cibos non esse comedendos, vt carnem & caseum. Alius est, quòd lex vetus data est à principe tenebrarum, & quòd mala fuit. Tertius est, quòd patres Veteris testamenti mali fuerunt, & damnati sunt. Quartus, quòd non creantur animæ de nouo quæ corporibus infundantur. Alius error est, quòd Christus veram naturam humanam non assumpserit. Vltimus, de quo ad præsens dicere intendimus, quòd Ioannes Baptista malus fuerit. Sunt multi alij errores eorũ, sed adeò irrationabiles, quòd indigni sunt vt ad eorum destructionem ratiocinatio fiat. ¶ Primo errori occasionẽ dare potuit, quòd Dominus terræ maledixit, Gene. 3. Ideò carnes animalium quæ de fructu terrę pascũtur, dicũt nõ esse comedendas. Pisces bene comedunt qui in aqua nutriuntur, cùm non legant Dominũ aquis maledixisse. Sed hęc ratio nulla est. Si enim carnes animaliũ comedendę nõ sunt, quia de fructu terræ viuunt: multo fortius ipsi fructus terræ comedẽdi non essent: propter quod enim vnum quodq; est tale, illud magis est tale. fructus autẽ terrę omnis sẽta comedit. Romanor. 13. Qui infirmus est, olus mãducet. Glo. Infirmus est qui cibos discernit: hic olus manducet, in cuius esu

omnis secta cõsentit. Præterea maledictio terræ quã Dominus fecit, fuit quod fertilitatẽ eius abstulit. Et ibidẽ post illã maledictionẽ subditur: In laboribus comedes ex ea cũctis diebꝰ vitę tuę. Vnde noluit Dominus ꝙ propter illã maledictionẽ dimitteret homo comedere, vel quæ ex terra nascerẽtur, vel quæ ex ea nutrirentur. ¶ Item dedit occasionẽ huic errori, ꝙ caro per peccatum de carne nascitur, vt ipsi dicunt. Sed fatũ est dicere carnẽ animaliũ brutorũ per peccatũ nasci: cũ vbi nõ est lex, non sit præuaricatio. Ro.4. Item illud Ro.14. Bonũ est non mãducare carnẽ, nec bibere vinũ. Sed si propter verbum illud, carnẽ comedere dimittunt: eadẽ ratione deberẽt dimittere bibere vinum. Itẽ quòd viri sancti leguntur à carnibus abstinuisse, sed ipsi nõ ideò abstinuerunt, quia iudicarent ꝙ nõ possent sine peccato comedi: sed quia, quandoq; sunt occasio cõcupiscẽtiæ vt excedãt, sicut & vinũ quãdoq;. Tamẽ nõ sequitur ex hoc ꝙ vino nõ sit vtendũ. 1.Tim.5. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuũ & frequentes tuas infirmitates. Et ecl.31. Si bibas vinũ moderatè, eris sobrius. Et paulò pòst: Exultatio animæ & corporis vinũ moderatè potatũ. Sicut aliquibus infirmis secundũ corpus abstinendũ est à carnibus & vino: nõ tamẽ sequitur propter hoc, ꝙ caro & vinũ infirma sint uniuersaliter corpori: sic eadẽ infirma sunt quãdoq; etiã spiritui: aliquibꝰ enim sunt occasio peccãdi. Sunt multæ causæ quare à delicatis abstinẽdum est: quę in tractatu de vitio Gulę assignatæ sunt, & aliquę tãgẽtur in tractatu de virtute Sobrietatis. Sicut diuitię malę nõ sunt, etsi à viris sanctis cõtemnãtur: si caro mala non est, si à viris sanctis quãdoq; comedatur. Glo. super illud Ro.14. Olus mãducet. Crassitudo carniũ, & delicioſæ epulæ prouocãt corpus ad libidinem. Quãdoq; aliquis abstinet è talibus: quia sibi videt expedire, vel ne proximũ scãdalizet. 1.Cor.10. Omnia mihi licẽt, sed nõ omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificãt. Sed qui abstinet, nõ debet dãnabiles iudicare eos qui talibꝰ vtuntur. Ro.13. Qui nõ mãducat, mãducantẽ nõ iudicet. ¶ Itẽ occasionẽ dedit huic errori, ꝙ nõ legũt Christũ carnes comedisse. Sed licet hoc nõ legeretur, tamẽ nõ sequeretur propter hoc ꝙ nõ comedisset: multa enim facta sunt, quæ nõ scripta sunt. Io. vlt. Sunt & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribãtur per singula, nec ipsum arbitror mundũ capere posse eos, qui scribẽdi sunt, libros. Et quod comederit agnũ paschalem, potest haberi ex Euangelio Matth. 14. Vbi est, inquit, refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis mãducẽ? Pascha. vocatur agnus paschalis. Lucæ 22. Vbi est diuersorium

sorium vbi pascha cum discipulis meis manducẽ? Et paulò post: Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscum. Quòd autem licitum sit comedere carnes & alios cibos sine distinctione, probari potest his testimoniis Noui Testamẽti. Legitur Luc.10. In eadẽ domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Et Matt.15. Non quod intrat in os coinquinat hominem. Et ad Ro.14. Scio & cõfido in domino Iesu, quia nihil commune siue immundum per ipsum, nisi ei qui existimat cõmune esse illi cõmune est. In eodem: Omnia quidem mũda sunt. Et 1.Corint.10. Omne quod in macello venit, id est, venditur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo eius. Et iterum: Si quis infideliũ vocat vos ad cœnã, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate, nihil interrogãtes propter cõscientiã. Et 1. Ti. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciẽdum quod cũ gratiarum actione percipitur. Et ad Tit.1. Omnia mũda mũdis. Itẽ probatũ est superius, omnia creata fuisse à Deo: nihil verò immũdum à Deo creatũ est: caro ergo animaliũ immũda nõ est: ergo nõ est abstinẽdũ à carne propter carnis immũditiã. Præterea si nõ est vtẽdũ carnibus taliũ animaliũ in cibũ: ergo nec lana, nec pellibus eorũ est vtendũ in vestitũ.

De errore ponente legem veterem datam à principe tenebrarum, & malam. CAP. X.

SEquitur de secundo errore qui ponit legem veterem esse datam à principe tenebrarum, & malam esse. Cui errori occasionem dedit legis grauitas. Visum est enim aliquibus non fuisse Deum benignũ, qui tam graue onus populo imposuit. Ad quod dicendum, quòd corda Iudæorũ erecta erant per præsumptionẽ. Vnde dicebant, Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat. Exo. 19. Respondit vniuersus populus simul, Cuncta quæ locutus est dominus, faciemus. Eiusdẽ 24. habetur idem. Vnde humiliandi fuerũt graui onere legis, vt videntes insufficiẽtiam suam humiliati ad auxilium gratiæ currerẽt. Dominus enim humilibus dat gratiam. 1.Petr.vlti. Dedit etiã occasionẽ huic errori iustitia quæ fiebat in veteri lege: quam aliqui mentiuntur crudelitatem. Vnde dicunt nõ fuisse Deum benignum, qui legem tam crudelem dedit. Ad quod dicendum est, quod cum principium sapientiæ sit timor domini, Prou.1. perfectio verò sapientiæ sit amor Dei, secundum illud Ecc.1. Dilectio Dei honorabilis sapientia: Prima lex debuit sapientiam inchoare, timorẽ Dei per iustitiam incutiendo. Secunda lex debuit Sapientiã perficere, ad amorẽ multis admonitionibus & promissionibus & beneficiorum exhibitionibus

nibus incitando. Vnde iustitia in veteri lege debuit abũdare: iustitia verò non est crudelitas, sed bonitas: vt in tractatu Iustitiæ ostendetur. In illa verò iustitia latebat misericordia. Qui enim corrigebantur pœna tẽporali, euadebant æternã. Incorrigibiles verò amittebãt potentiã Deũ offendendi & pœnã suã in futuro augẽdi: vnde misericorditer cũ eis agebatur. Si enim diutius viuerent, diutius peccarẽt, & in futuro grauius punirẽtur. In hoc etiã ꝙ transgressores legis Moysi ita grauiter puniebãtur, nobis misericorditer ostẽdebatur, quã grauiter puniẽtur transgressores legis datę per filiũ Dei. Heb. 10. Irritã quis faciẽs legẽ Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filiũ Dei cõculcauerit? ¶ Itẽ dedit occasionem huic errori illud Apostoli Ro. 5. Lex subintrauit, vt abũdaret delictũ. Et illud eiusdẽ 7. Nũc soluti sumus à lege mortis. Et vocatur ab Apostolo lex vetus, lex mortis. Vnde visum est ab aliquibus ꝙ lex mala fuerit. Et dicendum est ad secundũ, ꝙ lex illa mortis fuit suis transgressoribus: sed lex vitæ fuit suis obseruatoribus. Lex vitæ fuit intẽtione dantis: sed lex mortis fuit vitio transgredientis. Vnde subdit ibi Apostolus: Quid ergo dicemus? Lex peccatũ est? Absit. Et paulò pòst subdit: inuentũ est mihi mandatũ quod erat ad vitã. Intellige ex intentione dãtis, hoc esse ad mortẽ. Apostoli aliis erãt odor mortis in mortẽ, aliis odor vitæ in vitã. 2. Cor. 2. non tamẽ erant mali. Occasio fuit prohibitio legis multitudinis peccatorum. Sicut enim dicit Glo. super illud ad Ro. 7. Occasione accepta peccatum per mandatũ operatũ est in me omnem concupiscẽtiã. Talis est nostra carnalitas, vt ardentius desideret prohibita: quibus non memoratis, iaceret quasi sopita. Itẽ Gl. Frenatus est concupiscentiæ fluuius oppositis obicibus legis, sed non siccatus: imò quia de se, nõ de gratia homo præsumpsit. Aucta est cõcupiscentia opposita lege: & quæ prius eum ducebat obice nullo, obruit eum obice obrupto. ¶ Triplici ratione peccata abundauerũt lege data, in quibus nõ erat gratia, Primò, quia sicut dicit Ambr. diabolus videẽs legem in auxiliũ hominibus datã, magis exarsit iracundia aduersus hominem, & magis instituit legem vertere in perniciẽ, eum primo quasi securè possidẽs minus tẽtaret. Gregorius: illos pulsare negligit, quos quietè se possidere sentit. Secũdò quia homo naturaliter appetit libertatẽ, & fugit seruitutẽ. Et iuxta verbum Senecæ, Natura contumax est, animus humanus, & in contrarium atque arduũ nitens. Natura semper aduersatur sibi aduersanti. Nitimur in vetitũ semper, cupimúsque negata. Prou. 9. Aquæ

Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Hiero. Quicquid non licet, magis desideratur: & quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. Et super illud Ro. 7. Peccatũ occasione accepta per mandatũ seduxit me. dicit gl. Ex prohibitione vbi charitas defecit, desideriũ mali crescit, quo aucto dulcius fit quod prohiberur. Tertiò, quia prohibitio erat occasio frequentis recordationis rei prohibitæ. Recordatio verò irritatiua est concupiscentiæ. Illud autẽ verbũ, Lex subintrauit, vt abundaret delictũ: intelligendum est consecutiuè. Hoc enim consecutũ est ex lege data quantũ ad illos qui gratiam non habebant, & viribus suis cõfidebant, quòd amplius peccauerunt: & hoc ipsum eis expediebat. Vnde gl. Aug. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquãdo enim homo videtur sibi sanus, & ægrotat: & quia non sentit morbum, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus, cuius & totum sanatur corpus. Magnum ergo Dei consiliũ fuit vt per legẽ abundaret delictũ, vt in austeritate suam intelligẽtes infirmitatẽ, infirmi ad medicũ cõfugerent, vt auxiliũ gratiæ quærerent. Sicut Deus creans diabolũ malignitatis eius futuræ non ignarus, prœuidebat quæ bona de malo eius esset facturus: vt dicit Augu. Sic dans legẽ veterẽ ad meritũ custodientiũ eam nõ ignarus transgressionũ quæ abundaturæ erant, prœuidit quæ bona de malo transgredientium esset facturus. Item lex subintrauit vt abundaret delictum, quantum ad cognitionẽ. Si enim lex nõ fuisset, peccatum lateret. Vnde Ro. 7. Peccatum non cognoui nisi per legẽ. Et sicut radius solis non est malus, licet ostendat pulchritudinẽ nociuam quã aliquis appetit: & sicut scientia medicinę: non est mala, quę ostendit venenum esse mortiferũ, quãuis eo aliquis abutatur ad mortem suam vel alterius: sic lex nõ est mala, licet sit occasio mali. Itẽ occasionem dedit huic errori veteris legis cessatio. Visum est enim aliquibus, quòd si bona fuisset, nõ cessasset. Præterea modo peccaret qui seruaret eam: ergo tunc peccabant qui eam seruabãt. Ad quod dicendum est, quòd vetus lex cessare debuit quantũ ad illa quæ erãt figuratiua futurorum, sicut vmbra lumine veritatis adueniente, & sicut promissiones solutione facta. Nec cessauit lex tãquam mala, sed cessit meliori quantum ad prædicta moralia: tamen quæ erant de iure naturali manserunt. Item occasionem dare potuit prædicto errori quòd Deus dator illius legis apparuit in flãma rubi. Exo. 3. Et rapuit Heliã in curru igneo. 4. Re. 4. Vnde visum est aliquibus, quòd non fuerit benignus Deus, qui sic apparuit, & ministrũ suum sic rapuit. Ad quod dicẽdum, spe-

ciem

ciem ignis idoneã esse, vt Deus in illa appareat, vel in illa significetur. Vnde Spiritussanctus super discipulos in specie ignis apparuit. Act.2. Et De ipso dicitur ad Heb.12. Deus noster ignis cõsumens est. Peccata enim consumit & purgat. Et Luc.12. Ignem veni mittere in terram, &c. Et Io.1. Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igne. Non est ergo mirandum, si in flamma rubi apparuit. ¶ Nunc multis autoritatibus Noui Testamenti ostendemus legem veterem esse bonã & datam à Deo. Legitur Matt.5. Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere legem, sed adimplere. Si data fuisset à principe tenebrarum, nõ impleuisset eam. Et ibidem: Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit de lege donec omnia fiant. Et eiusdẽ 7. Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetę. Ergo lex & prophetę bona sunt, sicut illud mandatũ bonum est. Eiusdem 22. dicitur de mãdato dilectionis Dei: In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. ergo lex & prophetæ bona sunt, quum sint ad dilectionem Dei & proximi. Et Luc.10. In lege quid scriptũ est? At ille respondens, dixit: Diliges dominũ Deum tuum, &c. & proximũ tuũ sicut teipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti, hoc fac & viues. Ergo præcepta legis obseruata vitam conferebant. Item Matt.19. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. dixit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtũ. Non falsum testimonium dices. Honora patrẽ tuum & matrem tuam. Quæ constat mandata esse veteris legis: Exo.20. Ergo mandata veteris legis vitam conferebant æternã. Item Matt. 7. Bene irritum fecistis mãdatũ Dei vt traditionem vestrã seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrẽ tuum & matrẽ tuã. Ibi mãdatũ Moysi, Dei mandatum dicitur. Item Luc.2. Vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini. Lex domini vocatur lex vetus. Et eiusdem 16. Habent Moysen & prophetas, audiant illos. Item Luc.vlt. O stulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quę locuti sunt prophetæ. Et paulò post: Incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quę de ipso erant. Et iterũ: Necesse est impleri omnia quæ dicta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Et Ioan.5. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in illis vitam æternã habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et eiusdem octauo: Est pater meus qui glorificat me, quẽ vos dicitis, quia Deus vester est. Et Ro.1. quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis

sanctis de filio suo. Et eiusdem 7. Lex quidem sancta, & mandatũ sanctum, & iustum, & bonum. Et in eodem: Scimus quia lex spiritualis est. Ad Galat.3. Lex pædagogus noster fuit in Christo. 1.Thes.5. Prophetias nolite spernere. Et 1.Tim.1. Scimus quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. Et ad Hebr.cap.1. Multifariã multisque modis olim loquens Deus in prophetis: nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Act.ca.1. Oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritussanctus per os Dauid. Eiusdẽ cap.2. dicitur de eo: Quum esset propheta, &c. prouidẽs loquutus est de Resurrectione Christi. Et eiusdem cap.3. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum. Ergo Iesus fuit filius Dei veteris legis: ergo lex vetus non fuit à principe tenebrarũ. Item Actuum ca.3. Vos estis filij prophetarũ & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros: ergo testamentũ veteris legis erat à Deo ordinatũ. Item eiusd.ca.10. Verbum misit Deus filiis Israël annuntians pacẽ per Iesum Christum: hic est omniũ dominus. Et paulò post subditur: Huic omnes prophetæ testimonium perhibent. Et 2.Pet.1. Habetis firmiorem propheticũ sermonẽ, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ ardenti in caliginoso loco. Ergo quũ propheticus sermo lucerna sit, non est à principe tenebrarum. Item in eodem: Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritusancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.

De errore illo qui damnat patres Veteris Testamenti.

CAPVT XI.

ERror ille qui ponit quòd patres Veteris Testamenti mali fuerunt & sunt damnati, sequitur. Cui errori occasionem dedit quòd leguntur aliquando peccasse. Sed si ideò damnati creduntur, eadem ratione credendum erit quòd Petrus & Paulus damnati sint, qui quandoque peccauerunt. Item occasionem dedit huic errori, quòd leguntur in infernum descendisse. Gene. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum, ait Iacob. Et Esa.38. dixit Ezechias: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Ad quod dicendum, quòd ob peccatum primorum parentum ianua regni clausa fuit toti generi humano. Quod figuratum est in hoc, quòd flammeus gladius positus est ante paradisum. Gen.3. quasi prohibens ingressum. Descendebant ergo antiqui patres in oram inferni, vbi manebant felici spe consolati, sed non descendebant in inferni profundum, vbi nulla est redemptio. Nec habebant pœnam materialem, sed solum carebãt visione Dei. Ad quẽ locum Christus descendit, & inde suos liberauit

rauit,ut legitur Act.2.Quẽ Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus infer ni:iuxta quod erat impoſsibile teneri illum ab eo. Et in eodem: Quoniã nõ derelinques animã meã in inferno,&c. ¶ Poteſt autẽ probari teſtimoniis Noui Teſtamẽti antiquos patres bonos fuiſ ſe & ſaluatos. Matt.8.Multi ab oriẽte & occidẽte uenient,& recſibent cũ Abrahã,Iſaac,& Iacob in regno cęlorũ.Ergo Abrahã, Iſaac & Iacob ingreſſi erãt vel ingreſſuri regnũ cælorũ.Itẽ Domino transfigurato aparuerunt Moyſes & Helias loquẽtes cum eo.Mat.17.ſi dãnati fuiſſent,conſtat quòd in trãsfiguratione Domini nõ apparuiſſent, ad quã tres tantũ apoſtolos ſibi familiariſſimos admiſit.Item eiuſdẽ 23.Ecce ego mitto ad vos prophetas.Et eiuſdẽ 22. dicitur de Chriſto, quomodo Dauid in ſpiritu vocat eũ Dominũ,dicens:Dixit Dominus &c.Et Luc.16.Lazarus mortuus ab angelis deportatus eſt in ſinũ Abrahæ:ergo Abrahã nõ erat dãnatus.Et paulò pòſt: Vidit à longè Abrahã & Lazarũ in ſnu eius. Itẽ cõmendantur patres veteris teſtamenti ad Heb.11. & de Moyſe dicitur ſpecialiter Heb.3.Moyſes quidẽ fidelis erat in tota domo eius.Moyſen fuiſſe nuntiũ Dei,& legem datã eſſe Deo inſpiráte,oſtenderũt miracula facta per Moyſen. ¶ Et notandũ ꝙ lex illa valde ſapienter tradita fuit.Primò oſtenduntur omnia creata à Deo eſſe.Secũdò oſtẽdit iuſtitia Dei in pœna pro peccato primorũ parentũ inflicta,& in diluuio, & in ſubuerſione Sodomorũ,& flagellatione Aegyptiorũ. Tertiò interſeritur obediẽtia patrũ,& beneficia Dei eis exhibita.Per primũ apparet creaturas nihil numinis habere:& ſic nullus locus idololatrię relinquitur. Per ſecundũ terretur populus à legis tranſgreſsione. Per tertiũ allicitur ad eius impletionẽ.Conſequenter verò datur lex in terrore. Sine timore enim magno nõ poterat populus ſeparari ab erroribus inueteratis. ¶ Inter hęc verò quæ in lege prę cepta ſunt quædã manifeſtè pertinent ad honorẽ Dei & vtilitatem proximi:quædã verò ſigna ſunt futurorũ:quædam verò quę videntur eſſe ſine ratione. Præcepta ſunt propter idololatriã,cuius abolendæ magna pars legis intendit.Multa enim pręcepit Deus ſibi offerri,ne idolis offerrentur.De Abraham dicitur Io.8.Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meũ:vidit & gauiſus eſt.Iac.vlt.commendantur prophetæ.Exemplum,inquit,accipite laboris & patientiæ,prophetas qui locuti ſunt in nomine domini. Et Iacob.2.commẽdatur multum Abrahã:Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.Et in eodem:Abraham pater veſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt? Commendatur etiã Gal.3.Et 1.Pet.3.cõmendatur

datur Sara:Sic,inquit,ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, nõ in ornatu veſtiũ ornabant ſe ſubiectæ propriis viris:ſicut Sara obediebat Abrahæ.Et Loth commẽdatur 2.Pet.2. Et iuſtũ Loth oppreſſum à nefandorum iniuria eripuit,&c.habitans apud eos qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. Patet ergo,quòd boni fuerunt antiqui patres & ſaluati.

De quarto errore qui ponit animas non de nouo creari: qui diuerſificatur in quatuor oppoſitos errores. CAP. XII.

SEquitur de quarto errore,qui ponit animas de nouo nõ creari quæ corporibus infunduntur. Qui error diuerſificatur in quatuor oppoſitos errores. Primus ponit in corporibus non eſſe animas, niſi angelos apoſtatas, ſeu dæmones, qui in eis includuntur, vt agant ibi pœnitẽtiam,& ſucceſſiuè poſſunt eſſe in diuerſis corporibus:vt ſi pœnitentiam non agunt in vno corpore, agãt illã in alio. Secũdus ponit duas animas eſſe in corporibus. De quo errore loquitur Aug.in lib.de duabus animabus. Tertius ponit animas creatas ſimul fuiſſe. Quartus ponit animas ſicut corpora ſeminari. Licet autem hi quatuor errores diuerſi ſint:tamen in hoc conueniunt, quòd veritati fidei catholicæ contradicunt, quæ aſſerit animas creari, & creando corporibus infundi, & infundendo creari. Quam veritatẽ confirmat illud Pſal. Qui finxit ſigillatim corda eorũ.gl.id eſt,creauit animas ſingulas per ſe ex nihilo. Aug.in eccleſiaſticis dogmatibus: Credẽdum eſt,& firmiter tenẽdũ,ꝙ animæ non ſunt ab initio creatę,vt Origenes fingit:nec cũ corporibus ſeminãtur,vt Luciferiani, & Ciryllus, & quidã Latinorũ affirmãt:ſed dicimus animã infundi & creari ſimul in corpore compacto & formato,vt viuat in vtero homo.

De errore primo qui ponit animas eſſe angelos apoſtatas. CAP. XIII.

ILli qui ſunt primi erroris aliqua verba Sacræ ſcripturæ adducunt ad confirmationẽ ipſius impertinentia,tamen ad propoſitum,ſi verè intelligantur. Legitur Matt.10. Ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Oues illas intelligũt angelos apoſtatas ad quos ſolos ſaluandos, miſſus eſt filius Dei,vt aiunt,ſecundũ illud Mat.15.Nõ ſum miſſus,niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Sed ſi inſpiciãtur quæ præcedunt,apparet ridiculoſam eſſe hanc expoſitionẽ. Chriſtus enim miſſurus Apoſtolos ante paſſionem ſuam prohibuit eis ne irent ad gentes vel Samaritanos,ne Iudæi haberent occaſionẽ repellendi cum:ideo dixit eis: In viam gentium ne abieritis,& in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues,&c. Vnde patet oues iſtas de quibus loqui-

tur esse Iudæos. Si enim intelligerẽtur secundum expositionem eorũ: oues quæ perierũt, id est, dæmones, vel spiritus qui de cælo ceciderunt, essent in gentibus, & Samaritanis, sicut & in Iudæis: vnde non fuissent prohibendi Apostoli à prædicatione eorum. Item legitur Lucæ 16. de villico iniquitatis, qui amotus est à villicatione sua: quod ipsi exponũt de diabolo, quẽ dicunt fuisse præpositũ aliis angelis, & prudẽter gratiã illorũ acquisiuisse de seruitio Deo debito relaxando eis: sed propter peccatum suum fuisse amotũ, & Michaẽlẽ pro eo fuisse substitutũ, & eum cum cõplicibus suis de cęlo fuisse iectũ, & corpora fabricasse, quę secundũ eos, inhabitãt spiritus qui de cælo ceciderunt. Sed quod sequitur in fine illius parabolæ, nõ concordat expositioni eorum: scilicet q̃ Dominus laudauit villicum iniquitatis: absit enim quòd Deus diabolum laudauerit. Itẽ legitur Io. 4. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descẽdit de cęlo. Ex quo ipsi inferunt solos spiritus, qui de cælo descenderunt, saluãdos. Sed patet q̃ nulla est expositio eorum, per id quod sequitur verbum prędictum, Filius hominis, qui est in cælo. Cõstat enim quòd Christus se vocat filium hominis. Matt. 8. Filius hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Et 24. eiusdem: Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis venturus est. Vnde impertinens est illud verbũ ad angelos Apostatas: sed tempore quo Christus dicebat verbũ illud, quum nõdũ esset ianua regni aperta per passionẽ ipsius, nullus adhuc purus homo ascenderat in cælum, vel ascendere poterat, nisi solus filius hominis, qui de cælo descenderat in carne assumpta visibilis hominibus apparendo, qui erat in cælo patri æqualis inquantum Deus, ascendere poterat, in cælum in humanitate: & iã ascẽderat, id est, à Deo alius erat secundum diuinitatẽ, vt pater. Solus etiam Christus erat ascensurus in cælum, scilicet caput cum mẽbris. Rationes quibus innitatur error ipse, non ponimus: quia vel non sunt, vel nullius probabilitatis sunt. ¶ Error verò iste tria ponit, quorum falsitas de facili potest ostendi. Ponit enim dæmones esse saluandos, ponit animas non esse, & ponit dæmones esse incarceratos in corporibus humanis. Primũ verò multis authoritatibus potest destrui. legitur Matt. 3. Paleas comburet igni inextinguibili: ergo pœna malorũ erit æterna: sed dæmones maximè sunt puniẽdi: ergo pœna eorum erit æterna. Ad idem possunt adduci testimonia sacræ scripturæ, quæ sequuntur. Mat. 25. Discedite à me maledicti in ignẽ ęternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et in codẽ: Hi ibũt in supplicium æternũ: iusti autẽ in vitam æternam. Et 2. Thes. 1. dicitur de nõ obediẽtibus Euangelio

gelio Christi. Qui pœnas dabũt in interitu æternas. Et in canonica Iudæ: Quibus procella tenebrarũ cõseruata est in ęternum. Et in eadẽ: Angelos qui non seruauerunt suũ principatũ, sed dereliquerũt suum domiciliũ, in iudiciũ magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Ergo vincula dæmonũ ęterna sunt, & ipsi reseruãtur in iudicio magni Dei puniẽdi. Vincula ętera ista sunt, obstinatio eorũ, & sentẽtiæ diuinæ inflexibilitas. Itẽ 2. Pet. 2. Si Deus angelis peccãtibus nõ pepercit, sed rudẽtibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudiciũ cruciandos reseruari. secũdum glo. rudẽtes sunt funes quibus nautæ vela suspendunt. hic verò dicuntur rudentes immũdorum spirituum conamina, qui mox vt flante superbia impulsi sse aduersus creatorem erexerunt, ipsis elationis conatibus in abyssi profundum sunt rapti. ¶ Ad ostendendum verò falsitatẽ illius erroris, qui ponit animas non esse, sufficiunt verba Euangelij, & aliarũ scripturarũ Noui Testamẽti, quæ in tot locis cõtrarium exprimũt, quorum aliqua ponemus. Legitur Matth. 6. Nónne anima vestra plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Et eiusdem 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nõ possunt occidere, &c. Et eiusdem 11. Inuenietis requiẽ animabus vestris. Itẽ 16. Quid prodest homini si vniuersum mũdum lucretur: animæ verò suæ detrimẽtum patiatur? Item 22. Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Et 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Item Ioan. 10. Potestatem habeo ponẽdi animã meã, & potestatẽ habeo iterũ sumẽdi eam. Et Iac. 5. Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Et 1. Pet. 1. Animas vestras castificãtes in obedięctia charitatis. Eiusdẽ 4. Fideli creatori cõmendẽt animas suas. Et Apoc. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. Error verò tertius valde odibilis est Deo, & hominibus, quantum ad hoc quòd ponit dæmones esse in hominibus: Deo ideò quia cõtumeliam magnam ei facit, cùm vituperat hominẽ nobilissimã eius creaturã, quã creauit ad imaginẽ & similitudinẽ suam. Gen. 1. Et eiusdem 9. Eccle. 17. Et 1. Cor. 11. dicitur: Vir imago, & gloria Domini est Homini: quia magnam contumeliã facit ei, quum dicit eũ dæmonium habere. Hoc reputauit sibi Christus cõtumelioſum, Io. 8. quum diceretur ei à Iudæis: Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Vnde subdit: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis me. Imò quod plus est, qui sunt huiusmodi erroris homines reputant dæmones incarceratos, quum ipsi diaboli potius repu-

randi sint imitando eos in obstinatione. Ioan. 6. Ego duodecim vos elegi: & vnus ex vobis diabolus est. Secundum errorē istum, vt videtur, Dominus potius debuit dicere: & omnes dæmones estis, quàm, vnus ex vobis diabolus est. Quod autem falsum sit quod ipsi ponunt, patet ex hoc quod legitur Roman. 9. de Esau, & Iacob, quū nōdum nati essent, aut aliquid egissent boni, aut mali: ostendit ibi Apostolus, vt patet ex his quæ præcedunt & sequuntur, quòd Esau & Iacob, ante natiuitatem suam nihil boni, vel mali egerint, propter quod vnus eorum à Deo diligeretur, & alter oditetur. Nō erant ergo angeli apostatæ in eis qui inclusi essent ad pœnitentiam agendam ibi de peccatis quæ fecissent antequam includerentur. Item si angelus malus est in malo homine: ergo bonus angelus est in bono: ergo in Christo fuit angelus bonus: ergo non est verum, quod legitur ad Heb. 2. de filio Dei, quòd nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: non assumpsit ergo angelicam naturam. Si verò dicatur, quòd in Christo non fuit nisi spiritus diuinus, hoc non potest dici, cùm scriptum sit Ioan. 12. Nunc anima mea turbata est. Et Matt. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortē. Turbatio enim vel tristitia, non cadit in Deum. Item verbum illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram: & pręsit piscibus, &c. non videtur esse verbum volentis punire vel incarcerare eum qui crimē commisisset, sed potius volētis facere quod nondum erat, & volentis eum honorare, cùm iam factus esset. Item si spiritus hominis fuisset antequam infunderetur corpori, & creatorem suum offendisset, hoc fecisset sciens & volens. Peccatum enim non posset esse sine voluntate. Omnis mēs apud se conscriptum legit, vt ait August. Et si hoc fuisset, nullus alius melius sciret quàm ipse spiritus. 1. Corin. 2. Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Et in lib. de anima & spiritu: Nihil tam nouit mēs, vel anima, quantum id quod sibi præsto est: nec mēti vel animæ quicquam magis præsto est, quàm ipsa sibi: ergo nihil tam nouit quàm se. Si verò dicatur quòd spiritus obliuiscitur, cùm corpori infunditur, quæ prius sciebat, ridiculum est, quòd Deus spiritū includat corpori ad agēdam pœnitētiam ibi, cùm sciat ipsum obliuisci, quàm citò erit ibi, malum quod fecit. ¶ Quomodo enim potest agere pœnitentiam de malo, quod ignorat? Initium salutis cognitio est peccati, vt ait Sene. Ergo qui peccatum ignorat, viam salutis etiam inchoare non potest. Item dixit Plato animas introeuntes in hanc vitā potari ab eo spiritu qui est super introitū poculo obliuionis, antequam intrēt corpora, nullam huius rei ostētationem faciens: vt ait beatus Irenæus in lib. contra hæreses. Et quærit à Platone, vnde hoc sciret. Si enim anima eius potata erat poculo obliuionis, non reminiscebatur, nec spiritus, nec poculi, nec quòd aliquid sciuisset, nec oblitus fuisset: & si ista reminiscebatur, eadem ratione & alia. Itē Irenæus: Si hoc quod in breuissimo tēpore visum est, vel in fantasmate cōceptum est, & ab anima sola per somnium postea quàm cōmista sit corpori, & inde vniuersa membra dispersa cōmemoraret: multo magis ipsorū reminiscereturin quibus tēporibus tātis & vniuersō præteritæ vitæ seculo immorata est. Itē dixerunt quidā ipsum corpus esse obliuionis causam. Sed quærit Irenæus: Si hoc est, quomodo anima quod per semetipsam videt reminiscitur, & renuntiat proximo? Itē nec ea quæ olim agnita sunt, aut per oculos, aut per auditum meminisset anima in corpore existens, si esset corpus obliuionis causa. Anima enim in obliuione existens, nihil aliud cognoscere posset, nisi quod in præsenti videret. ¶ Itē quomodo diuina discereti & meminisset ipsorum existēs in corpore? ¶ Item quum non sit corpus fortius quàm anima, non amitteret anima scientiam suam propter corpus. Præterea non est verisimile, quum corpus organum sit animæ, quòd sciētiam suam ei auferat. Non solet enim instrumētum sciētiam suam auferre artifici. Iam enim potius esset impedimētum quā instrumentum. Præterea raptus est Paulus vsque ad tertiū cælum. 2. Cor. 12. & tamen rediens ad se memor fuit visionis suæ: quod non fuisset, si corpora necessariò obliuionem inducerent. Item si corpus obliuionē inducit, potius inducere debet obliuionē eorum quæ cognoscuntur viribus illis secundum quas anima vnitur corpori, quàm eorum quæ intellectu agnoscuntur. secūdum quæ nō vnitur anima corpori. Præterea aut spiritus apostata potestatē habet viuificandi corpus, aut non. Et videtur quòd nō, secūdum ea quę ponit error iste: ponit enim quòd quum diabolus duo homini corpora fabricasset, nō potuit per xxx. annos vitalem spiritum illis corporibus infundere: sed accedens ad misericordiam Altissimi duos angelos ab ipso quæsiuit. Præterea si spiritus malus potest corpus viuificare, aut potestas illa est volūtaria, aut naturalis. Non videtur esse voluntaria, vt scilicet volūtate sua corpora viuificet: hoc enim solius Dei est. Ioan. 5. Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius quos vult, viuificat. Si verò naturalis, non videtur hic aliter facere quàm forma & perfectio ipsius corporis. Et hoc etiam dicit Philosophus, quòd anima

est actus primus siue perfectio prima physici seu naturalis corporis organici in potentia vitam habentis. Si verò est spiritus qui est in corpore, corporis est perfectio: inconueniens est dicere, q̃ spiritus ille tempore sit prior, quàm ipsum corpus: perfectio enim rei nõ potest esse prior tempore, quàm eius inchoatio: nec forma prior est tẽpore, quàm eius materia, quũ forma sit actus, materia sit potentia: actus enim non potest præcedere potentiã suam. Imago quæ ceræ imprimitur, nõ potest prior esse tẽpore, quàm possibilitas ipsius cerę ad receptionẽ ipsius imaginis. Præterea vbi scriptura sacra dicit diabolũ intrasse in hominem, cõstat quòd ipse erat prius homo viuens, sentiens, intelligẽs: vt patet in Iuda. Io. 13. Vbi legitur q̃ post buccellam introiuit in eum sathanas. Et Mat. 12. Intrãtes habitãt ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: loquitur de dæmonibus. Vnde constat quòd ante ingressum erat homo. Item quum expellebantur dæmonia ab hominibus: constat quòd remanebant homines viuentes, sentientes, intelligentes. Lucæ 11. Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, & quum eiecisset dæmoniũ, locutus est mutus. Ergo aliquid erat in eo præter dæmoniũ, quo viuebat, sentiebat, discernebat. Hoc autem animam vocamus, quod scilicet est in homine principiũ viuendi, sentiendi, & discernẽdi. Item vbi Euangelium loquitur de dæmonibus qui erãt in hominibus: nõ dicit eos in hominibus puniri, sed potius eos homines punire: nec eos vexari, sed potius vexare. Matthæi 15. Filia mea malè à dæmonio vexatur. Et Lucæ 6. Qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Dæmones verò expulsionem ab hominibus cruciatum reputabant, & non inhabitationẽ hominũ. Vnde dicunt Christo expellenti eos, Matth. 8. Fili Dei cur venisti ante tempus torquere nos? Vnde ergo habent quòd angeli apostatæ inclusi sint in corporibus humanis vt agãt ibi pœnitentiam? Item error iste destruit resurrectionem corporum. Si enim corpora solummodo carceres sunt spirituum saluandorũ non est verisimile, quòd spiritus illi corpora sua debeãt resumere cùm beati efficientur, incarceratio enim & glorificatio nõ videtur simul debere esse. Item natura non appetit quod sibi contrarium est: ergo si corpus à prima institutione pœna est spiritus inhabitantis, non habebit spiritus ille naturalem appetitum ad corpus: ergo separatio eorũ nõ faciet naturaliter dolorẽ in morte. Item omne quod contra naturam per violentiam detinetur, naturaliter apperit liberari: ergo si spiritus illi violenter detinẽtur in corporibus, naturaliter appetent liberari: ergo homines in qui-

bus sunt naturaliter appetunt mori: ergo appetitus mortis naturalis est homini: quod constat esse falsum. Itẽ natura nõ agit contra se: ergo si corpus à prima conditione sui pœna est spiritus inhabitantis: spiritus non erit eius naturalis perfectio. Itẽ constat, quòd Deus nõ dedit spiritibus potentias quę essent otiosæ, si ipsi debito modo se haberẽt: sed potentiæ viuificãdi & sentiendi otiosæ essent in eis, si ipsi debito modo se haberent, quia nõ includerentur corporibus: extra corpus verò otiosę sunt: ergo illæ potẽtiæ non sunt datæ spiritibus qui peccauerunt à creatione. Si verò pòst datæ sunt, quum hę virtutes specie differãt ab intellectu qui est in spiritibus, qui sunt substantiæ separatæ: spiritus quorum sunt hæ virtutes, specie differunt ab aliis spiritibus. Item aut boni angeli habent illas potentias, aut non habent. Si habent eas, otiosè habent, quum secundum eas non vniãtur corporibus, sine quibus exercere nõ possunt operationes talium potẽtiarum. Si verò nõ habent eas: ergo specie differunt ab illis spiritibus qui vniuntur corporibus, quum non habeant potẽtias illas quas ipsi habent, quæ sunt specie differẽtes à potẽtiis eorum: & quum angeli boni sint substantiæ perfectæ, non natæ fieri partes essentiales alicuius totius: spiritus verò qui vniuntur corporibus, nati sunt esse partes essentiales ipsius hominis. Si verò dicatur omnes angelos cecidisse de cælo & malos esse in corporibus inclusos, vt quidam hæretici dixerunt, hoc non est verisimile. Quum enim Deus spiritus sit, oportet aliquos ministros eius esse spirituales. Grego. Dubitare non debes inuisibilem Deum inuisibilia obsequia habere: debent quippe ea quæ ministrant ad similitudinem eius tendere cui ministrant. Scriptura etiam Euangelij manifestè obuiat huic errori, quæ distinguit inter angelos Domini & angelos diaboli. De angelo Domini habes Mat. 1. Angelus Domini apparuit Ioseph. Simile habes Matth. 2. Et eiusdem 4. habes, quòd accesserunt angeli, & ministrabãt ei. Et 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est, quod de malis angelis intelligi non potest. Et eiusdem 22. Sunt sicut angeli Dei in cælo. Et 28. eiusdem: Angelus Domini descendit de cælo. Et Luc. 1. Dicit Gabriel: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deũ. Constat ergo q̃ sunt aliqui angeli Dei, & patet q̃ sunt diuersi ab angelis diaboli, de quibus Matth. 25. Qui paratus est diabolo & angelis eius. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Mat. 6. Maximè Deo & diabolo, qui cõtrarij sunt. Præterea legitur Apocaly. 12. q̃ draco traxit tertiã partẽ stellarum. stellæ vocãtur angeli, quorum tertiam partẽ traxit diabo-

Ius: quia aliqui peccato eius consenserunt, & nõ omnes. Item aut spiritus qui sunt in corporibus humanis vnũ faciunt cũ corporibus, aut nõ. Si nõ, ergo nõ faciunt aliquid vnũ. Vnũ enim & aliquid sunt conuertibilia: ergo homo non est aliqua species creaturæ. Si verò vnum faciũt ergo aliquo genere Vnionis: ergo vel vnũ cõtinuatione sicut partes cartis vnũ faciũt: aut cõtiguatione, sicut os & caro, vnum faciũt: aut vnum per cõmistionẽ, sicut ex diuersis elemẽtis fit vnum elementatũ: aut vnũ per impressionẽ, sicut figura & cera vnũ faciũt: aut vnũ secundũ exigẽtiã naturalẽ, sicuti materia & forma vnũ faciũt cõpositũ. Exigit enim materia formã vt suã perfectionẽ, & forma materiam vt suũ perfectibile: aut vnũ quantũ ad operationem, sicuti artifex & instrumentum vnã habẽt operationẽ. Primo modo nõ: vnũ enim continuatione non sunt, nisi ea quæ habẽt dimensionẽ longitudinis, & latitudinis, & spissitudinis. Vnde cũ spiritus simplex sit, ex eo & corpore non fiet vnũ per continuationem. Eodẽ modo neque vnum per contiguationem. Contiguatio enim similiter non est nisi eorum quæ habẽt dimẽsionẽ. Itẽ neque per cõmistionẽ: quia quæ vtuntur sic desinũt esse actu, licet maneant virtute, vt elemẽta in elemento. Spiritus verò & corpus in homine manent actu. Item nec per impressionẽ: quia forma impressa nõ subsistit sine eo cui imprimitur: anima verò destructo corpore subsistit. Itẽ si secundũ exigentiã naturalẽ, vt spiritus sit vt forma, corpus verò vt materia, forma & materia immediata quę vocatur necessitas, simul sunt tẽpore, & neutrũ tempore præcessit reliquũ. Vnde secundũ hoc spiritus tempore non præcesserunt corpora in quibus sunt inclusi: materia verò quæ nõ est immediata præcedere potest formã. Cùm enim nõ sit perfectè aptata, aptari oportet eã antequã adueniat forma eius perfectiua: sed forma quæ est perfectiua quàm cito est, perfecta est. Et cùm sit melior & nobilior quã materia, nõ decet eã esse otiosam propter defectũ materiæ: vt scilicet primo existẽs materiã vel instrumẽtũ expectet otiosa. Si enim sapiẽti a humana non vult artificẽ otiosum esse propter defectũ materiæ vel instrumẽti, quãto magis sapiẽtia diuina hoc nõ permittet? Si quis tamẽ obiiciat animas erutas à corpore otiosas esse quãtũ ad viuificationẽ & sensum propter instrumẽti defectũ: Dicendũ est quòd culpa earũ occasio fuit huius defectus, sed nõ fuit hoc secundũ primã ordinationẽ creatoris: imò si nũquam peccassent, nunquã defectum organi paterẽtur. Itẽ neque vnum quãtum ad operationẽ. Ex his enim quę sic vniũtur nũquã fit vnũ aliquid secundũ substantiã, vt ex nauta & naui nõ fit aliquod

quod tertium, ex anima verò & corpore fit vnũ secundũ substãtiã, scilicet homo. ¶ Itẽ bonitas Dei cũcta fecit propter creaturæ vtilitatẽ, non propter suam, cùm bonorum nostrorum nõ egeat: sed ea quæ purè corporalia sunt nõ videtur fecisse propter eorũ vtilitatẽ, cùm nullius boni perceptiua sint: ergo fecit ea propter creaturæ spiritualis vtilitatẽ. Sed nõ videtur q̃ propter vtilitatẽ illius creaturæ spiritualis quę purè est spiritualis. Illa enim nõ videtur egere creatura corporali: ergo propter vtilitatem creaturæ, quę est partim corporalis, & partim spiritualis. Si ergo corporalia creata sunt secundũ primã ordinationẽ creatoris: ergo creatura partim spiritualis & partim corporalis est secũdũ primã ordinationẽ creatoris. Homo ergo factus fuisset, licet nullus Angelus corruisset. Item sicut omnia sunt à Deo vt primo principio: ita omnia sunt ad Deũ tãquã ad finẽ supremũ. Quę autẽ propinquiora sunt Deo similitudine, immediate ad eum ordinãtur: vt creaturę spirituales. Quæ autẽ magis distãt ab eo similitudine, mediatè ad Deũ ordinãtur, vt corporales creaturę. Creaturę verò purè corporales nõ videtur posse ordinari ad Deum per purè spirituales cũ quibus habẽt disconueniẽtiã. ¶ Est igitur creatura partim spiritualis, & partim corporalis, Homo, scilicet per quẽ creaturæ corporales ad Deũ ordinãtur. Et hoc tripliciter. Vno modo, quia in homine est inuenire quasi naturã omnis creaturæ: quia corporeum, vegetabile, sensibile, rationabile, vnde in eius beatificatione quasi natura omnis creaturæ beatificatur. Secũdo, quia homo positus est quasi medius inter creatorẽ, & creaturas corporales, secundũ dignitatẽ Deo inferior, creaturis illis superior, & vt Deo ministret, & sibi ab illis ministretur. Tertiò, quia cũ homo ratione corporis quo similitudinẽ habet cũ omnibus corporalibus creaturis, capax sit bonitatis eorũ, manifestè apparet q̃ ratione animę, qua Deo similis est, capax esse potest beatitudinis diuinæ. Vnde in lib. de Anima & spiritu: Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitę, dans ei sensum & intellectum, vt per sensum lutũ sibi sociatũ viuificaret, & per intellectum regeret, vt per intellectũ intus ingrederetur & contẽplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur & contẽplaretur opera sapiẽtiæ, intellectu intus illustrauit, sensu foris decorauit, vt in vtroque refectionẽ inueniret. Intus ad felicitatẽ, foris ad iucunditatẽ. Itẽ in eodẽ: Si tã disparẽ naturã carnis & animę ad vnã fœderationẽ atque amicitiam Deus cõiungere potuit, nequaquã erit impossibile ei rationabilẽ spiritum qui vsque ad cõsortium terreni corporis humiliatus est

cum eodē corpore glorificato, vt sit ei gloriæ quod fuit ei sarcinæ, ad cōsortium beatorum spirituum qui in sua puritate perstiterunt, ex altare. ¶ Itē in eodē: Plenum fuit miraculo q̄ tā diuersa & tam diuersa abinuicē, adinuicem potuerunt coniungi: nec minus mirabile fuit, q̄ limo nostro Deus seipsum coniunxit, vt sibiinuicem vnirentur Deus & limus, tanta sublimitas, & tāta vilitas: nihil enim Deo sublimius, & nihil limo vilius. Mirabilis fuit cōiunctio prima, mirabilis & secunda, nec minus mirabilis erit & tertia, cum homo, & Angelus, & Deus vnus erit spiritus.

De errore qui ponit duas animas esse in corporibus. CAP. XIIII.

ERror ille qui ponit duas animas esse in corporibus humanis, sequitur: quarū vnā dicit partē Dei esse, alterā de gēte tenebrarum, quam Deus non cōdidit, quæ mala est, & propria carnis: & omnia bona hominis tribuit illi bonæ animę, omnia verò mala illi malæ animæ. Bonā animam dicunt esse arborem bonā quæ nō potest facere fructū malum: animā verò malā, malā arborē quæ nō potest facere fructū bonum. Bonas verò missas esse ad reprimendā malitiā gentis tenebrarum. Hunc errorē destruit Aug. in lib. de duabus animabus: & in lib cōtra Fortunatū quē dā Manichæorū presbyterū. Et hęc sunt verba Aug. in lib. de Duabus animab. Quęro ergo ab eis, verū peccasse videretur, de cuius manu dormiētis scripsisset alius aliquid flagitiosum? quod quis dubitet eos esse negaturos? Quęro etiā si aliquis valentior alterius vigilātis, & sciētis, sed omnino nolētis manu aliquid mali fecisset, vtrum vigilās, & sciēs, sed nolēs vllo peccati nomine teneretur? Respōdebunt nihil istū omnino peccasse. Quid si dormiens ille iam sciret quid alius de manu facturus esset, & de industria plus ne expergisceretur à somno sedaret: nunquid ei quicquam somnus ad innocentiā suffragaretur? Respondebunt q̄ nō. Quid si alius vigilāns & sciens, volens superatus est vt aliquē prætenta defensione deciperet: quid ei vt peccato careat profuit impotentia, quanuis resistere nō valeret? Quibus cōcessis colligo nusquā nisi in volūtate esse peccatū. Et subdit, Peccatū sine voluntate esse nō posse. omnis mōs apud se cōscriptū legit. Volūtas verò, vt ipse dicit ibidē, est animi motus cogente nullo ad aliquid vel nō admittēdū, vel adipiscēdū. Peccatum verò est voluntas retinēdi vel cōsequēdi quod iustitia vetat. Et subdit, has duas diffinitiones voluntatis & peccati recipiēs, Manichęorum hęresim cōdēnat. Nā illud malū genus animarū si antequā bonū misceretur, nō habebat aliquā voluntarem, sine peccato erat atque innocēs. Quod si voluntas inerat, ergo volebat aliquid adipisci vel nō admittere. Illud

Illud autem aut bonū erat, aut bonū putabatur: sed nihil tale in suo genere erat: ergo illud bonū quod extrà erat appetebat: ergo bonā voluntatem habebat. ¶ Præterea opinionem boni habebat: ergo nō erat summè malum. Et paulò pōst: Nunc illud genus videamus quod ita ipsi laudant, vt ipsam Dei substātiā dicant esse. Et cū manifestū sit nō peccare animas in eo quòd nō sunt tales quales esse non possunt: vnde iā cōstat animas alias non peccare: relinquitur vt nō tribuātur peccata nisi bono generi animarū & substātiæ Dei. Præterea nunquā negauerūt, dari veniā peccatorū cū fuerit quisquā ad Deū cōuersus. Negant etiam malum genus animarū bonum posse fieri & regnū Dei possidere. Restat igitur vt nō solum ipsas quas de substantia Dei perhibēt: sed ipsas solas peccare fateātur. Sed dicūt quòd mali cōmistione coguntur: sed si illā coguntur vt resistere nō possint, non peccant. Si possunt, & propria voluntate consentiunt, cur hoc malum in summo bono cogimur per eorū doctrinā inuenire? Summū bonum vocat animā, quā dicunt esse de diuina substantia. Contra Fortunatū sic de stituit hunc errorem Augu. In primis, inquit, summū errorē puto Deum ex aliqua parte esse violabilē, aut coinquinabilē, aut corruptibilē credere: & hoc vestrā hæresim affirmare scio, sed non his verbis. Dicitis enim Deum omnipotentē cùm videret quanta labes & vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid aduersæ genti opponeret, & ei resisteret, misisse hanc virtutē de cuius commistione cū malo & gēte tenebrarum mundus sit fabricatus. Hinc esse quòd hic animæ bonæ laborāt, errant, corumpuntur, vt necessarium haberet liberatorem qui eas ab errore purgaret, & à commistione solueret, & à seruitute liberaret. Sed nephas puto credere Deum omnipotentē aliquā aduersam gētē timuisse, aut necessitatem esse passum, vt nos in ærumnas præcipitaret. Item in eodē: Si enim potest aliquid nocere Deo, nō est inuiolabilis. Si non potest aliquid ei nocere: quid ei erat factura gens tenebrarum cōtrà quā dicitis bellum gestum esse à Deo ante mundi cōstitutionem? Respōde ad illud breuissimum: Si poterat ei nocere: nō est inuiolabilis: si nō poterat, crudeliter huic nos misit, vt nos ista paterēmur. ¶ Item in eodem: Quæro à te quomodo habeamus peccata, si natura cōtraria nos cogit facere q̄ facimus? Qui enim cogitur aliquid necessitate facere, nō peccat. Item quæro de indulgentia peccatorum cui detur: nobis, aut genti tenebrarum? Si genti tenebrarum, regnabit & ipsa cum Deo. Si autē nobis, manifestum est q̄ voluntate peccauimus. Nihil enim malī fecit, qui nihil sua voluntate fecit. Idē in eodem: Prudentum est æstimare &

fideli

fidelium quæ sit fides purior & manifestate Dei dignior. Quæ ergo erit illa vbi asseritur vel virtus Dei, vel pars aliqua Dei, vel sermo Dei posse commutari, violari, corrumpi, ligari? An ea vbi dicitur, & omnipotentem Deū & omnem ipsius naturā & substātiā, nulla parte posse vnquā corrumpi? Item qui inuoluntariè peccat, non peccat. Si quis enim cæteris membris ligaretur ab aliquo, & manu eius falsum scriberetur sine eius propria volūtate: quæro si hunc hominē posset iudex falsitatis crimine condemnare? Quid ergo anima quæ Dei pars est, cū liberū arbitriū non habeat, mali fecit, vt à Deo puniatur, aut pœnitentiā agat, aut veniā mereatur? Itē si neque malū, neque peccatū nisi à natura contraria esse potest, pœnā ipsa sola potest mereri: nō anima in qua nō est peccatum, nec anima quæ non peccauit iussa est pœnitere. Nonne stultū & plenū dementię est vt gēs tenebrarū peccauerit vt me pœniteat de peccatis, qui possum dicere secundum fidem nostrā, quid feci? quid cōmisi? qui cùm tuis regnis vastitas immineret, ne essitate oppressus sum cui resistere non potui. Item inquè fuit voluntas mittendi animam ad tātas miserias, cùm Deo noceri non possit: An Deus summè misericors vt modum imponeret naturæ contrariæ, ideo nos immoderatos efficere voluit? Ad verba ista nescivit Fortunatus quid dicturus esset. Vnde dixit Aug. ei: Ego noui nō te habere quid dicas, & me cùm vos audiré in hac quæstione nunquam inuenisse quod diceré, & tamen fuisse admonitū diuinitus illū vt errorem relinqueré. ¶ Error iste quantū ad hoc quòd ponit animas bonas esse de substantia Dei, facilè potest destrui. Cùm enim substātia diuina simplicissima sit, vt prius ostensum est, non habet partes: vnde si dat alicui substantiam suam, dat totum: ergo est Deus perfectus. Itē ex simplicissimo secundū substantiā non possunt esse animæ, cum differāt secundū substantiā. Hūc errorem destruit gl. Aug. super illud Gen. 2. Inspirauit in faciē eius spiraculū vitæ. Non sunt, inquit, audiēdi qui putāt animam partē esse Dei. Si enim hoc esset, nec à se, nec ab vllo decipi posset, nec ad malum faciēdum vel patiēdū compelli, nec in melius nec in deterius mutari. Idem in libr. 83. Quæstionū: Aliud est veritas, aliud anima. Veritas enim falsitatē non habet, anima autē falsitatē habet: ergo nō est veritas, nec de veritate, licet sit à veritate. Itē in lib. de Anima & spiritu: Anima nō est pars Dei. Probat hoc mutabilitas quam incurrit. Deus enim immutabilis est: hæc sæpe mutata est pro culpa quādoque dānata: pro pœna quoq; fit misericordia, cū in Deo sit omnipotētia, & omniū scientia, & summa bonitas: in eo nō habet locū violentia

propter omnipotētiā, neque ignorantia propter omniū scientiā, neque malitia propter bonitatē summā: ergo si anima est de diuina substantia, nec violentia, nec ignorātia, nec malitia in ea locū habebit. Præterea si esset de diuina substātia, non esset creatura. Nam creatura est de nihilo: esse verò de nihilo, & esse de Deo opposita sunt maxima disparatione. Itē si animę sunt de diuina substātia, quomodo differūt à filio Dei, qui similiter est de diuina substātia? Itē cùm omne totū maius sit sua parte, si animę partes sunt diuinæ substātiæ, cū animæ mittuntur ad corpora, dimittitur diuina substantia: ergo & diuina potētia. Potētia enim sequitur substantiam, aut est ipsa substātia: ergo Deus nō remanet omnipotens. ¶ Itē si diuina substantia habet partes, aut omnipotentia ita est totius, vt etiā partiū, aut ita totius, quòd nō partiū. Si primo modo: ergo animæ quæ sunt partes ipsius habēt omnipotentiā. Si secūdo modo, ergo nō remanet omnipotentia in Deo tot partibus ei detractis quot sunt animę: nō enim remanet totū, vbi tot partes detrahuntur. Itē si diuina substantia habet partes, aut omnes partes sunt eiusdē naturæ, aut non: si sunt eiusdē naturæ, & omnipotētia est vnius partis, erit etiā & omniū aliarum. Si verò diuersārū, qui illas diuersas naturas coniunxit, ille potius Deus erit. Itē si animæ sunt partes diuinæ substātiæ, nō habuerūt initiū: ergo nō sunt factę, cuius cōtrariū dicitur Luc. 11. Quod intus est vestrū, plenū est rapina. & iniquitate, & subditur: Stulti, nōne qui fecit q̄ deforis est, etiā id q̄ deintus est fecit? Id quod deintus est plenum iniquitate, nō potest intelligi nisi de anima.

De Errore qui ponit omnes animas simul fuisse creatas. CAP. XV.

ERror ille qui dixit omnes animas simul fuisse creatas, sequitur. Contra quē errorem sic potest obiici. Constat quòd habēt animæ potentiā cognoscēdi & volēdi antequam corporibus infunderentur. Si omnes à principio creatę sunt: ergo cùm nō haberent eas otiose, merebātur vel demerebantur. Si merebātur, de buerūt in bonitate confirmari, sicut & Angeli. Si demerebantur, obstinatæ sunt factę, sicut Angeli qui peccauerūt: & peccatū earū fuit irremissibile, sicut & Angelorum malorū. Item si habuerūt potentiā cognoscēdi & volendi cùm cognoscerent carnem corruptā cui vniebantur: aut voluntariè vniebātur, & tunc erit in eis peccatum actuale: aut inuoluntariè, & tunc iniustè cū eis agebatur, cùm corpori maculanti ea vniebātur. Ad hunc errorem destruendū pro magna parte aptari possunt authoritates & rationes quæ positæ sunt ad destruēdum errorem illum qui ponit Angelos apostatas esse in corporibus humanis.

De Errore qui ponit animas de semine traduci vt corpora.

CAP. XVI.

SEquitur de Errore illo, qui ponit animas seminari vt corpora, id est, cum semine traduci decisione facta ab anima sicut & à corpore. Cõtra quem primo est quod legitur Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ait Adam per Spiritum sanctum. Si esset anima de anima sicut os de ose, & caro de carne, debuit hoc Spiritus sanctus dicere. Vnde gl. Aug. super prædictum verbum: Si aliud, inquit, fiebat in fœmina quàm in viro, vt à carne animata anima eius duceretur non sicut viri, aliunde corpus, aliunde anima, quod aliter fiebat scriptura facere non debuit, nec ita factum putaremus sicut iam didiceramus: quia ergo non dixit, ex anima viri factã animam mulieris, innuit nihil aliud putandũ quàm quod de viro fuerat dictum, scilicet, inspiratuit in faciem eius spiraculum vitæ. Gene. 2. secundum glos. Aug. Inspirare est flare, vel sufflare. Flare verò hic dicitur flatum facere, id est animam facere. Item legitur Eccl. 12. Antequam reuertatur puluis in terrã suam vnde erat, & spiritus redeat ad illum qui dedit illum. Et Esa. 57. Flatus ego faciã. Et Arist. in lib. de Animalibus, dicit quòd solus intellectus diuinitus ab extrinseco prouenit. Præterea cùm anima rationalis immortalis sit, non est corruptibilis per corporis corruptionem: ergo non est generabilis per eius generationem. Sicut enim se habet generatio ad generationem: sic corruptio ad corruptionem. Item cùm anima simplex sit, non potest anima ab alia esse per decisionẽ: sicut corpus per decisionẽ est à corpore. Item si anima seminatur cũ corpore, cùm irrita fluunt sine conceptibus semina, quomodo perit anima immortalis? vt ait Aug. ad Optatum. Item corruptibilibus substãtiis quæ non possunt conseruare speciem suam in se, specialiter datum est multiplicare speciem suam, vt sic conseruetur in alio. Ergo cùm anima rationalis non sit corruptibilis, non est hoc datum ei: ergo non est anima rationalis ab anima. Item propinquissimum æterno est perpetuum: ergo cũ anima rationalis perpetua sit, immediate ipsa est à Deo, qui æternus est. Nõ videmus aliquã substãtiam perpetuã cui pura creatura conferat esse: ergo nec animæ rationali conferet. Item potentia creandi solius Dei est, vt prius ostẽsum est: anima verò rationalis per creationẽ est, ergo à solo Deo est. Quòd anima rationalis per creationem fit, ostendi potest sic: Aut anima rationalis ex nihilo est, aut ex aliqua materea præexistente. Si ex nihilo, ergo per creationẽ. Creare enim est aliquid facere ex nihilo. Si verò est ex materia præexistente, materia illa necessariò erat sub aliqua forma. Cùm enim materia corporalis non sit sine aliqua forma, nec spiritualis erit sine aliqua forma: ergo vel erat corporea, vel non erat corporea. Si corporea erat, non poterat ergo ex illa fieri anima, quæ est incorporea substantia: simplex enim non fit ex compositio, nec compositum ex simplici. Si verò erat incorporea, aut viuebat, aut non viuebat. Si non viuebat, erat ergo substantia incorporea non viuens, quod falsum est: nulla enim inuenitur substantia incorporea non viuens. Si verò viuebat: ergo erat vel Deus, vel angelus, vel anima, vel animal, vel planta, quod est inconueniens. ¶ Item materia illa rationalis erat antequam ex ea anima fieret, aut non. Si non, sed facta est rationalis, quum ex ea anima facta est: ergo habens vitam irrationabilem materia animæ erat. quid ergo à pecoris spiritu distabat? vt ait Aug. Si verò erat rationalis, ergo iam vel angelus, vel anima erat. Præterea si esset spiritualis materia, sicut corporalis, oporteret quod ipsa esset continua existens, vbicunque est aliqua spiritualis substantia: vel quod tot essent materiæ, quot sunt spirituales substantiæ, quum ipsæ sint separatæ abinuicẽ. Præterea quũ illa virtus animæ quæ dicitur intellectus, operetur per abstractionẽ à materea, ipsa virtus immaterialis est: ergo & ipsa anima immaterialis est. Operatio enim sequitur naturam virtutis, & virtus naturam substantiæ. Non est igitur anima ex materia præexistente, sed ex nihilo: ergo & per creationem, & ita à solo Deo. ¶ Item potentia rei effectæ subiecta est suæ causæ efficienti: potentia verò animæ rationalis, scilicet liberum arbitrium, nulli puræ creaturæ subiecta est, quum à nulla possit cogi: ergo nulla creatura pura causa efficiẽs eius est. Solus ergo Deus creator est animarum, vt fides catholica asserit.

De quinto errore qui ponit Christum non habuisse veram humanam naturam.

CAP. XVII.

SEquitur de quinto errore, qui ex errore Manichæorum processit: qui ponit Christum non habuisse veram humanam naturam. Cui errori occasionem dedit illud Philippen. 1. Et habitu inuentus vt homo. Ex hoc enim inferunt Christum fuisse vt hominem, & non verè hominem. Sed simili ratione possunt dicere, eum fuisse quasi vnigenitum Patris, & non verè vnigenitum, quum scriptum sit Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Ideo potius dicendum est, quòd hæc dictio, vt, vel quasi, non semper est nota improprietatis vel similitudinis: imò aliquando expressiua est veritatis, vt in verbis prædictis.

Deder

Dederunt etiam occasionē dicto errori quædā opera miraculosa quæ Christus legitur fecisse: vt quòd de vtero materno clausō exiuit, & quòd super mare siccis pedibus ambulauit. Mat. 14. Sed opera quæ Christus miraculosē fecit diuinæ naturæ ostendunt veritatē, & non humanæ naturæ probant falsitatē: & sicut opera supra naturā attestantur eius deitati, sic defectus & eius infirmitates quæ in Sacra scriptura legūtur, attestātur veræ eius humanitati. Sicut esuries de qua legitur Matt. 4. Quum ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. Et eiusdē 21. Mane reuertēs in ciuitatē esuriit. Et 26. Cœpit contristari & mœstus esse. Et pòst: Tristis est anima mea vsque ad mortē. Habuit ergo verā animā, eadē ratione & veram carnē. Et Ioan. 4. Iesus ex itinere fatigatus sedebat super fontē. Et eiusdem 11. Lachrymatus est Iesus. Et 12. Nunc anima mea turbata est. Præterea si veram humanā naturā non habuit, nō fuit verus homo. Vnde nō verè mortuus est, nec verè resurrexit. Cuius contrarium habetur Lucæ vltim. Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Eiusdē 18. Postquam flagellāuerint, occidēt eum, & tertia die resurget. Authoritates verò quibus manifestum est eum verum hominem fuisse, hę sunt quę sequuntur. Matt. 1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, &c. Et codē: De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Et iterum: Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Et pòst: Peperit filium suum primogenitum. Et Lucæ septimo: Venit filius hominis manducans & bibens. Erat ergo verè homo qui manducabat & bibebat. Et eiusdem vltim. Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et iterum: Et quum manducasset coram illis, sumēs reliquias dedit eis. Et Io. 1. Verbum caro factum est. Eiusdem 10. Potestatem habeo ponendi animā meam: ergo habebat veram animam, eadem ratione & veram carnem. Item Rom. 1. Qui factus est ex semine Dauid secundū carnem. Et eiusdem 9. Ex quibus Christus secundum carnē. Ad Hebr. 7. Ex Iuda ortus est Dominus noster. Act. 1. Conuescens præcepit eis, &c. Et eiusdē 10. Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo. 1. Io. 1. Quod perspeximus, & manus nostræ cōtrectauerunt de verbo vitæ. Eiusdem 4. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum venisse in carne, ex Deo est. Et 2. Ioan. Multi seductores exierunt in mundum istum qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne, &c. Et pòst: Qui nō confitetur Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor & antichristus: quum Christus veritas sit: secundum illud Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Non est verisimile eum falsitate humanæ naturæ homines decepisse. ¶ Item quum verè sit mundi redemptor, secundū illud ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, verum pretium soluit. Pretiū verò pœna erat, cuius debitor erat genus humanū. Ergo verè pœnā sustinuit: ergo verū corpus habuit. Non est ergo verisimile quòd redimendo genus humanū falsam monetā soluerit. Præterea si corpus Christi verum corpus nō fuit, sed vmbra corporis, quomodo verum est illud Philip. 2. Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, &c. Et illud 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis. Et illud Apoc. 1. Lauit nos à peccatis in sanguine suo. Et quod legitur Ioan. 13. de ablutione pedum apostolorū. Ablutio enim cōtactum requirit. Si verò dicatur corpus illud cæleste fuisse, ergo impassibile fuit: quod ex diuersis locis Euangelij constat esse falsum. Præterea secundum hoc non est verum quod legitur ad Hebr. 2. quòd semen Abrahæ apprehenderit. Secundum hoc etiam nunquam comedit vel bibit, cuius contrarium prius ostensum est.

De errore illo qui condemnat Ioannem Baptistam. Et de commendatione ipsius Ioannis. CAP. XVIII.

SEquitur de errore sexto, qui ex errore Manichæorū processit, qui condemnat Ioannem Baptistam. Cui errori occasionem dedit quod legitur Matth. 11. Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ex quo inferūt Ioannem dubitasse de Christo, quū interrogauerit, & propter dubitationem condemnatū esse. Sed non sequitur, si interrogauit, quòd dubitauerit. Interrogauit enim Christus cuius esset imago denarij & superscriptio, Matth. 22. nō tamen de hoc dubitauit. Item nō sequitur, si dubitauit, quòd propter hoc damnatus fuerit: non enim omnis dubitatio damnabilis est. Potuit dubitare vtrum Christus in propria persona descensurus esset ad inferos, & inde extracturus amicos suos, an per alium hoc esset facturus. ¶ Quòd propter illam dubitationē damnatus non sit, patet per hoc, quòd Christus postquam nuntij Ioannis redierant, tantum testimonium dedit Ioanni vocans eum angelum & plusquam prophetam, & dicens quòd inter natos mulierum maior illo nō surrexit. Et verisimile est, quòd Ioannes sibi illud non interrogauerit, sed discipulis suis qui de Christo dubitabant, volens eos per Christum certificari: quos Christus certificauit: ostendens signū impletum quod dederat Esaias de aduentu Christi. Esa. 35. Deus inquit, ipse veniet & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surd

dorum patebunt, &c. Vnde Dominus ait: Cæci vident, claudi ambulant, &c. Potuit etiam dare occasionem huic errori, quòd Ioānes Baptista nō secutus fuit Christū. dicunt enim, quòd si bonus fuisset, eum secutus fuisset. Sed hoc non sequitur. Multi enim boni fuerunt, qui tamen Christū corporaliter secuti nō sunt. Noluit Christus quòd Ioannes eum corporaliter sequeretur, ne testimonium eius suspectum haberetur: & plus profuit ad confirmationē fidei testimoniū, quod Ioannes in absentia Christi tulit, quàm si illud in eius præsentia tulisset. Simile habes Matth. 5. de illo qui à dæmonio liberatus erat, qui rogauit Christū, vt esset cum eo. Iesus autem non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuā ad tuos, & nuntia illis quāta tibi Deus fecerit. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Plus profuit prædicatio eius in absentia Christi, quàm profuisset in eius præsentia. Vt autē manifesta fiat falsitas istius erroris, ponamus cōmendationes Ioannis quæ à scripturis sactis possunt haberi, quæ 16. sunt. ¶ Prima est, quòd à Prophetis est prænuntiatus, vt Esa. 40. Vox clamantis in deserto. Deeodem habes Matth. 3. Et Marc. 1. Item prænunciatus est, Mala. 3. Ecce ego mitto angelū meum. De eodem habes Matth. 11. Hic est de quo scriptū est: Ecce ego mitto angelū meum. Item prænuntiatus est in Psal. Parani lucernam Christo meo. De eodem habes Ioan. 5. Ipse erat lucerna ardens & lucens. ¶ Secunda est, quòd angeli nuntiatione præuenta est eius conceptio & natiuitas: & non cuiuscunque angeli, sed eius qui Christi conceptionem prænuntiauit. Luc. 1. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum. ¶ Tertia est, quòd de parentibus sanctis miraculosē natus est. Luc. 1. Erant iusti ambo, &c. Et pòst: Non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. ¶ Quarta est, quòd antè fuit sanctus quàm natus. Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. ¶ Quinta est, quòd fuit propheta, ita quòd in vtero prophetare incœpit, dum exultando in vtero, testimoniū Christo dedit, Luc. 1. Vt facta est vox salutationis tuæ auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Absque dolo fuit testimoniū illud. Nec solum fuit propheta, sed etiam plusquam propheta. Matth. 11. Quia Christum digito demonstrauit. Ioannis 1. ¶ Sexta est, quòd fuit angelus nomine & virtute, licet non natura. Matth. 11. Chrysost. Puto si non est audacia dicere, quòd glorioſior est Ioannes quia homo fuit, & propter meritum virtutis angelus est vocatus, quàm si nomine & natura angelus fuisset. ¶ Septima est, quòd Christū baptizare

ptizare meruit. Matth. & Luc. 3. ¶ Octaua est, quòd vocem patris audire dignus fuit, dicentis: Hic est Filius meus dilectus. Matt. 3. ¶ Nona est, quòd Spiritum sanctū super Christum in specie columbæ descendentem vidit, & dictum est ei à Patre: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. ¶ Decima est, quòd tria merita quibus debetur aureola, habuit: virgo enim, & martyr, & prædicator fuit. Vndecima est, quòd sanctitas eius & Iudæis, & gentibus, & Christianis manifesta fuit. ¶ Duodecima est, quòd carnis suæ fuit perfectissimus dominator. Luc. 1. Vinum & siceram non bibet. Matth. 3. Esca eius erat locustæ & mel syluestre. Et 11. Venit Ioannes non manducans, neque bibens. Suprà 3. Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Matt. 11. Quid existis in desertum videre? hominem mollibus, &c. ¶ Tertiadecima est, quòd ipse fuit mundi maximus contemptor. Vnde erat in deserto vsque ad tempus ostensionis suæ ad Israël. Luc. 3. ¶ Decimaquarta est, quòd regni cælestis prædicator: ante ipsum qui prædicabant, terram promittebant. Luc. 16. Lex & prophetæ, vsque ad Ioannem, supple prædicauerunt. Lex autē terrena promittebat: ex eo verò regnū Dei euangelizatur. Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnū cælorum, &c. ¶ Decimaquinta est, quòd ipse vitiorum fuit zelatissimus persecutor; zelus iste fuit ei mortis occasio. Mar. 6. ¶ Decimasexta est, quòd post Christum & beatam Virginem dies natiuitatis eius solennis est.

De erroribus negantibus pluralitatem vel æqualitatem diuinarum personarum. CAP. XIX.

DEstructis erroribus pertinentibus ad diuinā essentiam, vel eius vnitatē, destruendi sunt errores pertinentes ad personarum trinitatem vel æqualitatem. ¶ Ad destructionē verò horum errorū sufficit ponere testimonia sacræ scripturæ, quæ ostendunt personarum trinitatem vel æqualitatem. Nullum enim genus ostensionis cōuenientius est in his quæ sunt supra rationem, quàm per sacram scripturam. In talibus enim soli Deo de se credendum est, qui se solus nouit, iuxta verbū Hilarii. Aug. in lib. de Trinitate: Omnes catholici tractatores, qui de Trinitate scripserunt, quæ Deus est, hoc intendūt secundū scripturas docere, quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnius sint substantiæ & inseparabili æqualitate vnus sit Deus. Ioan. Damascen. Dominus per legem & per prophetas prius, deinde verò per vnigenitum filium suum secundū quòd possibile est, nobis suiipsius manifestauit cognitionē. Diuina igitur quæ tradita sunt nobis per legem & per

prophetas, & per apostolos, & euangelistas, susceepimus & reueremur, nihil vltrà inquirentes. Prou.30. Ne addas quicquã verbis illius. Quod specialiter seruandum est in his quæ sunt supra rationem. Aug. Quum res naturaliter obscura modulum nostrum vincit, & aperta diuina scriptura non subuenit, temerè diffinire humana coniectura præsumit. Eccl.5. Nec temerè quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermones coram Deo: Deus enim in cœlo, & tu super terrà, ideireo sint pauci sermones tui. Intelligendum de Deo, de quo & vera dicere periculosum est. Pluralitas personarum insinuatur Gene. 1. vbi loquitur Pater ad Filium & Spiritum sanctum, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non potest enim dici quòd loquatur ad angelos, quum angeli non sint creatores. Item eiusdem 18. Vbi Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Item insinuatur in verbo illo Psalm. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Item ibi: Benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus. Trina nominatio Dei trinitatem personarum insinuat. Item Esa.6. Vbi Esaias audiuit Seraphin clamantiã, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus. In hoc quod dicitur ter Sanctus, insinuatur personarum trinitas. In hoc verò quòd dicitur Deus, essentiæ vnitas. Simile habetur Apocal.4. de animalibus quæ plena erant oculis, quòd requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens. Expressè verò personarum trinitas ostenditur Matth. vlti. vbi dicit Christus: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Et Ioa.10. habetur de duabus, Ego & Pater vnũ sumus. Et eiusdẽ 14. de tribus, Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, &c. Item eiusdem 15. Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, &c. 1. Ioa. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Item Rom.8. Spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in vobis. Et Gal.4. Misit spiritum filij sui in corda vestra. De generatione verò Filij à Patre dicitur in Psal. Ego hodie genui te. Item, Ante Luciferum genui te. Et Prouerb.8. dicitur de sapientia increata: Ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret: necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Et Eccl.24. Ego ex ore Altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Et Mich.5. dicitur ad Bethleem: Ex te egredietur qui sit dominator in Israël: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis eius. ¶ De deitate verò filij habet

habetur Esa.7. Vocabitur nomen eius Emanuel. Et Mat.1. Idem verbum sumitur. Et sequitur: Quod est interpretatum, nobiscum Deus. Et Esa.9. dicitur, Paruulo nobis nato vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis &c. Eiusdem 25. Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperietur oc[illegible] cæcorum, &c. Et Baruch 3. Hic est Deus noster, nõ æstimabitur alius aduersus eum, &c. Et pòst: In terris visus est, & cũ hominibus conuersatus est. Et Matth. vlti. Data est mihi omnis potestas. Omnipotentia non potest esse nisi in Deo. Et Ioan.1. dicitur: Et Deus erat Verbum. Et pòst: Omnia per ipsum facta sunt. Et iterum: Et verbum caro factum est. Ex quibus verbis manifestè apparet Christum verum esse Deum. Et eiusdem 5. dicit Ioan. de Christo: Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Et ad Rom.9. Ex patribus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen. Item ad Hebr.1. dicitur de Filio: Per quem fecit & secula. Et iterum: Qui quum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Et Phil.2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Item quum in cognitione eius consistat vita æterna, secundum illud Ioan. decimo septimo: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum: patet ipsum esse Deum. Vita enim æterna est beatitudo. Beatitudo verò est in summo bono. Ad idem facit quòd credentibus in se dat vitam æternam. Ioannis decimoseptimo: Date enim vitam æternam solius Dei est. Et 1. Ioannis vltimo: Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in filio eius vero: hic est verus Deus, & vita æterna. Et Actuum 10. Annuntians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Deus.

¶ Quòd in Christo non solum esset natura humana, sed etiam diuina, patet ex eis quæ leguntur in Ioanne in diuersis locis. Primo ex hoc quod legitur eiusdem 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo: filius hominis, qui est in cœlo. Erat ergo in cœlo Christus, quũ verba illa loqueretur in terris, quod non erat secundum humanam naturam, sed secundum diuinam. Ad idem facit illud Io.8 Antequam Abraham fieret ego sum: non enim ante Abraham fuerat, secundum humanam naturam. Et Lucæ 10. Videbam sathanam quasi fulgur cadentem de cælo. Hoc nõ erat secundum humanam naturam: cùm sathanas de cælo cecidit. Ioan.8. Ego principium, qui & loquor vobis.

¶ De spiritu sancto legitur Gen.1. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Iob 26. Spiritus eius ornauit cælos. Ex quo ver-

bo patet spiritum illum esse Deū. Ornatus enim cælorum à Deo fuit. De eodem spiritu habetur in Psal. Spiritu principali confirma me. Et iterum: Spiritum sanctū tuum ne auferas à me. Item: Sapien. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Ex quo similiter patet cum Deum esse. Nulla enim creatura orbem terrarum replet. Item Esa. 44. Effundam Spiritum meum super semen tuum. Et eiusdem 11. Requiescet super eum Spiritus domini. Et 61. Spiritus Domini super me. Et Matth. 1. dicitur de beata Virgine: Inuenta est in vtero habens de spiritusancto. Cùm fides catholica pro certo habeat beatam Virginem non concepisse de creatura aliqua, patet Spiritumsanctum, cuius operatione concepit, creaturam non esse. Ad idem Matth 3. Ipse vos baptizabit in Spiritusancto. Quum interior baptismus seu mundatio peccatorum solius Dei sit, Spiritussanctus qui interius mundat, Deus est. ¶ Item in eodem: Vidi Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Non fuit Spiritus ille creatus: quum spiritus creatus qui in Christo erat, sanctior esset omni alio spiritu creato. Item eiusdem 10. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Aut dicitur Spiritus patris spiritus à patre creatus. Et sic omnis spiritus esset spiritus patris. Aut dicitur Spiritus patris qui est de substantia patris vt pars eius, quod nō potest esse, quum substantia diuina simplicissima sit: aut qui est ipsa substantia patris, & sic est Deus. Ad idem facit, quod legitur eiusdem vlti. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Nisi Spiritussanctus esset Deus, vt Pater & Filius, non præciperet Deus baptizari in nomine Spiritussancti, vt in nomine Patris & Filij. Item Ioan. 16. Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus nō veniet ad vos. Non expediret quòd propter aduentū Spiritussancti Christus recederet à discipulis, nisi Spiritussanctus esset Deus vt Christus. Ad idem Ioan. penult. Accipite Spiritumsanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, nisi Spiritussanctus esset Deus, non fieret per eum remissio peccatorum. Ad idem Rom. 5. Charitas Dei diffusa est per Spiritumsanctum. quum charitas donum Dei excellentissimum sit, non datur, nisi à Deo. Item 1. Corinth. 2. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Et pòst: Quæ Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei. Ille Spiritus necessariò Deus est. Scrutari enim omnia profunda Dei, non est alicuius creaturæ. Item eiusdem 3. Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Et post: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et eiusdem 6. Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritussancti qui in vobis est? Vnde quum fideles templum sint solius Dei, & sint templum Spiritussancti, Spiritussanctus Deus. Item eiusdem 12. Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus, non posset esse idem spiritus creatus in omnibus sanctis. Et paulò pòst: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Et ostendit Apostolus Spiritumsanctum esse Deum, subdens: Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. hæc autem omnia operatur vnus atque idē Spiritus, diuidens singulis prout vult. Item 2. Corinthior. 1. Qui dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Et Ephes. 1. Qui est pignus hæreditatis nostræ. Non potest esse pignus hæreditatis æternæ spiritus creatus, quum eam non valeat. Item 1. Ioann. vltim. dicuntur Pater, & Verbum, & Spiritussanctus vnum esse: ergo si Pater & Verbum sunt Deus, Spiritussanctus est Deus. Ad idem facit quòd viuificare ei attribuitur. Ioan. 6. Spiritussanctus est qui viuificat. Viuificare enim vita spirituali, solius Dei est. Et eiusdem 3. dicitur de eo: Spiritus vbi vult spirat. Spirare vbi vult, non est spiritus creati. ¶ Procedit autem Spiritussanctus à Patre & filio. De processione Spiritussancti à patre, habes Ioan. 15. Spiritum veritatis qui à Patre procedit. Græci verò negant Spiritumsanctum procedere à Filio, eò quòd istud non inueniatur expresse in canone Sacræ scripturę. Nos verò hoc cōcedimus, quia Spiritussanctus vocatur Spiritus Christi. Romanor. 8. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra. Secundū Græcos, licet Spiritussanctus sit Spiritus Christi: tamen non procedit ab eo, sed est ad eum: vnde quasi in medio est, & filius quasi in termino. sed pro fide nostra facit quod dominus Matth. vltim. Spiritum sanctū vltimò nominat, dicēs, Baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spirituſsancti. Et Ioan. similiter 1. Canon. vltim. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbū, & Spirituſsanctus. Ad idē videtur facere quod dicit Christus: Ille de meo accipiet. Ioann. 16. Ad idem facit hoc, quòd filius dicitur imago Patris potius quàm Spirituſsanctus. Colossen. 1. Qui est imago Dei inuisibilis: quia non solùm habet essentiam communem cum Patre: sed etiam assimilatur Patri in hoc, quòd produxit ex se personam sicut & Pater. Præterea in anima quæ imago Dei est, vt patet ex diuersis locis Scripturæ sacræ, lux cognitionis quæ filio appropriatur, quædam causa est amoris, qui Spiritusancto appropriatur. Itēquū in sole vestigium Trinitatis in-

veniatur. Vnde Deus dicitur Sol iustitiæ. Mala. 4. Et sol intelligentiæ. Sapientiæ 5. Calor est à radio solis, nõ radius à calore: sic & Spiritussanctus à Filio procedit. Et hoc cõcesserunt etiam qui dã doctores Græcorum, vt Athanasius in symbolo fidei. Et Didymus maximus doctor eorum in libro de Spiritu sancto. Et Cyrilius episcopus, & Ioa. Chrysost. Quorum testimonia ponit Magister in primo Sentẽtiarum. ¶ Æqualitas verò personarum ostendi potest per hoc, quòd idem est in Deo esse, & esse magnum: ergo quum essentia diuina in tribus personis indifferens sit, & magnitudo indifferens est: ergo æqualitas est in personis. Item vnica est diuina essentia, & simplicissima: ergo non potest ibi locum habere inæqualitas. Æqualitas Patris, & Filij specialiter ostenditur ab Augustin. per illud quod dicit Filius, Ioa. 16. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Ad idem facit illud, quod legitur eiusdem 3. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Et Matthæi 11. Et Lucæ 10. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et Ioann. 17. Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Probat idem August. hoc modo: Homo pater, si potuisset, æqualem filium genuisset. Quis ergo audet dicere, quòd hoc Omnipotens non potuit? Addo etiam, quòd si posset homo, maiorem meliorémque seipso gigneret filium: sed Deo maius vel melius quicquam esse non potest. Deus ergo cur non æqualem annis filium genuit: cui nec anni necessarij fuerũt, per quos adimpleretur æqualitas: neque omnipotentia defuit, aut forte noluit: ergo, quòd absit, inuidit: sed non inuidit æqualem: ergo sibi genuit. Æqualitas verò Spiritussancti cum patre & Filio sic potest ostendi: Optimus optimum lucidissima cognitione notum non amare non potest: ergo Pater necessario amat filium, & non minus quàm amandus sit: ergo quum summè sit amandus, summè amat eum: ergo amor Patris ad Filium summus est: ergo Spiritussantus, qui est amor, ille est æqualis Patris & Filio. Item quum inter Patrem & Filium debeat esse amor, maximus erit amor primi Patris à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Itẽ cùm nõ sit minor Patris benignitas quàm fœcunditas, non erit minus donum amoris procedens ab eius benignitate, quàm eius partus pertinens ad eius fœcunditatem: ergo non erit minor Spiritussanctus Filio. Item si non est minor Filius Patre, qui à solo Patre procedit: nõ erit minor Spiritussanctus Patre vel Filio, qui ab vtraque procedit. Augustin. Magna misericordia Dei, donum dat æquale sibi: nam Spiritussanctus donum est. ¶ Et notandum quòd aliqua similitudo

do Trinitatis inuenitur in creaturis: sed non est creatura quæ in omnibus Trinitati assimiletur: sed quædam creaturæ assimilantur ei in quibusdam, quædam in aliis. Vnde glos. Augu. super illud Hebr. 1. Qui cùm sit splendor gloriæ, non possunt comparari temporalia æternis integra collatione: sed tamen possunt aliqua tenui & parua similitudine coæua cœternis cõparari. Nec mirum, quum non sit vmbra similis omnino corpori cui est vmbra, nec vestigiũ simile est omnino pedi. Et ostendemus similitudinem Trinitatis in diuersis creaturis. Vna & eadem vox est, diuersæ dictiones: vt hæc vox, Amor, est nomẽ proprium cuiusdam sancti, & est nomen commune, & est verbum: non mireris ergo, si tres personæ sint vna essentia. Item in rebus sensibilibus inuenis subiectum & varietatem accidentiũ, quæ circũuestit illud, & naturalẽ amorẽ subiecti ad naturalia eius accidentia. Subiectum similitudinem habet cũ Patre, cùm sit causa accidentum, sicut Pater ex se producit filium. Varietas verò accidentium subiectũ manifestans, est quasi verbũ. Amor verò subiecti ad naturalia accidentia assimilatur Spiritui sancto: quem amorem ostendit hoc, quòd subiectum tẽdit ad locum sibi competentem, fugiens locum naturæ suæ cõtrarium: & natura quærit quæ pertinent ad exteriorem decorem, vt est cortex, & frõdes in arboribꝰ, pili in animalibus, ordinatio, figura, color. ¶ Itẽ similitudo Trinitatis habetur in materia, & forma, & complexu horũ. Itẽ in igne in quo inuenis ignis speciẽ, & lucẽ & calorem, & sunt ignis, & lux coæua, licet sit lux ab igne: sicut Pater & Filius sunt æterni, licet Filius sit à Patre. Augu. Quid possumus in creatura inuenire coæternũ, cùm nõ inueniamus in ea æternũ? sufficit vt ad similitudinem inueniamus coæuum. splendor est de igne, & tamẽ coæua sunt. Similiter imago in aqua & virgultũ natum super aquam coæua sunt. Da mihi ignẽ sine splendore, & credo Patrem fuisse sine filio. Itẽ inuenitur similitudo Trinitatis in sole, vbi habes substantiam, & radium, & calorem. Substantia solis à nulla creatura est, radius de sole nascitur, calor ab vtroq; progreditur. Itẽ habes similitudinẽ Trinitatis in magnitudine, pulchritudine, & vtilitate creaturarũ. In magnitudine apparet potẽtia, quæ Patri appropriatur: in pulchritudine sapiẽtia quæ appropriatur Filio: in vtilitate bonitas, quæ appropriatur Spiritui sancto. Itẽ in corpore humano est similitudo quędam Trinitatis. Est enim in eo vita, sensus, affectus. In anima verò rationali expressior inuenitur similitudo Trinitatis quàm in prædictis, cùm ipsa dicatur Dei imago. Et secundũ Aug. ipsa est Tri

nitatis imago secundũ intellectum, volũtatem, & memoriã. Vn de Aug. in sermone de imagine: Nõ solũ sufficit intellectus, nisi sit voluntas in amore Dei: nec duo sufficiunt, nisi memoria adsit, qua semper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus. Vel possumus aliter similitudinem Trinitatis in anima assignare: vt scilicet intellect' qui dicitur materialis vel possibilis Patre assimiletur. Intellectus verò qui dicitur intellectus in actu, vel formatus, assimiletur Filio. Et sicut Filius à Patre procedit, & est eius verbum, vel imago, vel speculum: sic intellectus formatus est quasi verbum, & speculum, & imago: & ordine intelligẽtiæ est post intellectum materialem. Prius enim est intellectũ esse, quàm intelligere se vel aliud. Affectus verò Spiritui sancto assimilatur. Possumus etiam aliter similitudinem Trinitatis in anima assignare: vt scilicet intellectus agens Patri assimiletur, qui secundum philosophos se habet ad species intelligibiles manifestandas, sicut lux ad colores. Et sicut operatione lucis corporalis species coloris abstrahitur quodammodo, & pupillæ cõiungitur: sic operatione intellectus agentis lumen intelligentiæ diffundentis, & abstrahentis species intelligibiliũ à formis sensibilibus cõiungũtur species illæ intellectui possibili, & sit intellectus formatus, qui Filio assimilatur. Affectus verò assimilatur Spiritui sancto. ¶ Et notandum quòd secundũ quosdã, anima non est suæ potentiæ, & secundũ hoc min⁹ est expressa similitudo Trinitatis in anima, quũ tres personę sint diuina essentia. Anima verò licet habeat tres potentias, tamẽ illæ tres potentiæ nõ sunt idem quòd essentia animæ. Secundum alios verò anima suæ potentiæ est, & secundũ hoc expressior est similitudo Trinitas in anima. Et pro hac opinione facit quod legitur in lib. de Spiritu & anima: Sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligẽtia: hæc omnia in anima non aliud sunt quàm ipsa. Itẽ super Ecclesiast. 17. dicit gl. Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus, non tres dij, sed vnus Deus, tres habens personas: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria non tres animæ, sed vna anima. Itẽ Aug. in lib. de Trinitate: Admonemur, si vtrumq; videre possimus, hæc in anima existere substantialiter, non tanquam in subiecto. Itẽ Damasc. Anima nõ habet preter seipsam intellectũ. Item cùm prima materia sit ipsa potentia ad susceptionem formarum naturalium: eodem modo anima erit ipsa potentia ad susceptionem specierum, quum videatur esse simplicior, & Dei imago sit. Præterea hæ tres potentiæ animæ, intellectus, voluntas & memoria, aut sunt accidentalia animæ, aut essentialia. Si accidentalia: ergo non differt anima rationalis nisi accidentaliter ab eo, à quo corpus bruti animalis viuificatur, & sensificatur. Si verò sunt essentialia, aut sunt tres partes essentiæ animæ, aut vnumquodque illorum est tota essentia animæ. Si sunt partes, aut anima erit velut aceruus congregatus ex his potentiis non coniunctis adinuicem, quod non potest esse: aut illæ potentiæ erunt coniunctæ, & compactæ adinuicem, quod similiter non potest esse, quum operationes illarum potentiarum sint diuisæ abinuicem. Si verò vnaquæque illarum potentiarum est tota essentia animæ, habetur propositum, scilicet quòd tres potentiæ animæ sint ipsa anima. ¶ Item cùm eiusdem sit actus, cuius est potentia: eiusdem erit intelligere in potentia, cuius est intelligere in effectu: ergo idem erit intellectus possibilis, & intellectus formatus. Item quum nemo possit amare incognitum, eiusdem erit cognoscere & amare: ergo idem secũdum substantiam erit intellectus & affectus. Itẽ assignatur similitudo Trinitatis in creaturis, secundum hæc tria, modum, speciem, ordinem. Augu. tt. lib. de Ciuitate Dei: A Deo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerũ inueniri, vel cogitari potest. Idem in eodem: Nobis Trinitas in suis operibus intimatur. Nam si quæratur, vnde sit ciuitas quæ rursum est, Deus eam condidit: si, vnde sit sapiens, à Deo illuminatur: si, vnde sit felix, Deo fruitur, subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens iucundatur: cùm videt amat: in Trinitate Dei viget, in veritate lucet, in bonitate Dei gaudet. Idem in eodem: In his rebus quæ infra nos sunt, quoniam & ipsæ nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo factę essent qui summè sapiens est, qui summè bonus est, tanquã per omnia quæ fecit mirabili stabilitate currẽtes: quasi quædam eis alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus. In nobis autem ipsis eius imaginem contuentes tanquam ille minor Euangelicus filius, qui rediens ad se, ait: Quanti mercenarij, &c. ad nosmetipsos reuersi surgamus, & ad illum eamus, à quo peccando recesseramus: ibi esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.

De erroribus pertinentibus ad Dei misericordiam, & iustitiam. Et primò de errore illorum qui filij Dei incarnationem negant. CAP. XX.

VLtimo inter errores qui catholicæ fidei aduersantur, dicendum est de erroribus pertinentibus ad Dei misericordiã, & iusti

iustitiam. Inter quos causa breuitatis tantũ de sex tangemus, licet sint multo plures. Primus est error eorũ qui negant filij Dei incarnationẽ. Secundus eorũ qui dicũt animã perire cum corpore. Tertius eorũ qui negant resurrectionẽ corporũ. Quartus eorum qui dicũt vnumquenque in fide vel lege sua saluari, ex quo credit eam bonã & Deo placentem. Quintus eorum qui dicunt animas quę in mortali decedũt nõ puniẽdas essentialiter. Sextus eorũ qui dicunt animas quæ in charitate decedunt, nulla pœna purgatoria puniendas. ¶ Primi Dei misericordiã ac iustitiã metiri volunt secundum misericordiã & iustitiã hominũ. Ideo misericordiã Dei reputant stultitiã. 1. Cor. 1. Verbum crucis pereũtibus stultitia est. Et iustitiam reputant furorẽ. Prou. 6. Zelus & furor viri nõ parcet in die vindictæ. Ipsi non attẽdunt illud verbum domini Esa. 55. Sicut exaltantur cęli à terra: sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris. Vniuersæ viæ domini sunt misericordia & veritas. Isti detrahunt Dei potentiæ, dum dicunt Deum non potuisse hominem fieri: quod si verum esset, Deus omnipotens non esset. Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbũ. Et Matt. 19. Apud Deũ omnia possibilia sunt. Quum sententia sit omnium rectè philosophantium hominem esse deificandũ participatione deitatis: quid mirum si Deus factus est homo participatione humanitatis? Isti contradicunt diuinæ bonitati, non in radice, sed in ramo ipsius, dum negant tãtum dominum de ipsa potuisse procedere, blasphemantes contra eius immensitatem, quam volunt limitare in effectu ipsius. Fons iuxta possibilitatem suam riuum emittit, & sol secundum virtutem suam lumen & calorẽ vbique diffundit. Magna ergo fatuitas est asserere de immenso fonte diuinæ bonitatis beneficium incarnationis nõ potuisse procedere. Ad Titum 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Secundum fontem fluit riuus, cùm stilla misericordiæ in multis sanctis hoc potuerit, vt pro redẽptione captiuorũ se venderent: quid potuit in fonte misericordiæ eius immensitas? ¶ Iterum cũ scintilla charitatis matrẽ faciat exponi pro filiis, quid potuit fornax immensæ charitatis in Saluatore? Si quis verò dicat, quòd non decuit Dei maiestatem tantum descendere, & tot, & tanta pati. Respondendum est, quòd nihil magis decet Dei bonitatem quã misereri & amare. Misereri glorioſissimũ est. Vnde qui sunt dicti erroris, dum Deum volunt honorare, honori eius detrahunt. Magnitudo enim eleemosynæ honor est miserantis, & magnitudo doni honor dantis. Sapiens: Deum maximè imitabitur qui nihil iudicauerit quàm misereri pretiosius. Præterea gloriosissimi sunt triumphi patientiæ. Prouerb. 16. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Sen. Magnanimi est iniurias in summa patientia pati. Item cùm Deus præcipiat se ab homine ex toto corde diligi. Deutet. 6. conueniens fuit, vt & ipse hominem diligeret, vt igne dilectionis suę ignem amoris in homine accenderet. Dauid: Exurge domine in præcepto quod mandasti. Sen. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Præterea cùm diuinitas omninò impassibilitas sit, quando inconueniens est, si natura humana diuinæ associata in eadem persona passa est, cùm pati virtuosissimum sit: & pœnam quam natura humana in Christo passa est, nihil sit respectu gloriæ quam habet, quæ non est finem habitura: & veneraciones quas Christo exhibet populus Christianus, multo maiores sunt quàm contumeliæ & illusiones quas ei intulit populus Iudaicus. Ad destructionem dicti erroris sufficere possunt quæ prius habita sunt, vbi ostensa est veritas fidei Christianæ: & vbi ostensa est veritas humanæ naturæ in Christo, & veritas diuinæ naturæ. Et ideo ad destructionem aliorum errorum transeamus.

De errore dicentium animam perire cum corpore.

CAPVT XXI.

ET primò destruemus errorem illum qui ponit animam perire cum corpore, ostendendo animarum immortalitatem. Qui error tangitur Sapient. 2. Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquã non fuerimus. Huic errori occasionem dare potuit illud Eccles. 2. Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Sed vt dicit Greg. Salomon in illo lib. diuersas personas in se suscipit, & quandoque dicit quod mens impetrita sentit, vt in verbo proposito: quãdoque verò quod ratio bene disposita decreuit, vt eiusd. 6. Quid habet, inquit, amplius stultò sapiens, & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? Et Eiusdẽ 9. Corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur. Non perit ergo anima malorum cum corpore. Et in eodem: Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu propetas. Item eiusdem vlti. Antequam reuertatur puluis in terram

suam

suam vnde erat,& spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Spiritus ergo bonorum cum corpore non perit, sed ad Deum redit. ¶Item occasionem dare potuit huic errori quod dicitur de Deo 1.ad Timoth.6. Qui solus habet immortalitatem. Vnde secundum hoc videtur quòd anima non sit immortalis.Sed ibi dicitur immortalitas immutabilitas, quam non habet creatura per naturam, cùm ex nihilo facta sit, & secundum accidentia nata sit mutari: sed tamen creatura potest habere perpetuitatem & esse immortalis, prout immortalitas dat priuationem finis. Item dicto errori potuit dare occasionem, quòd spiritus irrationalis in brutis perit cum corpore: vnde poterit alicui videri, quod spiritus rationalis in homine pereat cum corpore. Sicut enim spiritus irrationalis,forma & perfectio est in corpore bruti:sic spiritus rationalis forma & perfectio est in corpore humano. ¶Ad solutionem huius notandum est, quòd est quædam forma quæ totaliter innititur & incumbit suæ materiæ, & non regit eam neque sustinet,sed sustinetur ab ea,& talis est forma corporalis in rebus inanimatis. Quædam vero forma est quæ regit materiam suam & quodammodo sustinet eam. Et hæc subdiuiditur:quia quędam est cuius operatio non est extra materiam illam,vt est vegetabile in plantis,& sensibile in animalibus brutis: & hæc perit cum corpore,otiosum enim esset eam manere post corpus,cùm non haberet operationem sine corpore. Quædã verò forma est, cuius principalis operatio non est in materia, nec per materiam, vt anima rationalis secundum operationem intellectiuam:& ideo separabilis est à corpore.Et est simile in luce ignea & luce solis.Esse enim lucis radij solaris existentis in aëre non dependet ab aëre.Vnde sole subtrahente radium, remanet solus aër. Sic Deo subtrahente à corpore spiritum, remanet solum corpus. Vnde destructo aëre, adhuc remanet radius: quod possumus videre per interpositionem alicuius transparentis,vt est chrystallus in loco aëris scilicet posita. Verbi gratia: Sic aliquis locus vndique conclusus, exepta illa parte per quam ingreditur solaris radius, qui ibidem ingressus totum aërem ab illo loco contentum reddit luminosum. Destruatur iste aër per immissionem alicuius corporis transparentis,vtputa massæ crystallinæ: licet aër inde deficiat, radius tamen ibi manet, quod apparet in crystallino ibi existente. Manet enim radius illuminãs crystallum.Si est in vnione animæ rationalis ad corpus.Esse enim eius non dependet à corpore, & ideo non perit cum corpore. Lux verò ignea è duobus modis, scilicet in carbone & in flamma

flamma.In carbone est lux materiæ grossæ & terrestris: & inde est quòd non est radiosa, id est, de se non immittit radium immutantem aërem vicinũ: lux verò in flãma vnitur materiæ subtiliori,quę est vapor resolutus à corpore,scilicet à carbone inflãmato,& est lux in flãma radiosa: vtraque tamen lux tam in carbone quã in flamma innititur materiæ, ita quòd deficiente materia lux deficit.Sic est de vegetabili & sensibili:vegetabile enim deficit deficiẽte corpore,cuius perfectio est, similiter & sensibile. ¶Ad ostendendum quòd anima non perit cum corpore,non multum vtemur authoritatibus Sacræ scripturæ, cùm error ille locum non habeat in eis qui scripturas Sacras nouerunt & eas receperunt: quia quasi infinitæ sunt authoritates in Sacra scriptura, quibus error iste destrui potest:sed testimoniis nobilium Philosophorum, & rationibus potius vtemur. Falsitatem huius erroris ostendit Tullius,dicens: Non est lugenda mors quã immortalitas consequetur. Idem loquens de eo qui rectè vixit: Ex hac vita, inquit, discedit tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim tantùm diuersorium nobis,non habitandi dedit.Idem in Quęstionibus Tusculanis:Quid nisi illud vitale quod intra nos est, dúmque mole corporis premitur, in cælestis regionis contemplatione se transire illuc ad inhabitandum post depositionem ipsius auolet?Item in Rethorica:Probabile videtur sapientibus pœnas esse paratas apud inferos. Item Seneca in libr. de Naturalibus quæstionibus: Si volumus tranquillè degere,anima in expedito habenda est,siue illam insidię, siue morbi petant. Quid aliud debeo, quàm exeuntem hortari, & cum omnibus bonis emittere?vade fortiter,vade feliciter,nihil dubitaueris reddere. Non de re,sed de tẽpore quæstio est.Facis quod quandoque faciendũ est. Rerum natura quæ te genuit expectat,& locus melior ac tutior. Item Mercurius: Animæ,inquit, post dissolutionẽ cogentur credere pœnis quæ in vita noluerũt credere verbis. Plato etiam in Timæo dicit animam post dissolutionẽ variis affligi pœnis. His testimoniis Philosophorũ patet,quòd anima rationalis nõ perit cum corpore. Rationibus verò multipliciter potest idem ostendi. Et primò per iustitiam Dei,quæ si est,reddet tam bonis quàm malis secundum eorum merita,bonis præmia,malis pœnas.Eccle.vlti. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.Sed retributio ista non fit in præsenti, cùm mali hic floreant, & boni opprimantur. Iob 21. Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatíque diuitiis? Et Hieremiæ 12. Quare via impiorum prosperatur,bene est omnibus qui

præuar

præuaricantur, & iniquè agunt? Et in Psalmo: Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? Ergo ista retributio erit post hãc vitam. Manent ergo animæ post mortem. ¶ Idem potest ostendi per Dei bonitatẽ: quia cum Deus singulariter sit bonus, maximè tamen bonus est amicis suis, & maximè amat amantes se. Prouer. cap. 8. Ego diligentes me diligo. Hoc autem verũ non esset, si anima periret cum corpore, nec esset alia vita post istam. Amici enim Dei in hac vita sunt egentes, angustiati, afflicti. Hebræo. 11. Et 1. Corinth. 15. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si non esset alia vita, verum esset quod dicunt peruersi Iudæi Malach. 3. Vanus est inquiunt, qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Non esset emolumentũ, vt videtur, sed detrimentũ in hac vita affligi, si in futuro non sperarent amici Dei pro hac afflictione delectari, & vtilius esset eis bonis præsentibus adhærere, & in eis delicate viuere, quàm Deo adhærere, & mandata eius obseruare. Item potest ostendi quòd anima cum corpore nõ pereat per sapientiam dei, quę non potest fallere nec falli. Falleret autem eos qui credunt contemptum præsentis vitæ cõsulendo & præsentium bonorum, si non sequeretur alia vita melior & alia bona meliora: Matthæi 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c. Et Ioann. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Item quòd anima non pereat cum corpore, ostenderunt qui hoc per experientiam nouerant, qui à morte fuscitati fuerũt, vt Christus & Lazarus, & illi de quibus legitur ad Heb. 11. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. ¶ Item etiã ostendunt virtutes quas mortui operantur. Vnde Gregor. in 4. lib. Dialog. Pensa qualiter animæ viuunt illic vbi viuunt, quorum hic & mortua corpora in tot miraculis viuunt. Si igitur vitã animę manentis in corpore deprehendis ex motu membrorũ, cur non perpendis vitã animæ post corpus, etiã per ossa mortua in virtute miraculorum? Idem ostenditur per ordinem quem habet homo inter creaturas. Est enim creatura media inter iumentum & Angelum: Vnde communicat cum iumẽto in corporis mortalitate, & cum Angelo in animæ immortalitate. Gregor. lib. 4. Dialog. Homo sicut in medio creatus est vt esset inferior Angelo, superior iumento: ita aliquid habet cõmune cũ summo, & aliquid cõmune cum infimo: immortalitatem scilicet spiritus cum Angelo, mortalitatem verò corporis cum iumento. Idem ostenditur per similitudinẽ quã habet

habet anima cum prima materia. Sicut enim prima materia se habet ad omnes formas sensibiles & corporales: ita se habet substantia intellectiua ad formas intelligibiles & spirituales. Ergo sicut prima materia non est corruptibilis ab aliqua forma sensibili vel corporali: ita substantia intellectus non erit corruptibilis ab aliqua forma intelligibili & spirituali, & multo minus à forma corporali, cùm propter sublimitatem suæ essentiæ talis corruptio non possit ad eam attingere. Relinquitur ergo quòd ipsa sit incorruptibilis & immortalis. ¶ Item omne quod destruitur, aut destruitur separatione formæ à materia, aut à diuisione partium integralium, aut destructione subiecti seu deferentis, aut absentia causæ. Separatione formæ res destruitur dupliciter: aut diuisione formæ quæ non manet separata, vt cũ diuiditur anima rationalis à corpore, cùm diuisio dicitur mors, vel diuisione formæ quæ non manet separata vt in extinctione ignis, & hæc diuisio vocatur propriè corruptio. Diuisione partium integralium fit destructio, vt cùm ligna & lapides destruuntur, destruitur domus. Destructione verò subiecti, vt destructo pariete destruitur pictura quæ erat in eo & quantitas. Destructione deferentis destruitur quod deferebatur: vt fracto vase effunditur liquor qui in eo erat. Absentia causæ fit destructio, vt sole subtracto destruitur dies. Primo modo non potest destrui anima rationalis: non est composita ex materia & forma, vt ostensum est prius, vbi destructus est error, qui ponit animas cum corporibus seminari: ergo non potest fieri in ea diuisio formæ à materia. Præterea si diceretur q̃ esset ex materia & forma composita, adhuc potest ostendi, q̃ forma illius non potest destrui, quia non habet contrarium quo destruatur. Anima enim potens est intelligere omnia, quod non esset verum, si aliquid esset ei contrarium. Anima enim non esset receptibilis illius nec similitudinis eius: ergo non posset intelligere ipsum. Præterea visus nullã formã visibilem habet sibi contrariã: ergo nec intellectus aliquã formã intelligibilem habet sibi contrariã. ¶ Item non potest destrui anima rationalis destructione partium integralium, cũ simplex sit, & careat huiusmodi partibus. Item destructione subiecti nõ potest destrui: qui si poneretur eius subiectum, non poneretur aliud quã corpus: ipsa autem nõ se habet ad corpus, vt accidens ad subiectum. Est enim perfecta substãtia: receptibilis enim est secundum se oppositorũ manẽs intransmutata secundum essentiam, quod propriũ est perfectæ substãtiæ. Si quis tamẽ obiiciat de superficie quę quãtitas est, non substãtia, quę tamẽ recipit

contrarios colores: Dicendum est quòd ipsa non recipit colorem secundum se, sed secundum virtutem subsistẽtem corporeæ substantiæ: sed anima rationalis secundum se receptibilis est oppositorum, non secundum naturam corporis cui vnita est, vt virtuti & vitiis, scientiæ & ignorantiæ, & multorum aliorũ, quæ cũ sint spiritualia, non recipiuntur in ea secundum naturam corporis. Item potest destrui anima destructione deferentis, cùm nõ indigeat indeferenti, sicut liquor vase indiget quo contineatur. Item non potest destrui absentia causæ, quia à prima causa immediatè fluit, cuius absentia nihil destruitur, vel cuius præsentia semper adest omnibus, & nunquam est absens: quantum enim in se est, semper influit in creaturas esse & permanentiam: ergo anima rationalis nullo modo potest destrui, cùm nullo prædictorum modorum destructibilis sit, nec alius modus destructionis possit inueniri. Item omne esse mortale paulatim debilitatur & deficit, donec veniat ad vltimum defectum, qui est mors: virtus autem intellectiua sua duratione inualescit & proficit, vt quanto est antiquior, tanto sit ad intelligendum validior: ergo habet esse immortale. ¶ Item virtus quæ non habet finem in operatione, non habet finem in tempore: virtus verò intellectiua non habet finem in operatione: non enim determinata est ad intelligenda tot, quin adhuc plura possit intelligere: ergo non habet finem in tempore. Item virtus corruptibilis lædit à vehementi subiecto, vt visus à vehementi lucido: intellectus autem non lædit à vehementi intelligibili, imò magis confortatur: ergo non est corruptibilis. Item ex conditione obiecti cognoscitur conditio potentiæ, & ex conditione potentiæ conditio substantiæ: cùm ergo obiectum virtutis intellectiuæ sit vniuersale incorruptibile, virtus intellectiua incorruptibilis est. ¶ Augustinus in lib. Soliloquiorum, sic probat immortalitatem animæ: Omnis, inquit, substantia comprehensiua veritatis, inquantum est veritas, est immortalis: sed anima rationalis est huiusmodi: ergo est immortalis. Veritatem hic intelligit essentiam rei inquantum est abstracta à materia, & omnibus materialibus conditionibus, vt apprehenditur homo cùm prædicatur de omnibus hominibus. ¶ Item omnis substantia cuius operatio non dependet à corpore, ipsa non dependet ex corpore: sed operatio substantiæ intellectiuæ non dependet ex corpore, scilicet intelligere: ergo nec substantia intellectiua dependet ex corpore: ergo est separabilis à corpore, & potest viuere sine eo. ¶ Item virtus cuius operatio impeditur à corpore, nõ dependet à corpore: sed talis est virtus intellectiua. Quanto enim corpori se plus immergit per solicitudinem & amorem temporalium delectationum: tanto intelligit obtusius & tardius. Quãto autem se elongauerit: tanto clarius & facilius: ergo ipsa nõ dependet à corpore. ¶ Præterea si intellectus dependeret à corpore, sequeretur cõfortatio eius ad cõfortationem corporis, & debilitatio ad debilitationem. Aliter tamen est. Nam in senectute est corporis debilitatio, & intellectus confortatio. Sicut enim iuniores melius sentiunt, sic seniores melius intelligunt. Iob. 12. In antiquis est sapientia. Si quis tamen obiiciat, q̃ intellectus videtur dependere ex corpore, cum eius operatio impediatur ægritudine corporis, vt patet in phreneticis: Similiter intellectus sensu & imaginatione indiget, cum non fiat sine illis: Dicẽdum est, q̃ aliud est virtutem impediri à læsione, aliud ex occupatione. Intellectus impeditur occupatione animæ circa opus alterius virtutis, sed non læditur: vt visus, vel auditus exterior occupans animam circa exteriora impedit vt illa hora nõ vacet intellectiuæ operationi. Sic in laborantibus phrenesi, vel similibus passionibus, sunt sicut somnia fixa & adhærentia propter infectiones difficile separabiles. Et quemadmodũ somnia mentẽ tenent circa fantasmata occupatam: sic illæ alienationes operationem intellectus, mẽtem occupando expediunt. Expurgata autem huiusmodi infectione, intellectus tanquam nihil passus læsionis ad proprias operationes reuertitur. Ad secundum dicendum, quòd licet intellectus non fiat in nobis sine sensu & imaginatione: tamen est sine illis. Et ponit simile Augustinus. Ad portum non deuenitur nisi per nauem, est tamen esse in portu sine naui. Vel potest distingui duplex facies virtutis intellectiuæ: inferior, & superior: quantum ad inferiorem, indiget intellectus sensu & imaginatione: quantum verò ad superiorem, secundum quam est nobilis perfectio & potissima, intellectus non indiget: illuminatur enim à prima veritate. ¶ Itẽ potest ostendi quòd anima rationalis nõ pereat cum corpore multis aliis modis. Primo sic: Cùm nullus motus naturæ sit frustra, omne quod naturaliter mouetur, non est naturali impossibilitate prohibitum à fine ad quem mouetur: ergo cum anima rationalis naturaliter appetat beatitudinem, non est impossibile ei assequi eam: sed impossibile est quòd eam assequatur in bonis præsentis vitæ: ergo ipsa manet post præsentem vitam. Quòd in bonis præsentis vitæ beatitudinem non assequatur, sic potest ostendi: Possessores bonorum corporalium, aut amant ea, aut non amant. Si non amant, ergo

sunt eis oneri,& non assequuntur felicitatem in eis.Si verò amãt ea, ergo sunt vniti eis per amorem, & sunt obnoxij omnibus passionibus quibus illa subiacent. Amans enim necessariò compatitur amato propter vnionem amoris, si passio rei amatæ ad ipsum per apprehensionem peccauerit. Ergo nec in isto casu felicitatem in bonis istis assequuntur. ¶Item nobiliori virtuti nobilior competit perfectio. Ergo quum vires animæ quibus homo antecellit bruta animalia, nobiliores sint viribus illis quas communicat cum brutis, eis competit perfectio nobilior. Ergo felicitas alia erit animæ rationalis secundum vires illas nobiles,quàm sit ea quæ est secundum vires inferiores, quæ est in bonis præsentis vitæ. ¶Præterea quum nobilis pars animæ habeat proprias suas operationes & propria gaudia,& propriam libertatem,& securitatem, habebit ipsa propriam felicitatem, non in bonis corporalibus, cum ipsa separata sit à corpore, vt iam ostendetur: sed in bonis spiritualibus. ¶Item quicquid est morti obnoxium,non est beatum:ergo quum homo in præsenti vita subditus sit necessitati moriendi, in ea non est perfectè beatus.¶Item omnis virtus omino separata à corpore, non est corruptibilis corruptione corporis: sed vires quæ sunt propriæ animæ rationalis, intellectus scilicet & voluntas, omnino sunt separatæ à corpore: ergo non sunt corruptibiles corruptione corporis. Maior multipliciter probatur. Primò sic. Vis vnita corpori siue operans per organum,operatur secundum proprietatem & possibilitatem organi tantùm: vt visus non iudicat de sapore, vel sono, sed de colore, quia color pertinet ad naturam oculi. Nullum autem organum corporale possibilitatem habet ad incorporalia.Nulla ergo vis operans per organum corporale est cognitiua nisi corporalium tantùm. ¶Præterea operatio intellectus est per abstractionem à materia & materialibus conditionibus,sed omnis operatio est secundum naturam virtutis à qua egreditur: ergo intellectus est abstractus à materia, & non habet organum corporale. ¶Item nulla virtus incorporata, id est,parti corporis determinata, siue operans per organum est cognitiua sui: non enim potest referri vel reflecti supra se: vnde nec oculus se videt, nec imaginatio se imaginatur: quum ergo intellectus se intelligat, non est incorporatus alicui, scilicet parti corporis determinatæ vnitus. ¶Item quod cognoscitur est in cognoscente secundum naturam cognoscentis, & non secundum naturam agnoscentis: & non secundum naturam rei cognitæ: & generaliter quod recipitur in aliquo,est in recipiente secundum naturam recipientis. Quum ergo corporalia & materialia sint in intellectu, secundum modum immaterialem,scilicet denudata à materia & materialibus conditionibus,intellectus immaterialis est,& non incorporatus alicui parti corporis. ¶Itẽ quũ voluntas,quæ est propria animæ rationalis,libera sit,flexibilis, & ad ea quæ sunt delectabilia corpori, & ad ea quæ sunt corpori contraria, vt sunt macerationes carnis, & ipsa mors corporalis:manifestum est,q; voluntas illa à corpore separata est,vnde nõ est cum corpore corruptibilis.¶Itẽ non est necesse rectorem nauis mori,quum nauis dissipatur, nec militem occidi,quum equus cui insidet occiditur, nec artificem perire,licet aliquod de instrumentis eius quo ad aliquam operationem ignobilem vtitur,defecerit:sic non est necesse,q; spiritus rationalis pereat,licet corpus,quod est eius organum quantum ad aliquas eius operationes minus nobiles pereat. ¶Præterea nihil creatum est propter ignobilius & vilius se: ergo anima rationalis non est principaliter creata propter operationes virium quas habet communes cum brutis, vel propter bona ista corporalia quia viliora sunt:ergo non est necesse eam perire,licet non possit exercere operationes illas minus nobiles circa bona ista corporalia. ¶Item quum anima rationalis nobilior sit quacunque creatura corporali,& Deus cõmunicauerit esse perpetua alicui creaturæ corporali,vt corporibus cælestibus ipse communicauit illud etiam animæ rationali. Item Deus quum communicauerit animæ rationali intelligere non solum creaturam corporalem,sed etiã creaturã spiritualem & ipsum creatorem, ipse cõmunicauit ei esse perpetuum, quum capacitas Dei per intelligẽtiam lõgè melior sit perpetuitate essendi. ¶Item quum dederit Deus creaturæ rationali vt possit habere amicitiam cũ Deo, lex verò amicitiæ requirat bonorum cõmunionem: verisimile est,q; cõmunicauerit ei immortalitatem. ¶Præterea quis fidelis amicus à morte amicũ suũ non seruet,si potestatem habeat?ergo verisimile est, q; Deus amicos suos seruet à morte qua omnino pereant. Mors corporalis amicorũ Dei non est mors:sed potius somnus vel trãsitus ad meliorẽ vitã.Io.11.Lazarus amicus noster dormit.Et Matt.22.Nõ est Deus mortuorũ,sed viuẽtiũ.¶Itẽ quę à solo Deo in esse producũtur, perpetua sunt, nisi sint accidentia vel formæ dependẽtes à materia:sed anima rationalis nõ est accidẽtis, nec forma dependens à materia: sed à solo Deo est per creationem, vt prius ostensum est: ergo ipsa habet esse perpetuum. Quòd ipsa non sit accidens, sic probatur: Nullum acci-

dens nobilius est substantia: sed omne mouēs & regens substantiam est nobilius & actualius & virtuosius substātia quā mouet & quā regit: ergo nullū tale est accidēs: sed talis est anima rationalis: ergo ipsa nō est accidens. Quòd verò nō sit forma à materia dependēs, prius ostensum est. ¶ Possumus etiā vti ad destructionē dicti erroris ostensione, qua vsus est quidā religiosus cōtra philosophū quendā, qui negabat animā esse immortalē. Aut anima, inquit, est mortalis, aut immortalis. Si anima mortalis est, & credis eā esse immortalē, nullū tibi inde prouenit incommodum. Si autē immortalis est, & credis eam esse mortalē, aliquod potest tibi inde venire incōmodū: ergo melius est vt anima credatur esse immortalis, quā mortalis. Quia secundū Sapiētem, si propositis duobus istius sit cōsecutiuū bonum, illius verò malum: magis est eligēdum cuius cōsecutiuū est bonū, quā illud cuius consecutiuum est malū. Et iuxta verbum quod Tullius refert in lib. de Senectute, Catonē dixisse: Si anima mortalis est, qui credunt eam esse mortalem, non erunt post hanc vitam qui nos confundant de contraria opinione. Si verò sit immortalis, nos qui sumus huius opinionis poterimus eos confundere qui cōtrariæ opinionis sunt. Et hæc contra dictū errorem sufficiant.

De errore negantium resurrectionem corporum. CAP. XXII.

SEquitur de errore illorum qui negāt corporum resurrectionem. ¶ Ad destructionem verò huius erroris, primo ponemus testimonia sacræ scripturæ, deinde rationibus vtemur. Legitur Exod. 3. Deus patrum nostrorum, Deus Abraham & Deus Isaac, & Iacob misit me ad vos. Quo verbo vtitur Dominus Matth. 12. ad probationem resurrectionis subdens: Non est, inquit, Deus mortuorum, sed viuentium. Glo. probat per hoc animas post mortem permanere. Nō enim diceretur Deus nō existentium: & sic introducitur etiā corporū resurrectio, quę cū animabus bona vel mala quæ gesserunt recipient. item Iob 19. Scio quòd redemptor meus vivit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et eiusdem 15. Lignū habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit. Et Esa. 26. Viuent mortui tui. Et Ezechi. 27. Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Dan. 12. Multi de his qui dormiunt in pulūere terræ euigilabunt. Ionæ 3. Subleuabit de corruptione vitam. 2. Machabe. 7. Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ retributione suscitabit. Et in eodem: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Eiusdem 12. Iustè

Iustè & religiosè de resurrectione cogitans. Matth. vlti. Multa corpora mortuorum qui dormierāt, resurrexerūt. Io. 5. Procedēt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ. Eiusdem 11. Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. 1. Corinth. 6. Deus & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam. Eiusdē 15. Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. ibidem: Insipiens quod tu seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Item in eodem: Omnes quidem resurgemus. Item: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Et 2. Corinth. 4. Scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum illo suscitabit. Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Philip. 3. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ &c. 1. Thess. 3. Nolumus vos ignorare de dormientibus. Iac. 5. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Erit ergo caro nostra in futuro. Act. 26. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? Rationibus sic potest corporum resurrectio suaderi. Omnem iustitiam iudicis iusti in cuius terra multa fiunt digna præmio & supplicio, quem nec fallit ignorantia, nec prohibet impotentia, necesse esse quandoque conuerti in iudicium: sed talis iudex Deus est, ergo eius iustitia quandoque cōuertetur in iudicium. Sed hoc non fit in præsenti vniuersaliter, quū mali floreant, & boni opprimantur: fiet ergo in futuro, & reddet Deus vnicuique prout meruerit. Ergo hominibus qui sibi seruierunt, mercedem reddet, quod fieri nō potest nisi ipsi resurgāt. Tali argumento vsus est Barnabas ad probandam resurrectionem philosophis qui erant Romæ: vt legitur in libro Clementis. Iustum est, inquit, quemlibet seruientem alicui remunerari, & inde vt prius. ¶ Si quis tamen dicat homines posse remunerari in animabus siue corporum resurrectione, non valet responsio. Quum enim anima sine corpore homo non sit, nec remuneratio animæ sine corpore est remuneratio hominis. Præterea cum homo seruierit Deo & corporalibus operibus, & spiritualibus, & non minus Deus sit liberalis remunerando, quàm homo seruiendo, vtroque modo & in corpore & in anima debet remunerari. Item similium meritorum apud eundem iudicem similis debet esse remuneratio. Ergo cum Christus seruiendo patri in corpore & anima meruerit in corpore & anima remunerandi, similiter Deo seruientes similem remunerationem merebuntur. 1. Cor. decimoquinto: Si resurrectio mortuorum non

est,neque Christus resurrexit.Item in Psal.Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? Vanè siue frustra sunt cõstituti,si participes non sunt beatitudinis,si moriuntur non resurrecturi. Præterea si corpus animæ compatitur: quare non conregnabit & glorificabitur? Item quum anima naturaliter appetat esse in corpore quod ostendit,dolor qui in separatione & omnis appetitus naturalis in perfecta animæ beatitudine debeat impleri,corpus tradetur ei,sine quo appetitus eius naturalis nõ impleretur.Præterea quum constat animæ perpetuæ nõ fufficere organũ,necessario corruptibile ex prima ordinatione corpus humanum non fuit tale:ergo quum per Christum restauratio perfecta fiat,perpetuum corpus animæ tradetur:fiet ergo resurrectio corporum.¶Item quum aliquæ actiones corporales sint meritoriæ,vt operà misericordiæ,de quibus legitur Matth.25.caro sicut socia animæ est in merito:sic socia debet esse eius in præmio: & ex quo partem pretij soluit,partem debet habere lucri:quod non erit,nisi caro resurgat,ergo ipsa resurget. Item corpus humanũ finis est cæterorum corporum:ergo quum inter cætera corpora quædam habeant esse perpetuum,corpus humanum habiturum est esse perpetuum.Finis enim melior est his quæ sunt ad finem: quod autem est diuturnius,melius est.Item corpora quæ habent esse perpetuum:habent illud ex Dei bonitate,& ad creaturæ vtilitatem,non ad vtilitatem Dei, quum ipse bonorum nostrorum non egeat nec ad vtilitatem creaturæ purè corporalis,quum illa nullius boni sit perceptiua.Item non principaliter ad vtilitatem creaturæ purè spiritualis,cùm illa creatura corporali non egeat: ergo ad vtilitatem creaturæ partim spiritualis & partim corporalis,quæ nõ videtur esse nisi homo.Si verò aliquæ creaturæ corporales propter hominem habent esse perpetuum:multo fortius homo habiturus est esse perpetuum.Item aut corpus humanum se habet solum ad animam vt organum ad tempus necessarium, aut non.Si primo modo,quę causa est,q anima tantum doleat, quum illud organum graue & onerosum separetur ab ea quod non est amplius ei necessarium?quis sapiens doleat cũ à naui exit ad portum securum?Si verò nõ se habet vt organum solum, sed vt materia cũ qua anima perficit speciem vnam rerum & creaturam nobilissimam:cùm creaturæ minus nobiles esse perpetuum habeant,homo etiam esse perpetuum habiturus est. Item quum anima rationabilis habeat aliquas vires quæ sine corpore nõ possunt perfici,vt prius ostensum est:aut ipsa nõ perficietur omnino in futuro, aut corpus ei iterum vnietur.¶Itẽ duæ causę vnionis animæ ad corpus assignantur à Gregorio Nazianzeno: vna, vt per agones certaminum quæ ei insunt aduersus terrena, cælestis gloriæ hæreditatem acquirat, & sicut aurum igne præsentis vitæ ærumnatum probetur examine.Alia causa est, vt hãc deteriorem naturam corporis secum trahat ac sursum supernis sedibus collocet:vnde vna causa vnionis eius est bonum animæ,alia bonum corporis:vtraque autẽ causa requirit vt corpus resurgat. De prima patet.Iustũ est enim vt caro quæ fuit socia in certamine,socia etiam sit in gloria.De secunda idem manifestum est.

De errore illo,qui dicit vnumquemque posse saluari in sua fide vel lege. CAP. XXIII.

SEquitur de errore illo,qui ponit vnumquemque saluari in sua fide vel lege, ex quo credit eam esse bonam & Deo placentẽ. Cui errori occasionem dedit quòd cogitauerunt tantam paucitatem esse saluandorum, si soli Christiani boni saluarentur. Dixerunt enim: Quum Deus non sit minus pronus ad miserandũ quàm ad puniendum,quomodo tam pauci saluabuntur,scilicet Christiani,& illi non omnes,sed solũ boni, qui pauci sunt respectu malorũ? Multitudo etiã Iudæorum & gentiliũ damnabitur: quare ergo Dei misericordia tãtam multitudinem creauit, quũ præuideret eam damnandam? ¶Et dicendum est contra huiusmodi errorem,q non est mirũ, si pauci sint saluandi cõparatione eorum qui sunt dãnandi: viliorũ enim semper est maior multitudo,quàm pretiosorũ:vt ferri & plumbi, quàm auri & argẽti: & lapidũ communiũ,quàm gẽmarum:& quercuũ, quàm cedrorum vel palmarũ.Et maior est acervus paleę quã grani,& maior numerus stultorũ quàm sapientũ.Ecc.1.Stultorũ infinitus est numerus.Sic multi sunt vocati,pauci verò electi.Mat.20. Præterea quum in tanta multitudine hominũ pauci sunt reges tẽporales: quid mirũ si pauci habituri sunt regnum cælestẽ?Itẽ quum pauci ad regnum cælorum venire curent: quid mirum si pauci perueniunt?Quomodo enim peruenient,si peruenire nolunt?Item quid mirũ si pauciores ascẽdant in eęlũ,quàm descẽdãt in infernum, cũ facilius sit descendere quàm ascẽdere? Et sic pauciores intrant per augustã portã paradisi,quàm per latam portã infernali.Mat.7.Intrate per angustã portã: quia lata est porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt qui intrãt per eam.

Quòd angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

FALSITAS dicti erroris,sic potest manifestãri.Si aliquis voleus corporaliter ambulare, nollet præuidere vitæ pericula cùm

posset, sed oculis clausis aut anersis à via vellet incedere, merito imputaretur sibi si quid ei mali ex hoc accideret. Item si quis vellet ire ad aliquem locum viam ignorans, & peritum habens qui viam ostenderet, & ducatum præberet, & nollet sibi viam ostendi vel ducatum preberi: merito imputaretur ei si quid mali ei ex hoc accideret. Hæc duo cuiuslibet animus bene dispositus audita approbat: ergo cùm pericula spiritualia magis sint periculosa, & ideo magis cauenda: si quis circa illa negligens fuerit præuidenda vel præcauenda merito ei imputabitur, cùm periculum ceciderit ex negligentia quærendi viam veritatis & salutis, vel ductu propriæ rationis, vel quærendo ab alio quem circa eam credit esse adeò instructum, vel implorãdo diuinum auxilium, cũ aliud consilium ei desit, negligentia est culpabilis & damnatione digna. Vnde de illo qui ignorans est ex negligentia huiusmodi, verum est illud 1. Corint. 14. Ignorans ignorabitur. Dauid: Noluit intelligere vt bene ageret, sed noluit: itaque veniam nõ habet. Ambrosius: Qui possent scire si vellent studium adhibere, non nescientes se contemptores iudicabuntur. Si verò aliquis seductor sub prætextu catholici doctoris alicui simplici errorem prædicet, piè credendum est, quòd Deus cor simplicis auertet, ne ille errori sibi periculoso credat, nisi negligentia eius vel alia culpa obsistat: custodit enim Deus omnes diligentes se, vt legitur in Psal. Et prouer. 2. Custodiet rectorum salutem & proteget simpliciter gradientes. Idem intelligendum est in illo casu in quo aliquis inuenit doctores contrarios, vnum fidelem & alium infidelem: nec sufficit ex propio sensu, vel ex dictis eorum, vel ex vita discernere cui potius credendum sit. Dei enim misericordia ei non deerit, nisi in pulsando ad eam negligens fuerit. Infideles verò negligentes valde sunt, & inuestigando per seipsos salubrem veritatem, & inquirendo ab aliis, & implorando diuinum auxilium, & in faciendo veritatem quam ipsi nouerunt. Qui verò negligit facere bonum quod nouit faciendum, non meretur accipere notitiam faciendi id quod nondum nouit. Qui verò in talẽto intellectus quod iam accepit fideliter negotiatur, dignus est vt talento eius addatur. Matth. 25. ¶ Si verum esset quod ponunt qui sunt prædicti erroris, nihil esset virtus vel vitium simpliciter. Credenti enim de virtute, q̃ esset vitium, vitiosum esset agere secundũ virtutem. Et credenti de vitio q̃ esset virtus, esset virtuosum agere secunduum vitium. Secundum hoc idẽ valeret error erranti, quod veritas eam cognoscenti. ¶ Quædam vtilia

vtilia ad destructionem dicti erroris, require suprà in capit. vbi ostensum est, quòd vnica sit fides vera ¶ In hoc vero quòd Deus creauit tantam multitudinem hominum, quam præuidebat esse damnandam, mirari debeo diuitias bonitatis Dei, quæ tantæ multitudini tot & tanta dedit bona, quum tamen præuideret eos futuros ingratos. Mireris etiam peruersitatem hominũ, qui largitorem omniũ bonorum donis eius impugnant. Nec solum ad Dei misericordiã debes habere oculum, sed etiam ad Dei iustitiam quę non minor est quàm eius misericordia, quę illos quos misericordia creat, pascit, & regit, & seruat, ingratos de acceptis beneficiis meritò damnat. Quid mirum si iustitia peccatoribus reddit, quod meruerunt? Nemo miratur de hoc quòd ignis calefacit vel sol illuminat, vel Dei misericodia bonis beneficia tribuit: sic mirari non debes, si iustitia Dei eos qui rebelles sunt Deo, punit. Non miratur aliquis, si quod seminat aliquis, hoc metat: sic mirandũ non est, si peccatores mala metant quæ seminãt. Eccl. 7. Noli facere mala, & non te apprehendent. Et iterum: Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. Galat. 6. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Augustinus: Dicet aliquis: si Deus vellet, isti boni essent: sed melius voluit, vt quod vellent essent: si boni, non infructuose: si mali, non impune. Eccles. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Et paulò post: Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Mirari etiam debes sapientiam & bonitatem Dei, qui pœnis malorum vtitur ad bonum electorum. Inæstimabile enim gaudium erit electis in futuro, cùm perfectè agnoscent pulchritudinem diuinæ iustitiæ: quam tanto plus amabunt, quanto amplius agnoscent, & tanto amplius gaudebunt, quanto amplius agnoscent & amabunt. Psalm. Lętabitur iustus cum viderit vindictam. Item: Misericordiã & iudicium cantabo tibi Domine. Duplex erit materia cantus saluatis, scilicet misericordia electorum, & iudicium reproborum. Gregorius: Omnipotens Deus quia pius est, miserorũ cruciatu non pascitur: quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid arguebunt scilicet vt iusti omnes & in Deo videãt gaudia quę percipiunt, & in illis respiciãt supplicia quæ euaserũt: quatenus tanto magis in æternum diuinę gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto

quãto in ęternũ mala puniri cõspiciũt quę eius adiutorio vicerũt.

De errore illorum, qui dicunt animas in morta lipeccato decedentes non puniri æternaliter. CAP. XXIIII.

SEquitur de errore eorũ, qui dicũt animas, quæ in peccato mortali decedunt, non puniendas æternaliter. Qui error valde periculosus est: funditus enim destruit sapientiã, & bonitatẽ in cordibus hominũ, cũ euacuet timorem Domini, qui est principiũ sapiẽtię. Prouerb. 1. Et sine quo nõ est iustificatio. Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum: nã qui sine timore est, nõ poterit iustificari. Error iste dũ impunitatẽ hominibus promittit, pronitatẽ ad peccandum in eis efficit. Impunitas enim est nutrix transgressionum: vt ait Bernar. Huic errori occasionem dare potuit illud Matth. 7. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. & illud Apoc. 18. Quantũ glorificauit se & in deliciis fuit: tantum date ei tormentum & luctũ. Nõ esset, inquiũt, mẽsura pœnæ secundum mensuram culpæ, si peccato momentaneo pœna æterna redderetur. Sed verba prædicta sic intelligenda sunt, vt fiat cõparatio in genere, vt qui multũ peccauit, multum puniatur, & qui minus peccauit, minus, & qui amplius, amplius: non quòd sit necesse pœnã esse æqualem culpæ secundũ durationẽ, imò pœna quantum ad durationem multo maior potest esse, quàm culpa. Sicut multipliciter potest ostendi. Et primo per pœnas ab humano iure positas, quæ multò amplius durãt, quã peccata, pro quibus inflicta sunt, durauerint. Aug. 21. li. De ciuitate Dei: Octo genera pœnarũ in legibus esse scribit Tullius, damnũ, vincula, verbera, talionem, ignominiã, exilium, mortẽ, seruitutem. Quid horum est quod in breue tempus pro cuiuslibet peccati celeritate coërcetur, vt tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratũ, nisi fortè talio? Demũ bellũ acquirit perpetuã seruitutem. Præterea cùm perpetratio peccati vulneratio spiritualis sit, quid mirũ si à vulneratione breuissimi temporis relinquatur vulnus multæ durationis, aut etiã mors, à qua nõ est regressus ad vitam miraculosè? Item cùm perpetratio peccati casus sit in profundum: quid mirũ si casus iste breuissimo tẽpore fiat, & tamen qui sic cecidit in profundo multo tẽpore maneat? Itẽ cũ perpetratio peccati transgressio sit legis, non est mirum, si mutilatio, quæ perpetua est, naturaliter pro illa infligatur, cùm etiam perpetratio peccati ligatio sit peccãtis, secundum illud Prouerb. 5. Funibus peccatorum suorum quisque constringitur: non est mirum si ille qui ligatus est breui tempore diu ligatus maneat. Itẽ cũ peccator

cator breui voluptate se vendat: quid mirum si emptori eius acquiratur ius perpetuũ? Præterea cũ nõ minor sit Dei iustitia quã misericordia, nec minus sit æterna: quare minatur quis quòd Dei iustitia æternaliter puniat malos, & non miratur quòd Dei misericordia æternaliter remunerat bonos, cùm parium causarũ pares soleãt esse effectus? Præterea per se notum est, quòd qui addit super peccatum suum cõtumaciam, seu impœnitentiam, augeat meritò & pœnam, & quantum durat iniuria, debet durare & pœna: quia ergo existẽs in inferno addit super peccatũ suũ contumaciam vel impœnitentiam (nulla enim vera pœnitentia vel emendatio est apud inferos) & tandiu durat Dei iniuria, quandiu ei non emendatur: meritò durabit semper ipsius pœna. Præterea peccator peccauit in suo æterno vsque ad mortem in peccato perseuerando, ideò meritò punietur in æterno Dei. Pet. 4. lib. Dialag. Scire velim quomodo iustum sit, vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Greg. Hoc rectè diceretur, si districtus iudex nõ corda hominũ, sed facta pẽsaret. Iniqui enim ideo cũ fine deliquerunt, quia cum sine vixerunt. Nam voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostẽdũt enim, quia in peccato semper viuere cupiũt, qui nũquam desinũt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iudicãris iustitiam pertinet, vt illi nunquam careant supplicio, qui in hac vitã nunquam voluerunt carere peccato. Aug. Quia æternã habere voluit peccati perfruitionem, æternã inueniet vindictæ seueritatẽ. Item maculatio imaginis diuinæ semper manebit in anima damnati: vnde cùm peccatum quãtum ad maculã semper maneat, pœna peccati meritò semper manebit Aug. Meritò in cælesti ciuitate imaginẽ ipsorũ ad nihilũ rediget Deus, qui in sua terrestri ciuitate imaginẽ ipsius ad nihilũ redegerunt. Item quãto minus bonum est Deo quod ei præfertur, tanto maior ei contumelia infertur. Cùm ergo omne quod est vel esse potest, in infinitum minus bonũ sit Deo, quicquid ei præferatur, infinita contumelia infertur ei: omni autẽ mortali peccato aliquid ei præfertur. Peccare enim est, secundum Augustinum, spreto incommutabili bono bonis commutabilibus adhærere. Omni ergo mortali peccato infertur Deo infinita contumelia: meritò ergo à Deo pro quolibet mortali infertur infinita pœna. Item si quis peccaret in aliquem æqualẽ sibi, aliquãtum peccaret in eum: & si simile peccatum committeret in maiorem, magis peccaret, vt si in sacerdotem: & si in maiorẽ sacerdote, vt in episcopũ, & tũc magis peccaret: ergo si peccat in Deũ, qui in infinitũ maior est,

quo

quolibet puro homine, in infinitum magis peccat. Cum ergo infinitū sit peccatum in quo quis contemnit Deū, meritò infinita pœna ei debetur. Itē obligationes & trāsgressiones proportionales sunt: qui enim æqualiter tenētur ad aliquid faciēdū, æqualiter peccant non faciendo illud: sed obligatio qua quis tenetur Deo obedire & seruire, infinita est: ergo culpa trasgressionis est infinita. Quòd obligatio sit infinita, sic probatur: Non est possibile quòd creatura rationalis liberet se à debito obediēdi vel seruiēdi Deo: cùm ergo obligatio illa sit intransibilis, infinita est. ¶ Præterea si quis dedisset mille marcas gratis alicui, aliquantulū esset obligatus ei: ergo cùm solus oculus vel lingua in infinitū pretiosior sit mille marcis auri, in infinitum magis obligatus est homo Deo ratione solius oculi vel linguæ, quàm esset ratione mille marcarū auri. Quid ergo erit de obligatione quę est ratione totius corporis, & quid de illa quæ est ratione animæ, quæ in infinitum est melior corpore? Patet ergo quòd obligatio obediendi vel seruiendi Deo infinita est. Item si anima rationalis non deberet durare nisi per diem vnam, tamen esset obligata Deo ratione diurnę vitæ aliquāta obligatione: & si per duas dies, ratione vitæ duorum dierum esset obligata duplo maiori: & sic ascendendo. Ergo ratione infinitæ vitæ obligata est Deo obligatione in infinitū maiori. Quū ergo obligatio infinita sit, culpa trāsgressionis est infinita: & ideo meritò debetur ei infinita pœna. Itē quum opera Dei vniuerso cōpleta sint, opera iustitię eius diminutionem non habebunt: & sicut retributiones eius perpetuæ erunt, ita & vindictæ & pœnæ perpetuæ erūt. Præterea quū mala merita omnino nostra sint, bona verò merita ferè omninò sint Dei, magis debētur nobis de iustitia pœnæ malorū meritorū, quàm bonorū præmia: ergo magis sumus puniēdi de iustitia pro malis meritis, quàm remunerādi pro bonis. Si ergo æternaliter pro bonis aliquis est remunerādus, ęternaliter pro malis erit aliquis puniendus. Item proportionalia sunt peccata pœnis: si ergo non est comparatio peccati ad peccatū, non erit comparatio pœnæ ad pœnam. Cùm ergo non sit comparatio peccati eius qui furatus est ouē, & peccati eius qui occidit hominem innocentem, non erit cōparatio pœnæ ad pœnam: ergo si pœna primi peccati est tēporalis, pœna secundi erit perpetua: ergo Deus aliquos perpetuò punit. Si fortè ad hoc dicatur quòd licet possibile sit aliquē mereri pœnā æternā: tamen clementia Dei nō sustineret eum puniri tanta pœnā: Quærimus ab eo, vtrum subtineret Deus eum puniri aliqua pœnā, vel nulla. Si nulla, euacuatur Dei

Dei iustitia. Si aliqua, ergo vel temporali vel æterna. Si æterna, habeo propositum. Si temporali, quum pœna temporalis comparatione æternæ minus sit quàm leuatio vnius festucæ de terra, respectu excoriationis vel detruncationis capitis. Sicut iudex deridendus esset, si eū qui meruisset excoriationem vel capitis detruncationem, puniret leuatione festucæ de terra: sic ridiculosa esse videretur Dei iustitia, si debitorem pœnæ æternæ puniret sola pœna temporali: vnde adhuc euacuaretur Dei iustitia. Item legitur Esaiæ vlt. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Hieronymus: Ignis ille tandiu succendetur, quandiu habet materiā qua vorax flamma pascatur. Materia ista mala voluntas est quæ semper viuet in damnatis: ideo ignis ille nunquam extinguetur. Aug. Voluntas punitur siue supplicio animi, siue corporis, vt quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis. Io. 20. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Gl. Cuius vita mortua fuit in culpa, eius mors viuet in pœna. Item nō consumetur in morte: sed vt sine fine crucietur, viuę sine fine compellitur. In Psal. Mors depascet eos. Gl. Hoc dicitur à simili iumentorum, quæ non radicitus herbas vellunt, sed summitates capiunt: vnde iterum herbæ nascūtur ad pastum. Sic & illi morte repasti reuiuiscunt, quia non deficiunt. Greg. Mortę immortali morientur impii. Bernar. in Epistolis: Ob hoc inflexibilis & obstinatæ mentis punietur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Authoritates Noui Testamenti quæ pœnarum æternitatem ostendunt, require suprà in ca. vbi destruitur error eorum qui ponunt animas nō esse in corporibus humanis, sed dæmones inclusos, vt ibi agant pœnitentiam. ¶ Item meritò pœna æterna punientur, qui gloria æterna à malo reuocari noluerunt. ¶ Item quum Bonitas Dei summè oderit malum, sicut summè diligit bonum ipsa æternaliter punier malum, sicut æternaliter remunerabit bonum. Item in præsenti tempus est operandi: in futuro verò non erit tempus operandi, sed pro opere facto hic mercedem recipiendi. Eccle. 19. Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erūt apud inferos quò tu properas. Nō metet ibi aliquis quod hic nō seminauit: ergo qui malè vixit hic, & in malitia vitam finiuit, non saluabitur. Matth. 7. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic ex malitia vitæ quam hic aliquis habuit, nō colligit ibi vllo modo præmii. Merita etiam ibi mutari non poterunt. Eccles.

11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonẽ, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Greg. 4. libr. Dialo. Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Et vt breuiter dicamus, vita præsens disponit de futura: vnde quum futura vita sit sine fine, eò quòd animæ sint immortales: præsens vita præparat futuræ vel miseriam sine fine, vel felicitatem sine fine.

De errore ponentium animas in charitate decedentes, nulla pœna purgatoria puniri. Et primo de errore illorum qui dicunt nullum peccatum esse veniale. CAP. XXV.

SEquitur de errore illo qui ponit animas eorũ qui in charitate decedunt, nulla pœna purgatoria in futuro puniendas. ¶ Qui error habet tres errores sibi annexos. Primus est, q̃ nullũ peccatũ est veniale. Secundus est, q̃ quãdo dimittitur culpa, dimittitur & pœna: quòd si decedat, nulla pœna purgatoria punietur. Tertius, quòd suffragia ecclesiæ nõ prosint mortuis. ¶ Circa primũ errorem notandum est, quòd qui sunt illius erroris, non sentiũt de Domino in bonitate, cùm credãt eũ pro quacũque offensa seruis suis irasci ad mortem. Dicunt enim omne peccatũ esse mortale. Et est error iste improbabilissimus. Non enim est verisimile, quòd pater misericordiarum pro quacũque offensa filios suos exheredet. ¶ Item verisimile est quòd sicut habet gladium mortis æternæ, quo vtitur in seruos maleuolos pro magnis offensis: sic habeat virgam correctionis uel purgationis transitoriæ, qua pro leuibus offensis vtatur in filios suos. Et sicuti non omnis infirmitas vel vulnus corporale ad mortẽ est: sic nec omnis infirmitas spiritualis mortalis est. Item sicut non omnis casus corporalis est ad confractionem colli, ita nec omnis casus spiritualis ad mortem est. Prouerbiorum 24. Septies in die cadet iustus, & resurget. Poëta: Qui cadit in plano, tamen hoc vix euenit vnquam: Sic cadit, vt tacta surgere possit humo. Non proiiciuntur vasa pretiosa omnino pro quacunque inquinatione, sed purgantur. Sic nec animæ. Et si in morte in aliqua immunditia inueniuntur: non tamen pro quacunque damnantur. Item si omne peccatum mortale est, cùm omne dictum, vel factum, vel concupitum contra legem sit peccatum: omne factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei, erit peccatum mortale: ergo iciunare vel eleemosynam dare propter inanem gloriam, erit mortale peccatum. Et breuiter quum aliquid fiet, de quo lex Dei dicit ne fiat, erit mortale peccatum: quod si verum est, nullus erit sine mortali peccato. Item quum opus virtutis sit, immediatè opus vitii seu peccatum erit, quod erit in superfluita-

te vel diminutione: si verò omne tale opus est mortale peccatũ, ergo quicunq; in cibo excedet & potu, mortaliter peccabit. Item quum malum sit priuatio modi, vel spei, vel ordinis, omne opus quod erit priuatum modo seu mensura debita, erit mortale peccatum: peccatũ enim & mortale peccatum cõuertibilia sunt, secundũ hunc errorẽ. Ergo quicunq; nimis amat filios suos, mortaliter peccat. Item cùm dicere alicui conuitiũ subitò ante perfectam deliberationem rationis malũ sit: sic erit similiter mortale peccatum. Et idẽ erit in aliis operibus prohibitis, quòd ante perfectam rationis deliberationẽ mortalia peccata erunt. Et secundum hoc nullus est in præsenti vita qui vniuersaliter caueat à mortali peccato. Præterea in multis locis loquitur Sacra scriptura de peccato, quæ nõ possunt intelligi de illo mortali. Et exempli causa de paucis tangemus. Legitur Prou. 10. In multiloquio non deerit peccatũ. non potest hoc intelligi de mortali peccato: quia multoties est multiloquiũ sine mortali. Item Eccl. 11. Si dixeris, nõ eris immunis à delicto. Et Matt. 12. de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ de eo in die iudicij: ergo omne verbũ otiosum peccatũ est: sed nõ omne verbum otiosum est mortale peccatũ: ergo aliquod peccatũ est veniale. Item 1. Cor. 3. Fundamentũ aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autẽ super ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vuiuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Ligna fœnũ, stipula, venialia grossiora vel leuiora intelliguntur: sicut patet ex his quæ sequuntur. Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauerit, mercedẽ accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ. Item legitur 1. Ioa. 1. Si dixerimus quoniã peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. De mortali peccato nõ videtur hoc posse intelligi, cùm illud nõ sit in amicis Dei. Item eiusdẽ 5. distinguit Ioãnes peccatũ ad mortẽ, & peccatũ non ad mortẽ. Est ergo aliquod peccatũ mortale, & aliquod quod non est mortale. Item in Psal. Omnis homo mendax. quod mendaciũ mortale intelligi nõ potest. Et Eccl. 7. De negligentia tua purga te cum paucis.

De errore ponentium, quòd quando dimittitur culpa, dimittitur & pœna, propter quod non oportet purgari. CAP. XXVI.

CIrca secundum errorem notandum quòd error iste valde periculosus est, quum occasionẽ det peccatoribus ad Deum

tardius cõuertendi. Facit enim paris cõditionis quantum ad impunitatem eos qui conuertuntur in fine vitæ suæ,& eos qui conuertuntur in iuuentute: nulla enim pœna secundum eos vtrique post mortẽ punientur. Error iste valde est improbabilis. Si enim sacramentum pœnitentiæ delet vniuersaliter culpã & pœnam, sicut sacramentum baptismi: sic sacramentum baptismi non iteratur, ne facilitas veniæ homines faciliores faciat ad peccandum: sic sacramentũ pœnitentiæ non debet iterari. Item ad quid monet Euangelium ad faciendum dignum fructum pœnitentiæ, Matth. 3. si quum aliquis pœniter, vniuersaliter dimittitur ei pœna sicut & culpa? Pœnitentia dum aliquis est in mortali, non est meritoria: postquam mortale dimissum est, non videtur esse necessaria, quantum ad solutionem à pœna: quum iam ille qui peccauerat, secundum eos, nullius pœnæ sit debitor: quare ergo tantum scriptura sacra monet ad pœnitentiam? Item quæ causa est, quòd his qui magis peccauerunt, maior pœnitentia iniungatur, si tota culpa cum tota pœna dimissa est? Item constat quòd antiqui patres multa pœna puniti sunt, & in exilio huius mundi, & etiam post mortem, licet culpa mortalis esset eis dimissa. Fuerũt enim in inferno, donec Christus eduxit eos: secundum illud Oseæ 13. Morsus tuus ero inferne. Actu. 2. Quem Dominus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat illum teneri ab eo. Et Apocaly. 1. Fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum,& habeo claues mortis & inferni. Et ad Colos. 2. Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit confidenter. Et in Psal. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Si illi debitores fuerunt pœnæ post dimissionem culpæ: videtur quòd non semper dimittatur tota pœna. ¶ Præterea si hoc esset, videretur euacuari iustitia Dei, & esse dedecus culpæ sine decore debitæ vindictæ. Item pœna proportionalis est culpæ: sed cùm peccator non imponit finem culpæ suæ, debetur ei pœna infinita & acerbior secundũ quod culpa maior fuerit: ergo cùm peccator pœnitendo imponit finem culpæ debetur ei pœna finita & transitoria, & maior vel minor secundum quod culpa maior vel minor fuerit. Præterea cùm Deus paratior potius voluerit quòd proprius filius pœnã transitoriam pro genere humano solueret, quàm quòd ipse eam remitteret, non est verisimile, quòd ita de facili pœnam peccatoribus remittat: quia saltem pœna transitoria eos puniat. Bernardus: Qui non parcit filio,

filio, nunquid parcet figmento? nunquid parcet seruo nequam? Si fortè dicatur quòd pœnitentes de peccatis in præsenti puniendi sunt in futuro: non ergo Dei misericordia magis propitia erit his qui differunt conuersionem suam vsque in finem vitæ, quàm his qui in iuuentute conuertuntur: cùm à primis pœnam non exigat, & ab aliis exigat: & sic benignior erit Deus in contemptores benignitatis suæ, quàm in alios. Rom. 2. An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ¶ Falsitas huius erroris apertè apparet ex illo verbo 1. Corint. 2. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem: ergo aliqui saluandi in futuro punientur. Præterea nónne aliquis decedere potest cum nimio amore filiorum vel præsentis vitæ inuitus moriens quem mors non videtur purgare cum eam volens non recipiat, qui necessariò post mortem purgabitur, & sic purgatus saluabitur? In Psal. Transiuimus per ignẽ & aquam, & induxisti nos in refrigerium.

De errore ponentium quòd suffragia Ecclesiæ non prosint defunctis. CAPVT. XXVII.

Circa tertium errorem, qui ponit suffragia Ecclesiæ nõ prodesse mortuis, notandũ quòd valde detestabilis est, cùm in mortuos sæuiat. Quantũ enim in se est, succursum Ecclesiæ aufert mortuis qui igne purgatorio cruciantur. Ipse facit cõtra illud Eccl. 7. Mortuo ne prohibeas gratiam. Si peccaret qui prohiberet eleemosynam dari ei, quem crederet esse indigentem, vel etiam de quo dubitaret vtrũ esset indigens: multo fortius peccãt isti qui impediunt ne subueniatur eis qui igne cruciantur. Pro. 3. Noli prohibere benefacere eũ qui potest: si vales, & ipse benefac. Falsitas huius erroris in parte apparere potest ex prædictis, cùm prius ostensum sit aliquẽ posse decedere cum venialibus, & cum debito pœnæ transitoriæ pro mortali: quia verisimile est quòd Ecclesia pœnam illam possit soluere pro illis qui decesserunt exemplo capitis sui, scilicet Christi, qui peccata nostra tulit super lignum. 1. Petr. 2. Galat. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Item cùm ad preces sanctorum aliquibus det Deus gratiam, & remittat pœnam æternam, verisimile est quòd ad preces eorũ remittat pœnam purgatoriam. Item ad lacrymas Mariæ & Marthæ suscitauit Iesus Lazarum. Io. 11. Et ad preces Petri suscitatur Thabita à morte. Act. 9. Ergo ad orationes sanctorum remittitur pœna purgatoria mortuis. Ad idem facit quod legitur 2. Machabe. 12. Sancta & salubris est cogitatio

pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Et 1. Corinth.15. Si mortui non resurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino nõ resurgunt, vt quid baptizantur pro illis? Baptizari pro mortuis est facere opera quæ habent purgare. Et 1. Ioan.5. Qui scit fratrem suum peccare peccatũ non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti peccatum nõ ad mortẽ. Est peccatũ ad mortẽ, non pro illo dico vt roget quis. Cùm pro peccatis maximis viuentiũ rogandum sit, vt Stephanus rogauit pro lapidatoribus suis, & Christus pro crucifixoribus suis: non videtur intelligendum esse de oratione pro viuis, quod dicit Ioan. Non pro illo dico vt roget quis, sed pro mortuis. Pro defunctis in mortali non est orandum vt saluentur: sed pro defunctis in veniali. Vnde super illud: Est peccatum ad mortem, non pro illo &c. dicit interli. Qui in hac vita non corrigitur, post mortem eius frustrà venia postulatur. Item Iac. vlt. Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua: cùm oratio effusa in terra in cælo poneretur, iuxta verbum Gregorij, eodẽ modo & in purgatorio operabitur. ¶ Ad idẽ valet quod legitur beatum Andreã dixisse domino, cùm Deus differret exaudire eum orantẽ pro quodam sene, qui in peccato carnis vsque ad septuagesimum annũ fuerat: Domine Deus pro mortuis obtinemus pietatem tuam: & nunc iste qui te nosse desiderat, cur non saluabitur? Tunc venit vox de cælo ad eum, dicens, Obtines Andrea pro sene. Si ad preces beati Andreæ Deus homini inueterato in peccato dedit gratiam, verisimile est quòd ad preces Ecclesiæ remittat pœnam purgatoriam. Præterea quid obstat quòd preces Ecclesiæ his qui decesserunt in charitate, non possunt valere, cùm Ecclesia sit in quo mereri potest? Illi autem qui in charitate decesserunt, cum sint amici Dei, in statu sunt in quo sunt digni hoc beneficio: Habent enim Dei gratiam, & eius gloriam expectãt. Adhærendo etiam corpori Ecclesiæ tanquam membra dum uiuerent dignos se fecerunt, & quodãmodo meruerunt, ut tales preces eis ualerent, si pro eis fierent. Cibus corporis cõmunis est omnibus mẽbris quæ sunt in corpore. Vnde cùm illi qui sunt in purgatorio, mẽbra sint Ecclesiæ & maximè indigentia, merita Ecclesiæ se debent extendere ad eos. Præterea eodem spiritusancto viuificantur membra illa, quo viuificantur membra quæ adhuc sunt super terram: ergo remissio culpæ vel pœnæ, quæ donum est Spiritussancti, debet se extendere ad ea. Quod innuitur à Domino Matth.12. Qui dixerit, ait dominus, contra spiritumsanctũ verbum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neque in futuro. In qua sentẽtia, vt ait Greg. in 4. lib. Dialog. datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari: quod enim de vno negatur, consequenter de quibusdam cõceditur. Sed tamen hoc de paruis minimísque peccatis fieri posse credendum est: sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab istis agitur qui culpam qualiter declinare debeant sciũt. Præterea hoc ipsum pertinet ad gloriam Dei, quòd ad preces sanctorum tales mortui à pœna liberentur. Deus enim glorioſus est in sanctis suis. Nec est contrarium diuinæ iustitiæ, quòd ipse impleat voluntatem amicorum suorum, qui voluntatem ipsius pro posse suo implent. Idem enim velle idémque nolle, ea demum vera amicitia est, vt ait Sapiens. 1. Ioann. 3. Si cor nostrum nõ reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, quod quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.

De causis errorum, quæ sunt octo ad præsens. CAP. XXVIII.

DEstructis erroribus qui catholicæ fidei aduersantur, tangẽdum est de causis errorum. De quibus octo assignare sufficiat. ¶ Prima est ignorantia capacitatis intellectus humani. Quidam enim non attendentes limitatum esse intellectũ humanum, credunt eum capacem esse omniũ & ideo credũt illud non esse qđ ab eo nõ capitur. Sicut si aliquis crederet circulũ solis omnia cõtinere, ipse crederet illa non esse quæ infra circulũ illũ nõ cõtinẽtur. Similis error est illis qui credũt nõ posse esse scientiam de magnitudine solis, & lunæ, & stellarum, quia ipsi non habent eam. ¶ Secunda est auersio intellectus à credendis, & ab his quæ possunt hominem inducere ad credendum, & conuersio ad errores. Quidam enim sic amãt errores suos, vt contraria eis nõ velint cogitare, vel audire. Prouerbio. 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. Non est datum homini videre post tergum suum, nec videre sine intuitu: sic nec intelligere ea à quibus intellectus se auertit. Nolunt audire qui sunt in erroribus aliquid de miraculis nec sacra eloquia, nec rationes doctorum quibus possent ad veram fidem induci: ideo non est mirum, si remanent in erroribus suis. ¶ Tertia est rerum subtilitas, & intellectus grossities. Qui turbidum habet visum, pilum qui ab aliis videtur non videt, sed non ideo contendere debet eum ibi non esse: non videt visus humanus, quicquid videt aquilinus. ¶ Quar-

ta est distantia à credendis: quidam enim commorantur in sensibilibus qui longè sunt à credendis quæ sunt inuisibilia, non appropinquantes ad illa, nec studio, nec exercitatione: ideo non est mirum, si illa nõ vident. Ipsi sensum volunt habere ducem ad credenda, qui cæcus est quantum ad ea: vnde sic disputant de spiritualibus, sicut cæci de coloribus. Bern. super Cant. Quomodo lux incassum circunfundit oculos clausos vel cæcos: sic animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. August. Deus lux est non corporum, sed mentium: hanc lucem qui non videt, est quasi cæcus in sole. ¶ Quinta est negligentia quærendi Dei adiutorium ad ea credenda. Fides non est naturalis, imo est ex electione diuinæ bonitatis, & donum gratuitum. Si esset naturalis, eadem esset apud omnes: nec esset tanta dissentio de ipsa, quanta est: ideo à Deo petenda est. Marc. 9. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Eph. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est. Et 1. Io. 5. Dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum. Sicut sol non videtur nisi ex lumine suo: sic sol intelligentiæ non videtur nisi ex lumine suo, scilicet ex luce gratiæ quam infundit. Sed aliqui sunt vt vespertiliones solem non videntes de nocte, quando volant, quia tunc sol non lucet super terram: de die verò eum non vident, quia tunc dormiunt: Sic isti solem intelligentiæ ideo non vident, quia in nocte sunt, cùm ipse eis non luceat, lucem gratiæ infundendo: non tamen propter hoc affirmare debent eum non esse. ¶ Sexta est obstaculum peccati. Quidam enim immunditia operum suorũ quasi obiectum manuũ lumen solis intelligentiæ à se repellunt. Io. 24. Ipsi rebelles fuerũt lumini. ¶ Septima est superbia, quæ est velut inflatio faciei interioris. Augu. in 7. libro Confess. Timore meo separabat à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Bernardus super Cant. Superbo oculo veritas non videtur, syncero patet. Et super illud Hiere. 49. Arrogantia tua & superbia cordis tui decepit te, dicit glos. Omnis hæreticus arrogans: quia superbia facit hæreticum, non ignorantia. August. Superbia meretur illud. Habac. 2. Quomodo vinum potantem decipit, sic erit superbus. Vnde Greg. de superbis: Tanto, inquit, à Dei luce longè sunt, quanto apud se humiles nõ sunt. ¶ Octaua est affectio inordinata intellectum trahens ad contraria fidei: vt timor inordinatus, vel amor, vel odium. Affectio inordinata est velut lippitudo respectu oculi interioris. Augu. Si quis alteri digito solem ostenderit, & videre non potuerit, culpet potius oculi lippitudinem quàm digiti ostensionem. Hanc lippitudinem purgari oportet. Aug. Purgandus est animus, vt prospicere illã lucem valeat. Timor multos retraxit ne crederent in Christum. Qui enim credebant in Christo, despiciebantur ab aliis, & extra synagogam fiebãt: ideo qui gloriam amabant, & cõtemptum istum timebant, nolebant ad Christum cõuerti. Io. 5. Quomodo credere potestis qui gloriam abinuicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Amor etiam diuitiarum & timor amittendi locum & gentem, Iudæos impediuit ne in Christum crederent. Amor diuitiarum oculus est auarorum, & amor diuitiarum est oculus voluptuosorum. Zachar. 5. dicitur de impietate: Hic est oculus eorum in vniuersa terra. Prouerbiorum 21. Lucerna impiorum peccatum. Ideo auaro videtur aliquid licitum quod aliis non videtur: quia auaritia est lucerna ei, secundum eam enim iudicat. Et luxurioso videtur illa quã nimis amat pulchra, cùm sit deformis: quia amor facit eum errare in iudicio illo. Odium etiam intellectum multorum à fide auertit. Multi Valdenses odientes prælationem clericorum dicunt Deo obediendum esse, & nõ homini. Aliqui etiam ex eis dicunt solis prælatis bonis esse obediendum. Dicunt etiam ordinem non esse necessarium ad hoc quòd aliquis liget vel soluat. Et quòd non sit necesse vt aliquis confiteatur peccata sua sacerdoti. Et quòd relaxationes quas episcopi consueuerunt facere, non valent. Nec suffragia Ecclesiæ prosint mortuis. Item timentes errores suos per iuramenta propalari: dicunt in nullo casu esse iurandum. Item timentes se occidi: dicunt in nullo casu esse hominem occidendum. Sic transierunt hæretici in affectum cordis.

De diuersitatibus fidei, quæ enumerantur. CAP. XXIX.

VLtimo in tractatu de Fide descendendum est ad diuersitates fidei, & specialiter ad has diuersitates descendemus, quę sunt fides viua, & fides mortua: fides ficta & fides nõ ficta siue probata: fides magna, & fides modica: fides explicita, & fides implicita.

De Fide viua & Fide mortua.

FIDES viua est quæ potens est elicere debitas operationes, quæ scilicet per charitatem operatur. Gala. 5. Fides verò mortua est, quæ impotens est ad debitas operationes. Iacob. 2. Si fides nõ habeat opera, mortua est in semetipsa. Fides viua videtur differre à mortua: sicut flammę lux in candela viua differt à lumine quod remanet post extinctionem cãdelę, quod præ sui paruitate insufficiens est ad regendos gressus, & ad ostendendum laqueos vel foueas, & ad discernendum quid pulchrum, quid

deformé. Item fides viua videtur se habere ad mortuam, sicut lumen diei ad lumẽ noctis: vel sicut lumen radij viui solaris calorem habentis, ad lumẽ quod est in vmbra tenebrosum & sine calore. Item fides viua non solũ tenebras ignorãtiæ expellit: sed etiam tempore excutit. Fides verò mortua est sicut animal mortuum: nec se ad aliud potens mouere motu qui sit perfectus, vt est gressus: licet in cadauere tremor vel palpitatio quãdoq; remaneat. Item sicut carboni viuo musca timet insidere: sic tẽtator fugit eum qui est fidei viuæ nõ habens fiduciã qđ ei possit præualere. 1. Pe. vlt. Cui resistite fortes in fide. Et Iacob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Fides mortua minus potẽs videtur esse quàm dubitatio. Si quis enim dubitet de aliquo cibo vel potu vtrum sit venenatus: sola dubitatio cohibebit eum, ne cibũ vel potum illũ sumat. Fides autem mortua nõ cohibet homines à prohibitis delectationibus, quæ ad modũ veneni mortẽ animæ inferunt. Itẽ fides mortua, fides dęmonis esse videtur, nõ hominis. Vnde super illud ad Titũ 1. Confitentur se nosse deum, factis autem negãt. dicit gl. Aug. Nolite tanquã de fide securi esse. Adiungite fidei rectæ vitã rectam, vt Christum cõfiteamini verbis vera dicendo, & factis bene viuẽdo. Nam si cõfitemini verbis, & non factis: fides talium propriè fides est dæmoniorum. ¶ Item Aug. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis: imò fides Christianorũ, qui Deum nõ timẽt, inferior videtur esse fide Dæmonum. Illi enim Deum timẽt. Iacob. 2. Tu credis q̃ vnus est Deus, benefacis. & dæmones credũt, & contremiscũt. Aug. Vtinam quomodo dæmones iudicẽ, sic homines agnoscerent saluatorẽ. Ecce dęmones viderũt, & tremuerunt: homines viderũt, & occiderũt. Fides mortua facit ad augmẽtũ culpæ & pœnę. Ad augmẽtũ culpę quia cũ sit cognitio, aggrauat culpã: sicut ignorãtia attenuat. Augmẽtata autẽ culpa, augmẽtatur & pœna. Ber. Ad cumulũ dãnationis videtur nobis relicta fides furturę promissionis. Fides mortua in malo Christiano videtur se habere, sicut obligatio religionis in apostata monacho, qui deterioris conditionis videtur esse, quàm si nũquam fuisset monachus. Et sicut natura bona in angelo malo. Honorabile est valde esse angelũ bonum, ignominiosissimũ vero est angelum esse malum. Sic valde ignominiosum est esse malũ Christianũ: licet sit valde honorabile esse Christianum bonum. Fides mortua sicus est maledicta, fructus non habens. Matth. 21. Fides verò viua arbor est florens per firmum propositum seruiẽdi Deo: & folia debita habens, scilicet sermonem qui sit ad ædificationem fidei, & det gratiam audientibus loquendo: & fructum debitum bonorũ operũ proferens. 2. Cor. 13. Si estis ex fide, ipsi vos probate per opera. Fides mortua est velut cadauer exanime Deo oblatum. Iac. 2. Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est. Ber. super Cant. Quid fides, quæ nõ operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Bene honoras Deũ munere fœtido: bene placas Deum tuæ fidei interfector. Fides mortua signum est proditionis. In iudicio enim fides illa ostendet eũ in quo fuit fuisse Christianum. Ex alia parte opera mala ostendent eum fuisse Christi inimicũ. Fides illa ostendet, q̃ fidelitatem Christo debuit: opera verò mala, q̃ fidẽ ei non exhibuit, & per consequens proditor fuit. Christianus malus habens fidem mortuam, secum habet literas suæ damnationis. Per fidem enim scriptum est in corde eius, q̃ qui talia peccata agunt, regnũ Dei non possidebunt. In libro verò conscientię suę inuenietur scriptũ scriptura facta propria manu, quòd ipse talia fecerit. Quædã enim notæ ex malis operibus relinquuntur in corde hominis. Vnde Gl. Origen. super illud Ro. 2. Cogitationum accusantiũ aut defendentium. Sciẽdum, inquit, quòd in illa die cogitationes accusabunt animas, vel defendẽt. Non vtique cogitationes quæ tũc erunt: sed istę quę nũc sunt in nobis: quarũ notę quędam & signacula relinquẽtur in corde nostro velut in cera. Quę in occulto cordis posita in illa die reuelari dicuntur.

De Fide ficta, & non ficta.

FIDES ficta, est fides fragilis: scilicet fides eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Matth. 13. De fide non ficta legitur 1. Tim. 1. Finis præcepti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

De Fide magna, & Fide modica.

SEQVITVR de magnitudine & paucitate fidei. Ad magnitudinẽ verò fidei quinq; videntur pertinere. Primò, vt homo de Deo magna sentiat, vt cẽturio, Mat. 8. qui credebat Christũ solo verbo posse sanare seruũ suũ, & se indignũ esse vt Christ⁹ intraret sub tectũ ipsius. Vnde dictũ est de eo à Domino: Nõ inueni tãtam fidẽ in Israël. Secũdò, vt homo bona trãsitoria intuitu bonorũ æternorũ cõtemnat. Heb. 11. Fide Moyses grãdis factus negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cũ populo Dei, quàm tẽporalis peccati haberi iucunditatẽ: maiores diuitias æstimãs thesauro Ægyptiorũ improperiũ Christi: aspiciebat enim in remunerationẽ. Tertio, vt homo in aduersis de Deo

cõfidat. Mat. 14. Modicæ fidei, quare dubitasti? Eiusdẽ 16. Quid cogitatis inter vos modicæ fidei? Quarto, vt homo ad lõgã credentiã bona sua Deo tradat. Magni enim principes longã credentiam requirunt. Esaiæ 25. Qui crediderit, nõ festinet: Et Pro. 20. Hęreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Et eccl. 20. Hodie fœneratur quis, & eras expetit, & odibilis est homo huiusmodi. Quinto, in hoc vt cũ homo aliquid petit à Deo, & non statim accipit, nõ propter hoc à proposito desinat. Mat. 15. Dictum est mulieri orationi instãti: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Ad impetrãdũ multũ valet fidei magnitudo. Aug. super Ioannẽ: Quantũuis vas fidei attulerit quis ad fontem, tantum implet. Et Ber. super Canti. Magna siquidem fides magna meretur.

De Fide explicita, & Fide implicita.

CONSEQVENTER dicendum est de illa diuersitate fidei, quæ est fides explicita & implicita. De qua breuiter notandum, quòd prælati debẽt habere fidem explicitã de omnibus credendis. Ad eos enim pertinet illud 1. Pet. 3. Parati sẽper ad satisfactionẽ omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe. Simplices verò debẽt habere fidẽ explicitã de aliquib⁹ articulis, & de omnibus implicitam: vt scilicet credãt verum esse omne quod credit ecclesia, ita q̃ in nullo ei cõtradicant in particulari.

De quibusdam quæ faciunt fidem cõmendabilem. CAP. XXX.

IN summa notandũ est, q̃ sex sunt quę faciũt ad hoc quòd fides sit cõmendabilis. Primũ est, simplicitas. In his enim quæ fidei sunt qui ambulat simpliciter, ambulat cõfidenter. Prou. 10. Amb. Auferãtur argumẽta vbi fides quęritur: nõ enim recipiẽda sunt argumẽta fidei cõtraria. In his quę fidei sunt, peccatorib⁹ creditur nõ dialecticis: iuxta verbũ eiusdẽ Amb. Ber. in li. de Cõsideratione: Intellect⁹, inquit, si signata fidei tẽtet irrũpere, reputaꝫ effractor, scrutator maiestatis. Ad fidei simplicitatẽ monemur Exo. 20. Si altare lapideũ feceris mihi, nõ ędificabis illud de sectis lapidib⁹: si enim leuaueris cultrũ tuũ super eo, polluet. Acumẽ ingenij qd̃ per cultrũ intelligit, super altare fidei leuandum nõ est, vt ingeniũ nostrũ in his quę fidei sunt, authoritati Sacrę scripturę præferam⁹. Secũdũ est viuacitas. Tertiũ magnitudo: de quib⁹ dictũ est pri⁹. Quartũ, est feruor. Mat. 17. Si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis mõti huic, Trãsi hinc, & trãsibit, & nihil impossibile erit vobis. Glos. Fidem perfectam grano sinapis comparato quæ sit in facie humilis, & in pectore feruens, vilis videntibus, nec vllarum virium apparens, sed pressuris trita quod intus habet ostẽdit. Quintũ est integritas, vt omnes Articuli credãtur explicitè, vel implicitè, de quibus habitũ est prius. Sextũ est stabilitas, q̃ non facile relinquat fidem suã. Tob. 2. Vitã illam expectamus, quã Deus daturus est his qui fidẽ suã nunquã mutãt ab illo. Vnde valde reprehẽsibiles sunt illi qui videntes aliquẽ hæreticũ vel magnæ abstinentię, vel libenter dantẽ eleemosynas, credunt propter hoc eum esse sanæ fidei, & dimittunt fidem suam in qua tamdiu vixerunt, & quã parentes eorũ tenuerunt pro fide illius, non acquiescentes consilio Salomonis. Prou. 1. Audi, inquit, fili mi disciplinam patris tui: & ne dimittat legem matris tuæ. Qui isto modo decipiuntur, non attendunt quod nihil prohibet eum qui habet manum sanam & os sanum, habere oculum infirmũ. Sic nihil prohibet illum qui abstinens est, & qui libẽter dat eleemosynas, habere oculum fidei corruptum. Sicut qui iam est in possessione rei, non de facili dimittit eam sibi auferri: sic nõ debet homo de facili relinquere fidem in qua nutritus est. In tali casu qui citò credit, leuis est corde. Eccles. 19. Non debet homo moueri, si aliquos hæreticos videat vel abstinentes, vel misericordes: cum multo plures inueniuntur tales qui sunt fidei catholicæ: vel si aliqui qui sunt fidei catholicæ, inueniãtur mali. Multi enim magnæ malitiæ sunt inter hæreticos: sed occultant eam qualiter possunt: nec mirum, cùm etiam seipsos occultent.

SECVNDÆ partis principalis de tribus virtutibus Theologicis, Tractatus III. De Spe.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et de præscriptionibus Spei. CAP. I.

POST tractatum Fidei, agendũ est de Spe, hoc modo. Primò, descriptiones Spei ponentur. Secundò, commadationi eius insistetur. Tertiò, tangetur de his quibus spes adiuuatur. Quartò, de his quæ spei aduersantur. Quintò, de rebus sperandis. Sextò, ad diuersitates spei descẽdemus. ¶ Spes sic describitur tertio libro Sentẽtiarũ, à Magistro: Spes, inquit, est certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & ex meritis præcedentibus. ¶ Prima pars huius descriptionis haberi potest ex glossa Haymonis super illud Ro. 5. Probatio verò, spem. Spes, inquit, est certa expectatio gloriæ futuræ. ¶ Et notandum quòd spes quandoque sumitur pro re quam speramus: vt ad Tit. 2. Expectãtes beatam spem. Quandoque verò pro certitudine gloriæ futuræ. vt Ro. 5. Probatio verò spem. Glo. prima, Certitudinem gloriæ futurę. Quandoque pro virtute:

te:vt 1. Cor.13.Nunc manent fides,ſpes,charitas. Quãdoque pro motu virtutis.& ita deſcribitur hic. Item notandum quòd ſicut duo ſunt,vbi eſt expectatio corporalis.Intendit enim animus ad aliquid abſens vt fiat præſens: vnde expectans dicitur quaſi extra rem poſitus ſpectans. Eſt etiam ibi permanentia in loco quantũ ad corpus. Sic duo ſunt vbi eſt expectatio ſpei.Eſt enim intentio animi ad futuram beatitudinem: quam intentionem Aug.in li. de Ciuit.Dei,vocat aſpectum, oſtendens aſpectũ talem ad ſpem pertinere. Prius eſt,inquit,ſanos oculos habere,quod fit per fidẽ: deinde aſpicere, quod fit per ſpem. Item eſt ibi permanentia in loco ſpirituali qui Deus eſt. De qua permanentia legitur Io.15. Manete in me,& ego in vobis.Et Io.4.Qui manet in charitate, in Deo manet,& Deus in eo.Qui à Deo per peccatũ recedit,non habet expectationem quæ ad ſpem requiritur.¶ Item notandum quòd eſt certitudo cognitionis quæ opponitur dubitationi: & hæc pertinet ad fidem. Et eſt certitudo fiduciæ quæ opponitur titubationi,vel deſperationi:& hæc pertinet ad ſpem.Et eſt certitudo ſecuritatis,quæ opponitur timori ſeparationis:& hæc erit in patria. ¶ Item notandum quòd cum motus ſpei ſit circa illa quæ ſupra nos ſunt:ad eliciendum motum ſpei valet conderatio liberalitatis Dei,qui ſeruiẽtes ſibi remunerat ſupra merita prout decet ipſum.Et hæc liberalitas Dei gratia vocatur in deſcriptione propoſita,cùm dicitur, Veniens ex Dei graria.Valet etiam ad eliciẽdum motum ſpei conſideratio proprij meriti, quum Deus promiſerit ſe redditurum præmium his qui ſibi debito modo ſeruirent. Ipſe verò verax eſt promiſſa ſoluens. Vnde ſpes quaſi duabus baſibus innititur:Dei liberalitati, quæ ſibi ſeruientes remunerat vt decet eam: & Dei iuſtitiæ,quæ ſibi ſeruientibus ſoluit quæ promiſit.Et ad hæc duo pertinent duæ particulæ vltimæ deſcriptionis propoſitæ.¶ Item notandum quòd motũ ſpei quãdoque præcedunt merita in actu, vt in eo qui in charitate eſt,& bona opera facit quibus ſperat ſe habiturum beatitudinẽ.Quandoque verò merita præcedunt motum ſpei, non in actu, ſed in ſola intentione:vt in illo qui eſt in peccato mortali,qui interim facit boni quicquid poteſt,vt Deus illuſtret cor ſuũ ad pœnitentiam,qui ſine præſumptione ſperat habiturum beatitudinẽ. Cogitat enim ſe per gratiã Dei ad hoc habiturũ merita,quibus beatitudo debeatur.¶ Deſcribitur etiam ſpes ab Augu.in lib.de ciui. Dei,hoc modo:Spes,inquit,eſt qua quis ad id quod credit ſe peruenturum, præſumit.¶ Poteſt etiam ſic deſcribi:Spes eſt appetitus excellentis boni cum fiducia obtinendi.

De

De commendatione Spei. CAP. II.

SEquitur de his quæ pertinent ad commendationem Spei. ¶ Notandum ergo quòd ad ſpei commendationem, Primò valere poteſt hoc, quòd ſcriptura ſacra totiens monet ad ſpem. Multiplicatio enim admonitionis oſtẽdit vtilitatem huius virtutis.Pſal. Sperent in te qui nouerunt nomen tuũ. Item,Spera in Domino,& fac bonitatẽ.Item.Spera in eo,& ipſe faciet.Itẽ,Sperate in eo omnis congregatio populi.Item Matt.14. Habete fiduciam.Et iterum Io.17. Confidite, ego vici mundum. Nec ſolum ſcriptura,ſed etiam natura viderur ad ſpẽ monere. Naturaliter enim qui debilis eſt & timet cadere,alicui rei adhæret & innititur: vt patet in puero qui quum eleuatur ad ſtandum, & exiſtimat ſe caſurũ, ſtatim adhæret alicui rei.Sic naturalis ratio dictat animæ agnoſcenti debilitatem & inſufficientiã ſuam, quòd fortiori ſe adhærere debeat & inniti. Secũdo hoc,quòd ſcriptura ſacra totiens beatos aſſerit ſperantes in Domino.Pſal.Beati omnes qui confidunt in eo. Item:Beatus vir qui ſperat in eo.Item: Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius.Pro.16.Qui ſperat in Domino,beatus eſt. Eſa.30. Beati omnes qui expectant eum. Verẽ beati qui ſperant in domino: optata enim eis ſuccedunt. Tertio hoc,quòd, ſpes omnipotenti innititur.Eſa.50. Quis ambulauit in tenebris, in tenebris inquam aduerſitatis, & non eſt lumen ei?fulgur ſcilicet proſperitatis.ſperet in nomine domini, & innitatur ſuper Deum ſuum, quia ſpes omnipotenti innititur: ideo firma eſt, & non timet ruinam. Dauid: Qui confidunt in domino,ſicut mons Sion. Spes eſt quæ dicit,Dominus firmamẽtum meũ.Spes proiicit ſe in Deũ:ipſe verò nõ eſt ita crudelis,vt ſe ſubtrahat, & ſperantem in ſe cadere permittat iuxta verbum Auguſt. Quare Deus totiens nos ad innitendum ſibi moneret,ſi ſupportare nos nollet?Non eſt illuſor Deus, vt ſe ad ſupportandum nos offerat, & nobis innitẽtibus ei, in ruinã noſtrã ſe ſubtrahat.Ro.5.Spes autẽ non confundit.Gl.Aug. Confunditur,qui quod ſperabat nõ inuenit: ſicut contingit illi qui ſperat in homine.Hæc autem ſpes non confundit quę eſt in Deo,qui nec fallit, nec fallere poteſt.In Pſal.In te ſperauerũt,& nõ ſunt cõfuſi.Itẽ: Deus meus in te cõfido,non erubeſcã.Item:In te domine ſperaui,non confundar inæternum. Eccle.2. Nullus ſperauit in eo,& confuſus eſt. Vanitatis eſt,nõ præſtare fulcimẽtum innitẽti:ſed veritatis eſt,non negare fulcimentũ innitenti.Vnde quum Deus veritas ſit, innitenti ſibi ſe non ſubtrahit. ¶ Quarto,quòd ſpes eſt velut arbor ſita in optimo loco:adhæret enim diuinę bonita-

ti.

ti. Vnde abundanter sentit effectum eius Thre. 3. Bonus est Deus sperantibus in eum. Spes est iuxta fontẽ diuinæ misericordiæ. Ideo misericordiæ diuinæ beneficia non cessant influere ei. Dauid: Ego in misericordia tua speraui. Item: Sperantẽ in domino misericordia circũdabit. Item fiat misericordia tua domine super nos quemadmodũ speraui mus in te. Itẽ: Oculi domini super metuentes eũ, & in eis qui sperãt super misericordia eius. Et iterum: Ego sicut oliua fructifera speraui in misericordia Dei in æternũ. Spes arbor benedicta est, fructus vberes habẽs, quũ à misericordia Dei abũdanter irrigetur. Ierem. 17. Benedictus vir qui cõfidit in domino. Et subditur: Erit quasi lignũ quod trãsplantatur super aquas, quod ad humorẽ mittit radicẽ suam, & nõ timebit cũ venerit æstus. Psal. Erit tanquã lignũ cp plantatũ est secus decursus aquarũ. ¶ Quinto cõmẽdabilis est spes à multiplici suo effectu. Effectus vnus ipsius est securitas. Dauid: In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. Meritò securus est sperans in domino, protector enim est dominus omniũ sperantiũ in se. Dauid: Dominus protector vitæ meę, à quo trepidabo? Deus speranti in se pro muro est vndique. Dauid: Deus in circuitu populi sui, Deus est ei turris fortissima. Prou. 18. Turris fortissima nomẽ domini, ad ipsum confugiet iustus, & exaltabitur. Nomẽ domini filius Dei dicitur. Esa. 30. Ecce nomen Domini veniet de longinquo. Ipse est sperãtibus in se altissimũ refugium. Ipse etiã est eis vrbs fortitudinis. Esa. 26. Vrbs fortitudinis nostræ Siõ: saluator ponetur in ea murus & antemurale. Murus est virtus diuinitatis: antemurale meritũ humanitatis. Vtrũque facit ad securitatem nostrã. ¶ Itẽ spes meretur intelligẽtiã, & Dei auxilium. De Primo, Sap. 3. Qui confidunt in illo, intelligẽt veritatem. Et Pro. 17. dicitur de expectante futura bona. Quocunque se vertit, prudenter intelligit: agnoscit enim etiã aduersa diligẽtibus Deũ cooperari in bonum. De secundo, in Psalm. In ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. ¶ Item spes liberat vel tribulationẽ amouendo: vt patet in Susanna, Dan. 3. quę flens suspexit ad cælũ. Erat enim cor eius fiduciam habens in domino. Et in Psal. legitur: In te sperauerũt patres nostri: sperauerũt, & liberasti eos. Vel liberat patientiam dando: qui modus liberationis melior est. Greg. Melius liberat quum patientiã dat. Spes patienter facit portari onus præsentis miseriæ. Gen. 49. Vidit requiẽ quòd esset bona, & terram quòd esset optima, & suppposuit humerum suum ad portandum. 2. Mach. 7. Pereũtes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deũ habebat.

habebat. Et Act. 28. Propter spem Israël, catena hac circundatus sum. Gre. in Moralibus: Ille bene nouit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere. ¶ Item spes saluat. In Psal. Qui saluos facis sperantes in te. Prouer. 29. Qui sperat in domino, saluabitur. Roma. 9. Spe enim salui facti sumus. ¶ Item spes columnæ est totum spirituale ædificium sustẽtans: qua deficiente, totum spirituale ædificium corruit, & mẽs in barathrum desperationis concidit. Hæc columna in Cain defecit, quum domino ait, Gene. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Item spes galea salutis est, caput interioris hominis, scilicet intentionem illæsam custodiens. 1. The. 5. Induti galeam spem salutis. Spes etiam ancora est animam seruans, ne à procellis tentationum à Deo abrũpatur. Hebr. 6. dicit Apostolus, loquens de spe: Quam sicut ancoram habemus animæ, tutam ac firmam. Glo. Augu. Si videris te fluctuare in mari isto: noli abrumpi ab ancora antequam intres in portũ. Fluctuat nauis in ancoris: sed non longe à terra proiicitur: nec in æternum fluctuabit, etsi ad tempus fluctuat. Item spes hominem fortem efficit. Esa. 30. In silentio & in spe erit fortitudo vestra. Et eiusdẽ 40. Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudinem inquam propriam, in fortitudinem diuinam. Felix cõmutatio ista, quã facit qui sperat in domino. Dum enim de viribus suis diffidit, & de adiutorio Dei confidit, quasi propria fortitudine se exuit, & Dei fortitudine se induit. Dei enim adiutorium paratum est ei, prout de ipso confidit. Ber. super Can. Nil omnipotentiã verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant: denique omnia possibilia sunt credenti. Idem in sermonibus: Quatenus in bonis domini fiducię pedem porrexeris, eatenus possidebis. ¶ Item spes baculus est valde necessarius peregrinantibus in via præsentis vitæ. Qui huic baculo innititur, non corruit. In Psalm. Non delinquent omnes qui sperant in eo. Itẽ nõ fatigatur, vel debilitatur. Esa. 40. dicitur de sperantibus in domino: Assument pennas: vt aquilæ current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. In Psalm. Spegni cælestis animam ante Christum quodammodo introducit. Vnde ad Heb. 6. dicit Apostolus: Spem incedentem vsque ad interiora velaminis. Et super illud Psal. Spera in domino, dicit Gl. Spes est introitus fidei. Et subditur in Gl. Per spem enim initiatur ad videndum illud quod creditur. ¶ Spei fit promissio illa, Esa. 58. Sustollã te super altitudinẽ terræ: & cibabo te hæreditate

te patris tui Iacob. ¶ Conuersatio spei in cælis est, iuxta verbū Apostoli Phil.3. Ipsa nobis existentibus in hac vita mortali, immortalitatem attingit. Sap.3. Si coram hominibus tormēta passi sunt, spes illorū immortalitate plena est. ¶ Spes in æternitate animam erigit: & idcirco nulla mala quæ tolerat exterius sentit. Iuxta verbum Gre. in Moralibus: Spes in præsenti tempore quod est quædam vigilia solennitatis æternæ, non ieiunat, sed quasi iuge conuiuium celebrat, cùm securitatem habeat, vt prius ostensum est. Secura enim mens quasi iuge conuiuium. Prou.15. ¶ Spes de illis tribus quæ vidit Ezechiel scripta in libro 2. carmen ibi assumit, lamentationes relinquēs dono scientiæ & pietatis, & de dono timoris. Ipsa est cui Deus dedit in nocte carmina. Iob 35. nocte inquam præsentis aduersitatis. ¶ In Psal. In die mandauit Dominus misericordiā suam, & nocte canticū eius. Spes in hyeme præsentis exilij habet quasi vernum tempus. Ipsa enim nos in aduersis ridere facit: iuxta verbum Augustin. Ipsa facit nos gaudere inter dolores: animus autem gaudēs, ætatem floridam facit. Prou.17. De gaudio eius legitur Roman. 12. Spe gaudentes. Et Matth. quinto: Gaudete & exultate: quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Prouerbiorum decimo: Expectatio iustorum lætitia. Gaudiū verò ipsius communiter dicitur gaudium spei, & nondum rei: & est ex certa exspectatione glorię promissæ. ¶ Aliud est gaudiū quod est de præsentia bonorum, de quibus dignum est gaudere. Gaudiū spei est sicut arra æterni præmij, & præodoratio futuræ suauitatis. ¶ Spei concessum est intrare in hortū voluptatis, & inde afferre odores ad condiēdam amaritudinem præsentis aduersitatis. Spes inter opprobria gloriatur! Ro.5. Gloriamur in spe glorię filiorū Dei. Ipsa in deserto mundi deliciis affluit. Cant. vlt. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Eccle.2. Qui timetis dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Ipsa damna temporalium rerum non reputat. Ad Hebr. 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substātiam. Ipsa est quæ dicit illud Psalm. Quid mihi est in cælo: & à te quid voluī super terram? Ipsa est in labore, requies: in æstu tribulationū, temperies: in fletu, solatium. De eius solatio legitur ad Hebr.6. Vt fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Dauid: Hæc me consolata est in humilitate mea. ¶ Et notandū quòd non est omnino idem gaudiū & solatium. Qui enim cōsolatur, nō ex toto à tristitia est immunis: sed quasi mistura in se patitur, dū mala nunc cor eius pungunt, nunc bona vngunt. Prouerb.27. Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis dulcoratur. Consolatio spei est doloris, aut timoris, aut alterius affligentis affectionis repressio, vel mitigatio, sp- diuini consilij vel auxilij, vel alterius beneficij. Spei est illud verbum Hier.31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia est merces operi tuo. Si merces modica laborē mercenarij tolerabilem reddit: quid facere debet seruis Dei merces æterna? Iac.5. Agricola expectat pretiosum fructū terræ patienter ferens. Interl. Si ille pro fructu terræ quē sperat, tam patienter expectat: quanto magis nos pro cælesti? Spes est gemma gratissima. Prouerb.17. Gemma gratissima expectatio præstolantis. Præstolans, id est, de longe expectans, est qui bona æterna expectat. Expectatio verò eius quæ est spes, gemma gratissima est: & propter pretiositatem, & quia spes ad modū gemmæ perlucida est, & peruia visui interiori, vt per eam videantur cælestia bona. Spes elisos & prostratos erigit. Dauid: Dominus erigit elisos. Prouer.25. Qui sperat in domino, subleuabitur. Ipsa vires reparat. Sicut enim aliquis timore succumbendi hostibus, viribus cordis destituitur, & dat se hostibus nihil rebellionis opponēs. Et mulier videns sanguinē suum vel alienū, statim stupefacta dicit, totum perditum est, & totū mortuū est: sic ex spe victoriæ vires homo resumit. Prou.24. Si desperaueris in die angustiæ lapsus: imminuetur fortitudo tua. Daniel 10. In visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me viriū. Ad Hebræos 2. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Et Iosue 1. capitu. dictum est, Confortare, & esto robustus. Eccles.7. Sapientia confortabit sapientem, &c. Item mola est sine qua non fit vera cordis contritio. Ipsa est mola interior, quæ cor eleuat & sustinet. Timor verò mola est superior, quæ cor cōterit, vt ipsum cōtritum & humiliatū Deus non despiciat. Spes ab inferioribus nos fulcit, ne sub pondere tribulationū deficiamus. Timor verò à superiori nos comprimit, ne exuffleamur, aut rapiamur vento tentationis. Has duas molas contingit Dauid, dicens: Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo. Altera harum non valet sine reliqua. Glos. Grego. super illud Deuteron.24. Non accipias loco pignoris inferiorem & superiorem molam. Superior & inferior mola, spes & timor. Spes ad alta subuehit: timor autē cor inferius premit. Vna mola sine altera inutiliter habetur. In peccatoris ergo pectore semper dominī spes & formido coniungitur: quia incassum misericordiam

sperat,si iustitiam non timeat:& incassum meruit,qui nõ cõfidit; Loco ergo pignoris mola superior aut inferior nõ tollitur:quia qui prædicat peccatori,tanta dispẽsatione disponere prædicationẽ debet, vt nõ relicta spe timorem subtrahat:nec subtracta spe timorem relinquat. ¶ Item spes hostes nostros confundit. Iob.6. Confusi sunt,quia speraui. ¶ Sextò cõmendabilis est spes à periculo sui cõtrarij,scilicet desperationis.2.Reg.2.An ignoras,quòd periculosa sit desperatio? ¶ Desperatio periculum est à quo non quæritur exitus.Prou.18. Impius quum in profundum vitiorum venerit,contemnit,id est,ex toto se negligit. Sicut spes facit,vt naufragus in mediis brachia iacet aquis: sic desperatio facit, vt homo in nullo se iuuet. Desperans dicit malum verbum, & pugnæ totaliter cedit:vt pugil victus desperans infelix est.Sicut ille qui sperat in domino,beatus est.Eccles.i.4. Felix qui non habuit animi sui tristitiam,& nõ excidit à spe sua.Desperans est velut arbor radicitus euulsa. Iob.19. Quasi auulsæ arbori abstulit spẽ meam.Desperatio abyssus est,à qua vix,vel nunquam est reditus.In Psal. Descendunt vsque ad abyssos.Nulla plaga videtur esse magis desperabilis plaga desperationis.Ier.15.Factus est dolor meus perpetuus,& plaga mea desperabilis. Cum cætera peccata sint inflexiones cordis ad malum,peccatũ desperationis fractura cordis est.Ier.30.Insanabilis fractura tua,pessima plaga tua.

De quatuor speciebus considerationum quibus spes adiuuari potest: quarum prima est in Deum:secũda circa quæ pro Deo agimus: tertia circa beneficia Dei:quarta circa suffragia Sanctorum.

CAP. III.

SEquitur de his quibus spes adiuuatur: & assimilabimus quatuor species meditationum quibus spes potest adiuuari. Prima species est directè in Deum.Secũda est circa ea quæ pro Deo agimus vel sustinemus.Tertia,circa beneficia Dei generalia vel specialia, corporalia, vel spiritualia. Quarta est, circa suffragia Sanctorum.

¶ Quòd ex septem considerationibus in Deum spes adiuuatur. Species I.

PRIMAM possumus subdiuidere in septem species. Quarum prima est in Deum inquantum creator est.Naturaliter amat artifex opus suum,adeò vt vix possit audire quòd ei detrahatur. Vnde verisimile est quòd creator amet opera sua, & specialiter hominem,quem ad imaginem & similitudinem suam creauit. Genes.1. Sap.11. Diligis omnia quæ sunt,& nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Sperare ergo debet homo de eo qui dedit ei,vt sit, quòd paratus sit dare ei,vt bene sit. ¶ Secunda est in Deum, inquantum dominus est. Naturaliter amant homines ea quæ sua sunt, & conseruant ea: & si ea perdiderint, gaudent cum ea recuperant. Vnde verisimile est quòd Deus velit conseruare illos qui boni sunt:& peccatores quos perdidit, velit recuperare. Ad quod pertinent parabolæ de recuperatione ouis perditæ & drachmæ perditæ. Lucæ 15.vbi dicitur: Ita dico vobis, gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitẽtiam agẽte,quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. Et Sap.11.dicitur: Parcis omnibus,quoniam tua sunt.Et Exec.18.Ecce omnes animæ meæ sunt. Et quibusdam interpositis subditur: Nunquid voluntatis meæ est, dicit dominus,mors impij, & non vt conuertatur à viis suis,& viuat? Inter homines eandem fidem quam debet seruus domino,debet & dominus seruo. Sicut infidelis est seruus, si non subueniat domino, cum subuenire debet:sic infidelis est dominus,si non subueniat seruo,cum inimici domini impugnant eũ, & non sufficit eis resistere.Ideo certissime sperare debet, qui ab hoste inuisibili impugnatur,si tentatio supra vires eius est, quòd Deus ei in succursum veniat, nisi per culpam eius hoc steterit: vel quia ipse negligẽs mittendo ei nuntium orationis fuerit,vel infideliter vltro se reddiderit.1. Cor.10.Fidelis est Deus qui non patietur vos tẽtari supra id quod potestis:sed faciet etiã cum tẽtatione prouẽtum, vt possitis sustinere.Legitur de beato Martino, quòd quum inter Alpes incidisset in latrones,& vnus latronum eum ferire vellet:alius ictum feriẽtis cõtinuit. Et cum postea latrones quærerẽt ab eo an timuisset,dixit se nunquam magis securum fuisse: quia sciebat misericordẽ Deum maximè in tẽtationibus affuturum.Bern.Cùm sentio te iratum,tũc spero te propitiũ:quia cũ iratus fueris,misericordiæ recordaberis. ¶ Tertia est consideratio est consideratio bonitatis diuinæ:cui cum summa sit,summè placet bonitas,summè displicet malitia.Vnde verisimile est quòd parata sit iuuare eos qui volunt malitiam deferre,& bonitati adhærere. Sapien.14.Odio sunt Deo impius, & impietas eius.Et Eccles.12.Altissimus odio habet peccatores. Et Prouerbi.12. Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino, sit summè misericors, nõ minus vult miseros à miseria liberare, quàm ipsi liberari.Augu.loquens de illo verbo, Petite & accipietis:Non tantum, inquit,hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescit humana pigritia,plus vult ille dare, quàm nos accipere; plus vult ille misereri,quàm nos à miseria liberari. Mi-

sericordia Dei quandoque peccatori offert etiam quod peccator petere non audet: vt ostendit Augustin. in latrone qui domino ait: Memento mei quum veneris in regnum tuum. Luc. 23. Cõsiderabat, inquit, facinora sua: & pro magno habebat, si vel ei in fine parceretur: Deus autem cõtinuò inquit: Hodie mecũ eris in paradiso. misericordia obtulit, quod miseria distulit. Aug. in lib. Cõf. Domine vna est spes, vna fiducia, vna firma promissio misericordia tua. Dauid: Domine in misericordia tua speraui. Item, Melior est misericordia tua super vitas. Bernard. super Cantica: Meum meritum, miseratio domini: non planè sum meriti inops quandiu ille miserator affuerit. ¶ Tres alias species considerationis in Deum, innuit Bern. in sermone illo: Misericordias domini in æternum cantabo. Tria, inquit, considero, in quibus tota spes mea consistit. Charitatem adoptionis, veritatẽ promissionis, potestatem redditionis. Idem: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem demissum firmiter obsecro teneamus, vt ipse nos subleuet, ipse trahat & pertrahat vsque ad conspectum gloriæ magni Dei. De charitate adoptionis legitur 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Multũ debet mouere homines ad hoc quòd de Deo sperent hoc, quòd Deus pater eorum est. Bern. loquens de Dominica oratione: Mihi, inquit, dictatur oratio, cuius principium dulce nomine patereno sequentium petitionum obtinẽdarum præstat fiduciã. Et glo. Matt. 6. super hoc nomen, Pater: In hoc, inquit, datur fiducia: quid negabit filiis, qui iam dedit quod pater est? Et Luc. 11. Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, &c. quãto magis pater vester cælestis dabit spiritum bonũ petẽtibus se? Ad hanc cõsiderationem pertinet parabola de filio prodigo. Luc. 15. vbi filius ad patrem rediẽs, cum osculo & amplexu recipitur, solenne conuiuium celebratur, symphonia cum choro auditur: & subdit pater misericordiarum: Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Ad eandẽ considerationem pertinet illud Matt. 6. Nolite solliciti esse, dicẽtes, quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quum natura doceat animalia bruta, vt prouideãt fœtibus suis, & naturalis ratio dictet hominibus, vt prouideant filiis suis: verisimile est, q pater cælestis nõ desit filiis suis consilio eius & auxilio indigentibus.

tibus. Promissiones etiam Dei, qui mentiri nõ potest, quæ in scriptura continentur, multum possunt iuuare spem. Dauid: Memor esto verbi tui seruo tuo in quo mihi spem dedisti. Rom. 15. Vt per patientiam & consolationem scripturarum spẽ habeamus. Item potestas Dei considerata multum potest spem iuuare: cui æquè facile est liberare à magnis periculis, vt à paruis, & saluare in paucis sicut in multis, & solo verbo potest implere promissiones suas. Ecc. 8. Sermo illius potestate plenus est.

¶ *Quòd ex consideratione bonorum quæ pro Deo facimus, & malorum quæ pro Deo sustinemus, spes adiuuatur. Species* II.

SEQVITVR de illa specie considerationis quæ est circa ea quæ pro Deo agimus vel sustinemus. Bona opera quæ fecimus considerata spẽ iuuant. Vnde in Psal. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino. Sic potest homo sperare in domino, si sacrificium iustitiæ prius obtulerit. ad Tit. 2. Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spẽ. Greg. in Moralibus: Cum opus crescit, præmij fiducia proficit. Securus est de re qui bonum pignus apud se habet. Sic securi sunt de regno futuro qui habent pignus: spem scilicet. 2. Cor. 1. Qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Ad Eph. 1. Qui est pignus hæreditatis nostræ. Itẽ, securus est qui habet bona opera, quasi quædam pignora. Greg. in Moral. Sancti viri quot labores nunc veritati cõmendantes exhibẽt, tot iam remunerationis suæ pignora intra spei cubiculum clausa tenẽt. Securus potest esse de regno futuro, cui iam in præsenti datum est super seipsum regnare. Bern. Non est via ad regnum sine primitiis regni: nec sperare potest cæleste regnum, cui non super propria mẽbra regnare adhuc donatur. ¶ Mala etiam quæ pro Deo sustinemus cõsiderata, spẽ adiuuant. Rom. 5. Tribulatio patiẽtiam operatur: patiẽtia probationẽ: probatio autẽ spẽ. Gre. in Moral. Bonorum mẽs quò duriora pro veritate tolerat, eò æternitatis præmia sperat. Idẽ: Tãto spes in Deũ solidior surgit: quãto pro illo quisque grauiora pertulerit. Senescunt vires animi nũquam certam sui fiduciam dare possunt, nisi cùm multæ difficultates hinc, & illinc apparuerint, & aliquando prius accesserint. Ille qui fudit sanguinẽ suum, cuius dẽtes crepuerũt sub pugno, cũ magna spe descẽdit ad pugnam: multũ adiicit sibi virtus lacessita. Certus est de requie, venalis est qui pretiũ habet apud se. Sic certus est de regno futuro, qui multas tribulationes pro Christo sustinuit, quibus regnũ cælorũ emitur. Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cælorum. Mat. 5. Beati qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiã: quoniam

ipsorum est regnum cælorum. ¶Et notandum quòd quum bona quæ pro Deo agimus, vel mala quæ sustinemus, cõsideramus, ea Dei gratiæ attribuere debemus, exemplo Pauli dicentis 1. Corin. 15. Abundantius illis omnibus laborauí: non ego autem, sed gratia Dei mecum.

¶Quod ex consideratione beneficiorũ Dei spes adiuuatur. Species III.

SEQVITVR de illa specie considerationis quæ est circa beneficia. Quã possumus subdistinguere in quatuor species. Prima est circa Dei beneficia generalia, & spiritualia: vt est redemptio mundi, & alia beneficia quæ ad salutẽ humani generis pertinẽt. Ad hanc considerationem pertinet illud Ro. 8. Qui proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus donauit illũ: quomodo non cũ illo omnia nobis donauit? Et ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Ber. Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eũ? Denique mittis vnigenitũ tuum, immittis Spiritũ tuũ, promittis etiã vultũ tuũ. Et ne quid vacet in cælestibus, ab opere solicitudinis nostræ etiã illos beatos Spiritus propter nos mittis in ministerium. Item Ber. super illud Can. 2. Columba mea in foraminibus petræ. Clauus penetrans, clauus referans factus est mihi, vt videã volũtatẽ Domini: quod enim videã per foramen, clamat clauus, clamat vulnus. Idẽ: Patet arcanũ cordis per foramina corporis. Idẽ: Patet illud magnũ pietatis sacramentũ: patẽt viscera misericordiæ, in quibus visitauit nos oriẽs ex alto. Idẽ: In quo clarius quã vulneribus tuis eluxisset: q̃ tu Domine suauis & mitis & misericors: maiorẽ enim misericordiã nemo habet, quã vt animã suã ponat quis pro addictis, & dãnatis. ¶Secũda consideratio est circa beneficia spiritualia particularia: ad quod pertinet illud Bernardi super Cãt. Omnino, inquit, propter mansuetudinẽ quæ in te prędicatur, currimus pòst te Domine Iesu, audiẽtes q̃ nõ spernas pauperẽ, peccatorẽ nõ horreas: nõ horruisti confitentẽ latronẽ, non lacrymantẽ peccatricẽ, non Chananæã supplicantẽ, non deprehensam in adulterio, non sedentẽ in telo neo, non supplicantẽ publicanũ, nõ negantem discipulum, non persecutorẽ discipulorum, non ipsos crucifixores tuos: in odore horum vnguentorũ currimus. Tertia cõsideratio est circa beneficia corporalia generalia: vt est creatio mũdi, gubernatio, sustẽtatio. Ad hãc considerationẽ pertinet illud Mat. 6. Respicite volatilia cæli quæ nõ seminãt, neque metũt, neque cõgregant in horrea, & pater vester cælestis pascit ea: nónne vos magis pluris estis illis? Et pòst: De vestimento quid soliciti estis? cõsiderate lilia agri, &c.

&c. Quarta consideratio est circa beneficia corporalia, & spiritualia, de quibus in scriptura legitur: vt est conseruatio trium puerorum in fornace. Daniel. 3. Et liberatio Susannæ eiusdem 13.

¶Quod ex consideratione meritorum, & suffragiorum Sanctorum spes adiuuatur. Species IIII. *Quæ subdiuiditur in alias quatuor species considerationum.*

SEQVITVR de illa specie considerationis quæ est circa merita Sanctorum vel suffragia, quam in quatuor species subdiuidere possumus. Prima est circa mediatorem Dei & hominũ Iesum Christum. Secũda, circa mediatricem, scilicet beatam virginem. Tertia, circa angelos. Quarta, circa sanctos.

¶Quòd ex consideratione meritorum, & suffragiorum Christi spes adiuuatur. Species I.

PRIMA multum spem roborat, ad quam, pertinent authoritates Sacræ scripturæ. Ber. super Cant. Puto iam spernere me nõ potẽrit Christus os de ossibus meis, & caro de carne mea. Aug. in lib. de Ciui. Dei: Gratia, inquit, Dei nõ potuit gratius cõmendari, quàm vt ipse vnicus Dei filius in se incõmutabiliter manens, induerit hominẽ, & spẽ dilectionis suæ daret hominibus, hominem medio: qua ad illũ ab hominibus veniretur, qui tam lõge erat iustus ab impiis, beatus à miseris. Gre. Præbet apud Deũ homini fiduciã Deus homo: est nobis spes magna pœnitẽtibus, quia aduocatus noster factus est iudex noster. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrẽ Iesum Christũ iustũ: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Rom. 8. Qui est ad dexterã Dei: qui etiã interpellat pro nobis. Ipse secundũ q̃ homo, postulat: secundum q̃ Deus, dat. Dauid: Accepisti dona in hominibus. Christus dicitur accipere dona in hominibus: quia merito eius dãtur ecclesiæ dona charismatũ. Vnde ecclesia in fine orationum petit orationem suam exaudiri per Dominũ suum Iesum Christũ. Et ad Heb. 7. dicitur de ipso, q̃ in perpetuũ saluare potest, accedens per semetipsum ad Deũ semper viuẽs ad interpellandũ pro nobis. Eiusdem 9. Iesus introiuit in ipsum cælũ, vt appareret vultui Dei pro nobis. In Psal. Respice in faciẽ Christi tui. Respicẽs Deus pater, quàm carè ecclesia constitit filio, suæ parcit ecclesiæ. Item in Psal. Scitote quoniã mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum. Et super illud Psal. Saluum fac populum tuum Domine. dicit gl. Ecce quanta spes credẽtis, cũ pro eis orat passus pro eis, & iudex est, & aduocatus.

¶Quòd ex consideratione meritorum & suffragiorum beatæ Virginis spes adiuuatur. Species II.

CONSIDERATIO etiam mediatricis nostræ multam fiduciã potest nobis dare: ipsa enim est dulcedo, & spes nostra, vt cãtat ecclesia. Ipsa est mater sanctæ spei. In ipsa est gratia omnis viæ & veritatis, & omnis spes vitæ, & virtutis. Ecc. 24. Ad hãc cõsiderationẽ, & ad præcedentem pertinet illud Ber. Securum habes accessum ô homo ad Deum, vbi habes filium ante patrẽ, & ante filiũ matrem. Filius ostendit Patri cicatrices, & vulnera: mater ostendit filio pectus, & vbera, nec vlla potest esse repulsa, vbi tot charitatis occurrunt insignia. Beata virgo gratiæ thronus est, in qua scilicet fons gratiæ quieuit. Heb. 4. Adeamus cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur. Iere. 14. Solium gloriæ tuæ recordare, & ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Solium gloriæ est beata Virgo. Ipsa enim thronus eburneus est. De quo 4. Regũ 10. & 2. Paralip. 9. Ipsa est stella maris. Luc. 1. Et nomẽ virginis Maria, quod interpretatur stella maris. Ipsa naufragantes in mari huius mundi, eũ aliud cõsilium aut auxilium deficit, ad portũ salutis dirigit. Sicut est quædã stella quæ nos naufragantes in mari visibili, cùm tempus obscurum est, ad portum dirigit. Ber. super illud Euangelium, Missus est angelus Gabriel, Si consurgunt, inquit, venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariã. Et paulò pòst. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariã cogita, Mariã inuoca, nõ recedat à corde, nõ recedat ab ore: & vt impetres eius auxilium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens nõ deuias, ipsam rogans nõ desperas, ipsam cogitans non erras. ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis: & sic in temetipso experiris quòd meritò dictum sit, Et nomen virginis Maria. Ipsa data est mundo quasi aqueductus, per quem gratiæ à Deo descendãt. Eccle. 24. Sicut aqueductus exiui à paradiso. Bernar. loquens de ipsa, Vehementia, inquit, desiderij, feruore deuotionis, puritate orationis fontem attingit pietatis, vt hauriat super angelos quod refunderet hominibus aquã viuam. Idem: Præterea tanto tẽpore fluenta gratiæ defuerunt: quia nondũ intercesserat aquæductus. Ipsa est collũ, caput ecclesiæ, scilicet Christum, corpori eius cõiungens. Qui ipsi per amorem non adhæret, nõ adhærebit capiti: sicut nec corpus adhæret copiti collo amoto. Cant. 6. Collum tuum sicut turris eburnea. Collũ est beata virgo quãtum ad mediationem. Turris verò est quantum ad defensionem. Ipsa enim est virga directionis, errantes in via præsentis vitæ salubriter dirigens. Itẽ est virga in signum clementiæ, à vero Assuero mundo extenta. Ester 4. Assuerus intepretatur beatitudo. Ipsa est etiam virga Moysi à Pharaone infernali, & eius exercitu Israëlitas liberans. Exodi 4. Et cordibus aridis, & duris aquam deuotionis prouidens. Num. 20. Ipsa est virga de radice Iesse egressa, id est, de incendio diuini amoris. Esa. 11. Iesse enim interpretatur incẽdium. Ex magnitudine diuini amoris fuit, quòd Deus mũdo dedit beatam virginem, quę occasione peccatorum habet gratiam quam habet apud Deum. Nunquam enim fuisset mater Dei, nisi peccatores fuissent: quia non fuisset necesse: ideo parata est eã expendere in peccatores. Vnde securè possunt accedere peccatores ad eam tanquam ad suam quodammodo, quia sibi datam. Augusti. in oratione ad beatam Mariam: O maria, inquit, multum audeo, multum gaudeo, multúmque gaudium multam mihi facit audaciam: mira loquar, sed sic est. Nos enim tibi tẽque nobis mira vicissitudo cõfœderat: vt scilicet pro nobis habeas illud esse quod es: nos verò per te id esse quod sumus. Si enim nulla præcessisset nostra transgressio, non esset secuta nostra redemptio. Et si necessarium non esset redimi, nõ esset necessarium te parere redemptorem. Vt quid enim nesciũ peccati pro peccatoribus pareres, si deesset qui peccasset? vt quid mater fieres Saluatoris, si nulla esset indigentia salutis? ¶ Ipsa est virga quæ florem nouum protulit, & fructum sufficientem ad mũdi redemptionem, & ad electorum æternam refectionem. Ipsa est quæ mœstis consolationis vinum prouidet. Ioan. 2. Vinum, ait ipsa filio suo, non habent. Ipsa est Dei cellaria, de qua familia Dei meritò gaudet. Canticorum 1. Introduxit me rex in cellaria sua. Et subditur in persona fidelium: Exultabimus & lætabimur in te. ¶ Ipsa est aurora furibus infernalibus tremebunda. Canticor. 6. Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora cõsurgens? Iob 24. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Ipsa est pulchra vt luna. Cantic. 6. Luminare enim noctis est, lucens eis qui sunt in nocte peccati. Ipsa est mediatrix luminis. Luna recipit lumen à sole, & dat mundo, cùm mundus propter aliquod interpositum sibi, & soli, non potest illud recipere à sole. sic beata Virgo lumen gratiæ recepit, cùm mundus nõ esset dignus illud recipere. Bernard. Cùm tu dignus non eras, cui filius Dei daretur, datus est Mariæ: vt per eã acciperes quicquid haberes. Ipsa propinqua valde est peccatoribus, sicut luna inter planetas propinquior est terræ. ¶ Pulchritudo eius est, vt pulchritudo lunę: quia his qui sunt in nocte peccati, pulchra apparet propter magnitudinẽ misericordiæ suæ: ad quam tales maximè ha-

bent oculos. Ecclesiastici 24. Sicut oliua speciosa in campis. Cant. 4. Pulchriora sunt vbera tua vino. Bernardus in sermonibus: Nos quidem, inquit, in cæteris virtutibus congaudemus tibi: sed in misericordia tua potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius. Hanc amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim quæ totius mũdi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Cõstat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam: cui dictum est, Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam, quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, & latitudinẽ, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nã lõgitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam vniuersis subuenit. Latitudo replet orbem terrarum, vt tua misericordia quoque sit plena omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationẽ. Et profundũ eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum implerum est, infernus euacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima, & piissima charitas, & effectu compatiendi, & subueniendi abũdat effectu æquè locuples in vtroque. Ad hunc ergo fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Idem: Sileat misericordiam tuam virgo beata, si quis est qui eam inuocãtã in necessitatibus sibi meminerit defuisse. Misericordia eius non defuit etiã Theophilo. ¶ Fuit Theophilus in quadã vrbium Siciliæ, tam prudenter, & vtiliter res ecclesiasticas dispensans, quòd cum mortuo episcopo dignum episcopatu omnis populus acclamauit. At ille contentus vicedominatu alium maluit ordinari episcopum: à quo ab honore suo iniustè depositus, ad tantam impatientiam deuenit, vt conducto quodam Mago Hebræo ad reparãdum honorem suum, opẽ quæreret à principe dæmoniorũ. A quo iussus est negare filium Dei, & matrem eius cum omni proposito Christiani: & ipsam abnegationem scribere, & sigillatam tradere, & sic eius seruitio se addixit. Qui in crastinum recuperato honore suo, non multum pòst ad se reuersus in ecclesia beatæ Mariæ omni pœnitentia se affligendo, primò sibi piã Dei matrẽ reconciliauit, eâque sibi apparente abrenuntians diabolo, Christũmque verum filium Dei, & ex Maria virgine natum, & omne Christiani propositum profitens, per eam etiã Christi filij eius gratiam recuperauit. Et ad indicium indultæ sibi

sibi veniæ rursum ei dormienti apparens Christi mater, etiam scriptum abrenunciationis, quod signatum diabolo dederat, super pectus eius reposuit. Quo Theophilus recepto, in crastinum die Dominica coram episcopo & omni ecclesia pandens ordinem rei, omnes ad stuporem, & laudem Dei & genitricis Christi Mariæ commouit, & in eodem loco quo sibi pia virgo apparuit, perstans, ibidem pòst triduum mortuus est, & sepultus. ¶ Item beata Virgo est electa vt sol. Cantico. 6. Sicut enim sol est luminare, par sibi non habens, toti mundo sufficiens: sic beata virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Ipsa lucet fulgore miraculorum vbique terrarum: non sic alii sancti qui aliquot annis pòst transitum suum fulserunt miraculis: & hoc in specialibus locis. Suffragia verò beatæ virginis vsque in diem iudicii non cessabunt. Eccle siastici 24. Vsque ad futurum seculum non desinam. ¶ Ipsa est terribilis hostibus infernalibus, vt castrorum acies ordinata. Cantico. 6. Ideo fideles in tentationibus suis frequenter debent eam inuocare. Non sic timent hostes visibiles quamlibet multitudinem copiosam, sicut aëreę potestates Mariæ vocabulum patrocinium & exemplum. Fluunt & pereũt sicut cera à facie ignis vbicunque inuenerint huius nominis crebram recordationẽ, deuotam inuocationem, solicitam imitationẽ. Ipsa est mulier conterens caput serpentis infernalis. Gene. 3. Sed sunt qui videntur velle quòd ipsa cõterat caudã, qui non in principio tentationis eam inuocant. Ipsa est arca testamẽti. Exo. 25. In hac arca posuit Deus thesaurum quem mundo contulit. Ad hanc arcam recurrit ecclesia in necessitatibus suis. Ipsa est arca non solum plena, sed etiam superplena. Ber. super illud, Spiritus sanctus superueniet in te. Cur in eam, inquit, iam plenam superuenturum asserit Spiritum sanctum, nisi vt adueniente Spiritu, plena sibi, ipso quoque superueniente, nobis superplena, & superfluens fieret? Ipsa præter coronam quam sibi meruit, meruit etiam peccatoribus ad eam recurrentibus propitiationem. Vnde super coronam arcæ fuit propitiatorium. Ipsa est mulier gratiosa inueniẽs gloriã his pro quibus eã quærere voluerit. Prouerb. 11. Ipsa etiam est mulier bona: de qua Prouerb. 18. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonũ: & hauriet iucunditatem à Domino. Antequã ipsa esset, magna fuit penuria bonorum spiritualium in mundo. Eccl. 36. Vbi non est mulier, ingemiscit egger. Ipsa est mater non solum filii Dei naturalis, sed etiam omnium filiorum Dei per gratiam. Vnde quod Dominus dixit discipulo quẽ diligebat de ipsa, Ecce mater tua, Io. 19. intelligendum est de

quolibet

quolibet quē Christus diligit. Et Canti. 8. mater vocatur: Quis mihi det te fratrem meum, sugentē hubera matris meæ, scilicet Mariæ. Ideo frequenter dicendum est ei illud quod cantat ecclesia: Monstra te esse matrē. Indigebat mundus matre propter prauitatem pusillanimitatis & defectuū multiplicitatē. Ipsa adiutrix est pusillanimium. Vnde dicit ei ecclesia, Iuua pusillanimes. Nolite timere pusillus grex: quia complacuit matri vestræ dari vobis regnum. Ipsa est mater misericordiæ. Ber. quando misereri nō poterit mater omni potentiæ? quādo misereri nolet mater misericordiæ? Idem: Reuolue totam seriem euangelii: & si quid asperum, si quid durum inueneris in Maria, deinceps eam suspectam habeas, & ad eam accedere vereatris. Ipsa est mater pulchræ dilectionis. Ecclesiast. 24. non amans filios suos fatuo amore, vt aliquæ matres faciunt. Omnes filios Dei qui sunt in mundo isto, quasi gestat in visceribus pietatis, exhibens eis vbera consolationis. Cāticor. 3. Pulchræ sunt māmæ tuæ. In eodem, Pulchriora sunt vbera tua vino. Sicut Christus est ostium regni cælorum, Ioan. 10. ita ipsa est fenestra ipsius. Vnde cantat ecclesia, Intrent vt astra flebiles, cæli fenestra facta es. Ipsa figurata est per fenestrā arcæ, quam Hebræi dicunt fuisse crystallinam, per quam habuit transitum columba quæ cessationem diluuii indicauit, & spem salutis attulit. Item ipsa est fons terram ecclesiæ irrigans & fecūdā reddēs. Cāti. 4. Fōs hortorū, &c. Fōs in vallibus inuenit: & beata Virgo humilibus est familiaris: Loca fōti vicina, florida solēt esse & viridia: sic familiares beatæ virgini florēt virtutibus, & virent bonis operibus. Eccl. 40. Super omnem aquam viriditas.

¶ Quòd ex consideratione meritorum & suffragiorum angelorum spes adiuuatur. Species III.

Sequitvr de illa specie cōsiderationis, quæ est circa angelos, ad quā pertinet illa verba Sacrę scripturę, quę nobis indicēt beneuolētiā vel beneficētiā angelorū, vt est illud Luc. 15. Gaudiū erit corā angelis Dei super vno peccatore pœnitētiā agēte. Et illud Ps. Angelis suis Deus mādauit de te, vt custodiāt te in omnibus viis tuis. Bernardus loquens de hoc verbo, Quantam, inquit, debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Idem: Quid sub tantis custodibus timeamus nec superari nec seduci? Minus autem seducere possunt. Fideles sunt, prudentes sunt. Quid tre pidamus? rātum sequamur eos? adhæreamus eis, & in protectione

ne Dei cęli commorabimur. Hieron. Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. Bernar. loquens de illo verbo Esa. 62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. Benignus es, inquit, Domine, qui non es contentus nostrorum fragilitate murorum: sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. Ad eādem considerationem pertinet illud Matthæi 13. Videte ne contemnatis vnū ex pusillis istis: angeli enim eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est. Item illud Hebr. 11. Nonne omnes administratorii spiritus sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Et Exodi 24. Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui. Et Tob. 5. Angelus Domini comitetur vobiscum. Eiusdem 12. Quando orabas cum lacrymis, ait Angelus Tobiæ, ego obtuli orationem tuam Domino. Et Luc. 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum abrahæ. Et Apocalyp. 12. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone. Bernard. super Cantic. Bene tecum agitur, ō mater ecclesia: bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo & de terra venit auxilium tibi.

¶ Quòd ex consideratione meritorum & suffragiorum aliorum sanctorum & sanctarum spes adiuuatur. Species IIII.

Sequitvr de illa specie cōsiperationis quæ est circa sanctos, ad quā pertinet illud Iob 4. Ad aliquem sanctorū cōuertere. Et illud Ps. Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxiliū mihi. Mōtes spirituales, sancti sunt. Et illud Ber. Tria sunt quæ in sanctis

risimile est quòd sancti, qui in hoc mũdo tantum amauerunt peccatores, & pro salute eorum se morti exposuerũt, multi sint parati iuuare eos modo in his quę ad salutẽ eorũ pertinẽt, nisi per culpã eorũ steterit. Vnde multã deberemus habere fiduciã in eis, & specialiter in illis quorũ pietatis plura argumẽta habemus: sicut in illis qui in hac vitã mortali legũtur fuisse eminẽtis pietatis: vt de beato Nicolao legitur, quòd erat valde compatiens, & super afflictos pia gestãs viscera. Et beatus Martinus diuisit palliũ pauperi, & in illis qui morte imminẽte petierunt Deũ propitium fieri his qui memoriã eorũ agerẽt: vt beata Catharina quę Christo ait: Fac misericordiã, meã agentibus memoria. Et in his de quorum tumba manat oleum ad indicium pietatis eorũ: vt de tumba beati Nicolai, & de tumba beatæ Catharinæ.

De his quæ aduersantur fidei, scilicet desperatione & confidentia in creaturam: & de causa desperationis. CAP. IIII.

SPei verò videntur aduersari, diffidẽtia de Deo siue desperatio, & confidentia in creatura. ¶ Desperatio hominem reddit maledictũ, & protectione Dei indignum. Eccles. 2. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo nõ protegẽtur ab eo. Desperans est similis Cain: caput cordis habet tremulũ, vagus & profugus est, à procellat tẽtationis, à terra viuẽtiũ proiectus: eò quòd non habet ancorã spei qua retineatur. ¶ Desperatio est peccatũ in Spiritum sanctum. Vnde super illud Gen. 4. Maior est iniquitas mea &c. dicit gl. Desperatio est blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittitur neque in hoc seculo, neque in futuro: quia aut putat Deum nolle dimittere, aut non posse: tanquam aut omnia non possit, aut inuideat saluti. De desperatione require supra in cap. de Commendatione spei, in fine. Et in tractatu de Acedia, secunda parte. cap. 15. ¶ Confidentia verò in creatura triplex est. Prima est præsumptio siue confidentia de se. Secunda confidentia in homine. Tertia confidentia in re inferiori homine: vt in diuitiis. De prima dicitur Prouer. 28. Qui confidit in corde suo, stultus est. Verè stultus est homo de se præsumens, cum homo ex se non sufficiat, neque ad subsistendum, neque ad bene vtendum. Tripliciter est homo insufficiens ad subsistendum. Primò, quia secundum verbum Gregor. esse omnium quæ de nihilo sunt in nihilum tenderet, nisi ea omnium author manu regiminis retineret. Secundò, quia non est sufficiens defendere se ab hostibus suis, imò à dæmonibus citò perimeretur, nisi à Domino protegeretur. Thre. 3. Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.

sumpti. Bern. Si boni spiritus se à nobis elongauerint, impetũ malignorũ spirituum substinere quis poterit? Tertiò, quia cibo indiget, sine quo vita eius deficeret: quæ insufficientia non est in angelo, imò nec in lapide. Dauid: Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit. Item ad bene viuendum tripliciter insufficiens est. ¶ Primò quia non sufficit ex se bonam vitam inchoare. 1. Cor. 15. Non quòd sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis quasi à nobis. Cogitatio primum opus esse videtur. Potest homo per peccatũ se occidere, sed non potest se occisum suscitare. Sap. 16. Homo per malitiam occidit animam suam. Osee 13. Perditio tua Israel, tantũmodo ex me auxilium tuum. ¶ Secundò, insufficiens est in bono inchoato perseuerare. Gre. Citò bonum amittitur, nisi à largiente custodiatur. ¶ Tertiò, insufficiẽs est in bono inchoato proficere. Bern. super illud Cãt. 1. Trahe me post te. dicit in persona ecclesiæ: Domine, scio me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te: sed ne hoc quidem nisi adiuuer à te: ideo precor vt trahas me post te. Beatus siquidem est cuius est auxilium abs te. Homo præsumẽs de se, maledictus est. Esaiæ 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris. De præsumptione ista, require in tract. de Superbia 3. parte cap. 5. Confidentia verò in homine fallax est, & hominem confundens. Esa. 20. Confidentur ab Æthiopia spe sua. Et eiusdem 36. Ecce, confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: per quem si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. Hierem. 9. Vnusquisque à proximo se custodiat: & in omni fratre suo non habeat fiduciam. Confidentibus in homine Sacra scriptura in multis locis maledicit. Hierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine. Et Esaiæ 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, &c. & non sunt cõfisi super sanctum Israel, & Dominum non exquisierunt. ¶ Confidentia etiã in rebus infelicioribus valde periculosa est. Grego. super Iob: De creatore desperasset, si spem in creatura posuisset. Idem: Quasi in aquis decurrentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Sapien. 5. Spes impii quasi lanugo quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quę à procella dispergitur. Iob 8. Spes hypocritæ peribit. Et paulò pòst: Sicut tela aranearum fiducia eius. Glos. Gregor. Tela aranearum studiosè texitur, flatu venti dissipatur: sic quicquid hypocrita exudat fatuoris aura tollit. Item Iob 31. Si putaui aurum robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea: supple male mihi accidat. Glos. Obrizum

zum est rudis auri moles. Proue. 11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Eccl. 31. Beatus dives qui nō sperauit in pecuniæ thesauris. Et 1. Tim. 6. Diuitibus huius seculi præcipe non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo. Quum aurum & argentū vix securè possint esse etiam in arcis seratis: fatuus est qui ex his securitatem vult sibi facere. Quomodo enim possunt dare securitatem, quam non habent? & quū bona transitoria mentiantur non soluendo quod promittunt: fatuum est in eis fiduciā habere. Esa. 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Mendacio protegebatur Goliath, cui dicit Dauid 1. Reg. 17. Tu, inquit, venis ad me cum hasta, gladio, & clypeo: ego autē venio ad te in nomine Domini. Hasta, clypeus & gladius promittebant ei victoriam, quam tamen non habuit.

¶ De quatuor causis desperationis.

Et notandum quòd quatuor sunt quæ possunt esse causa desperationis. ¶ Primum est peccati magnitudo, vel multitudo. Genes. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Sed fatuum est propter multitudinem vel magnitudinē peccati desperare: quum vbi superabundauit delictū, superabundet & gratia. Rom. 5. Et maior miseria amplius soleat mouere misericordiam. Abyssus enim miseriæ abyssum inuocat misericordiæ. Bernard. Peccaui peccatum grande: turbabitur conscientia, sed non peribit. turbabitur. vulnerum enim Domini recordabor. Idē: Quid tam ad mortem quod non Christi morte soluatur? Aug. 10. lib. Confessio. loquens ad Deum patrem: Meritò, inquit, mihi spes valida in Christo est, quòd sanabis omnes languores meos per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis: aliquin desperaui: multi enim & magni sunt languores mei. Multi enim & magni sunt: sed amplior est medicina tua. Idem in eodem: Ille tuus vnicus redemit me sanguine suo: non calumnientur mihi superbi: quoniam cogito pretium meum. Manifestum est ergo quia maiorem malitiam in homine diuina bonitas, quæ summa est, magis, odit, parata eam destruere, & eum qui vult eam deserere, adiuuare. ¶ Secundum est multitudo tentationum. Quidam putant se esse desertos à Deo, quia non dat eis quietem à tentationibus: quum potius tētatio signum diuini amoris sit. Est enim eruditio filiorum Dei. Iudic. 3. Hæ sunt gentes, quas reliquit Deus, vt in his erudiret Israēlē. Prouer. 13. Qui diligit filiū suū, instanter erudit eū. Multiplicatio tētationū signū est quòd aliquis de manibus demonū euaserit. Dum aliquis est in carcere, vnicum habet custodem vel duos: si verò euaserit, omnes eum insequuntur. Sic dum aliquis

aliquis captus est à diabolo: non tantū eum dæmones persequuntur, quantum quum euaserit. Dauid: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Gre. Illos pulsare negligit, quos iure quieto possidere se sentit. Præterea quod videtur esse impugnatio, potius est defensio: vt patet in Paulo, in quo impugnatio castitatis erat defensio humilitatis. 2. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationū extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. ¶ Tertiū est, frequens casus, vel recidiuatio. Sed fatuū est credere infirmitatem humanā plus posse cadendo, quàm Dei virtutē releuando. Frequens casus quum ad humilitatē valeat, quodāmodo facit, vt homo ad fortitudinē accedat. Humilitas enim triumphare facit, sicut superbia facit corruere. Vnde Ber. super Cant. Superbia siue iam existens, siue nondū, semper erit causa subtractæ gratiæ. Nūquid qui humilibus dat gratiā, humili aufert datam? Humilitas Deo dat gloriam: & ideo per cōsequens super eum ponit pugnam. Eiusdē enim est gloria victoriæ, & pondus pugnæ. Superbus præsumit, ideo cadit: humilis in Deo cōfidit, ideo vincit. Petrus præ cæteris cecidit, qui præ cæteris præsumpsit. ¶ Quartum est nimia tristitia. Prou. 15. in mœrore animi deijcietur spiritus. Deijcietur, inquam, in profundū desperationis. Eccl. 14. Felix qui non habuit animi tristitiam, & nō excidit à spe sua. Ideo non est continue habenda memoria peccatorū: nec continuè cogitanda Dei iustitia: imò quandoq; respirandū est in Dei misericordia, Gre. Considerantes quòd Deus pius sit, peccata vestra nolite negligere. Considerantes quòd iustus sit, nolite desperare. Idem: Oportet etiā de Dei semper nos miseratione cōfidere, & de nostra infirmitate formidare. Isidorus: Benignus est Deus, & seuerus: si tantū benignus esset, eius benignitatem contemneremus: si tantum seuerus, desperaremus. Et notandū quòd ea quæ dant occasionē desperationi, aduersantur spei: quæ verò spem adiuuant, de quibus dictum est prius, remedia sunt contra desperationem.

De rebus sperandis, & descriptione beatitudinis. De 12. quibus cognosci potest magnitudo futuræ gloriæ. De 12. fructibus ligni vitæ, de multiplici materia gaudij futuri, de differentia futuri gaudij ad præsens, & de 12. cognitionibus intellectis per 12. stellas quæ sunt in coronā sponsæ. CAP. V.

NVnc dicendum de rebus sperandis, quæ sunt gloria animæ, & gloria corporis. De quibus Esa. 61. In terra sua duplicia possidebunt. Et Prou. vlti. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. Hæ sunt duæ stolæ: quarum vnam iam habent sancti, & alteram expectant. Apoc. 6. Datæ sunt illis singulæ albæ stolæ, &

dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicũ, donec compleantur cõserui eorũ. In his duabus stolis beatitudo attenditur. Beatitudo verò est, vt ait Boët. status omniũ bonorũ congregatione perfectus. Idem: perfecta felicitas est, quicquid velis adesse, & omne quod nolis abesse. Aug. in lib. de moribus ecclesiæ: Beata vita est, quum id quod est hominibus optimũ, & amatur & habetur. Item Aug. in Enchiridion: Ille beatus est, qui omnia quæ vult habet: nec aliquid vult quod non decet.

¶ *De xij. quæ valere possunt ad cognoscẽdũ magnitudinẽ futuræ gloriæ.*

DVODECIM sunt quibus cognoscitur, quàm magna erit gloria fidelium, licet hic humiles sint & abiecti. ¶ Primum est hoc, quòd Deus ita chare vendit gloriam istam etiam amicissimis suis. Petrus emit eam martyrio crucis. Paulus amputatione capitis. Et verisimile est, quòd ipse non deceperit eos, cũ sit amicus fidelissimus: imò quod plus est, ipsemet emit gloriam istam charissimè amicis suis, scilicet crucis ignominia. Vnde verisimile est ineffabiliter magnã esse gloriã illam quã Christus tanta ignominia emit. Secundum est gloria pulchritudinis, quam videmus in inferioribus creaturis, quũ domino placet decorare eas. Liliũ in hyeme vile apparet, & quasi nullius pulchritudinis: in æstate verò cùm domino placet decorare illud, mirabilis est pulchritudinis. Idẽ videmus in pratis. Matt. 6. Considerate lilia agri quomodo crescunt. Et subditur: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Et pòst: Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur, Deus sic vestit, quãto magis vos modicæ fidei? Tertium est, gloria pulchritudinis, quã videmus in his quæ sapientia artificũ fiunt. Videmus enim, quòd ex lignis, & lapidibus, & metallis, quæ quãdo de terra sumuntur, paruam habent pulchritudinem, fiunt opera miræ pulchritudinis: vt patet in gloria Salomonis. 3. Reg. 10. Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, &c., non habebat vltra spiritum. Quam ergo gloriã habebunt amici Dei: cum Deo placuerit eos decorare, secundum magnitudinem sapientiæ suæ? Quartò, potest apparere magnitudo istius gloriæ ex verbis sanctorum, quibus Deus reuelauit eam, vt est illud Esa. 64. Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Et 1. Cotin. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit quæ præparauit Deus his qui diligunt eũ. Et Rom. 8. Non sunt condignę passiones huius temporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Et 1. Corint. 4. Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis. Genes. 15. Ego sum merces tua magna nimis. Exo. 33. ait Moyses ad dominum: Ostende mihi gloriã tuam. Qui respõdit ei, Ostendã tibi omne bonum. Prouerb. 11. Desiderium iustorum omne bonũ. Dauid: Nimis honorati sunt amici tui Deus. ¶ Quinto potest apparere magnitudo gloriæ, per hoc quod legitur Matt. 17. in transfiguratione domini factum, quòd respleduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Voluit enim ibi dominus ostẽdere gloriã quã habitura sunt corpora nostra in resurrectione. ¶ Sextò honor quẽ contulit Christus cruci quæ ei seruiuit. Aug. super Psal. Crux de pœnis latronũ transiuit ad frontes imperatorum. Quid faciet Deus fidelibus suis, qui tantum honorẽ contulit tormentis suis? Ambr. super Beati immaculati: Si opprobrium tuum gloria est, domine Iesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur participatione gloriæ quid erimus, cuius sumus opprobrio glorioſi? ¶ Septimo honor quo Christus honorat sanctos suos modò in terris. Maior enim reuerentia exhibetur pulueribus vel ossibus sanctorum, vel etiam panniculis quibus induti fuerunt, quàm exhibeatur maximis principibus huius mundi. Vnde verisimile est quòd multũ sit eos honoraturus in cælis qui facit eos tantum honorari in terris. ¶ Octauo, per hoc quòd gloria eorum erit similis gloriæ Dei. Iuxta illud 1. Ioan. 4. Filij Dei sumus, sed nondum apparet quid erimus: sed quum apparuerit, scimus quoniã similes ei erimus: Verisimile est quod creatura illa quæ in naturalibus similis Deo extitit, & operando dominũ imitata est, multũ debeat decorari, quum Deo in gloria assimilabitur. Romano. 8. Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. ¶ Nono, locus in quo Christi benignitas vult eos esse. Ioã. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Et eiusdem 17. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam. Lucæ 22. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meã. ¶ Decimò, quòd regnũ habebunt. Matt. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Apoc. 22. Et regnabunt in secula seculorum. ¶ Vndecimo, coronæ pretiositas. In Psal. Posuisti in capite eius coronã de lapide pretioso. Lapis iste pretiosus, Deus est. Hæc est illa pretiosa margarita, quã qui inuenit, vendit omnia quæ habet, & emit eam. Matt. 13. circa coronã istam non solũ attende lapidis valorẽ, sed & splendorẽ. Est enim splẽdor gloriæ. Heb. 1. Qui quum sit splendor gloriæ.

Apoc. 21. Ciuitas non eget sole, nec luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam. Attende etiã coronæ decorẽ, quàm decenter scilicet corona conueniat capiti: caput enim cordis ad eam, & propter eam factum est. Aug. in lib. Confes. Domine, fecisti nos ad te, & inquietũ est cor nostrũ donec requiescat in te. ¶ Duodecimo, hoc quòd Deus eos ministerio proprio honorabit. Luc. 12. Præcinget se, & faciet illos discumbere: & transiens ministrabit illis. Hæc ministratio erit diuinæ faciei, in qua fit summæ lætitiæ ostensio. Dauid: Lætificabis eũ in gaudio cũ vultu tuo. Iob 33. Videbit faciẽ eius in iubilo. Nunc facies illa nobis abscondita est. Dauid: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine quã abscondisti timentibus te? Iob 26. Qui tenet vultum solij tui, & expandit super illum nebulam suam. Magnitudinem etiam gloriæ saluandorũ ostendit hoc, quòd Deus vocat ecclesiã sponsam suam. ¶ Erit enim gloria sponsæ, vt decebit regem exlestem sponsam ipsius. Quæ gloria describitur in Psa. Astitit regina à Dextris tuis in vestitu deaurato. Cantic. 4. Veni de libano sponsa mea, veni de Libano: veni, coronaberis. Item quòd fideles dicuntur filij Dei, & filij chariſſimi. Ephe. 5. Estote imitatores Dei sicut filij chariſſimi. Vnde erit gloria eorũ, vt decebit tantum patrem. De qua gloria Rom. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Item quòd fideles dicuntur dij, in Psal. Ergo dixi, dij estis. Sicut de aliquo dicitur, quòd ipse est rex vel archiepiscopus, eò quòd regem, vel archiepiscopum habeat in sua voluntate: sic amici Dei in futuro dij erũt propter vnionẽ voluntatum cum Deo. 1. Cor. 5. Qui adhæret domino, vnus spiritus est. Amicitia est vnio amantium. Aug. Talis est quisq; qualis eius dilectio. Si terram diligis, terra eris? Deum diligis: quid dicam? Deus eris. Non audeo hoc dicere ex me: sed scripturas audiamus. Ego dixi, dij estis.

¶ *De duodecim quæ electi habebunt, qui intelliguntur 12. fructus ligni vitæ.*

ET notandum quòd duodecim erunt in electis post generalem resurrectionem, quæ possunt intelligi per duodecim fructus ligni vitæ: de quibus Apocal. vlt. legitur. ¶ Primũ est sanitas absq; infirmitate. Psalm. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Esa. 60. Occupabit salus muros tuos. ¶ Secundum est iuuentus sine senectute. Psal. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quasi in ætate xxx. annorum semper manebũt. Ephe. 4. Donec occuramus omnes in virum perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. 1. Thes. 4. Rapiemur obuiam Christo in aëra: & sic semper cũ domino erimus. ¶ Tertiũ est satietas sine fastidio. Hic non satiatur oculus

oculus visu, nec auris auditu. Eccl. 1. Sed tunc in bonis implebitur desiderium tuum. In Psal. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Esa. 49. Non esurient, neq; sitiẽt amplius. Greg. Satiati desiderabimus, ne satietas generet fastidiũ: & desiderantes satiabimur, ne cum anxietate sit desideriũ. ¶ Quartum est libertas, ad quã faciunt corporis agilitas & subtilitas. ¶ Corpus enim nõ detinebitur vel propria grauitate, vel alterius corporis oppositione. Aug. in lib. de ciuit. Dei. xxij. Vbi solet spiritus, ibi erit protinus & corpus. ¶ Quintũ est pulchritudo absq; deformitate. Pulchritudo corporis consistit in claritate, & situ debito, & figura membrorum. Sap. 3. Fulgebunt iusti. Mat. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris mei. Philip. 3. Saluatorẽ expectamus dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cõfiguratum corpori claritatis suæ. ¶ Sextũ est impassibilitas, ad quam immortalitas, pertinet. Esa. 49. Nõ cadet super eos sol, neq; vllus æstus. Esa. 25. Præcipitabit mortẽ in sempiternum. ¶ Septimũ abundãtia sine indigẽtia. Deut. 8. In cũctis omniũ abundantia perfrueris. Iudic. 18. Tradet vobis Deus locũ in quo nullius rei est penuria. Grego. Nihil exterius quod appetatur: nihil interius quod fastidiatur. ¶ Octauũ est pax absque perturbatione. ¶ Nonum securitas sine timore. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis: in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Psal. Qui posuit fines tuos pacẽ. ¶ Decimũ est cognitio absq; ignorẽtia. 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculũ in ænigmate: tunc autẽ facie ad faciẽ. Nunc cognosco ex parte, tũ autem cognoscã sicut & cognitus sum. ¶ Vndecimũ gloria absque ignominia. Coloss. 3. Cũ Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ ipso in gloria. ¶ Duodecimũ est gaudiũ sine tristitia. Apoc. 7. Absterget Deus omnem lacrymã ab oculis eorum. Itẽ Esa. 25. Auferet dominus Deus omnẽ lacrymã ab omni facie, & opprobrium populi sui. Itẽ Esa. 65. Obliuioni enim traditæ sunt angustiæ priores. Et eiusdẽ lib. Lætitia sempiterna super capita eorũ: gaudiũ & lætitiã obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Mat. 25. Intra in gaudiũ domini tui. In verbo intrãdi innuitur magnitudo gaudij, qd̃ hominẽ vndiq; cinget. Ioan. 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis.

¶ *Quòd gaudium electorum proueniet quasi à sex partibus.*

ET notandũ qp gaudiũ electorũ proueniet quasi à sex partib⁹. Primò à Beata Trinitate. Secũdo à loci amœnitate. Tertiò à iucũda societate. Quartò à corporis glorificatione. Quintò, ab in-

ferno. Sextò, à mũdo. De primo legitur Esa. 33. Regem in decore suo videbunt. Eccle. 11. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solẽ. In visione regis triplex gaudium erit eis. Primũ erit in videndo faciem diuinam, quod erit summum gaudium. Aug. Si mali possent, mallent Deum in inferno videre, & in pœnis, quã extra pœnas Deũ non videre. Chryso. Ego multo grauiores quàm gehenna est dico cruciatus remoueri, & abiici ab illa gloria: nec puto ita acerba esse gehẽnæ incendia, vt sunt illa quibus torquetur is qui arcetur à conspectibus Dei. Bernard. Reuera illud est verũ, & solũ gaudiũ, quod nõ de creatura, sed de creatore concipitur, & quod quum possederis, nemo tollet à te: cui cõparata omnis aliunde iucũditas mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarũ, omne decorũ fœdũ, omne postremo quodcũq; aliud delectare possit molestũ, quũ Dei bonitas in infinitũ excedat omnẽ bonitatẽ creatã. Delectatio quæ erit in perceptione immediata illius bonitatis, in infinitũ melior erit omni perceptione creatæ bonitatis. In Psal. Faciẽ tuã domine requiram. Io. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ verũ Deũ, & quẽ misisti Iesum Christum. Et in Psal. illo: Qui regis Israël, triplicatur illud, Ostende faciem tuam, & salui erimus. Et super illud Psal. Ostendam illi salutare meũ, dicit Glo. Hæc visio est tota merces: visio qua Deus videtur facie ad faciẽ, tertiũ cælum est. Et iste paradisus (si dici potest) paradisorum: vt dicit gl. Aug. super 2. Corinth. 12. Ibi beata vita in fonte viuo bibitur, inde aliquid aspergitur huic humanæ vitæ. Dauid: Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuum. O mnes deliciæ quę sunt in mundo isto, minimæ guttæ sunt, quæ à fonte illo fluxerunt. Væ inimicis Dei qui guttas illas in terra lingunt, fonte suauitatis contempto. Ierem. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. Minus sunt omnes deliciæ quæ fuerunt in mundo, & erunt, vsque in diem iudicij, respectu illius suauitatis, quàm sit vna gutta aquæ respectu totius maris: cùm tanta inueniatur delectatio in portiũcula creaturę, quanta inuenietur in ipso creatore? Frater Guido Carthus. Si diuinę bonitatis vestigiorum vestigia tantum habent suauitatis, quid habet ipse fons suauitatis Deus? Augustin. 4. lib. confes. Plus delectant, quàm singula, si sentiri possent omnia: sed longe his melior qui fecit omnia. Secundum gaudium erit videndo humanitatẽ Christi. Bern. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine videre hominẽ hominis conditorẽ. Tertium gaudium erit in consideratione vnionis humanę naturę ad diuinam. Mirabile enim gaudium erit electis, quũ agnoscent, quòd

frater eorũ secundũ carnẽ verè Deus est. Magnitudo hui' gaudij potest perpẽdi ex gaudio, quod solent habere parentes cùm filij eorũ fiunt episcopi vel archiepiscopi. Tãta erit vnitas capitis, & membrorũ, quòd mẽbra honorẽ sui capitis suum reputabũt: sicut caput hominis bona vel mala mẽbris suis illata sua reputat.

¶ *Quòd electis proueniet triplex gaudium ab amœnitate loci.*

ITEM à loci amœnitate triplex gaudium electis proueniet. Primò à claritate loci. Tob. 13. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndã claritatẽ Ierusal. Apoc. 22. Nox vltrà non erit. Et secundũ Philosophum, ante corpus in quo est diuersitas luminis, est aliud suprà, in quo est vniformitas luminis per totũ. Illud corpus est cælũ empyreũ, in quo est lumen continuũ. Secundò à loci puritate. Apocaly. 21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatũ, aut abominationem faciẽs. Tertiò à loci latitudine. Baruch 3. O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Seneca: Ab vltimis litoribus Hispanię vsq; ad Indos paucissimorũ dierũ spatiũ iacet, si nauẽ ferat vẽtus: at cælestis illa regio per xxx. annos velocissimo syderi viã pręstat.

¶ *Quòd electis proueniet triplex gaudium ex societate aliorum saluatorum.*

ITEM ex societate proueniet triplex gaudium. Primò ex multitudine. Apocal. 7. Vidi turbam magnã quam dinumerare nemo poterat. Secundo ex nobilitate illius societatis in qua erit beata virgo, & angeli, & sancti, & sanctæ, qui omnes reges, & reginæ erunt. Vnde filius Dei dicitur venisse de regalibus sedibus. Sapien. 18. Plus deberent homines laborare solũ vt possent esse vna die cum beata Virgine, quàm multi laborẽt pro æterna gloria. Hiero. ad Eustochiũ: egredere quæso paulisper de carcere, & papilione corporis, vt in ostio stans videas gloriam Dei pertransire: præsentis laboris ante oculos tuos pinge mercedẽ, quam nec oculus vidit, &c. Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis, cum pòst rubrum mare submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanũ tenens præcinet respõsuris, Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est, &c. Tertiò de amicabilitate societatis illius. Tãta enim charitas inter eos, q̃ gaudia aliorum sua reputabũt. Esa. 31. Dixit Dominus cuius ignis in Sion, & caminus eius in Ierusalẽ. Propter magnã charitatem hæreditas illa omnibus vna est, singulis tota, iuxta verbum Greg.

¶ *Quòd electis proueniet quadruplex gaudium ex corpore glorificato.*

ITEM electis à corpore glorificato quadruplex proueniet

gaudium. Primum, à corporis pulchritudine. Secundum, ab eius subtilitate. Tertium, ab eius agilitate. Quartum, ab eius impassibilitate. Primum erit in corpore respectu eius quod erit iuxta se: vt scilicet alia corpora glorificata in aspectu eius delectentur. Secundum respectu eius quod erit infra se: vt scilicet corpora inferiora corpori glorificato cedant. Tertium, respectu eius quod erit supra se, vt ad spiritum suum perfectam possit habere obedientiam. Quartum, ad id quod erit contra se, ne ab aliquo possit lædi.

¶ *Quòd electio proueniet triplex gaudium ab inferno.*

ITEM ab inferno triplex gaudium electis proueniet. Primo, ex hoc quòd infernum euaserũt. Secũdo, ex hoc q̃ hostes eorum cruciabuntur ibi. Psal. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Tertio, ex hoc quòd peccatũ quod maximè nocuit hominibus, clausum erit in inferno. Pòst diẽ iudicij erit in inferno peccatũ quasi in proprio loco: non enim poterit remanere neque in cælo, neque in terra, quin ad vltimum descendat in infernum.

¶ *Quòd à mundo proueniet electis triplex gaudium.*

ITEM à mundo proueniet electis triplex gaudium. Primò, ex hoc quòd à pœnali miseria huius exilij liberati erunt. Bernar. Transire de morte ad vitam, vitæ gaudium duplicat. Verisimile est q̃ multũ gaudeat de hac liberatione qui dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Secundò, de hoc q̃ à naufragio liberati erũt. Si naufragi qui de mari exierunt tantũ gaudẽt: verissimile est quòd multũ gaudeant qui tot naufragia passi à mari huius mũdi periculosissimo euaserũt. Ber. Periculũ probat transeuntiũ raritas & pereuntiũ multitudo. In mari Massiliæ de quatuor nauibus vix vna perit: in mari huius mundi de quatuor nauib⁹ vix vna ad portũ salutis peruenit. Tertiò, ex hoc, quòd quũ ipsi tãtę infirmitatis essent, tamẽ de tãto hoste triũphauerũt. Iob. 41. Non est potestas super terrã quæ cõparetur ei, qui factus est vt nullũ timeret. Nos sumus vt locustæ, hostes nostri vt gigãtes. Aug. in lib. Conf. Quãto, inquit, maius periculũ fuit in prælio, tãto est gaudiũ maius in triũpho. Sic est in nauigãtibus. Nã post pericula & misericordias naufragij, exultãt nimis: quoniã timuerũt nimis. ¶ De gloria futura dicit Aug. in lib. de Ciu. Dei, Quãta erit felicitas, vbi nullũ erit malũ, nullũ latebit bonum: vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agatur, vbi nec vlla desidia cessãbitur, nec vlla indigentia laborabitur? Nescio. Itẽ in eodẽ: Vera ibi gloria erit, vbi nec laudãtis errore quisquã, nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet vllus indignus. Vera pax, vbi nihil aduersi nec à seipso, nec ab aliquo patietur. Prẽmium virtutis erit ipse qui virtutẽ dedit: eique seipsum, qui melius, & maius nihil esse posset, promisit. Ipse finis erit desideriorum nostrorũ qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Idẽ in eodẽ: In illa ciuitate magnũ bonũ in se videbit, quòd nulli superiori nullus inferior inuidebit: sicut nũc nõ inuident archangelis angeli cæteri, tanquã nollet vnusquisque esse quod non accepit, quum nec in corpore vult oculus esse qui est digitus: Idẽ: Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabim⁹ & laudabimus. Ecce quid erit in fine sine fine. Nã quis alius noster est finis, nisi peruenire ad regnũ cuius nullus est finis? Itẽ Aug. loquens de summo bono: Qui hoc bono fruetur, quid erit illi, & quid nõ erit? Erit quicquid volet: quicquid nolet nõ erit. Item Ber. loquẽs de cælesti ciuitate: O ciuitas cælestis, mãsio secura, patria cõtinẽs totũ quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam habentes indigentiam. O quàm gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

¶ *Quòd gaudium futurum differt à præsenti in multis.*

ET notandum quòd gaudiũ futurum à præsenti differt in hoc, quòd ipsum est plenũ gaudiũ & perfectum. Io. 16. Petite & accipietis, vt gaudiũ vestrũ sit plenũ. 1. Cor. 13. Cũ venerit qd̃ perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Itẽ gaudiũ futurũ est securũ. Aug. in lib. de moribus ecclesiæ: Summũ bonũ tale esse debet quod nõ amittat homo inuitus: quippe nemo potest cõfidere de tali bono qd̃ sibi eripi posse sentit, etiã si retinere illud amplectiq; voluerit: quisquis enim de bono quo fruetur non confidit, in tãto timore amittẽdi beatus esse quis potest? Itẽ gaudiũ futurũ est purũ gaudiũ, cũ hic dolore risus misceatur. Pro. 14. Esa. 25. Auferet Dominus omnẽ lacrymã &c. Hæc tria insinuãtur Esa. 25. Vbi sic legitur: Faciet Dominus exercituũ omnibus populis in mõte hoc conuiniũ pinguiũ, cõuiuium vindemiæ pinguiũ medullatorum, vindemiæ defecatæ. In pinguedine, intellige plenitudinẽ: in medulla, securitatẽ quę intra ossa abscõditur: in defecatione, puritatẽ. Cõuiuiũ illud est cœna magna de qua legitur Lucæ 14. quã Deus pater ab æterno præparauit: Filius verò fercula addidit: gaudiũ scilicet, qd̃ erit in aspectu humanæ naturæ quã assumpsit: Spiritus sanct⁹ pigmẽta suauitatis ministrat: Ipse est fluuius nectareus lætificãs ciuitatẽ Dei. Ps. Torrẽte voluptatis tuæ potabis eos. Sola inuitatio huius cœnę beatũ reddit.

Apocal.19. Beati qui ad cœnã nuptiarũ Agni vocati sunt. In hac cœna est vnum ferculũ qđ solũ sufficeret. Io.14. Domine ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis. Solus odor huius cœnæ qui datur sanctis præsentiri, plus valet quàm totum gaudium mundi.

¶ De triplici materia gaudij electorum, & xij. cognitionibus intellectus per xij. stellas coronæ mulieris in Apocalypsi.

ITEM notandũ quòd triplex materia illius gaudij intimatur nobis. Nume.13. in fructib' illis quos attulerũt exploratores de terra promissionis, qui fuerint ficus, vua, & malogranata. In ficu dulcedinẽ deitatis intellige. Prouerb.17. Qui seruat ficũ, comedet fructus eius: & qui custos est Domini sui, glorificabitur. In vua, Christi humanitatem in torculari crucis expressam. In malogranatis, sanctorũ ordinatã societatẽ. Ordinatè enim se habẽt grana in malogranato. Itẽ Apoc.12. insinuãtur nobis gaudia xij. in corona xij. stellarũ, quæ erat in capite mulieris. Duodecim stellæ sunt xij. cognitiones quę electos lætificabũt: tres pertinẽtes ad Patrẽ, & Filiũ, & Spiritũ sanctum, & nouẽ ad nouẽ ordines beatorũ spirituum. Vel has xij. stellas intellige tres dotes animæ, scilicet Dei visionem, eiusdẽ dilectionem, & boni excellẽtissimi vel arduissimi cõprehẽsionẽ, quæ cõprehensio gloriosissima est: & quatuor dotes corporis, scilicet claritatem vel potius pulchritudinem, subtilitatem, agilitatem, impassibilitatẽ, & societatem quinque sensuum. Secundum quosdam tertia dos animæ est delectatio quæ est effectus visionis, & amoris.

¶ De diuersitatibus spei, quæ detestabilis est ex quatuor, & cõmendabilis ex tribus. CAP. VI.

NOtandũ est ergo quòd est spes detestabilis, & est spes cõmẽdabilis. Spes detestabilis quadruplex est. Prima est male dicta. Secũda, præsumptuosa. Tertia est vana. Quarta, mẽdax vel falsa. ¶ Prima est, quæ Deũ ideò offendit, quia de magnitudine misericordię eius cõfidit. Vnde Ber. in sermonibus: Est infidelis fiducia solius vtiq; maledictionis capax, quũ videlicet in spe peccamus. Hæc peccat in bonitatẽ Dei. Ro.2. An diuitias bonitatis eius, & patiẽtię & lõganimitatis cõtemnis? ¶ Secũda est quũ aliquis sperat se facturũ quũ voluerit qđ' vires eius excedit: vt quũ aliquis præsumit se cõuersurũ à malis suis quũ voluerit. Eccle. 29. Repromissio nequissima multos perdidit. Spes vana est, cùm fiducia ponenda in creatore, in creatura ponitur. De quo require suprà, 5. cap. in codẽ tractatu. Esaiæ 55. Cõfidunt in nihili. Spes falsa est, quũ quis sperat quod futurũ non est: vt quum quis promittit sibi longã vitã, qui citò moriturus est, vt ille cui dictũ est, Stulte

Stulte hac nocte repetẽt animam tuam. Luc.12. Esa.29. Posuimus mendacium spem nostrã. ¶ Ad hoc quòd spes cõmendabilis sit, tria operantur. Primum est, si in solo Deo ponatur. Hester 14. Exaudi vocẽ illorum qui nullam aliã spem habent. Secundum, si assit meritũ, vnde quod speratur, præsumatur. Ber. super Cantica: Integra ecclesiæ consolatio quũ non solum quid sibi sit expectandũ, sed vnde sit præsumendũ, nouerit. Tertiũ, si in tribulatione spes non deficit, sed vires suas ostẽdit. Iob 13. Etiam si occiderit super me, in ipso sperabo. In Psal. Si exurgat aduersum me præliũ, in hoc ego sperabo. Item notãdum quòd est spes primæ authoritatis, quæ in solo Deo ponẽda est. Et est spes suffragij, quæ ponenda est in sanctis, inquantum sunt amici Dei. Spes quæ in solo Deo ponitur, subdiuidi potest in spem veniæ, gratię, & gloriæ. Spes verò gloriæ subdiuidi potest in expectationem glotiæ animæ, & gloriæ corporis, de quibus prius dictum est.

SECVNDÆ partis principalis de tribus virtutibus Theologicis, Tractatus IIII.

De Charitate.

CAPVT I.

CHARITATIS descriptiones primò ponendæ sunt. Secundò, commendationi eius insistetur. Tertiò, agetur de dilectione Dei. Quartò, de dilectione proximi. Quintò, de ordine charitatis. Sexto, de his quæ aduersantur charitati. Septimò, de gradibus diuersis ipsius. ¶ Notandũ ergo quòd charitas est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. 1. Ti. 1. Vbi dicit gl. Hic diffinit Apostolus charitatẽ. Charitas est finis, inquã, consummationis, non cõsumptionis. Plenitudo enim legis est dilectio. Ro.13. Aug. Legis & omniũ diuinarum scripturarum plenitudo est, dilectio rei quæ fruendũ est, & rei quę nobiscũ ea re frui potest, id est Dei & proximi. Idẽ: Ille sanctè & iustè viuit, qui ordinatã habet dilectionẽ: ne aut diligat quod nõ est diligendũ, aut nõ diligat quod est diligendũ, aut æquè diligat quod minus vel amplius diligendũ est, aut minus vel amplius quod æquè diligendũ est. Idem: Si nõ voles omnes paginas perscrutari, omnia inuolucra sermonũ euoluere, omnia secreta scripturarũ penetrare, tene charitatẽ vbi pẽdent omnia. Idẽ in li. de disciplina Christiana: Vt nemo excusationẽ habeat in die iudicij, voluit Deus, sicut scriptum est, consummare & abbreuiare verbũ super terrã. Hoc ipsum verbũ cõ-

summa

Universidad de Deusto Biblioteca

ſummatũ & abbreuiatũ, non obſcurũ Deus eſſe voluit. Ideo breue, ne nõ tæderet legere. Ideo apertũ, ne quis dicat, Non mihi licuit intelligere. Theſaurus eſt magnus diuinarũ ſcripturarũ: hic theſaurus abſconditus eſt in agro. ſi piger eras ad perſcrutandum theſaurũ, non ſis piger vnam margaritã ſub lingua ferre, & quò vis ſecurus ambula. Hæc eſt margarita iſta: Diliges, &c. Matt. 22. Vel finis præcepti eſt charitas: quia gratia charitatis habendæ eſt præceptũ: ſicut ſanitas eſt finis medicinæ. Aug. Timor eſt medicamentũ: charitas ſanitas. Sicut initiũ eſt ſapientiæ timor domini, Pro. 1. ſic dilectio finis eſt ſapientię. Eccl. 1. Dilectio Dei honorabilis ſapiẽtia. Chry. Finis annũtiationis eſt amor. Vnde Chriſtus qui venit legẽ implere, ſpecialiter fuit prædicator amoris. Luc. 12. Ignem veni mittere in terrã: & quid volo niſi vt accẽdatur? Et in fine vitæ ſuæ mortalis inculcauit diſcipulis præceptum de dilectione, vt habetur 10. 15. Hoc eſt, inquit, præceptũ meum, vt diligatis inuicem, &c. Item: Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicem. Item: Mandatum nouum do vobis, &c. Eiuſd. 13. Sequitur ex corde puro, &c. Tria hic tãguntur quæ ad charitatẽ diſponũt. Fides non ficta, ſcilicet fides vera & catholica, non illa fides quã ſibi hæretici fingunt. Et ſpes quæ per conſcientiã bonam intelligitur: quia vt dicit gl. Aug. Ille ſperat, qui bonã conſciẽtiam gerit: quem verò pungit mala conſcientia, retrahit à ſpe. Et puritas cordis. Oportet enim cor depurari ab amore mundi, vt impleatur amore Dei. Vnde ſuper illud Pſalm. Diligite dominũ omnes ſancti eius dicit gl. Diſce non diligere mundũ, vt diſcas diligere Deũ. Auerte, vt conuertaris: funde, vt implearis. Augu. Bono implẽdus es. funde malum. Putas quia melle te vult implere Deus: ſi aceto plenus es, vbi mel pones? Si quis verò obiiciat, quòd omnes virtutes ſimul infunduntur, vnde non videtur vna virtus eſſe cauſa alterius vel prior altera: Poteſt dici quòd hoc referendũ eſt ad opera virtutum, quorum vnum eſt prius altero & cauſa ipſius. Ideo enim quia credimus Deum liberaliſſimum, ſperemus in eo: & quia de liberalitate ipſius ſperamus, eũ diligimus. Vel poteſt dici, quòd licet virtutes ſimul ſint tempore, tamẽ vna prior eſt altera cauſalitate: ſicut ſplendor ab igne eſt, & tamen ignis & ſplendor ſimul ſunt tempore. Hoc exẽplum ponit Aug. ſuper principium ad Heb. Sed iterum obiicitur: Quomodo charitas ſit ex fide & ſpe, cum charitas dicatur eſſe radix omniũ bonorũ? in gl. Augu. ſuper verbum prius poſitum, Finis præcepti eſt charitas, & ſuper illud Galat. 5. Fructus ſpiritus eſt charitas, &c. Dici tgl. Aug. Caput virtutum præmiſit: id eſt, charitatem. Quæ enim

enim alia inter fructus ſpiritus debuit tenere primatũ, niſi charitas, ſine qua virtutes cæteræ nõ reputabũtur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur vniuerſa bona? Ad ſolutionẽ huius videtur eſſe diſtinguendus triplex ordo virtutum, ſcilicet ordo plantationis, ordo meritoriæ operationis, & ordo reparationis. In ordine plãtationis prima eſt fides. Primo enim docẽda ſunt quæ ſunt fidei, deinde quæ ſunt timoris & ſpei. Hebr. 11. Credere oportet accedẽtem ad Deũ, quia eſt: & inquirentibus ſe, remunerator ſit. In ordine operationis meritorię eſt charitas quaſi illam imperans. In omni enim ordinata operatione, primum eſt amor ſiue deſideriũ finis, & ex illo omnes mediæ operationes, vt apparet in ædificatione domus, cuius cauſa eſt amor inhabitationis ipſius: ex quo amore non ſolũ eſt ædificatio, ſed etiam ea quæ ad ædificationem iuuant, vt inquiſitio operariorũ. In operando igitur meritoriè prior & principalis eſt charitas, & primò mouens: fides enim ei deſeruit tanquam lucernã præferens, oſtendens quid & qualiter operari debeat. Illuminatio enim adiutoriũ eſt in operẽ, & illuminator & adiutor & non principalis operator. In ordine verò reparãdi in virtutibus affectiuis, prior videtur eſſe humilitas. Si enim omnis peccati eſt initium ſuperbia, vt habetur Eccl. 10. omnis correctionis principium erit humilitas. Huic cõſonat quòd reparator humani generis poſuit primam virtutem, humilitatẽ. Mat. 5. dicens: Beati pauperes ſpiritu. Pauperes ſpiritu dicuntur humiles, ſecundũ gl. ¶ Charitas inter tres virtutes quæ ordinant ad Deũ, propinquior eſt fini, ſcilicet Deo: vnde Deum habet pro fine & pro materia: diligit enim Deũ propter ſe, & cũ fides finẽ videat, ſpes illuc tendat (eſt enim ſpes inſecutio, ſicut timor eſt fuga) charitas eſt vnio cũ fine. Vnde cùm finis optimum ſit, & à fine habeãt quòd ſint bona ea quæ ſunt ad bonã finẽ: charitas primo habet bonitatẽ inter virtutes, & per eam habent bonitatẽ cęterę. Et ſecundum hoc intelligendũ eſt quod dicit gl. ſuper 1. Ti. 1. quòd charitas eſt radix omnium bonorũ: inquantũ ſcilicet ſunt bona. Et illud ſimiliter ſuper Gal. 5. Ex charitate naſcẽtur omnia bona: inquantum ſcilicet ſunt bona. Et ſicut radix humorem mittit ad ramos, ſic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutũ. Aug. in ſermone de Charitate: Sicut radix omniũ malorum eſt cupiditas: Ita radix omnium bonorum eſt charitas. Humilitas etiã poteſt dici radix virtutũ, ſecundum illã proprietatem qua radix eſt pars arboris infima terræ adhærens. Sic humilitas conſideras infirmitatem ſuam, ſub Deo collocat ſe in loco infimo. Fides etiam poteſt dici radix: quia radix eſt in arbore

quaſi

quasi os in animali. Per radicem ingreditur ad arborē nutrimē-
tum arboris: sic per fidē bonum ingreditur ad animā. Item cha-
ritas sic describitur à Magistro libr. 4. Sententiarū: Charitas est
dilectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deū,
vel in Deo. In Deo dicitur, propter illos qui iusti sunt, qui ma-
nent in Deo per gratiam. Propter Deum dicitur quantum ad il-
los qui nondū sunt iusti, qui adhuc amādi sunt vt iusti fiant, & in
Deo per gratiā maneant. Aug. Qui amat homines, aut quia iusti
sunt, aut vt iusti sint, amare debet. Item Aug. sic describit charita-
tem: Charitas, est virtus qua videre Deū, perfruíque eo desidera-
mus. Et est hæc descriptio secundum dignioré actum charitatis.
Potest etiam sic charitas describi: Charitas est virtus qua quęque
res tāti habetur quanti habenda est. Vnde charitas pondus æquū
est: sicut statera dolosa est cupiditas. Pro. 11. Statera dolosa abo-
minatio est apud Deum, & pondus æquū voluntas eius. Tępora-
lia quæ in veritate parū pretiosa sunt, quæ Apostolus reputauit
vt stercora, multū ponderāt in statera cupiditatis: ideo verè do-
losa est. Osee 12. Chanaan in manu eius statera dolosa. Hæc sta-
tera etiā meritò abominatio est Deo: cùm diuitiæ & honores
quæ abominabilia sunt Deo, ibi præpōderāt veris bonis. Luc. 16.
Quod autē altum est apud homines, abominatio est apud Deū.
In libr. de Spiritu & anima dicitur, quòd charitas est concordia
mentium, & societas electorum, vita beata animarum & ange-
lorum: quia nec animæ, nec angeli nisi per charitatem viuunt.

De commendatione Charitatis. CAP. II.

AD commendationem Charitatis, primò valere potest hoc,
quòd Spiritussanctus in Scriptura sacra totiēs monet ad ea
quæ charitatis sunt. 1. Cor. 14. Sectamini charitatem. Et Eiusd. 16.
Omnia opera vestra in charitate fiant. Ephe. 3. In charitate radi-
cati & fundati. Eiusd. 4. In charitate crescamus. Item 5. Ambula-
te in dilectione. Philip. 1. Oro vt charitas vestra magis ac magis
abundet. Colos. 3. Super omnia charitatem habētes. 1. Pet. 4. An-
te omnia mutuam in vobismetipsis continuam charitatē habē-
tes. Secundo commendabilis est comparatione cæterarū virtu-
tum. Ad quod pertinet illud 1. Corin. 13. Maior autem horum est
charitas. Aug. Respice ad munera ecclesiæ, & vniuersis excellen-
tius charitatis munus cognosces. Ideo oleo charitas cōparatur,
quod supereminet aliis liquoribus: sic charitas superexcellit aliis
virtutibus. Propter eādem causam charitas aurum dicitur, quod
inter metalla pretiosius est. Apoc. 3. Suadeo tibi emere à me au-
rum ignitum & probatum, vt locuples fias. Huic auro compa-
rando

rando intendere debent in nundinis huius mundi hi quibus di-
ctum est, Luc. 19. Negotiamini dū venio. Nec solum aurum est
charitas: sed etiā aurea reddit ea quæ contingit. Et hæc est vna
virtus charitatis, quòd plūbea efficit aurea. Opera enim de gene-
re bonorū sine charitate facta quasi plumbea sunt: parui scilicet,
vel nullius valoris: facta verò ex charitate, quasi aurea sunt, quia
pretiosa valde. 3. Reg. 6. Nihil erat in tēplo quod nō auro tegere-
tur. Opera ex charitate facta, sunt quasi vestis deaurata qua ec-
clesia ornatur. In Psal. Astitit regina à dextris tuis in vestitu de-
aurato. Propter eandē excellētiā dicitur etiā charitas ignis. Luc.
12. Ignē veni mittere in terram. Ideo spiritus sanctus super Apo-
stolos in linguis igneis descendit, vt in cordibus hominū ignem
istum succēderēt. vnde Ber. Venit super discipulos Spiritus san-
ctus in linguis igneis, vt linguis omnium gentium verba ignea
loquerentur, & legē igneam linguæ igneæ prædicarent. Thren.
1. De excelso misit ignē in ossibus meis, & erudiuit me. Ignis in-
ter elementa virtuosior est: sic charitas virtuosior est cæteris vir-
tutibus. Hier. Qui perfectè amatur, totam sibi vndique amantis
vendicat voluntatem, nihilque est imperiosius charitate. 2. Cor.
5. Charitas Christi vrget nos. ¶ Ignis ferrum quasi ignem efficit:
sic charitas eos in quibus est, vt ignem efficit. Eccles. 48. Surre-
xit Elias Propheta sicut ignis, & verbum eius quasi facula arde-
bat. Nescit ignis esse otiosus: sic secundum verbum Gregor.
amor Dei nunquam est otiosus. Operatur enim magna, si est: si
autē operari renuit, amor nō est. Ignis charitatis est illuminans
& splendens, & ad splendorem æternum perducens. Gregor. in
Moral. Non claresceit anima in fulgure æternæ pulchritudinis.
nisi (vt ita dixerim) hic prius arserit in officina charitatis. Hic
est ignis ille quo spiritus angelici ardent. Ignis iste in cinerem
humilitatis redigit. In hunc cinerem redegerat illum qui dice-
bat Genes. 18. Loquar ad dominum meum, cùm sim puluis & ci-
nis. Carbo ignitus cum mortuis carbonibus positus, aut extin-
guitur, aut eos viuificat. Sic viri sancti igne charitatis succensi
morti se exposuerunt, vt mortuos in peccatis viuificarent. Ignis
tendit sursum: sic illi qui vehementer accensi sunt, igne charita-
tis cupiunt dissolui & esse cum Christo. Philip. 1. & mortem ha-
bent in desiderio, & vitam in patientia. Charitas est ignis, quo
Apostoli suauiter arserunt, vt ait Greg. Ipsa est speciale donum
Dei, qui & ignis dicitur. Deuter. 4. Hebræ. 13. Deus noster ignis
consumens est. Gregorius in Hom. Deus ignis consumens dici-
tur, quia flammis sui amoris incendit mentes quas impleuerit,

& à

& à vitiorum sordibus mundas reddit,& peccatorum rubiginem consumit.Bernard.super Cant.Ignis qui Deus est,consumit quidem,sed non affligit:ardet suauiter,desolatur feliciter.Est enim verè carbo desolatorius: sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima exhibeat vicem vnctionis. Gregorius in Homil.loquens de illo verbo Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quid esse dilectionem credimus, nisi ignem? & quid culpam, nisi rubiginem? Tanto amplius rubigo peccati consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. ¶ Charitas etiam est mater omnium virtutum,vt ait glossa Ambrosij super illud Rom.14.Vnusquisque in suo sensu abundet. Mater,inquam,educatione,imò ipsa ad omnes se habet vt mater.Bernard.Bona mater charitas,quæ siue foueat infirmos,siue exerceat prouectos,siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens sicut filios diligit vniuersos. Cùm te arguit,mitis est:cùm blanditur, simplex est. Piè solet sæuire, sine dolo mulcere, patienter nouit irasci, humiliter indignari. Ipsa est quæ hominum mater & Angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cælis sunt pacificauit. Ipsa est quæ Deũ homini placans,hominem Deo reconciliauit. Charitas patiens est, benigna est,licet læsa,licet offensa:si conuersus fueris ad ilam, obuiabit tibi quasi mater honorificata. Item charitas enumeratur prima inter fructus Spiritussancti.Gal.5.Fructus,inquit, spiritus,charitas,&c.Ibi dicit gl.Aug.Caput virtutũ præmij, vocans charitatem caput virtutum. Ibi etiam dicit glo,Hier. Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatũ, nisi charitas,sine qua cæteræ virtutes non reputabuntur esse virtutes? Verè primus fructus charitas. Antequam enim ipsa assit, nullus fructus est Deo gratus.Osee 9. Radix exiccata est,fructum nequaquam facient.Radix exiccata est,cupiditas, quã Apostolus dicit radicẽ malorum omnium.1.Timothei 6.Vbi verò charitas est, ibi multus fructus.Io.15.Qui manet in me,& ego in eo,hic fert fructum multum.Qui manet in charitate,in Deo manet.1. Ioa. 4.Item charitas est primũ bonũ animæ Primum enim bonum animæ est Deo adhærere : Deo autem adhærere non valemus, nisi dilectione, vt ait Aug. in libro de moribus ecclesiæ, & in lib.Confe.Mihi autem adhærere Deo bonum est:quia si nõ manebo in illo, nec in me potero.Vbi charitas non est,potest esse species boni:sed non verum bonum.August. Dantur & alia per Spiritum sanctũ munera:sed sine charitate nihil prosunt.Seneca:Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus simulacra rerum honest

honestarum.Vbi charitas adest,nihil est malum.Eccl.8. Qui custodit mandatũ,non experietur quicquam mali.Quod de mandato dilectionis specialiter verum est. Augu. Vbi charitas, quid est quod possit obesse? Vbi autẽ non est,quid est quod possit prodesse?Itẽ charitas est gratia gratiarum.Aliæ virtutes sine ea gratæ non sunt. Et quia gratis non operantur. Iustitia enim reddit debitum:amor redimit incommodum quod imminet:spes emit commodum quod obtinere intendit.Et quia non sufficiunt animam Deo reddere gratam, vel etiam sua propria opera absque charitate Deo grata facere non possunt. Charitas verò gratis operatur.Bern.super Cantic. Purus amor mercenarius non est, purus amor de spe vires non sumit, & tamen differentiæ damna non sentit. ¶ Charitas etiam animam Deo reddit gratam, & sua propria opera & cæteras virtutes, & opera etiam earum, si à charitate fuerint imperata.Ipsa enim imperatrix est inter virtutes, & quæ imperantur ab ipsa, Deo grata sunt, & à se reputat imperata.Item charitas locus luminis est.1. Ioan.2. Qui diligit fratrem suum,in lumine manet.Amor mũdi excæcat,sed amor Dei illuminat. Extra charitatem tenebræ sunt. Vnde ibidẽ dicitur,Qui odit fratrẽ suum,in tenebris est:vbi autẽ tenebræ sunt, ibi nõ est verum gaudium.Tob.5.Quale gaudium mihi erit,qui in tenebris sedeo? ¶ Item charitas est locus securitatis & gaudij. Bern.Deus charitas est:quid pretiosius? Et qui manet in charitate,in Deo manet:quid securius? Et Deus in eo:quid iucundius? Augu.Deus charitas est:breuis laus & magna laus.Breuis in sermone,& magna intellectu.Si numeres,vnũ est:si appẽdas,quantum est.Deus dilectio est.Item dulcius dilectione nihil est. Aug. Dilectio dulce verbum,sed dulcius factum.Cùm amor sit causa omnis iucũditatis:sine amore enim nihil iucũdum:charitas quæ est amor summi boni,magnã habet iucunditatẽ.Vnde inter fructus spiritus,statim post charitatẽ enumeratur gaudium. Quomodo sine gaudio potest esse q; Deus ametur debito modo,cùm ipse præsens sit vbi sic amatur.Præsentia enim boni amati iucũda est.Augu.in epist.ad Macedonium. Tanto nobis melius est, quanto magis in illum imus,quo nihil melius. Imus autem non ambulando,sed amando: quem tanto habemus præsentiorem, quãto eundẽ amorẽ quo in eum tẽdimus, poterimus habere propriorẽ.Idem super epist.Io.Hom.10. Quid tibi iubet Deus? dilige nec:maturus es honorẽ,& fortè nõ peruẽturus. Quis me amauit,& nõ ad me peruenit?quisquis me quærit,cum ipso sum:non ad me ambitur per aliquam viã.Ipse amor tibi præsentẽ me fa-

cit.Greg.in Moralib. Qui mente integra Deum desiderat, profectò iam habet quem amat: neque enim quisquam posset Deum diligere, si hunc quẽ diligit, nõ haberet. ¶ Charitas locus est verg quietis. Augusᵗ. Non potest anima nisi in eo quod diligit requiescere. Æterna autem requies non datur ei, nisi in dilectione Dei. qui solus æternus est: & ipsa est perfecta sanctificatio, & sabbatũ sabbatorum. Charitas etiã vita est. 1. Ioan. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Sine charitate nihil viuit vita gratiæ: sed omnia sunt mortua, omnia arida. 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Et super 1. ad Cor. 13. dicit gloss. Sicut corpus sine anima mortuum est: sic anima sine charitate mortua deputabitur. Charitas est calor vitalis, quo extincto nihil spiritalis vitæ relinquitur. Prosper de vita contemplatiua dicit, quòd charitas est vita virtutum. ¶ Ipsa etiam est mors vitiorum. Sicut enim fluit cera à facie ignis: sic pereunt vitia à facie charitatis. Cantico. vltim. Fortis est vt mors dilectio. Qui videtur esse magni valoris in seculo, & charitatem non habet, quasi leo mortuus, aut nullius valoris est. Eccl. 9. Melior est canis viuus, leone mortuo. 1. Corin. 13. Si habuero prophetiam &c. charitatem autẽ non habuero, nihil sum. Nihil inquam valore. Charitas etiam est vita operum. Greg. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice charitatis. Item charitatem habẽs ditissimus est. Augu. Attende quanta est charitas: quæ si desit, frustrà habẽtur cætera: si autem assit, habentur omnia vel in se, vel in aliis. Idẽ in quodam sermone de charitate. Charitas est dulce & salubre vinculũ mẽtiũ, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. ¶ Quatuor de causis diues est qui habet charitatem. Primo, quia ipsa charitas thesaurus est charissimus: vt non solum chara, sed ipsa charitas expressiuè possit dici. Sicut de filio Dei dicitur Heb. 1. quòd sit splendor gloriæ. Et Sapien. 7. Candor lucis æternæ. Hic est thesaurus absconditus in agro cordis, pro quo emendo vniuersa essent vendenda. Matth. 13. Hunc thesaurum non potest auferre ianitor mundi: mors scilicet, quum alios auferat. Sine hoc thesauro non prosunt alij thesauri. De comparatione huius thesauri nullus pœnitebit, quum valorem eius perfectè agnoscet. Cantic. vlt. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione: quasi nihil despiciet eam. Quanto quis charius emit thesaurum istum, tanto amplius lucratur. Hoc thesauro, thesaurus Dei acquiritur. Secundo, quia qui habet charitatem, habet Deum: ideo diues est. Ioann. 4. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet. Augustin.

Aurum habẽs in arca, diues est: Deum habẽs in conscientia diues est: coniunge aurum & Deum, arcã & conscientiam. Tertiò, quia opera ex charitate facta sunt quasi aureæ: cùm sint valde pretiosa, regni scilicet æterni meritoria. Ideo bene monet Apostol. vt omnia opera nostra in charitate fiant. 1. Corinth. 16. Quartò, quia charitas aliena bona sua facit. Augu. Vis mercedem habere de alieno? gaude inde, & mercedẽ tibi inde comparasti. Augu. Pensent inuidi quantum bonum est charitas quæ sine labore nostro aliena bona nostra facit. Anima habens charitatem est sicut nobilis auis, quæ pede amoris prædam capit. Pes animæ, amor est, vt Augu. ait, qui si rectus est, dicitur charitas: si curuus, dicitur cupiditas. Qui sine charitate sperat se ad regnum cælorum peruenire: similis est illi qui absque pede vult incedere. Hic est pes ille de quo Iosuer. Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, tradam vobis. Charitas particeps est omnium timentium Deum, custodiẽtium mandata eius. Charitas est communicatio Spiritus sancti: de qua 2. Corinth. vltim. qua illi qui habent Spiritum sanctum, omnia habent communia. Ipsa est societas illa de qua loquitur Ioan. 1. Canonic. 1. Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis: vt & vos societatem habeatis nobiscum. Qui charitatem non habet, quãtum ad Deum excommunicatus est. 1. Cor. vlti. Si quis nõ amat dominũ nostrũ Iesum Christum, sit anathema. Glo. id est, separatus à Deo, vel condemnatus. Vita sanctorum negotiatio est. Mat. 13. Simile est regnum cælorum homini negotiatori &c. Quicũque charitatem, habet, particeps est in omni lucro quod fit in ecclesia. Vnde charitati potest dici illud Prouer. vlt. Multæ filiæ congregauerũt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Antiquum prouerbium Socratis fuit, Amicorum omnia esse communia. Vnde cum quidam pauper diceretur coram eo amicus cuiusdam diuitis, ait: Cur ergo iste pauper, ille diues est? Amicus enim non est, qui particeps fortunæ non est. Cor in quo charitas est, est quasi hortus, in quo omnes iusti & boni quasi arbores cælestes per amorem infixæ sunt, vnde ei fructificant. Quid ergo mirum si multum habeat fructum? Charitas bonum proprium est bonorum, quum cæteræ virtutes communes sint bonis & malis. Augu. Charitas est fons proprius & singularis bonorum. Item hæc sola est quæ diuidit inter filios regni, & filios perditionis. In libro Prosperi: Charitas Dei & proximi propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum, quum cæteræ virtutes bonis & malis possint esse communes. Item charitas nunquam excidit: quum fides

& spes euacuentur.1. Corinth.13. Quod tripliciter potest intelligi. Primò, quòd in morte non amittitur. Qui enim amat Deum in præsenti, quum eum non videt: multo plus amabit eum in futuro, quum eum videbit. Ipsius in præsenti est meritum: ipsa ergo in futuro erit in præmium. Ioan.12. Scio quia mandatũ eius vita æterna. Quod specialiter est verum de mandato dilectionis. Secundo de opere charitatis, quod non excidit charitate manente. Charitas est arbor à qua non excidit nec flos, nec folium, nec fructus. In hac arbore pendent omnia bona. Matth. 22. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Loquitur de duobus mandatis de dilectione. Flos vnus arboris, scilicet vnum propositum charitatis, est super millia auri & argenti. Charitati bene conuenit illud Eccles.24. Flores mei fructus honoris. Fructu huius arboris pascitur Deus ab homine, & ex eo viuitur in paradiso. Tertio de habente charitatem, qui in morte non excidit, id est, non ex toto cadit: quia licet moriatur mundo, viuit tamen Deo. Vnde mors amicorum Dei, dormitio vocatur. Ioann.11. Lazarus amicus noster dormit. Item charitas maior est omnibus sacrificiis. Marc.12. Diligere proximum tanquam se maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis. Charitas præ cæteris virtutibus Deo placet, & diabolo displicet & homini prodest. ¶ Charitas meritò multum Deo placet, quũ Deus ei super omnia placeat. Gloss. super illud Psal. Exultate iusti in domino. Placet Deo cui placet Deus. Ideo Deus aliquos spernit, quia ipsum spernunt. Esa.32. Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? Deus amat amantes se. Prouerb.8. Ego diligentes me diligo. Ioann.14. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Sola charitas Deum habet charum: & ideo meritò inter virtutes præcipuè chara est Deo: & opera eius specialiter meritoria sunt, & secundum eam præmium mensuratur: vt qui maiorem habet charitatem, maius habeat præmium: & qui minorem, minus. Nõ habet Deum charum, qui pro minori pretio dat vel dimittit eum quàm valeat. Non habet auarus Deum charum, qui lutum diuitiarũ ei præponit. Habac.2. Vel qui cõgregat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Nõ habet etiam Deum charum voluptuosus qui delectationem momentaneam præponit ei. Greg. Momẽtaneum est quod delectat, æternũ quod cruciat. Non habet charum Deum pompaticus, qui pro vẽto vanæ gloriæ Deum deserit. Et vt breuiter dicamus: non habet Deum charum, qui non diligit eum super omnia, quum ipse omnibus præ-

ualeat. ¶ Charitas specialiter diabolo displicet. Vnde Grego. super Ezech. Antiquus inimicus castitatem in nobis si sine charitate viderit, non timet: quia ipse carne non premitur, vt luxuria dissoluatur. Abstinẽtiam non timet, quia ipse cibo nõ vtitur, qui necessitate corporis non vrgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidẽ operi charitas desit, quia diuitiarũ subsidiis nec ipse eget. Valde autẽ in nobis charitatẽ veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet: quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cælo. Item Grego. non curat antiquus hostis, vt terrena nobis tollat: sed vt charitatem auferat. Charitas etiam habenti ipsam multum prodest, sine ea nihil vtile est.1. Corint.13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Qui charitatem nõ habet, est sicut æs sonans quod aliis prodest, sed sibi non prodest, imò se consumit. Sic in eo qui charitatem non habet, diminuuntur bona naturalia, & minus idoneus fit ad bene operandum, vitã suam inutiliter expẽdit. Vbi verò charitas est, omnia prosunt. Roma.8. Scimus quoniam diligẽtibus Deum, omnia cooperantur in bonum. ¶ Vtilitatem charitatis ostendit Apostol.1. Corint.13. dicens: Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, nõ agit perperã &c. Vbi enumerantur septẽ bona quæ charitatem comitantur, & octo mala à quibus hominẽ seruat. Duo prima bona sunt patientia & benignitas, de quibus Grego. patientiam & benignitatem præmittit: quarum altera illata à proximis mala æquanimiter portat: altera, sua bona proximis desiderabiliter impendit. Pœna quippe interrogat, si quietus quis veraciter amat, vt ait idem Gregor. Benigna etiam debet esse charitas: id est, egenis larga. Gregor. Mens sanctorum in tentationis prælio munita patientiæ clypeo & gladio amoris accincta, ad mala ferenda sumit fortitudinem, & ad rependenda bona erigit vnitatem. Tertium bonum est congaudere veritati: id est, bonis proximi. Quartum est, mala eius sufferre, compatiendo & supportando. Quintum est, omnibus Deo credere. Sextum, omnia sperare. Septimum est, diu expectando dominum sustinere. Duobus primis facit charitas vt bene nos habeamus in his quæ nostra sunt, mala propria patienter portando, & bona propria liberaliter largiendo. Duobus sequentibus facit vt nos bene habeamus ad ea quæ sunt proximi, bonis congaudendo, & mala comportando. Tribus vltimis, vt nos bene habeamus ad Deum, cui debemus fidem, eò

quòd sit prima veritas: & spem, eo q̃ sit summa bonitas: & sustinentiam longam, eò quòd sit omnipotens: & magnitudinem præmij recompensare potest, quod tardus soluit. Augu. Charitas ideo tolerat in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita. Et suffert omnia quæ hic inueniuntur: quia sperat omnia quæ ibi promittuntur. ¶ Primum malum, à quo charitas seruat, est æmulatio, siue inuidia, quæ putredo ossium dicitur. Prou. 14. Est enim vehemens corruptio animæ, ex qua prouenit vt ipsa in malis proximi delectetur, & bonis contristetur, quæ naturaliter in bonis deberet delectari, & in malis contristari. Secundum est, peruersa actio. Qui charitatem habet, habet Spiritum sanctum, qui benignè agit: qui verò sine charitate est, habet spiritum malignum, qui perperam agit reddendo mala pro bonis, miseros opprimendo, bonis detrahendo, quum potius bonis addendum esset. Bona enim oportet crescere, mala autem minuit: & miseri eleuandi sunt, non amplius opprimendi. Tertium est, inflatio: id est, dilatio propria vsque ad proximi compromissionem, quæ solet habere scissuram: vt ait beatus Bern. Prouerb. 28. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. Iactantia est dilatatio exterior: præsumptio, cordis dilatatio interior. Quartum est ambitio, quum aliquis quærit sui exaltationem per proximi deiectionem. Similis est illi qui faceret de hominibus scabellum pedum suorum, vt sic altior cæteris appareret. Quintũ est, intimus amor proprij boni, ex quo solet sequi, quòd homo non curat de bono proximi. Philip. 2. Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. 1. Corinthiorum 10. Nemo quod suum est quærat. Et in hoc est multum corruptum genus humanum, quasi enim in naturam versum est hominibus quærere propria commoda, & negligere aliena. Sextum est, irritatio siue prouocatio ad iram. Aliqui quando vident domum proximi igne cõburi, exemplo illius suam comburũt, quum potius deberent conari ad eius defensionem: qui valde fatui sunt. Eccles. 7. Ira in sinu stulti requiescit. Sapiens non permittit ibi eam quiescere, sed statim ab ea se expedit: sicut carbonem de sinu suo tam citò excuteret, si in eum insiliisset. Septimum est, maligna cogitatio, vt quæ est de vindicandis iniuriis. Qui iniuriam sibi factam cogitat, quasi ferrum in vulnere tenet. Esa. 1. Auferte malum cogitationum vestrarum &c. Octauum est, gaudere super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis & elongationis à Dei similitudine: cui iniquitas summè displicet. Prou. 24. Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Et eiusdẽ 17. Qui in ruina lętatur alterius, non erit impunitus. ¶ Itẽ charitas est via excellentior. 1. Cor. 12. Adhuc vobis viam excellentiorem demonstro. Ipsa est gratia domini nostri Iesu Christi. 2. Cor. vlti. Magisterium eius Christus professus est. Ioannis decimoquinto: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Charitate discipulos suos voluit agnosci. Augustin. In charitate dignoscentur discipuli Christi, non in prophetiæ, fide, & aliis. Io. 13. In hoc cognoscent omnes, q̃ discipuli mei estis, si dilectionem adinuicem habueritis. Hãc ipse Saluator maximã in se habuit. Io. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet: quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ephesi. 2. Propter nimiam charitatem qua dilexit nos &c. ¶ Charitas est vinculum, quo solo Deus ligari potuit. Magister Hugo de S. Victore: O charitas, quàm magnũ est vinculum tuum, quo etiã Deus ligari potuit. Si ergo contra Dominũ fortis fuisti: multo magis contra homines prævalebis. Hoc vinculo Deus tractus est ad terrã, descendit etiam vsque ad inferos. Nullum vinculum eum ad eos tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset. Nullum ferrũ in cruce eum detinuisset, nisi charitas affuisset. Sicut lapis positus ad ostium monumenti non potuit eum ad monumentum detinere: amor salutis nostræ & ad columnam & in cruce eum detinuit. Vinculo charitatis ligatus erat, quum dicebat Gen. 18. Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Et eiusdẽ. 19. Dictum est Loth. Festina, & salua te ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Esa. 58. Non est qui cõsurgat & teneat te. Charitatis vinculũ solui nõ potest, neque igne, neque aqua, neque gladio. Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c. Et in eodem: Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei. Hoc est vinculum quo ea coniunguntur, quæ interuallis locorum disiunguntur. Charitas vinculum est perfectionis, de quo Colos. 3. Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Glos. Ambr. Magis studendum est ei virtuti, quæ maior omnibus est. Ibi etiam dicit glo. quòd charitas omnia ligat ne abeant. Charitas est vinculum perfectionis. Ligat enim membra ecclesiæ adinuicem Deo. Hiere. 13. Agglutinaui mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iuda. Deutero. 10. Patribus tuis conglutinatus est Deus, & amauit eos. In hac ligatione est perfectio ecclesiæ. Item charitas eum in quo est, filium Dei efficit. Romano. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis fi-

liorum,in quo clamamus:Abba pater.1.Ioan.4.Qui diligit fratrem suum,ex Deo natus est. Et eiusdem 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. ¶Item charitas vnctio est,qua filij Dei inunguntur in signum regni futuri. Qui hac vnctione inuncti sunt, edocentur à Deo,sicut Salomon edoctus est à domino postquam in regem vnctus est.3.Regum quarto,de qua vnctione legitur 1. Ioann.2. Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Intellige necessaria ad salutem. Et in eodem : Vnctio eius docet vos de omnibus. Prouerbiorum decimosexto : Diuinatio, id est, diuinus sermo in labiis regis,in iudicio non errabit os eius. Ioannis decimoquinto, dicitur de Spiritu sancto, quem habet qui charitatem habet : Ille vos docebit omnia.Et eiusdem 6.Erunt omnes docibiles Dei.Et Matthæi 23. Vnus est magister vester qui in cælis est. ¶Quòd ille qui charitatẽ habet, non erret errore periculoso,potest esse verum duabus de causis:vel quia legẽ abbreuiatam habet in corde suo, scilicet charitatem. De qua Augusti. Lex, inquit, charitatis super omnes libros est. Et Hieronymus Seleuciæ:Hæc sententia ad breuiarium totius iustitiæ dominico ore profertur. Vel quia charitas hominem Dei amicum facit: Lex verò amicitiæ requirit, vt amici sibi inuicem non negent consilium, sicut nec auxilium. Vnde Deus habentem charitatem, non permittit errare errore periculoso : si ille quod in se fuerit fecerit, vt veritatem agnoscat.Charitas vnctio est omnem lethalem infirmitatem sanans. Augustinus. Timor est medicamentum : charitas sanitas.Huic sanationi attestatur bona dispositio gustus interioris: habenti enim charitatem, sapiunt res vt sapere debent. Item charitas vestis nuptialis est:de qua Matth. 22. Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? .Quasi admiratur dominus inueniens aliquem in ecclesia absque veste charitatis.Cuius admirationis quinque possunt assignari causæ.Prima est,quòd dominus tantum expendit vt sponsa sua ecclesia hanc vestem haberet,quum aliæ vestes fiãt vel de pilis animalium, vel corticibus herbarum, vel interioribus vermium, vt vestes sericæ. Huic vesti voluit dominus materiã ministrare quasi de visceribus suis,quum lateris sui apertione amorem suum nobis ostendit,vt amore eius ad eum reamandũ accenderemur.Berna. Clauus penetrans,clauus reserans factus est mihi vt videam voluntatem domini: quod nisi videam per foramen, clamat clauus,clamat vulnus.Idem : Patet arcanum cordis per foramen corporis. Secunda est, quòd ecclesia scit hanc vestem

vestem summè placere sponso suo. Vnde vestem inconsutilem, quæ figura erat huius vestis, noluit diuidi. Ioan.19. licet corpus suum permiserit perforari.Augustinus : Tunicam hominis iam iudicati in cruce pendentis carnifices Pilati non sunt ausi conscindere eam:& tu niteris charitatem Dei,imò charitatem quæ Deus est separare.Tertia,quòd istam vestẽ est ostensura ecclesia in illa magna curia,& nescit qua hora sit vocanda. Matt.25. Media nocte clamor factus est:Ecce sponsus venit.Ideo semper deberet esse parata. Matth.24. Et vos estote parati &c.Sed sunt qui tunc primò volunt ordiri hanc vestem quando deberet succidi. Esa.38. Dum adhuc ordirer, succidit me. Qui discretus est, quærit lanam & linum quàm cito potest, vt hanc vestem possit sibi texere.Prouerbior.vltim. Quæsiuit lanam & linum &c. Lana & linum sunt beneficia nobis à Christo exhibita secundum humanitatem & deitat. Quarta causa est, quòd ecclesia scit, quòd si hæc vestis ei defuerit, turpitudo eius toti mundo manifestabitur. Prouerb.10. Vniuersa delicta operit charitas.Apoca.16.Beatus qui custodit vestimenta sua,ne nudus ambulet,& videant homines turpitudinem eius.Quinta est,q; ecclesia scit q; non licet alicui intrare in regnum cæli absque hac veste.Esther 4.legitur, quòd non libebat intrare aulam Assueri indutũ sacco. Saccus est timor seruilis, cũ quo nemo intrat regnum cælorum.Et notãdum, q; quum vestis esse soleat laudabilis à pretiositate materiæ,& à studio artificis,& à calore, & à suauitate,& à fragrantia,vestis ista simul ex omnibus his causis est laudabilis.Hæc vestis pro materia habet Dei beneficia:imò quodãmodo ex visceribus Christi materia eius ministrata est,vt prædictum est.De studio artificis habetur in Psalm.Annuntiate inter gentes studia eius.Si Deus mille annis studuisset, nunquã modum conuenientiorem ad accendendum amorem suum in nobis inuenire potuisset.Color verò huius vestis prupureus est. Prouerb.vlti.Byssus & purpura indumentum eius. Suauitas verò huius vestis tanta est,vt vocetur vnctio.1.Io.2.De odore eius habes Canti.1.Dum esset rex in accubitu suo,nardus mea dedit odorem suum.Nardus herba calida charitatem significat,cuius odor cælos penetrauit,& filium Dei incarnari fecit.Odor huius vestis benedictionem Patris cælestis impetrat.Gene.27.Statimque vt sensit vestimentorum eius fragrãtiam ,benedicens ait: Ecce odor filij mei sicut odor &c.De odore vestium, habes Cã. 4. Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. ¶Charitas vestis nuptialis dici potest : quia matrimonium quo filius

Dei vnitus est humanæ naturæ sorori nostræ, multum requirit vt vestem charitatis habeamus. Si enim matrimonia quæ fiunt quotidie, inimicos amicos efficiunt: quomodo hoc excellens matrimonium homines ad amorem Dei non accenderet? Solet fieri vestes nuptiales propter nuptias: sed nuptiæ filij Dei & humanæ naturæ factæ sunt propter hanc vestem: scilicet propter charitatem in homine augendam. Vestis charitatis omnem turpitudinem operit. 1. Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc vestis contra aduersa munit: quia fortis est, vt mors, dilectio. Canti. vlt. Ipsa etiam ornat. Est enim vestis purpurea optimè sedens super byssum castitatis. Prouerbi. vlti. Byssus & purpura indumẽtum eius. Charitas est fortitudo & decor. Fortitudo, inquantum munit: decor, inquantum ordinat. Prouerbiorum vlti. Fortitudo & decor indumentum eius. Ipsa est vestis polymita, varietate bonorum operum distincta: secundum illud Psal. Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate. Itẽ charitas currus igneus est, subleuans interiorem hominem in paradisum spirituale: vt de Elia legitur 4. Regum, 2. capitu. Ipsa etiam est iugum suaue: de quo legitur Matthæi 11. Tollite iugum meum super vos &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. ¶ Propter sex causas iugum charitatis suaue est. ¶ Primò ex sui natura. Augustinus: Omnia sæua & immania prorsus facilia & propè nulla efficit amor. Si super hoc iustum posset poni pondus inferni, vt scilicet cum amore ipsius portaretur, suaue esset propter hoc: quia charitas difficilia reddit facilia. Comparat Augustinus charitatem bigæ, dicens, Quod iumentum per se non veheret, vehit in biga duplicatum. Genesis 29. Videbantur Iacob dies pauci præ amoris magnitudine. Bernardus: Auis quæ implumis & sine alis seipsam ferre non potest, onere plumarum & alarum addito, sine labore aduolat: sic panis durus qui per se transire non potest, adiutorio lactis vel alterius liquoris colabile fit in gutture. Charitas quasi volare facit homines in via paradisi. Bernardus, Qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. In libro de Spiritu & anima, dicitur quòd amor est per desiderium currens, atque per gaudium requiescens: per desiderium in appetendo, & per gaudium in perfruendo. Charitas etiam est bonorum laborum condimentum. ¶ Secundo quia Deus subiit istud iugum, & super illud tulit onus crucis. Zelus enim domini exercituum faciebat hoc. Ideo glorioſum & ſuaue eſt eſſe ſub hoc iugo. Magna enim glo-

gloria est sequi Dominum. Ecclesiast. 23. Bernardus: O iugum sancti amoris, quàm glorioſe laqueas quàm suauiter premis. ¶ Tertio, quia adhuc Deus vult nobiscum esse, sub iugo isto maiorem partem portans. Nõ ex iugum vnius tantum, sed multorũ. Dicit tibi Deus, Tolle iugum meum est vna parte, & ego tollam ex altera: paratus est enim Deus iuuare illos, qui amore ipsius difficilia aggrediuntur. ¶ Quarto, quia ea quæ trahuntur ad hoc iugum, quasi aurea sunt, imò auro pretioſiora: quia regni cælestis meritoria, vt patet ex præmissis. ¶ Quinto, quia istud iugum à graui iugo liberat: scilicet à iugo carnis vel mundi. Esa. 10. Computrescet iugum à facie olei: id est, charitatis, quæ ad modum olei suauis est. 2. Corint. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Bernar. loquens de illo verbo Luc. 14. Iuga boum emi quinque. Iumentis, inquit, conuincitur homo bestialior, qui iuga necessitatis quinque sensuum propria subeat voluntate. Bernard. Quid causamur subiisse: arguamus magis emisse? nam vt mercedem pro opere suo quis tribuat, inauditum est: quis iuga bouum emit, cui iugũ suaue gratis offertur? quid est potius quinque eligere quàm vnum? quis potest seruire quinque prædonibus? Oculus, inquit, meus deprædatus est animã meã. ¶ Sexto, quia qui charitatem habet, voluntatem suam voluntati diuinæ conformat. Vnde sicut voluntas Dei impletur: sic & voluntas ipsius. Et sicut Deo cuncta subiecta sunt: sic & habenti charitatem quodammodo cuncta sunt subiecta. Augustin. in libro de Vtilitate etedendi: Iugo Christi qui subiectus est, subiecta habet cætera: & non laborat, quia non resistit quod subiectum est. Seneca: Vir bonus æquo animo substinebit quicquid ei acciderit. Scit enim hoc accidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedunt. Mali nõ habẽt pacem, quia Deo resistunt. Iob 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? Si pluit, displicet malis. Si aliquanto tempore ficcitas fit, iterum displicet eis. Item charitas bitumen est quo area ecclesiæ bituminata est. Genes. 6. Absque hoc bitumine in periculo esset. Aquæ etiam tribulationum, penetrarent eam. Charitas etiam cæmentum est, quo lapides viui in ædificio ecclesiæ adinnicem connectuntur. Sine hoc cæmento ecclesia esset quasi aceruus lapidum: non esset idonea Deo ad habitandum, nec contra hostes ecclesiæ haberet debitam resistentiam. Hierem. 26. Ierusalem in aceruum lapidum erit. ¶ Charitas est chara vnitas. Quàm chara sit vnitas ipsius, patet ex hoc, quòd diuisio ei opposita Deo detestabilis est. Prou. 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Et illud septimum

est:

est:qui seminat inter fratres discordias.Diony. in libro de diuinis nominibus: Amor est quædam vnitiua & continuatiua virtus,superiora mouens ad inferiorum prouidentiã: equiformis, id est, æqualia in socialem vicissitudinem:& nouissima & subiecta ad meliorem & suprà positorum conuersionem,id est,conformationem.Amor inter affectiones animæ maximè Deo assimilatur.Ber.super Can.Solus est amor ex omnibus animæ motibus & sensibus,in quo potest creatura, & si non ex æquo, suo respondere authori,vel de simili mutuam rependere vicem:& si minus diligit creatura,quoniam minor est:tamen si ex toto se diligit,nihil deest vbi totum est. Eadem verba habentur in libro de spiritu & anima, vbi subditur : Renuntians ergo cunctis affectionibus aliis, tota soli incumbat amori, effundens se totam in amorẽ ipsius,cui respondere habet in reddendo amorem. ¶ Charitas virtus est cuius altitudo vsque ad altissimum attingit.Spiritum enim hominis Deo vnit.Latitudo eius quasi per totum mundum se extendit: quia membris Christi quæ dispersa sunt per mundũ,hominem coniungit.Aug.Extende charitatem per totum orbem si vis Christum amare: quia membra Christi per orbem iacent. Longitudo eius opera cæterarum virtutum vsque ad finem vltimum extendit. Profunditas eius infimis membris Christi seruitium impendendo cõdescendit secundum doctrinã Io.13.Si ego laui pedes vestros,dominus & magister vester:& vos debetis alter alterius lauare pedes. ¶ Et notãdum quod sacri Doctores videtur dicere quòd sola charitas sit virtus. Hier. Vt breuiter,inquit,cõplectar virtutis notionẽ , Virtus est charitas qua diligitur quod diligendum est.Et in libro de spiritu & anima,sic legitur:Quum prudenter,molestè, fortiter & iustè amor & odiũ instituũtur:in virtutes exurgunt,prudentiã scilicet & temperantiã,fortitudinẽ atque iustitiam.Aug.in li.de moribus ecclesiæ: Si virtus ad beatã vitã nos ducit, nihil esse virtutẽ omnino affirmauerim,nisi summum amorẽ Dei.Nãque illud, quòd quadripartita dicitur virtus,ex ipsius amoris vario quodã affectu quantũ intelligo dicitur.Itaque illas quatuor virtutes, quarũ vel nam res ita haberẽt homines in mẽribus suis, vt nomina sunt in ore omnium.Sic etiã diffinire non dubitẽ, & vt Temperantia sit amor integer se præbẽs ei,quod amatur.Fortitudo,facile tolerãs omnia propter quod amatur:Iustitia,soli amato seruiẽs propter rectè dominans.Prudẽtia,amor ea quibus adiuuamur ab iis quibus impedimur sagaciter seiungens. Sed hũc amorẽ non cuiuslibet,sed Dei esse diximus:quare etiam diffinire licet, vt Temperantiam

rantiam dicamus amorem Deo sese integrum incorruptùmque seruantem.Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem. Iustitiam,amorem tantum seruiẽtem,& ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subiecta sunt. Prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adiuuetur ab his quibus impediri potest. Idem in eodem : Nihil aliud est bene viuere, quàm toto corde,tota anima , tota mente Deum diligere : à quo existit, vt incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ:vt nullis frangatur incommodis,quod est fortitudinis nulli alij seruiat, quod est iustitiæ: vigilet discernendis rebus,ne fallacia paulatim dolus surrepat, quod est prudentiæ. ¶ Possumus autem quatuor rationes assignare,quare nomen Virtutis charitati potuit appropriari, vt ipsa diceretur singulariter virtus. ¶ Vna causa potuit esse, quia charitas inter virtutes excellentior est:ideo antonomaticè virtus dici potuit: sicut Roma antonomaticè Vrbs dicitur. Alia causa potuit esse:quia antequã charitas adsit,nulla vera virtus est.Si verò charitas adsit,nulla virtus deest.Quod nulla vera virtus adsit si charitas desit,patet:quia virtus est qua bene viuitur.Bene viuere verò est(vt ait Augustꝰ.) Bene viuendo ad beatitudinem tendere: quod non est sine amore beatitudinis, qui amor charitatis est. Quòd nulla virtus desit vbi charitas adest , patet:quia amor diguior est affectione animæ,quæ si ordinata fuerit , aliæ affectiones,vt timor,dolor , & spes inordinatæ non remanebunt , maximè quũ apud amorem sit summa potestas & imperium in regno animæ,& eius sit regnũ illud ordinare: apprehensiones verò non se habẽt modo indebito,quum affectiones se habeãt debito modo.Sunt enim apprehensiones causæ affectionum, vnde amore ordinato simpliciter mẽs ordinata est. ¶ Tertia causa potuit esse:quia amor summi boni quodammodo ad omnem virtutem pertinet, inquantum virtus comparatur ad finem suum: licet amor iste sit proprius motus charitatis. Sine amore enim summi boni non est vera virtus. Verbi gratia : Si quis abstineat vt bursam impleat, vel vt sanitatem acquirat , vel causa inanis gloriæ:nõ est hoc abstinentiæ virtutis , sed tunc solum quãdo fit amore summi boni.Ideo dicitur Matth.6.Tu autem cùm ieiunas,vnge caput tuum oleo.Secundum glo.Caput suum , scilicet Christum ieiunans vngit oleo charitatis,qui pro amore eius se macerat,& quod sibi subtrahit , alteri largitur. ¶ Quarta causa potuit esse:quia sicut aliquis dicitur odire non solum affectu, sed etiam effectu, secun dum quem modũ dicitur , Qui diligit iniquita

quitatẽm,odit animã suã.Odit inquam effectu: sicut aliquis dicitur diligere non solum affectu,sed etiam effectu,secũdum quẽ modum dicitur 1.Ioan.vlt.Hæc est charitas Dei,vt mandata eius custodiamus.Et 2.Ioan.Hæc est charitas,vt ambulemus secundũ mãdata eius.Sic dilectio Dei ad vniuersitatem virtutũ pertinet, sicut & obseruatio mandatorum Dei. Sic nihil aliud est virtus, quàm id quo Deus diligitur. Et hæc de laudibus charitatis sufficiant. Si cui verò hæc nõ sufficiunt, diligenter studeat in 1.canonica Ioã.De quo dicit Greg.quòd omne quod loquitur, igne charitatis vaporatur.Et in Euangelio eiusdem.Et 1.ad Cor.13. Vbi multa de laudibus huius virtutis inueniet.

De ordine dicendorum de amore Dei.Et primo de his quæ incitant ad amandum Deum. CAP. III.

POst commendationem Charitatis, agendum est specialiter de amore Dei, de quo hoc modo agetur. ¶ Primo dicetur de incitamentis diuini amoris. ¶ Secundo de modo amãdi Deũ. ¶ Tertio de diuersis speciebus diuini amoris. ¶ Quarto de signis ipsius. ¶ Circa primum notandum est, quòd ad amandum Deum incitat Sacra scriptura,incitat & natura,incitat gratia nobis à Deo exhibita, & gloria nobis à Deo promissa, incitat & vniuersa creatura. ¶ Scriptura sacra incitat in multis locis. Deute.6.Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo &c.Eiusdem 11. Ama Dominum Deum tuum &c. Ecclesiastic. 13. Omni vita tua dilige Deum.Matt. 22. Diliges Dominum Deum tuum &c. Simile habes Lucæ 10. & 1. Ioan. 4. Diligamus Deum, quoniã ipse prior dilexit nos. ¶ Natura ad idem incitat.Bernardus in libro de diligendo Deo:Inexcusabilis,inquit,est omnis infidelis,si non diligit Dominum Deum suum toto corde,tota anima, tota virtute sua.Clamat nempe intus ei innata & non ignota ratioui iustitia,quia ex toto se illum diligere debeat,cui & totũ se debere nõ ignorat.Si naturaliter amat filius patrem à quo habet partẽ corporis sui:quãto magis amare debet Deum,qui corpus eius,& animã ex nihilo fecit? Aug.Amãdus est generator:sed præponẽdus est creator.Eccles.7.In tota anima tua dilige eũ qui te fecit.Bernar.in sermonibus:Parúmne,inquit,tibi videtur? hoc cogita,qualẽ te fecit.Nẽpe secundũ corpus,egregia creaturã:secundũ animam,magis imagine creatoris insignem,rationis particepem, beatitudinis æternæ capacem. Porrò ambo cohærere sibi fecit artificio incomprehensibili,sapientia inuestigabili: nec antè promeruit,qui antè non fuit:nec spes retributionis fuit, quoniam bonorum nostrorum nõ eget.¶ Et notandum quòd multi

potest incitare hominẽ ad amãdum Deum, quòd Deus eum fecit,si quis diligenter attẽdat quantum beneficiũ fuerit quòd corpus ei dedit: quot enim sunt mẽbra in corpore,tot beneficia inueniet magna.Et pro minimo membro plus deberet homo Deũ amare,quàm multi ament eum pro cunctis beneficiis quæ ab eo receperunt.Si quis amisisset oculum,quantum amaret eum, qui sibi illum restitueret? Et si quis meruisset amittere eum, quantũ amaret eum qui sibi oculũ cõseruaret? Nec minus amandus est, qui eum ab initio dedit,& qui datum conseruauit, cùm multoties vtendo eo contra Deum, eũ amittere meruerit. Non minus est amãdus qui dat cappam nouã,quàm qui inueteratã perditam restituit.Quod dixi de oculo,de aliis mẽbris cogita. Si verò tantum amandus est qui dedit corpus: quantum amandus est qui dedit animam quę in infinitum est melior corpore? Si amisisses vsum rationis,quantum amares eum qui tibi illum restitueret? Quanto ergo amandus est,qui tibi rationem ab initio dedit? Itẽ si meruisses mortem,siue separationem animę à corpore, quantum amares eum qui tibi eam remitteret? Quantum ergo amandus est ille qui mirabiliter corpus & animam coniunxit, & hanc coniunctionẽ tibi seruauit cùm peccando mortem multoties meruisses? Bernardus: Valde omnino mihi amãdus est per quẽ sum, viuo & sapio.Dignus planè est morte qui tibi Domine Iesu recusat viuere.Idem in libro de diligẽdo Deo: Vt quid,inquit,non amaret opus artificem, cùm haberet vnde id posset? Et cur non quantum omnino posset,quum nihil omnino nisi eius munere posset? Ad hoc etiam quòd homo amet amplius factorem suum, cogitare debet,quòd Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit illum. Gene.1. Filius qui similior est patri, solet amplius amare patrem,& ab eo plus amari.Figura etiam quam naturali ter habet corpus humanum, incitat ad amandum Deum: Augu. in libro de disciplina Christiana: Belluas Deus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra: te in duos pedes erexit, tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem sursum, & cor deorsum.Fac sursum cor, ne mentiaris in domo disciplinæ.Quid est sursum habere cor, nisi quod ptius est dictum, Dilige Dominum Deum tuum &c. Disciplinę domus est ecclesia Christi: vt dicit Augustinus in eodem libro.¶ Gratia etiam nobis à Deo exhibita incitat ad Dei amorẽ, & maximè gratia redemptionis De qua 2. Corinthiorum 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi:quoniam propter vos egenus factus est,cùm esset diues,

vt

vt illius inopia vos diuites essetis. Galat.2. Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: non sum ingratus gratiæ Dei. Sic habet litera vna. Eccles.29. Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris. Dedit enim pro te animam suam. Licet multum possit homine incitare ad amandum Deum, quòd ipse eum fecit: tamen multo amplius debet eum incitare, quòd ipse eum refecit. Vnde Bernardus in libro de diligendo Deo: Infidelis se totum ei debere nõ ignorat, quẽ sui totius nõ ignorat authorem. Quid ergo ego qui Deũ meum teneo vitæ meæ nõ solum gratuitum largitorẽ, largissimum administratorẽ, pium cõsolatorẽ, solicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum cõseruatorem, ditatorem, glorificatorem? Idem in eodem: Infidelem ratio vrget, & iustitia naturalis totum se tradere illi à quo se totum habet, & ex se toto debere diligere, quẽ profectò fides tanto plus iudicat amandum, quantum & eum pluris meipso æstimandum intelligo: quippe qui illud non solùm mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Idem in eodem: Si totum me debeo pro me facto: quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quàm factus. Siquidẽ non solùm de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptũ est, Ipse dixit, & facta sunt. At verò qui me tantum etiam semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit. Multa & gessit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiam indigna. Quid ergo retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ja primo opere me mihi dedit: in secundo, se: & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo & debebo: quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Dominum? Idem super Cantic. Super omnia reddit te amabilem mihi, bone Iesu, calix quem bibisti opus redemptionis nostræ. Hoc omninò amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc inquam est, quod nostrã deuotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius strigit, & afficit vehementius. Multum quippe laborauit in eo Saluator: nec in omni mundi fabrica tantũ fatigationis author assumpsit. In dictis suis sustinuit contradictores, in factis obseruatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Idem loquens de opere redẽptionis: Quid adhuc, inquit, dormitat tua affectio? imò non dormitat, sed mortua est, si huic nõ respondet beneficio. Anselmus in lib. Meditationũ: Ecce Domine quia me fecisti, debeo meipsum amori tuo totum: quia me redemisti, debeo meipsum amori tuo totũ: quia tãta ꝓmittis, debeo meipsum amori

amori tuo totum, imò tantum debeo plusquàm meipsum, quãto tu maior me es pro quo dedisti teipsum. Cum ignis non accẽdatur melius quàm igne: ignis diuini amoris quem nobis Deus ostẽdit in redemptione humani generis, maximè deberet incitare nos ad amandũ Deum. Chrysostomus: Non est, inquit, aliquis omnino, nõ pater, nõ mater, nõ amicus, nõ alius quispiã qui ita nos aliquando dilexerit, quemadmodum ipse qui fecit. Bern. in sermonibus: O duri & indurati & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tã pretiosas merces expendit. ¶ Ad amandum Deum, incitat gloria amãtibus Deũ specialiter promissa & præparata. 1.Cor.2. Oculus nõ vidit, &c. quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Iacobi 1. Accipiet coronam vitæ, quã repromisit Deus diligentibus se. Mirum est quomodo amor noster Deo euadere potest: quia si venalis est, nullus Deo carius emet: dabit ei pro illo regnum æternũ. Si est dandum, nullus dignior eo est quàm Deus, cùm ipse sit summè bonus. Vnde nulli potius quàm ei debet dari. Si verò violentiã requirit, nullus maiorẽ violentiã pro eo faciet quàm ipse. Petit enim eum quasi gladio euaginato. Aut enim eũ amabis, aut æterna morte interficieris. Dauid: Nisi conuersi fueritis ab amore scilicet immũdo, ad amorẽ Dei, gladiũ suum vibrauit. Aug. in lib. Conf. Domine quid tibi sum ipse vt amari te iubeas, à me, & nisi hoc faciã irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Ad amandũ Deum incitant omnes creaturæ. Augu. 10. lib. Cõf. Cælũ, & terra, & omnia quæ in eis sunt ecce vndiq; mihi dicũt vt te amẽ, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Dupliciter dicunt creaturæ nobis vt Deũ amemus. Vno modo, ostendendo eum dignissimum amore nostro. Bonitas enim vniuersitatis creaturarum ostendit creatorẽ esse optimũ, & ideo amore dignissimum. Secundo, quia creaturæ sunt dona Dei & beneficia Dei. ¶ Ad incitandum verò aliquem ad amandum alium, efficacior est donatio quàm locutio. Etiam terrena & cælestia fecit Deus propter hominem, vt patet ex principio Gen. Vbi postquam de creatione hominis locutus est Deus, subditur: Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ, vniuersæq; creaturæ. Et postquã locutus est de luminaribus cæli, subditur: Et sint in signa, & tẽpora, & dies, & annos, & lũceãt in firmamẽto cæli, & illuminẽt terrã. Cum secundũ ligna exardescat ignis, Ecclesiast. 28. magnus deberet esse ignis diuini amoris qui pro lignis Dei tot habet Dei beneficia, quot sunt

creaturæ. De his lignis legitur Leuiti.6. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies. Illos qui non incitantur ad Deum amandũ, tot & tantis beneficiis accusare poterunt etiam feræ quæ beneficia sentiunt, vt ait Seneca: Ecce etiam canes amant benefactores suos. Refertur etiam de quodã leone quem quidam miles à serpente liberauit, quòd à milite recedere noluit: quid ergo excusationis habebunt, qui deserentes redemptorem suum, serpenti infernali adhærent? Si lapides cauantur à guttis aquæ assidnè cadentis, quam excusationem habebunt corda dura quæ non emolliunt assidua Dei beneficia? Quasi infinitæ sunt creaturæ quarũ vnaquæque sufficeret ad monendum hominem ad amorem alterius hominis, si eam sibi dedisset. Quomodo ergo non sufficiunt vniuersæ creaturæ ad accendendum hominem ad amorẽ Dei? ¶ Ad amandum Deum incitare possunt & bona & mala. De bonis iam ostensum est quæ vniuersa sunt Dei dona: De malis verò facile est idem ostendere, cùm sint flagella patris misericordiarũ erudientis filios suos ex amore paterno prouidentia. Apocalyp.3. Ego quos amo, arguo & castigo. Heb.12. Quem diligit Deus castigat. Et non solum mala pœnæ possunt incitare ad Dei amorẽ: sed etiam mala culpæ quæ Dei misericordia dissimulat in his qui nondum pœnitent, vt saltem quandoque pœniteant, vel remittit his qui pœnitent, vel à quibus custodit eos qui sibi adhærent. Aug. in lib. de Virginitate: Vos, inquit, vt ardẽtissimè diligatis, cui diligendo à coniugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimissum quicquid à vobis non est illo regente commissum. Multo fortius debes diligere illum qui quæcunq; flagitiosis ad se conuersis dimisit, in ea cadere non permisit. Quid habes quod non accepisti? aut qua peruersitate minus diligis à quo plus accepisti? Cogita omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur. Noli modicum diligere, quasi à quo tibi modicum dimissum est: sed potius multum dilige, à quo tibi multum tributum est. Si enim diligit cui donatũ est ne redderet: quanto magis diligere debet cui donatum est vt haberet? ¶ Et notandum est, quòd cũ quatuor de causis aliquid soleat diligi, scilicet de causa attinentiæ, vel quia in eo deliciæ inueniuntur, vel quia beneficiis iam datis amari meruit, vel quia beneficia ab eo sperantur, his quatuor de causis amandus est Deus. ¶ Causa attinentiæ, cùm ipse sit pater. Matth.23. Patrem nolite vocare vobis super terrã. Vnus est enim pater vester qui in cælis est. Et qui erat pater, factus est frater. Matth. vltim. Nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam. Et qui erat dominus, factus est seruus. Bernard. loquens de filio Dei incarnato: Non hoc loco, inquit, prædicatur magnus dominus & laudabilis nimis, sed paruus dominus & amabilis nimis. Paruulus vtique qui natus est nobis, ipse voluit nasci in mundo isto, & quasi fieri de terra nostra, vt amabilior esset nobis: non enim solent homines amare dominos de terra aliena. Ipse voluit in similitudinem hominum fieri, vt hominibus esset amabilior. Similitudo enim ad amorem facit. Eccles.13. Omne animal diligit simile sibi. Ipse humanam naturam diuinæ voluit associari in vna persona, nũnquam ab ea separandam in signum amoris, vt sic saltẽ amaremus à quo agnosceremus nos amari. ¶ Deus etiam amãdus est à nobis, quia in eo sunt summæ deliciæ. Psal. Delectationes eius in dextera tua vsq; in finẽ. ¶ Itẽ amandus est, quia beneficiis suis hoc meruit. Bern. in lib. de diligendo Deo: Multũ meruit Deus de nobis, qui etiam immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso poterat dare vel ipse? Ergo, si Dei meritum quæritur, illud est præceptum: quia ipse prior dilexit nos. 1. Ioan. 4. Dignus planè qui reametur: præsertim si aduertatur quis, quos, quãtũmq; amauerit. Quis enim? nónne is cui omnes spiritus cõfitentur? Deus meus es tu: quoniam bonorũ meorum non eges. Vera huius charitas maiestatis: quippe non quærentis quæ sua sunt. Quibus autem tanta charitas exhibetur? Cùm adhuc, inquit, inimici essemus, reconciliati sumus Deo. Dilexit ergo Deus & gratos & inimicos. Sed quantũ? Sic Deus dilexit mundum, ait Ioannes, vt filium suum vnigenitũ daret. Sic meruit iustis impiis, summus infimis, omnipotens infirmis. Idem in eodem: vt paucis quod dictum est repetã, prior ipse dilexit nos tantus & tantum, & gratis, tantillos & tales. Item amãdus est à nobis propter beneficia quæ ab eo speramus. De quibus require in tractatu Spei, cap.5. ¶ Item notandũ est quòd ad amorem Dei, nos incitare potest amicitiæ eius vtilitas, & inimicitiarum eius dãnositas, & amici huius fidelitas. ¶ Vtilitas, quia nihil fructuosius esse potest quàm à Deo diligi, iuxta verbum Bernard. Ipse diligentibus se peccata remittit. Luc.7. Remittuntur ei peccata multa: quoniã dilexit multum. Ipse eos erudit. Eccles.2. Diligite Deũ, & illuminabuntur corda vestra. Grego. Interdũ compunctionis ardore tantæ subtilitatis est vis amoris, vt hanc nec ipse animus possit comprehendere, qui hanc illuminatus meruit habere. Ipse eos custodit. Psalm. Custodit dominus omnes

diligentes se. Ipse ad suauitatem suæ contemplationis etiam in præsenti admittit. Greg. in Moral. Si quis ad contemplationis studium properat: semetipsum prius subtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mētis est vis amoris, qui hanc dum à mundo extrahit, in alto sustollit. ¶ Vtilitas huius amici sicut & aliorū amicorū in necessitate apparet, vt in infirmitate à qua ipse potest liberare, cùm alij amici non possunt: & in morte, quando alij amici defunctum deserunt, & amicus iste eum suscipit. Psal. In voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. Et in iudicio vbi non habebit amicum cui Deus erit inimicus. Eccles. 20. Fatuo non erit amicus. Omnia sunt amica ei, cui Deus est amicus: quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Roma. 8. ¶ Inimicitiarū etiam Dei dānositas incitare potest ad amandū Deū. Omnia enim sunt inimica inimicis Dei: etiam ipsimet sunt sibi inimici. in Psal. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. In futuro verò magis apparebunt hæ inimicitiæ, quando pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Sap. 5. Greg. Offenso creatore omnis creatura damnatum habet odio. Ipsimet si esse possent vellent se non esse. Ipsi etiā sancti qui tantum amauerunt peccatores in præsenti, lætabuntur cùm viderint vindictā. ¶ Fidelitas etiam huius amici ad idem potest incitare. Eccl. 6. Amico fideli non est comparatio: & non est digna ponderatio argenti & auri. ¶ Alij amici quadrupliciter inueniūtur infideles. ¶ Primò, quia aliquando non amant, licet amētur: sed non sic est de amico isto. Prouerb. 8. Ego diligentes me diligo. Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. ¶ Secundo, quia tempore aduersitatis desinūt amare. Eccles. 6. Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in tēpore tribulationis. Sed nō est sic in amico isto. Prouerb. 17. Omni tempore diligit qui amicus est (Christus scilicet) & frater in angustiis cōprobatur. ¶ Tertiò, quia qui amāt viuos, inimici fiunt mortuorū, spoliantes eos bonis suis. Eccle. 6. Est amicus qui conuertitur ad inimicitias: amicus verò iste in morte specialiter ostendit se esse amicum: spiritum enim qui de habitaculo corporis exit, in cæleste habitaculum recipit. ¶ Quartò, quia amici patris inimici fiunt filiorum: sed amicus iste propter patrem filios amat, quandoque vsque in decimam generationem. Exo. 20. Ego sum dominus Deus tuus, &c. faciens misericordiā in millia his qui diligūt me. Et vt breuiter dicam, Beatus est qui dominum debito modo amat: & væ illi qui eum debito modo non amat. August. 4. lib. Confes. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullū charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui nō amittitur: te nemo amittit nisi qui dimittit. Idem, Hæc omnia bona sunt: sed væ tibi si amaueris condita, & deserueris conditorem. Item 8. libro de Trinit. Cùm aliqua non amentur, nisi quia bona sunt, pudeat eis inhærendo non amare ipsum bonum vnde bona sunt.

De his quæ valent ad hoc vt aliquis ametur à Deo. CAP. IIII.

Dicto de his quæ possunt hominem incitare vt Deum amet, dicendum est de his quæ faciunt ad hoc vt aliquis ametur à Deo. ¶ Septem verò sunt, quæ ad hoc valere possunt. ¶ Primum est sapientia. Sapi. 7. Sapiētia infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Et in eodem: Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Nouit dominus, & de amicitia stultorū prouenit damnum & dedecus, ideo non vult habere amicitiam cū stultis. Prouer. 14. Acceptus est regi minister intelligens. ¶ Secundū est munditia, quæ effectus est sapiētiæ. Iac. 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidē pudica est, id est, pudicū faciens. Propter munditiam vocatus est Ioannes discipulus quem diligebat Iesus. Io. vlti. Prouer. 22. Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, amicum habebit regem. Can. 6. Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia. Puritate enim delectatur. Sapi. 6. Incorruptio facit proximum esse Deo. ¶ Tertium est mansuetudo quæ multum assimilatur Deo, cuius bonitatem alicuius malitia non perturbat: & ideo Deo amabilem facit. Propter mansuetudinem Moyses qui erat mansuetissimus super omnes homines qui morabantur super terram, Numeri 12. specialiter amicus Dei fuit. Eccle. 45. Dilectus Deo & hominibus Moyses. ¶ Quartum est liberalitas, quæ multum assimilatur Deo, qui ex liberalitate fecit quicquid fecit, creaturas rationales vt eis daret: alias creaturas, vt eas daret. Sen. Qui dat beneficia Deū imitatur. Maximè verò Deum imitabitur qui pauperibus nihil iudicauerit quàm misereri pretiosius. Liberalitas ratione similitudinis, hominem reddit Deo amabilem. 2. Corinthiorum 9. Hilarē datorē diligit Deus. ¶ Quintum est, humilitas propter quā Dauid fuit vir secundum cor Dei. 1. Reg. 15 Mat. 9. In signum amoris quem habet Deus ad humiles, Deus amplexatus est paruulū. Et Beniamin frater minimus, Gen. 43. vocatur amantissimus domini. & Deut. 33. ¶ Sextum est dilectio. Diligit enim dominus eos qui se diligūt: alioquin esset infidelis. Bern. in epistolis: Nemo se amari diffidat qui iam amat.

Libenter Dei amor nostrũ quẽ præuenit subsequitur. Nam quo modo reamare pigebit, quos amauit necdum amantes? ¶ Septimum est temporalium contemptus. Matt. 19. Si vis perfectus esse, &c. Gl. interli. In dilectionẽ Dei. Senec. Nemo dignus Deo qui opes non contẽpserit. Temporalia amata inquinant. Iuxta verbũ Ber. Ideo anima temporalia amans quasi inquinata, indigna est Dei amore. Aug. in lib. Soliloquiorum: Si alicuius pulchræ fœminæ amore flagrares, iure se tibi non daret si aliud à te quicquam præter se amari comperisset. Sic qui in bonis contemptibilibus amorem suum ponit, Dei amore est indignus.

De modo amandi Deum. CAP. V.

SEquitur de modo amandi Deum. Modus autem diligendi Deum, est sine modo diligere: vt ait Bern. in lib. de diligẽdo Deo. Idem ad fratres de monte Dei: In dilectione Dei non alia ratio, non alia discretio est, nisi vt sicut ille cũ dilexisset nos, in finem dilexit nos: sic si fieri potest, nos in infinitum diligamus eum. Sicut beatus vir qui in mandatis eius cupit nimis. Sed cùm nullum finẽ vel terminũ habere debeat deuotio amantis: tamen terminos suos & fines & regulas habere debet actio operantis. Idem etiã ostendit modum amandi Deũ esse, vt amemus eũ quantum possumus, dicens ita: Deus meus, adiutor meus, diligam te pro dõno tuo, & modo meo, minus quidẽ iusto, sed plane non minus posse meo: qui etsi quantũ debeo non possum, nõ possum tamen vltra quàm possum. Potero verò plus, cùm plus donare dignaueris: nunquam tamẽ prout dignus haberis. ¶ Modus etiam amandi Deum ostenditur Deut. 6. his verbis: Diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Itẽ Matt. 22. Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Verba Deut. videntur pertinere ad illas tres vires animæ, quæ sunt, vis rationalis, vis concupiscibilis & irascibilis. Fortitudo enim quę tertio loco ponitur, ad irascibilẽ pertinet. Verba verò Matthæi videtur pertinere ad illas tres vires animæ, quę sunt intellectus, volũtas, & memoria. Vnde mẽs cuius est memorari, tertio loco ponitur. Lucas vero 10. vtrũq; videtur tãgere, dicens: Diliges dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Et accipias idẽ per hoc qd dicitur, ex omnibus viribus tuis: & per hoc qd dicitur in Deut. ex tota fortitudine tua. ¶ Et notãdũ, q secundũ Gregoriſta verba, Ex toto corde tuo, &c. ad inculcationẽ ponuntur. Secundum Aug. totalitas ista aliter accipienda est prout competit statui

statui patriæ: aliter prout competit statui vitæ. Secundum, quòd competit statui patriæ attẽditur in hoc totalitas ista, quòd omnes motus animæ ad Deũ referatur: & sic non impletur in vita præceptũ illud: nisi forsitan ad tempus breue à viris perfectissimis. Tamen secundũ Aug. ideo præcipitur: quia nõ recte curritur, si quò curratẽdũ est, nesciatur. Quomodo autẽ sciretur si nullis præceptis ostenderetur? Et in præcepto affirmatiuo potuit præcipi, quòd nõ potest in vita impleri: quia præcepto affirmatiuo nõ obligatur quis vt illud impleat semper: sed vt impleat illud loco & tempore. Nullũ verò præceptum negatiuum potuit esse simile huic. Illud enim obligat vt semper impleatur: & ideo necessariò hominẽ faceret transgressorem. Ber. Mandata impossibilia non fecerunt transgressores homines, sed humiles. Secundũ verò, q cõpetit statui vitæ, totalitas ista in hoc attẽditur, quòd nullus motꝰ sit in anima amori Dei contrarius, nec aliquid præter Deũ propter se ametur. Ad primũ pertinet illa expositio August. Toto corde, id est, intellectu, sine errore: tota anima, id est, voluntate, sine cõtradictione: tota mẽte, id est, memoria, sine obliuione. Ad secundũ pertinet qd dicit August. in lib. 3. de doctrina Christiana, cũ ait, Toto corde, tota anima, tota, mẽte nullã vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare & aliare velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animũ, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Frui, est amore inhærere alicui rei propter seipsum: vt ait Aug. Idem Aug. in lib. Soliloquiorum: Ego non puto vllarũ rerum vocandam cupiditatem quæ propter aliud requirũtur. Idẽ in eodem: Iam certe ostendisti nihil aliud me amare quàm sapientiam. Si quidem qd nõ propter se amatur, nõ amatur. Ego autem solam per se amo sapientiam, cætera verò adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam. Loquitur de sapiẽtia increata. Cõtra totalitatem siue perfectionẽ amoris diuini, solus ille amor est, quo amatur aliquid præter Deũ, non propter Deũ. Aug. 10. libr. Confessionum: Domine, minus te amat, qui tecũ aliquid amat, quod nõ propter te amat. Modus ergo amandi Deũ est, vt ipse ametur super omnia, & propter se. Secundum Ber. verò sic exponitur verbum prius positũ, Diliges &c. toto corde, id est, sapienter: tota anima, id est, dulciter: tota virtute, id est, fortiter vel perseueranter. Idem. Disce Christiane à Christo, quemadmodũ diligas Christum. Disce amare dulciter, prudenter, fortiter: dulciter, ne illecti: prudẽter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore domini auertamur. Idem, Non abduci blanditiis, nec seduci

fallaciis,nec iniuriis frangi:toto corde, tota anima, tota virtute diligere est.Idem exponens quid sit amare dulciter, sapienter,& fortiter:Dulciter,inquit,amat, qui Christo passio cõpatitur,compungitur & mouetur. Sapienter amat, qui ab ecclesiastici sensus puritate nulla deuiat verisimilitudine, & qui discretionis metã nulla superstitione,vel leuitate, vel spiritus feruentioris vehemẽtia deserit.Amor fortis est,quum nec vlla vi laborum,vel tormentorum, vel etiã metu mortis iustitia deseritur. Item toto corde Deũ diligit,qui gloriam in solo Deo quærit.In corde enim magnanimitas pertinens ad vim irascibilẽ intelligitur. Anima verò potest referri ad concupiscibilem, cuius est velle. Mens verò cuius est meditari ad rationalem. Totis ergo his tribus viribus aliquis Deum amat, quũ vis rationalis à solo Deo desiderat, & ab eo solo se posse sapientem fieri credit: & quum vis cõcupiscibilis reputat Deum gaudium suum,& in illo solo gaudere quærit, & quũ vis irascibilis in illo solo gloriari desiderat,aliam gloriam contemnens.Item notandũ,quòd toto corde siue intellectu Deũ amat, qui intellectum suum in obsequium Christi captiuat,& qui studium suum Christo dat, & ad visionẽ Dei toto desiderio anhelat.De primo legitur 2. ad Cor. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequiũ Christi.Et notandum,quòd quadruplex debet esse captiuatio intellectus nostri.¶ Prima vt in his quæ sunt fidei, Deo obediamus.Hilarius:Soli Deo de se credendum, est,qui se solus nouit.Secunda,vt male de nobis,& bene de proximo sentiamus.Senec. Quod homines libenter faciunt de aliis, de te apud te male existima. Tertia, vt sensum superioris nostri, sensui nostro præferamus:qđ maximè faciendum est in religione.Ber.Lignũ in paradiso scientiæ boni & mali,censura discretionis est in cõuersatione religionis penes patrem spiritualem, qui diiudicat omnia,ipse à nemine iudicatur,ipsius est discernere,aliorũ obedire. Quarta,vt circa nosmetipsos intendentes, ab aliis oculos auertamus.Ber.Temetipsum solicitè custodi:& vt temetipsum custodias,ab omnibus oculos auerte. Christo studiũ suum dat, qui ea quibus adiuuamur in Deũ ab eis quibus impedimur,sagaciter secernit,qđ est prudentiæ:vt dicit Aug.Itẽ qui doctrinam Christũ nescientẽ fastidit.Ber.Si disputes,aut cõferas, nõ sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Itẽ qui in creaturis Deũ intelligit. Aug.Væ illis qui diligũt nutus tuos pro te. Nutus tui sunt omne creaturarũ decus.Tota anima,siue tota volũtate amat, qui perfectè obedit,quẽ nec timor mali transitorij exterret, nec amor boni

boni transitorij ab obedientia retrahit.Tota mente,seu memoria Deũ diligit,qui ea quæ Deo displicent,& ab amore eius impediunt,obliuioni tradit,vt sunt iniuriæ nobis illatæ, quæ dum recogitantur,sunt quasi ferrum in vulnere,quod vulneris sanationem impedit. Itẽ qui ea quæ ad honorẽ Dei pertinent & salutem enimarum memoriæ infigit,& quem magnus amor Dei de alio quàm de Deo diu cogitare non sinit: sicut solet accidere fatuè amantibus, qui non possunt obliuisci id quod amant. Ber.super Cant. O amor impetuose, qui præter te cogitare aliud non sinis.Deus vult habere amorem cordis nostri integrũ. Prou.24.Præbe filiũ mi cor tu mihi.Leuit.3.Omnis adeps domini erit iure perpetuo. Augustin.sermone: Totũ exigit te qui fecit te.Sed noli tristis esse,quasi nihil vnde gaudeas remaneat in te.Ex hoc enim diligit te,q diligis Deum ex toto corde. Nec mirum si Deus velit habere cor integrum, quum sufficiat illud implere.¶ Et notandum,quòd amor Dei debet esse rectus,strenuus,& lætus,desideriis plenus.Rectus,vt Deus propter se ametur,non propter tẽporalia.Aug.15.lib.de Ciui. Dei:Boni ad hoc vtuntur mũdo,vt fruantur Deo.Mali autem contrà,vt fruantur mundo,vti volũt Deo.Aug.Vti est id quod in vsum venerit, referre ad obtinendum illud quo fruẽdum est:aliàs abuti est non vti. ¶Amor quo aliquis amat Deum propter temporalia, contumelioſus est Deo. ¶ Temporalia enim præfert ei. Propter quod enim vnumquodq; amatur,illud magis amatur. Item est quasi amor meretricius. Meretrix enim amatorem suum depauperatũ abiicit. Hieremiæ 3. Quomodo si contemnat mulier amatorem suum,sic cõtempsit me domus Israẽl.Hoc accidet tempore antichristi, qnando Christus erit quasi pauper: spoliabuntur enim qui ei adhærebunt.Amor talis etiam est caninus. Canis enim os nudatum carne deserens, strenuus debet esse.Poëta: Amor odit inertes. Item militiæ species amor est, discedite segnes:Non sunt hæc timidis signa ferenda viris. Itẽ: Audacem faciebat amor. Item: Nil certe est quod non effræno captus amore Ausit. Lætus etiam debet esse, dum tolerat dura pro eo quem amat. Act.5.Ibant Apostoli gaudentes à conspectu cõcilij:quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati,desideriis plenis:quum enim maior, ignis sit,scintillæ desideriorum ex ipso emicant.Daniel.9.Vir desideriorum es.Esa.26.Anima mea desiderabit te in nocte. Dauid: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.Bernar.super Cant.Anima amans fertur votis,trahitur desideriis.Item amor facundus est.

Poëta: Facũdum faciebat amor. Philosophus: Verborum abundantiam transmittit affectio. Amans suiipsius obliuiscitur. Augustinus de verbis domini: Oblita est anima seipsam, sed amando mundum. Nunc obliuiscatur se, sed amando artificem mũdi. Item amans dolores corporis non sentit. Bernardus: Non mirum si exul à corpore dolores non sentiat corporis: neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur: nec deest dolor, sed contemnitur. Item amor dignitatis est nescius. Bernard. in lib. de consideratione: Amor dominum nescit. Agnoscit mater filium & in insulis. Idẽ super Cantic. Anima amans maiestati oculos claudit, aperit voluptati. Idem loquens de anima ardẽter amante: Proprio inebriatur amore, vt maiestatem non cogitet. Qui enim respicit terram, & facit eã tremere, & ista se ab eo postulat osculari, ebriáne est? Ebria prorsus. Amor etiam omnia vincit. Bernardus super Cant. Præceps amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur. Item: Quid violentius triumphat de Deo? Amor. Quid tamen tam non violentũ quàm amor? Quæ ista vis, quæso, tam violenta in victoriam? tam victa est violentia? Bernard. super Cantic. Magna est & violenta vis charitatis, ipsum effectum Dei attingens & penetrans, & velut sagitta ieeur eius transfigens. Canti. 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.

De diuersis speciebus diuini amoris. CAP. VI.

NOtandũ q̃ quadruplex est amor Dei. Primus est naturalis, quo amore omnes amãt Deũ & boni & mali. Aug. in lib. Soliloquiorũ: Deus, quem amat omne q̃d amare potest, siue sciẽs, siue nesciẽs. Secundus est amor quo aliquis amat Deũ, eò q̃ cognoscit eum sibi necessarium. In Ps. Diligã te domine fortitudo mea: dominus firmamentũ meũ, & refugiũ meũ &c. Tertius est amor quo aliquis Deũ amat propter delicias quæ in eo sunt. Sapiẽ. 8. Et amator factus sum formę illius. Quartus est amor amicitiæ quo aliquis amat Deum, eò quòd dignissimus sit amore: qui amor est purè gratuitus. Bernard. super Cant. Amat castè qui ipsum quem amat quærit, nõ aliud quicquam ipsius. Item super Cantic. Amor per se sufficit: is per se placet & propter se ipse meritum, ipse præmium est sibi. Tres vltimas species amoris videtur tangere Bernard. in libr. de diligendo Deo his verbis: Natura ita condita fuit, vt habeat iugiter necessarium protectorem quem habuit, & conditorem, vt quæ nisi per ipsum non valuit esse, sine ipso nec valeat subsistere: quod sanè no

ne de se creatura ignoret, & sibi, quod absit, eroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor tribulationibus exerceri, vt cum defecerit homo, & subuenerit Deus, ab homine vt dignũ est honoretur. Hoc enim dicit: Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Fit itaque hoc modo vt homo qui præter se neminem diligere nouerat, etiam Deum vel propter se diligere incipiat, qui in ipso nimirum, vt sæpe expertus est, omnia possit quæ posse prosit, & sine ipso possit nihil. Amat ergo Deum, sed propter se, non propter ipsum. At si frequens ingruerit necessitas, ob quam & frequens ad Deum fiat conuersio, & à Deo frequens liberatio conferatur: nónne & si fuerit ferreũ pectus, vel cor lapideum, per totiens liberari emolliri necesse est ad grãtiam liberantis quatenus homo Deum diligat, non propter se tantum, sed propter ipsum? Ex occasione quippe frequẽtium necessitatum, crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari: frequentando gustari, gustando probari: quoniam suauis est dominus. Ita fit vt ad diligendum purè Deum plus iam ipsius alliciat gustata suauitas, quàm vrgeat nostra necessitas. Suauitatem potes intelligere vel eius delectabilitatem, vel benignitatem.

De signis diuini amoris. CAP. VII.

DEcem sunt signa quibus perpendi potest vtrum aliquis amet Deum. ¶ Primum est quum aliquis libenter cogitat de Deo. Vbi enim amor, ibi oculus. Vnde super illud Ioan. 20. Domine, si sustulisti eũ, dicito mihi vbi posuisti eũ. dicit gl. Non dicit quẽ: quia hoc in animo agere solet vis amoris, vt quẽ semper cogitat, nullum aliũ ignorare credat. Sap. 6. Cogitare de illa, sensus est cõsummatus. loquitur de sapiẽtia increata. ¶ Secundum est, quum aliquis est libẽter in domo Dei. Luc. 2. dicitur de Anna quòd non discedebat de templo: quæ meruit interesse præsentationi domini in templo. Et Christus quum esset duodecim annorum, inuentus est in templo. Lucæ 2. qui matri suæ & Ioseph ait: Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et super illud Matth. 21. Intrauit Iesus templum. dicit gloss. Ingressus vrbem, primò templum adiit: dans formam religionis, vt quocunque imus, primùm domum orationis, si ibi est, adeamus. Chrysosto. Proprium erat boni filij, vt veniens primò ad domum curreret patris. Tu autem imitator Christi factus quuum in aliquam ingressus fueris ciuitatem, primò ante omnem actum ad ecclesiam curras. ¶ Tertium est, cum aliquis de Deo vel cum Deo libenter loquitur. De hoc habemus exem

exemplum in Magdalena quæ Christum dilexit multum: cuius verba quæ habentur in Euangelio, vel de Deo vel cum Deo fuerunt. Vnde habes Io.11. Domine, inquit, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Alia tria habes Io.penult. Tulerunt, inquit, Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Et paulò post: Domine si sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Et iterum: Venit Maria Magdalena annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. 1. Petr. 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei. Et super illud Roma. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Dicit Chrysostomus: Hic amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant: sed necessariis & charis suis efferunt & produnt, & flammas infra pectus suum cohibere non possunt. Enarrant frequentius: vt ipsa assiduitate narrandi solatium amoris sui capiant, & refrigeria immensi ardoris assumant. Sic ergo facit hic beatissimus amator Christi.

¶ Quartum est, quum quis libenter Deum audit, & audita ab eo retinet memoriter. Luc.2. Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Eiusdem: Magdalena sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius. Io.14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. ¶ Quintum est, cum quis libenter dat pro Deo. Canti. vlti. Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Et Luc.7. dicit Dominus de Magdalena post beneficia eius enumerata: Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. 1. Io.3. Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suũ necessitatẽ habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? ¶ Sextum est, quum aliquis pro Deo libẽter patitur. Eccl.2. In igne probatur aurum & argentum: homines autem receptibiles in camino humiliationis. Io.18. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibã illum? Gre. in prima parte Moralium: Pœna quippe interrogat si quietus quis veraciter amet. ¶ Septimum est, quum mandatis Dei aliquis obedit. 1. Io.5. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Item 2. Io. Hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius. Io.14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Specialiter signũ diuini amoris est, si quis seruat illud mandatum, quod Saluator specialiter dicit suum. Io.15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. 1. Io.4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat fratrem suũ. Maximè amor pauperum signũ est diuini amoris. Illi enim non amantur propter se, sed propter Deum. Prou.19. A paupere & amici quos habuit separantur. In eodem:

eodem: Fratres hominis pauperis oderunt eum, & amici procul recesserunt ab eo. ¶ Octauum est, quum quis amat quæ Deo placent, & odit quæ Deo displicent. Ad primum monemur exemplo Christi, Matt.12. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est. Ad secundum, exemplo Dauid: Iniquos odio habui. Idem: Nónne qui oderunt te domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam &c. Item Defectio tenuit me pro peccatoribus &c. Item. Vidi prœuaricantes, & tabescebam. Ambrosius super Beati immaculati. Si is qui nõ relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus: quanto magis qui diligit eius inimicos acceptus Deo esse nõ poterit? Hieronymus in epistolis: Nationes aduersariorum immortali odio persequimur: blasphemantibus Deum, clementem porrigimus manum. Ambrosius in Hexameron: Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulauimus iniurias? ¶ Nonum est, quum quis frigescit à solicitudine & amore mundi. Gregorius: Tanto frigescit quis à curis seculi, quanto surgit ardentius in amorem Dei. Item Iacob qui angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hũc mundũ duplicibus desideriis incedere nescit. ¶ Decimum est, quum aliquis magnũ honorem exhibet ministris Dei: sicut qui eos spernit, Deum spernit. Matt.10. Sic qui eos honorat, Deum honorat. Eccl.7. In omni virtute tua dilige Deum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.

De his quæ incitant ad amandum proximum.

CAPVT VIII.

NOtãdum quòd licet debeamus amare Deum, & nos, & proximum: tamen non habemus speciale præceptum de amore nostri, nec specialis tractatus erit hic de amore illo, eò quòd amare Deum sit amare seipsum. Vnde Augu. Ille solus se nouit diligere, qui Deum diligit. Siquidẽ ille se satis diligit, qui sedulò agit vt summo & vero fruatur bono: quod si nihil aliud est quàm Deus, quis cunctari potest, quin sese amet qui amator est Dei? Itẽ Augu. Quum illa dilectione quam Deus imperat, debeat homo diligere Deum, & seipsum, & proximum: non tamen ex hoc tria præcepta data sunt: vt intelligatur nullam esse aliam dilectionẽ, qua quisque diligit seipsum, nisi quòd diligit Deum. Qui enim aliter diligit se, potius se odisse dicendus est. ¶ De amore verò proximi hoc modo dicetur. ¶ Primo dicetur de illis quæ possunt incitare ad hoc vt amemus proximũ. ¶ Secundò de his quæ possunt

sunt valere ad hoc vt amemur à proximo. ¶ Tertio de modo amandi eũ. ¶ Quarto de diuersis speciebus huius amoris. ¶ Circa primum notandũ, quòd ad amandum proximũ, Primò potest nos incitare sacra scriptura quæ totiens ad hoc monet. Leuit.19. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Et in eodem: Diligetis aduenam quasi vosmetipsos. Et Deut.10. Amate peregrinos. Matt.22. & Luc.10. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Io.13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Idem 15. Et 1. Ioan. 4. Charissimi, diligamus nos inuicem. Et specialiter illa scriptura deberet nos incitare ad hoc, quæ ostendit præceptum de dilectione proximi, specialiter esse præceptum Saluatoris. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem &c. Legitur in vita beati Ioānis Euangelistæ, quòd quum ipse deuenisset ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset plura docere verba, ad quæ libet pausam hoc dicebat: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant audientes quòd eadem verba semper diceret, dixerunt: Magister, quare semper hæc loqueris? qui respondit: Quia præceptum domini est, & si solum fiat, sufficit.

¶ Hoc præceptum lucidum est & breue, vtile & leue. Tale siquidem debuit esse præceptum optimi præceptoris. Dionis. Optimi est optima adducere. Lucidum debuit esse, ne quis dicat mihi licuit intelligere. Breue, ne quis dicat: tædet me legere. Lucidum decuit esse præceptum eius qui erat lux vera. Ioan. & Psalm. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Decuit verbum æternum in incarnatione abbreuiatum abbreuare legem. ¶ Decuit etiam vtile esse præceptum illius qui ad hoc venerat, vt se totum in vtilitatem nostram expenderet. Hieronymus: O nimiam Dei clementiam, ô ineffabilem Dei benignitatem: præmium nobis pollicetur, si nos mutuo diligamus, & si nobis ea præstemus inuicem, quibus inuicem indigemus. Et nos superbo simul & ingrato animo ei renitimur, cuius imperium beneficium est. Decuit etiam esse leue præceptum benignissimi domini. Matt. 11. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Verè leue est hoc præceptum, quum à quolibet possit impleri, & à paupere & à diuite, ab infirmo & sano. Non est necesse emere oues & boues, vel ire vltra mare vt hoc præceptum impleatur. Deut.30. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum. Dicebat præceptum eius qui venerat legem implere, esse legis plenitudinem:

dinem: plenitudo autem legis, est dilectio. Roma.13. ¶ Secundo potest incitare ad amorem proximi, amor quem videmus inter animalia irrationabilia eiusdem speciei. Ecclesiastic. decimotertio: Omne animal diligit simile sibi. Et pòst: Omnis caro ad similem sui coniungetur. Si lupus, & leo, & serpens non exercerent illam ferocitatem in animalia quæ sunt suæ speciei, quam exercent in alia, quid dicendum est de homine qui desæuit in alium hominem, nisi quòd ferocior est lupo, leone, & serpente? Etiam ipsa aqua quę naturaliter habet pugnam cum igne, pacem habet cum alia aqua quæ est eiusdem speciei cum ea.

¶ Tertiò fraternitas naturalis quę est inter omnes homines. August. in libr. de disciplina Christiana: Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdem parentib. nascuntur: Adam & Euam intendamus, & omnes fratres sumus. Idem 12. libr. de Ciuit. Dei: Nihil tam discordiosum vitio: tam sociale naturæ, quàm genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem vnum de quo multitudo propagaretur: vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruaretur. Quòd verò illi fœmina ex eius latere facta est, etiam hinc satis significatũ est, quàm chara mariti & vxoris debeat esse coniunctio. Malach. 2. Nunquid non pater vnus est omnium nostrum? quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum? Voluit Deus vnicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, vt tanquam fratres omnes homines se amarẽt. Non sic legimus factum in angelis, vel animalibus brutis. Dilectio est debitum naturale, quo vnus homo obligatus est alteri, à quo debito nullus absoluitur quantumcunque ab eo soluatur. Vnde super illud Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. dicit glos. Augustin. Sola charitas est, quæ etiam reddita semper detinet debitorem. Seneca: Hæc societas diligenter & sanctè est obseruanda quæ nos omnes omnibus miscet, & iudicat aliquod esse commune ius generis humani. Plurimum quoque ad interiorem societatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine. Ius commune generis humani videtur contineri in illis duobus mandatis, Quod ab alio tibi oderis fieri, vide tu ne aliquando alteri facias. Tob. 4. & Matt. 7. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Item Seneca: Mihi ab istis subtilius præcipi malo, quid amico præstare debeam, quid homini, quàm quot modis dicatur amicus, & homo quàm multa significet. Idem: Sapientiæ homo pro amico est: stultitiæ amicus non est pro homine.

¶ Quarto,

¶ Quarto, fraternitas spiritualis, de qua August. in lib. de disciplina Christiana: Omnes quidē fratres secundū quòd homines sumus: quanto magis secundum quòd Christiani sumus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam, vna mater fuit Eua: ad id quòd Christianus, vnus pater est Deus, vna mater ecclesia. Hæc fraternitas tāto est melior fraternitate naturali, quanto meliorem habet patrem Deum. Matth. 13. Et patrē nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cælis est. Item quanto melior est mater ecclesia matre carnali: est melior hęreditas cælestis quàm temporalis. Heb. 10. Rapinā bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscētes vos habere meliorem & manentē substantiam. Si amandi sunt fratres qui diuidendo hæreditatē portionem vniuscuiusque minorem faciunt: quantum amandi sunt fratres illi qui portionē vniuscuiusque augent? Quanto enim plures erunt electi, tanto amplius gaudebunt. Plus enim gaudebit vnus electorum de gloria animæ alterius, quam de gloria proprij corporis. ¶ Quinto debet incitare ad amorem proximi exemplum Christi. Non enim est despiciendus quem Christus ita clarū habuit, quòd pro eius redemptione mori voluit. Appende proximum tuum hoc pretio, ne tibi vilescat. Apocalyp. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Ad Titum 2. Qui dedit semet ipsum pro nobis. Exemplo suo voluit Christus nos ad hoc incitare, quum dicit Ioan. 15. Sicut dilexi vos. ¶ Sexto exemplum angeli qui adeò amat hominem, vt custodiat eum in omnibus viis suis. Non est despiciendus homo ab homine, qui adeò charus est angelo. Matthæi 18. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est. ¶ Septimo, quòd fraterna dilectio tantum placet Deo. Eccles. 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentiētes. ¶ Octauo, similitudo quam habet proximus ad Deum. Licet aliquis amet omnes filios amici sui: tamen specialem habet amorem ad eum, qui amplius amico suo est similis. Sic licet ad omnia opera Dei amorem habere debeamus: tamen specialiter ad hominem, quem constat esse factum ad imaginem & similitudinem Dei. Gen. 1. ¶ Nono, quia membrum est corporis cuius Christus est caput. 1. Cor. 12. Vos estis corpus Christi. Non amat caput, qui nō amat mēbra. ¶ Decimo, quòd membrum eiusdem corporis, cuius & ipse: naturaliter verò amor est inter membra

membra vnius corporis. Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autē alter alterius mēbra. ¶ Vndecimo, emolumētum multiplex quod sequitur ex hac dilectione. Eccl. 4. Melius est duos esse simul, quā vnum. Habēt enim emolumentū sōcietatis suę. ¶ Quinque sunt emolumēta huius sanctæ societatis. Primum est victoria. Vnde subditur Eccl. 4. Si quis præualuerit cōtra vnum: duo resistunt ei. Prou. 18. Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Goliath inuitat ad singulare certamē. 1. Reg. 17. Econtrario Moyses ait, Exod. 32. Si quis est domini, iungatur mihi. Ambr. Omnis pugna vnanimiter aggressa victoriam parit. Secundū est, bonorū abundātia. Quod enim homini deest in se, habet in amico suo: & ad quod impotēs erat per se, potēs efficitur eo sibi coniuncto. Tullius de Amicitia: Virtutū amicitia adiutrix à natura data est, non vitiorum comes: vt quæ solitaria nō posset virtus ad ea quæ summa sunt peruenire, coniuncta & consociata cū altera peruenire. Tertiū est impetratio eius quod in oratione petitur. Mat. 18. Si duo ex vobis cōsenserint super terrā, de omni re quamcunque petierint: fiet illis à patre meo qui in cælis est. Quartū est mutua exhortatio. Eccl. 4. Vnus enim quomodo calefiet? Quintū cōsolatio. Prou. 27. Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici cōsiliis anima dulcoratur. Tullius de Amicitia: Solem de mundo tollere videntur, qui amicitiā de vita tollunt: quia nihil à Deo melius habemus, nihil iucundius. Item Tullius: Quoniā res humanæ fragiles sunt & caducæ semper ac quirendi sunt quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim beneuolētiáque sublata, omnis est de vita ablata iucūditas. ¶ Duodecimo dānum quod facit fraternū odium vel discordia. Hoc enim facit in corpore ecclesiæ quod facit diuisio, continuitatē in humano corpore, ex qua sequitur dolor magnus, & quādoque mors. Ideo Saluator multū rogat pro vnitate ecclesiæ. Io. 17. Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi: vt sint vnū sicut & nos. Item in eodem: Non pro eis rogo tātum: sed pro eis qui credituri sunt per verbū eorum in me, vt omnes vnū sint.

De his quæ valere possunt ad hoc, vt quis ametur à proximo.

CAP. IX.

EST notandum quòd licet vtrunque sit appetendum, & amare proximum, & amari ab ipso: tamen magis appetendum est amare, quàm amari. Beatius est magis dare, quàm accipere. Act. 20. Qui solùm amari volunt, ignem esse volunt in domo proximi sui, & ipsi in domo propriæ conscientiæ frigore pereunt. Ipsi etiam pretiositatem proximis suis & bonis eorum desiderant, de

pretiositate verò sua bonorum propriorum non curant. Charitas enim, vt prius ostensum est, pretiositas est hominis, & operum ipsius. ¶ Et notandum quòd multa sunt quæ valere possunt ad hoc, vt aliquis ametur à proximo. ¶ Primum est, modestia in sermone. Eccles. 20. Sapiens in verbis amabilem se facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. ¶ Secundum est similitudo, quæ multum facit ad amorem, & sicut dissimilitudo ad odium. Eccles. 27. Volatilia ad sibi similia conueniunt. Ambro. super Psal. Beati immaculati. Est insitū bonis, vt vnusquisque virtutes suas in aliis amet. Econtrario, Oderunt hilarē tristes, tristémque iocosi. Virtus etiā hominem amabilem reddit. Tullius de Amicitia: Nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendū. Quippe quum propter virtutem & probitatem etiā eos quos nunquā vidimus, quodā modo diligamus. Item in eodem: Tanta est vis probitatis, vt eam vel in eis quos nunquā vidimus, vel quod maius est, in hoste diligamus. Valet etiam ad hoc, quod aliquis ametur specialiter, virtus mansuetudinis. Eccles. 3. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriā hominum diligeris. Mansuetudo ad modum adamantis habet virtutē attractiuam. Ezech. 3. Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam. Valet etiam ad hoc, quòd aliquis ametur, fidelitas. Eccl. 33. Si est seruus fidelis tibi, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic tracta eum. Eccle. 27. Dilige proximū, & coniungere fide cum illo. Et eiusdē 6. Amico fideli nulla est comparatio. Et iterum: Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Valent etiam ad idem obsequia & beneficia. Terentius in Andria: Hoc tempore obsequiū amicos, veritas odium parit. Ignis amoris lignis beneficiorum debet nutriri, alioquin deficit. Obsequia etiam feras ad amorē incitant, & inimicos amicos efficiunt. ad Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potū da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius: id est, cor eius accendes ad te amandū. ¶ Notandū tamen quòd beneficia non parant amicitiā, nisi quū discretè dantur. Eccl. 20. Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius, qui enim edūt panē eius, falsæ linguæ sunt. Quoties, & quanti irridebunt eū? Nequenim quod habendū erat ab alio, scilicet directo sensu, distribuit similiter, & quod non erat habendū, ipse indiscretè dat danda, & similiter non dāda: propterea sapiētia dicitur esse mater pulchræ dilectionis. Eccl. 24. Discretio enim requiritur ad acquirendum amicū. Sene. Nullum habet maius malū occupatus homo, & bonis suis obsessus, quā quòd amicos sibi putat quibus non ipse est

est: quòd beneficia sua efficacia iudicat ad conciliādum amicos, cùm quidam quo plus debent, magis oderint. Quid ergo? Beneficia non parāt amicitias? Parāt, si accepturos licuit eligere: si collocata, nō sparsa sunt. Itaque dum incipio esse mētis tuæ, interim hoc consilio sapiētum vtere, vt magis existimes pertinere ad rē quis, quàm quid acceperit. Tullius in Rhetorica: Melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocatum est. Inter omnia maximè valet ad hoc quòd aliquis ametur, si ipse primo amauerit. Aug. Nulla est maior ad amorem inuitatio, quàm prēuenire amādo. Et nimis durus est amicus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Seneca in epistolis: Quæris quomodo amicum facturus sis cito? Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Item vt ameris, amabilis esto.

De modo amandi proximum. CAP. X.

NOtandum quòd scriptura sacra triplex exemplar nobis ministrat ad ostendendum quomodo proximū amare debeamus. ¶ Primum est, amor quo Christus amauit nos. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. ¶ Secundum est, amor quo amamus nosmetipsos. Matth. 22. & Lucæ 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum. ¶ Tertiū est, amor quem habent membra eiusdem corporis adinuicem. ad Rom. 12. Sicut in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autē membra non eundem actum habent: ita multi vnū corpus sumus in Christo. De eodē habetur 1. Corinth. 12. ¶ Et notādum circa primum, quòd Christus amauit nos amore gratuito, scilicet amore gratis dato, non præcedentibus meritis nostris reddito. 1. Ioann. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deū: sed quando ipse prior dilexit nos. Sic amare debemus proximum. Non sic faciunt qui nolunt amare, nisi eos quibus se primo agnoscuntur amari. Matth. 5. Si diligatis eos qui vos diligunt, quā mercedē habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? Itē amauit nos Christus amore recto: quia non propter vtilitatem suam, sed propter nostram: non vt à nobis acciperet, sed vt nobis daret. Seneca in epistolis: Amicus qui vtilitatis causa assumptus est, tandiu placebit, quandiu vtilis erit? Et iterum: Necesse est, vt initia inter se, & exitus congruant. Qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit aliquod pretium illi contra amicitiam, si vllum in ea placet: præter ipsam. In quid igitur ego amicum paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeā quem in exiliū sequar, cuius me morti & opponā, & impēdam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non

amicitia,quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.Idē: Sapiēs habere amicum vult, sed ob nihil aliud quàm vt exerceat amicitiā ne tam magna virtus iaceat:non ad hoc vt habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi:sed vt habeat aliquem cui ipse ægro assideat,quem ipse circunuentum hostili custodia liberet.Qui se spectat,& per hoc ad amicitiam venit,male cogitat:quemadmodum cœpit,sic desinet. Parauit amicū aduersum vincula laturum opē:quum primū ceciderit catena,discedet. Aug.ad Macedonium: Vera amicitia nō pensanda est temporalibus commodis ; sed gratuito amore portanda.Amb.Amicitia virtus non quæstus est.Hier.in epistolis:In amicis non res quæritur : sed voluntas.Idem super 12.prophetas: Delicata amicitia est,quæ amicorum facilitatē & diuitias sequitur.Istiusmodi homines non mihi vidētur amicos,sed seipsos diligere.Tullius de Amicitia:Amicitiā non spe mercedis,sed quòd omnis fructus in ipso amore est,expectandā putamus. Si vtilitas conglutinaret amicitias,eadem cōmutata dissolueret.Boëtius in lib.de consolat.Quem felicitas amicū fecit,infortuniū fecit inimicum.Itē amauit nos Christus amore discreto. Amor discretus est, qui personas amat, & vitia persequitur:nec sic personis condescēdit,quòd vitiis implicetur.Bern. Christus in carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi. Sic amare debemus proximum.Ad Rom.13. Dilectio proximi malū non operatur. Tullius in lib.de Amicitia. Nulla est excusatio,si amicitiæ causa peccaueris. Nā cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit,difficile est amicitiā manere,si virtute defeceris. Hæc sanciatur lex amicitiæ, vt nec rogemus res turpes , nec faciamus rogati.Charitas iugum est à parte anteriori hominis ligās.Facit enim eos cōcordes in bono. Amicitia verò mūdi à posteriori colligat homines,vt vulpeculas Sampsonis.Iudi.15. Facit enim concordes in malo. Item Christus amauit nos amore vehementi.Ioā.15.Maiorem hac dilectionem nemo habet,quàm vt animā suā ponat quis pro amicis suis.Sic debemus amare proximum.1. Io.3 In hoc cognouimus charitatē Dei:quoniā ille animā suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Adeo debemus amare proximum, vt etiā amemus quæ ipsius sunt.Deu.22.Non videbis bouē & ouē fratris errantem,& præteribis:sed reduces fratri tuo.Itē amauit nos Christus amore fructuoso,nō vocali solū.Sic debemus amare proximū.1.Io.5.Filioli,non diligamus verbo,neque lingua:sed opere & veritate.In quibusdā charitas habet linguā magnā,& manum nullā.Gregorius

in Moralib.Dilectio nostra semper exhibenda est,& veneratione sermonis,& ministerio largitatis.Idē: Probatio dilectionis, est exhibitio operis. ¶ Item amauit nos Christus amore perseuerāti.Ioā.13.Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finē dilexit eos.Sic amare debemus proximum. Sed sunt qui eū felicem amant:felicitate verò recedente ab eo, recedunt:hi secūdum veritatem nunquā eum amauerūt.Greg. Cùm quis positus in prosperitate diligitur,incertū valde est vtrum prosperitas,an persona diligatur. Amissio felicitatis,vim interrogat amoris. Qui in aduersitate proximum despicit,apertè cōuincitur quod hunc in prosperis non amauit.Senec.de remediis fortuitorū:Multi illum comitātur, vel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ:prædam sequitur illa turba,non hominē.Senec.in epistolis:Quod tu beneficio tuo scire non potes, paupertatis beneficio scies.¶ Illa veros certósque amicos retinebit. Discedet,quisquis non te,sed aliud sequebatur. Boët.in lib. Consolat. Hæc aspera fortuna tibi certos sodalium vultus ambiguósque secernit, discedens suos abstulit, tuos reliquit , & nunc amissas opes queri desine,quod pretiosissimū diuitiarū genus est, amicos inuenisti. Eccle.12. Non agnoscetur in bonis amicus,nec abscondetur in malis inimicus.Eccles.6.Est amicus secundum tempus suum,& non permanebit in tempore tribulationis. Item in eodem: Est amicus socius mensæ,& non permanebit in die necessitatis.Eccl. 37.Est amicus solo nomine amicus.Sunt aliqui etiam qui parua occasione de amicis efficiuntur inimici.Eccles.6. Est amicus qui conuertitur ad inimicitiā.Tullius: Nihil turpius est,quàm cum eo bellum gerere,cum quo familiariter vixeris.Ambr.Constans debet esse amicitia , & perseuerare in affectu : nec pueruli modo amicos mutare vaga quadā sententia. Tullius:Sodales vetustos nunquam sequentium nouitate fastidias. Procul autem sit videre amicis vti quasi floribus tandiu gratis quandiu recentibus.Eccles.9.Non derelinquas amicum tuum antiquum:nouus enim non erit similis illi.Vinum nouū,amicus nouus:veterascet, & cū suauitate bibes illud.1.Amicitia est necessarium vitæ humanæ præsidiū:sicut temerè assumi non debet,sic semel rectè apprehensum sperni non conuenit. ¶ Circa secundum exemplar nostrum quòd illud mādatum,Diliges proximum tuum sicut teipsum,dupliciter potest intelligi. Vno modo sic,id est,ad quod teipsum:scilicet ad gratiam in præsenti, & gloriā in futuro. Vel in ipso teipsum, id est, in Deo. August.de doctrina Christiana: Quisquis rectè diligit proximū, hoc cū eo debet agere, vt etiam

ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Vel sic potest intelligi, vt sit sensus: Hoc facias proximo quod tibi vis fieri: quod autem non vis tibi fieri, ei non facias, vt hæc duo præcepta iuris naturalis, quorũ vnum habes Matt. 7. aliud Tob. 4. sint expositiua huius mandati. Isido. in lib. differentiarum: Duo sunt erga proximi dilectionẽ seruanda, vt beneficij impensione foueatur, & nulla malitia lædatur. Non dicitur, Diliges proximũ tuum plusquã teipsum. Videtur plusquam seipsum proximũ velle diligere, qui curationi propriæ non sufficiens, curam proximi sui cupit assumere. Bernar. super Cantic. Tu frater, cui firma satis propria salus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera atque arundinea quatinus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni doctrinæ circunferatur vento, imò cui tanta est charitas, vt vltra mandatũ quidem diligas proximum tuum plusquam teipsum: & rursum tãtilla, vt cõtra mãdatũ fauore liqueſcat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, anaritia cõtrahatur, ambitione protrahatur, suspitionibus inquietetur, cõuitiis exagitetur, curis euisceretur, honoribus timeat, liuore tabescat. Tu, inquam, ita in propriis teipsum sentiens, qua nunc dementia, quæso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Audi quid cõsulat cauta vigilque charitas: Nõ quod aliis, inquit, sit remissio, nobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. Noli nimium esse iustus: sufficit vt diligas proximũ sicut teipsum. Gregor. in Moral. Magna cura necessaria est prædicatori, vt timoris laceratione se mordeat: ne proximũ iuuando se deserat, ne alios erigens cadat. Et notandum quòd cùm præceptũ sit, vt proximum sicut nos diligamus: qui se non diligit, proximũ diligere nescit. Augustin. in libr. de verbis domini: Vide si iam nosti diligere teipsum, & committo tibi proximũ quem diligas sicut teipsum. Si autem non nosti diligere te, timeo ne decipias proximum sicut te. Idem in lib. de disciplina Christiana: Si te interrogem vtrum diligas te: Respondes, quia diligas: quis enim se odit? ergo non diligis iniquitatem: nam si diligis iniquitatem, odis te. Nõ ego dicò, Psalmistã audi: Qui diligit iniquitatẽ, odit animam suam. Idem in eodem: Qui diligis iniquitatẽ, quomodo tibi volebas committi proximum, vt diligeres eum tanquam te, homo qui perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis, vt perdas te: sic profectò perditurus es eum quem diligis, sicut te. Nolo ergo quendam diligas: vel solus peri, aut corrige dilectionem, aut respue societatem. ¶ In summa notandũ est, quòd modus amandi proximũ, est vt amemus eum super res trãsitorias & citra Deũ, & propter Deum. Vnde qui proximum diligit debito modò, Deum plus diligit, propter quẽ proximum diligit. Et ideo manifestum potest esse quomodo illud verum est. ad Roma. 12. Qui diligit proximum, legem impleuit. Et ad Galat. 5. Omnis lex in vno sermone completur, Diliges proximum sicut teipsum. Implens enim mandatum de dilectione proximi, implet mandatũ de dilectione Dei. Augu. ad Macedonium: Nemo esse potest veraciter amicus hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. Itẽ Aug. Inter quos amicus non est, rerum diuinarum cõsensio, nec humanarũ plena esse potest: necesse est vt aliter quàm oportet humanã existimet, qui diuina cõtemnit: nec hominẽ rectè diligere nouit, quisquis eum nõ diligit qui hominem fecit. Greg. in moral. Per amorẽ Dei amor proximi gignitur, & per amorẽ proximi, Dei amor nutritur. Fons qui in alto oritur, de facili ad loca inferiora deriuatur. Sic amor si primò Deo integrè detur, deinde ad proximũ recte dirigatur, vt scilicet proximus propter Deũ amerur. Tunica Christi incõsutilis, quæ vnitatẽ ecclesiæ designabat, desuper erat cõtexta. Io. 19. Amore enim Dei firmata debet esse dilectio proximi. Aug. 4. lib. Conf. Domine, beatus qui amat te, & amicũ in te, & inimicũ propter te. ¶ Circa tertiũ exemplar notandum, quòd decem sunt, in quibus amor, qui est respectu proximi, imitari debet amorem membrorum eiusdem corporis. ¶ Primò in hoc, quòd vnum mẽbrum non inuidet alij membro, licet non habeat officium quod illud habet. Si enim omnia mẽbra vnicum haberent officium, essent quasi vnum membrum. 1. Corin. 12. Si totum corpus oculus, vbi auditus? & si totum auditus, vbi odoratus? Et pòst: Si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Et ad Rom. 12. Omnia membra non eundem actum habent. Sic non debet aliquis inuidere proximo suo habenti gratiã quã ipse non habet. Aug. in lib. de Virginitate, Duobus malis, hoc est Superbia, & Inuidia, diabolus est. Itẽ in lib. de disciplina Christiana: Auertat Deus pestem inuidiæ ab animis omniũ hominum. Inuidia diabolicũ vitium est: habet matrẽ suam, scilicet superbiam: suffocat matrem, & nõ erit filia. ¶ Secũdo in hoc, quòd membrum vnum officiũ suum sibi non appropriat, sed gratis aliis cõmunicat. Oculus est oculus omnibus mẽbris. Idẽ intelligẽ de cæteris mẽbris. Sic debet aliquis cõmunicare gratiam quam habet proximo suo. Ad Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autẽ alter alteri⁹ mẽbra. Et in eodẽ. Necessitatibus sanctorũ cõmunicãtes. Sed hodie loco huius gratuitæ cõmunicationis, abũdat venalitas in ecclesia Dei. Mich. 3. Prin-

cipes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant. ¶ Tertiò, vnum membrum læsum ad alio se non vindicat. Sic debet esse inter membra ecclesiæ. Ad Rom.12. Nulli malum pro malo reddentes. ¶ Quartò, membra infirmiora amplius honorantur.1. ad Cor.12. Quę videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quę putamus ignobiliora membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus: sic non debemus despicere eos qui infirmi videntur, ad Ro.12. Honore inuicem præuenientes. Amb. Non est fraternus amor, nisi mutuis se præueniat obsequiis. ¶ Quintò vnum membrum alij compatitur, & congaudet. 1.ad Cor.12. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent cætera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. ¶ Sextò, vnum mẽbrum sibi reputat fieri quod fit aliis, siue sit bonum, siue sit malum. Si lædatur pes, os conqueritur: si lauentur pedes, os regratiatur. Luc.7. Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Sic vnus fidelium reputare debet sibi fieri quod fit aliis. Vnde caput ecclesiæ dicit, Matt. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Senec. in epistolis loquens cuidã amico suo: Mihi id expedit, quod tibi, aut non sum amicus nisi quicquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium omnium rerum inter nos facit amicitia, nec secũdi quicquam singulis est, ne aduersi. In cõmune viuitur. ¶ Septimò, vnum membrũ pro alio læsioni se exponit: vt manus pro oculo. Sic debent facere fideles, exemplo capitis qui scapulis suis obumbrauit nobis in cruce, ictũ recipiens quẽ humanũ genus debebat recipere. ¶ Octauò, cibum quẽ vnum mẽbrum recipit, omnibus mẽbris cõmunicatur. Si verò aliquod membrum amplius debito de illo sibi retinuerit, ad malum suũ illud retinet. Est enim ei materia apostematis, vel alterius infirmitatis. Sic etiã est inter fideles. Eccl.5. Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. ¶ Nonò, vnum membrum multum timet ab alio separari. Nec mirũ, cùm separatũ ab alio sit inutile. Nõ enim iam viuificatur à spiritu à quo viuificãtur ęqualiter mẽbra. Sic fideles timere debẽt separari à corpore ecclesiæ. Augustinus: Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. ¶ Decimò, totũ corpus tremorem, & horrorem patitur, ad separationem vnius mẽbri à se, sic corpus ecclesiæ timere debet, cùm videt aliquem fidelem separari à se vel per

per mortẽ, vel per excõmunicationẽ. Psal. Dedisti metuẽtibus te significationẽ, vt fugiãt à facie arcus. Pœna præsens significatio est futuræ. Cũ aliquis præsenti pœna punitur, cogitare debemus qualiter Deus percutiet vbi nõ parcet, ex quo ita percutit vbi parcit.

De diuersis speciebus amoris proximi. Et primo de amore parentum.

CAP. XI.

PRimò de amore parentũ dicturi sumus. ¶ Secundò, de amore inter virum, & vxorem. ¶ Tertiò, de amore bonorũ. ¶ Quartò, de amore inimicorum. ¶ Quintò, tangemus aliquid de vera Amicitia. ¶ Circa primum notandum, q̃ amor parentum multũ Deo placet, qui tãtum parentum nomẽ diligit, q̃ seipsum patrẽ iusserit dici, vt ait Hieronymus. Homini etiam multum prodest. Tempus enim viuẽdi extẽdit: iuxta verbum eiusdem. Basilius: Parentes nostros, vt propria viscera diligamus. Ad hunc amorẽ nõ est necesse multũ homines incitare, cùm natura ad hoc incitet. Superuacuum est in id nos impelli in quod nos imus. Amor tamen iste nõ debet esse amori Dei cõtrarius, sed subiectus. Matt. 10. Qui amat patrẽ & matrem plusquam me, nõ est me dignus. Gre. in homil. Ametur in hoc mũdo quilibet aduersarius: sed in vita Dei cõtrarius non ametur, etiã propinquus. Hiero. in epist. Honora patrem tuum, sed si te à vero patre nõ separat. Tandiu scito carnis copulã, quandiu ille suum nouerit creatorem. Amor Dei dominari debet in homine, nõ amor carnalis. 1. Reg. 2. Reprehẽdit Dominus Heli de hoc q̃ filios suos ei prętulisset: Quare calce abiecisti victimam meã, & munera mea quæ præcepi, vt offerrentur in tẽplo: & honorasti magis filios tuos quã me? Et 2. Mach. 7. legitur de quadam bona matre, q̃ filios septẽ pereuntes sub vnius diei tẽpore conspiciens, bono animo ferebat. In ea verè vincebat amor Dei amorẽ filiorum. Et Abrahã paratus fuit filium propriũ occidere propter Deum. Gene. 22. Et Leuitæ propinquos suos occidere ad præceptum Moysi serui Dei. Exo. 32. & Luc. 14. legitur: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrẽ, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam (id est temporalẽ vitã) nõ potest meus esse discipulus. Non sunt agnoscendi propinqui, secundum carnẽ, si salutem impediant. Hier. in epistolis, Ecce, inquit, aduersarius Christum in pectore tuo conatur occidere, licet paruulus ex collo pẽdeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater ostẽdat, licet in limine iaceat percalcatũ perge patrem, siccis oculis ad vexillũ crucis euola. Solũ pietatis genus est, in hac re esse crudelẽ. Idem: Gladiũ tenet hostis, vt perimat,

& ego de matris lacrymis cogitabo. Matt.5. Si oculus tuus dexter scãdalizat te, erue eũ, & proiice abs te. Maxime in his qui ad perfectionis aggressi sunt, nõ debet dominari amor carnalis. Vade Dominus cum diceretur ei, Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærẽtes te, Respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Matt.12. Ber. in sermonibus: Quandiu de mundo sumus, debitores constat nos esse parẽtibus. At postquã reliquimus nosmetipsos, multomagis ab eorum solicitudine liberi sumus.

¶ *De amore inter virum & vxorem.* CAP. XII.

DIcendum de amore qui est inter virum & vxorem. Colo.3. Viri diligite vxores vestras, & nolite esse amari ad illas. Et notãdum quòd 16. sunt per que possunt viri induci ad amãdum vxores suas. ¶ Primum est, exẽplum Christi. Ephe.5. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Et potest hæc similitudo in duobus attendi. Primò, in hoc quòd desideret salutem vxoris. Christus enim pro salute ecclesiæ mortuus est. Secundò in hoc, quod si adulteret, & post pœniteat, eam misericorditer recipiat. Osee 3. Dilige mulierem dilectã amico, & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad Deos alienos. Et Iere.3. Tu fornicata es cũ amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Aug. Quid tibi durũ videtur, vt post adulterium reconcilietur cõiunx? si fides adsit, nõ erit durũ. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitẽtia esse sanatos? Item non erit turpis nec difficilis etiã perpetrata, & purgata adultera, recõciliatio cõiugum: vbi per claues regni cælorum nõ dubitatur fieri remissio peccatorum: nõ vt post Christi diuortiũ adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium, & adultera non vocetur. ¶ Secundum est hoc, quòd corpus mulieris est ipsius viri: vnde debet amare illud tanquam suum. Mulier nõ habet potestatem sui corporis, sed vir. 2. Corin. 7. Ad Ephes. 5. Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. ¶ Tertium est, quòd vir, & vxor sunt velut vna arbor. Sicut planta & ramus qui plantæ inseritur, vnam arborem efficiunt, & vnum fructum ferunt, & neuter illorum sufficiens est ad ferendum fructum illum: sic nec vir, nec vxor sufficiens est ad generãdam prolem: vnde deberent amorem inuicẽ habere sicut ramus insitus abhoret plantæ. Mat.19. Iam non sunt duo, sed vna caro: ¶ Quartũ est, q̃ mulier de costa viri formata est. Noluit Deus formare mulierem de limo terræ sicut virum: imò de carne, & osse viri, vt vir amaret

amaret eam tanquam seipsum, eò quòd de ipso facta esset. Gen. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Ephes.5. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Et post in eodem: Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat, vxor autem timeat virum suum. ¶ Quintum, quod amorem ei promisit, cùm anulum in manu eius posuit, & cùm ad missam in præsentia Domini corporis osculũ ei dedit, ad minus secundum consuetudinem aliquarum ecclesiarum. Osculum enim signũ est amoris, & pacis. In anulo verò qui nec digitum excedit, nec exceditur, sed ei adæquatur, intelligitur quòd amore carnali illi soli debet adhærere. Et sicut anulus alium digitum cum digito illo in quo positus est capere non potest: sic amor viri ad aliam mulierem diuidi nõ debet. Ideò autẽ ponitur anulus in digito illo in quo est vena quę vsque ad cor protenditur: quia cõiuges ex corde debẽt amare se, & nõ solùm signis exterioribus. ¶ Sextũ est, quòd consanguinei coniugũ propter cõiugium eorum mutuò se amãt. Vnde mirũ est, cùm tot propter eos amẽt se, si ipsi se nõ emẽt. Quã dodque patria vna vno matrimonio ad concordiã reducitur, vnde mirũ est quomodo inter personas illas quæ matrimonio cõiũctę sunt, discordia durare potest. ¶ Septimũ est, quòd vxor patrẽ & matrẽ & alios propinquos suos propter virũ dimittit, & ei adhęret. Vnde infideliter agit, si hanc nõ amet. Hierem.2. dicit Dominus ad sponsam suã: Recordatus sum tui, miserans adolescentiã tuã, & charitatẽ desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto. ¶ Octauũ est, quòd nisi amẽt se, in magna miseria erũt. Prou.27. Tecta perstillãtia in die frigoris, & litigiosa mulier comparãtur. Sicut nõ quiescit homo sub tecto perstillanti, præcipuè si tempus frigidum sit: sic nõ quiescit vir cũ vxore, si litigiũ inter eos fuerit. Philosophus: Vxor est, aut perpetuale refugiũ, aut pręne tormẽtum. ¶ Nonũ est, quòd multũ placet Deo & hominibus amor cõiugum. Eccles.25. In tribus beneplacitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Cõcordia fratrum, amor proximorũ, & vir & mulier sibi bene cõsentiẽtes. ¶ Decimũ est, quòd vxor est solatiũ homini à Deo datum. Gen.2. Non est bonũ hominẽ esse solum. Eccl.4. Melius est duos esse simul, quàm vnũ, &c. væ soli in codẽ. Væ soli. Non reputatur solus qui nobilius contraxit matrimoniũ, cuius anima per castitatem, vel virginitatẽ Dei gratiã matrimonio est coniũcta. Sed fornicator vel cõcubinarius reputatur solus, quia à Deo est maledictus: qui cũ videt mulierẽ fornicariã, desolationẽ suam potius videt quàm solatium. Videt enim gladiũ quo diabolus interficit eũ. ¶ Vndecimum est, quòd

vxor

vxor est velut quoddam ornamentum hospitii. Eccl. 26. Sicut sol oriēs in mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentū domus eius. Prou. 12. Mulier diligens, corona est viro suo. Et Eccl. 26. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. ¶ Duodecimū est, quòd vxor est adiutoriū à Deo homini datum. Gen. 2. Faciamus ei adiutoriū simile sibi. Ipsa vxor iuuat virū in prolis procreatione & educatione, & hospitii gubernatione, in bonorū temporalium multiplicatione, & cōseruatione, & saluatione animæ ipsius viri. Eccl. 36. Qui possidet mulierem bonam, bonā inchoat possessionē. Hic innititur, quòd quasi nihil habeat qui tenet hospitium, nisi habeat mulierē bonam quæ sua ei custodiat. Concubinariæ enim solent furari hominibus qui tenent eas, ea quæ ipsi habēt. Et subditur: Adiutorium secundū illum est, & columna vt requies. Vbi innuitur quòd bona vxor sustentamentum sit hospitii. Sicut columna corruente corruit domus: sic vxore bona moriente destruitur hospitiū. Et in eodē: Vbi non est sepes, diripietur possessio: & vbi non est mulier, ingemiscit egens, vel maritus qui pauper efficitur amissa bona vxore, vel pauper qui declinat illuc causa eleemosynæ, non inueniens qui sibi det eleemosynam. Mulieres enim magis solēt esse misericordes quàm viri. Homo fornicator vxorē non habēs, est velut auis absque nido, nescies cui sua committat. Eccle. 36. secundū literā vnam: Cui credit, qui nō habet nidum? ¶ Tertiū decimū est fructus pretiositas. Matt. 12. Ex fructu arbor cognoscitur. Vnus fructus huius arboris præualet omnibus mundi diuitiis Multū ergo amanda est arbor talis, quæ fert fructū tam pretiosum. ¶ Quartumdecimum est sacramenti matrimonij dignitas, quod institutū est à Deo in paradiso. & in statu innocētiq, quod Dominus prohibet separari, quia author fuit ipsius. Matt. 19. Quod Deus cōiunxit, homo non separet. Cui credere videtur vinculū carnalis propinquitatis. Gene. 2. Propter hoc relinquet homo patrē & matrē, & adhærebit vxori suę. Prēterea sacramētū magnū est: ego autē dico & in Christo & in ecclesia. Ep. 5. ¶ Quintūdecimū est, quòd hominē ea parte quæ infirmior est custodit, scilicet ex parte carnis. Matth. 26. Spiritus quidē prōptus est, caro autē infirma. ¶ Sextodecimo, diabolū ea parte qua fortior est vincit. Iob 40. Fortitudo eius in lumbis eius.

De amore bonorū. CAP. XIII.

SCiēdū quòd bonos debemus amare quasi attinerēt nobis omni genere parentelæ, exēplo Domini dicentis Mat. 12. Quicumque fecerit voluntatē Patris mei qui in cęlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Ipsi sunt amandi vt Dei filij, & fratres nostri. Rom. 8. Quicunque Spiritu Dei agūtur, hi sunt filij Dei. Et in eodē: Si autē filij Dei, & hæredes: hæredes quidē Dei, cohęredes autē Christi. Debent etiā boni se amplius amare: quia sunt in alia patria. Solent enim se amare, qui sunt eiusdem patriæ, quādo sunt extra patriā suā, acsi essent fratres. Ad idē etiā facit quòd mali habēt eos exosos: vnde si ipsi nō amēt se adinuicē, absque amicis erūt. Io. 17. Ego dedi eis sermonē meū, & mūdus eos odio habuit, quia de mundo non sunt. Et Io. 15. Si de mundo fuissetis, mūdus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus.

De dilectione inimicorum. Et de octo quæ ad hunc amorem hominem inducant. CAP. XIIII.

INimicorū dilectio quā Dominus præcepit Mat. 5. Diligite, inquit, inimicos vestros: pertinet ad dilectionem cordis. Deinde subdit de dilectione operis & sermonis: Benefacite his q oderūt vos, & orate pro persequētibus & calūniātibus vos. Gre. Ille precēs suas multū valere facit, q eas pro inimicis effundit. Et notādū quòd in mādatis Dei nihil est mirabilius, quā quòd præcipitur diligere inimicos, vt ait Aug. Ideo licet multa sint dicta pertinētia ad dilectionē inimicorū, in tractatu de ira: tamē hic aliqua tāgemus pertinēta ad idē. Insipientibus enim impossibile videt, quòd ipsi amēt inimicos suos: si tamē haberēt aliquātulū sapiētiæ, possibile eis appareret. Sapiētiam enim nō vincit malitia. Sap. 7. ¶ Et notādū quòd octo sunt, quę si attēdātur, satis patebit non esse ita difficile diligere inimicū vt multi credūt. Apparebit etiā q̄ hoc nō sit potius dedecus, sed honor potius. ¶ Primū est status inimici qui tibi iniuriatus est, & nō vult satisfacere. Est enim spirituali ter mortuus. Ipse enim quasi insanus manus in se iniecit, quādo tibi iniuriā intulit. Sap. 16. Homo per malitiā occidit animā suā. Noli insanire in fratrē tuū mortuū, sed potius ei cōpatere. Crudeliores videntur fuisse qui Christo mortuo nō pepercerūt, quā qui viuū vulnerauerūt. Vnde lācea dicitur dira, quū claui dicātur dulces. Quis adeò cęcus est qui nō intelligat dedecus nō esse si quis de mortuo non vult se vindicare. ¶ Secundū est, vtilitas iniuriæ illatæ. Persecutores enim nostri, iuxta verbum Psal. circundant nos sicut apes. Ad modum enim apum nos pungūt tribulationibus: sed in futuro fauum nobis æternæ beatitudinis præparant: iuxta illud Psalm. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autē in misericordia tua speraui. Eccl. 1. Vsque in tēpus sustinebit patiēs, & postea redditio iucūditatis. ¶ Tertiū est, quòd dilectio inimicorum nobis est vtilior quàm amicorum. Ipsa valet ad spirit

spiritaliũ vulnerum sanationẽ. Aug. Ego ad inimicorũ dilectionem vos commoneo: quia ad sananda peccatorũ vulnera nullum medicamentũ vtilius esse cognosco. Ipsa etiam multum facit ad perfectionẽ & cumulum bonitatis. Vnde Matt. 5. post illud: Diligite inimicos vestros. subditur: Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est. Aug. in Anchirid. Magnificentissime bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malũ vult, & si potest, facit: tu semper bonũ velis atque facias, quũ possis. Ipsa etiã magnam mercedẽ meretur. Lucæ 6. Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis gratia? Veruntamẽ diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra magna. ¶ Quartũ est, quòd Deo gratior est. Augu. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei amicus: nec solum amicus, sed & filius. sumptũ est de Matth. 5. & Luc. 6. post illud: Diligite inimicos vestros. sequitur: Et eritis filij Altissimi. Itẽ Aug. Quanta gratia per nos serui digni nõ sumus, & inimicorũ dilectione Dei filij efficimur. Chrysost. super Matt. Nihil est quod sic Dei similẽ faciat, vt malignis atque lædentibus esse placabilem. ¶ Quintum est, quòd diabolo hæc dilectio est molestior. Magis enim elõgat ab eius similitudine qui odio obstinato hominem persequitur. Gregor. Stultũ est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. ¶ Sextum est, quòd dilectio id quòd obediendum est inimico, magis destruit, quã aliquid aliud. Ipsa enim est ignis inimicitiã inimico adnihilãs. Ro. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ, &c. sic enim carbones congeres super caput eius. Ipsa etiã gladius est, inimicũ interficiẽs, dũ de inimico amicũ facit. Chrysost. Sustine ad tempus inimicũ tuũ, & bene facies. Postmodũ autem victũ benevolentia tua amabis eũ quasi amicum tuum. Idem: Omnis inimicitia beneficiorũ assiduitate compescitur. Greg. Miles Dei aduersitatis bello deprehensus, & scutũ patientiæ debet anteferre ne pereat, & ad præliandũ promptus amoris inferre iacula, vt vincat. Cuius armaturæ summam Paulus breuiter insinuat, dicens: Charitas patiẽs est, benigna est. Cum verò vnũ ex vtroque defuerit charitas non est: si videlicet malos absque benignitate tolerans, non amat: aut rursus se sine patientia exhibens, negligit, tolerat quos amat. ¶ Septimum est, quòd non potes ex proposito nocere proximo tuo, quin tibi noceas. Aug. Quòd malitia tua alteri non noceat, fieri potest: quòd autem tibi non noceat, fieri non potest. Non est dedecus alicui si non vult inquinare manus suas se vindicando, vel si non vult inquinare os suum conuitium pro conuitio reddendo, imò honor est & signum nobilitatis animi. Prouerb. 20. Honor est homini qui separat se à cõtentionibus. ¶ Octauũ est, q; ille qui tibi iniuriatur, magis iniuriatur Deo, quã tibi, qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet in te, quã tuipse. Si ergo Deus differt vindicare iniuriã, & nõ est ei dedecus, non erit tibi dedecus, imò honor, si exẽplo Domini vis nõ vindicare te in præsenti. Eccle. 23. Gloria magna est sequi Dominũ: longitudo enim dierũ assumetur abeo.

De vera amicitia, & quæ sunt attendenda in eligendo aliquem in amicum, & de pertinentibus ad veram amicitiam.

CAP. XV.

SEquitur de vera amicitia. Amicitiam sic describit Tullius in Rhetoric. Amicitia est erga aliquem voluntas bonarum rerũ illiusipsius causa quem diligit, cum pari eius voluntate. Idem in libro de Amicitia: Amicitia nihil aliud est, nisi omniũ diuinarũ humanarumque rerũ cum benevolentia & charitate consensio. Hæc amicitia multum appetenda est. Eccles. 25. Beatus qui inuenit amicum verum. Tullius in libro de Amicitia: Omnibus rebus humanis anteponenda est amicitia. Nihil enim tam naturæ aptũ, tãmque conueniens ad res secundas vel aduersas. Idem in eodem: In hoc præstat amicitia propinquitati, quòd ex propinquitate benevolẽtia tolli potest: ex amicitia non potest sublata enim benevolentia, nomẽ amicitię tollitur, propinquitatis manet. Prouer. 18. Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater. Item Tullius: Quid dulcius erit, quàm quòd habeas cum quo audeas loqui vt tecum? Quis enim esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis æquè vt tuipse gauderet? Aduersa verè difficile esset ferre sine eo, qui etiam illas grauius quã tu ferret. Ab illis inter quos est vera amicitia, perfectè impletur illud mandatum, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Verus enim amicus habet amicũ suum tanquã alterũ se. Tullius: Verum amicum qui intuetur: tanquã exemplar aliquod intuetur sui: quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod dictu difficilius est, mortui viuunt. Amicitia in periculis subuenit. Prou. 25. Gratia & amicitia liberant. ¶ Et notandum quòd in eligendo aliquẽ in amicũ, quatuor sunt attẽdenda. Primũ est, discretio eius. Amicitiæ enim stultorũ solẽt esse nociuæ. Prou. 14. Amicus stultorum similis efficietur. Secundum est, bonitas. Tullius in libro de Amicitia: Hoc primùm sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Tertium, vt ille non sit iracundus. Prou. 22. Noli esse amicus homini iracundo. Homo iracundus est velut lignum ignitũ quod exurit tãgentem se: & est velut lignũ spinosum, quod pungit amplectentem se.

se. Ideo licet sit amãdus, tamen familiaritas eius timẽda est. Pro terea amicitia eius non durat. Vinculum enim amoris igne ire in eo exuritur. Quartum est, ne sit superbus. Superbus enim nescit esse socius, sed vult dominari. Prou. 11. Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia. ¶ Item notandum quòd multa sunt quæ ad veram amicitiam pertinent: de quibus causa breuitatis tantum tangemus. ¶ Primum est, voluntatum idẽtitas. Tullius: Idẽ velle, idem nolle, ea demum vera est amicitia. ¶ Secundũ est communicatio consiliorum. Prou. 25. Causam tuam tracta cũ amico tuo. Ambr. Nihil occultat amicus si verus est, effundit animũ in amicũ suum. Tullius in libro de Amicitia: His amicitiæ funibus vtendum arbitror: vt quum emẽtati fuerint mores amicorũ, sit inter eos omniũ rerum, consiliorum, voluntatum sine vlla exceptione communitas. ¶ Tertium cõmunicatio rerũ. Vnde Philosophus, quum diceretur ei de quodam, Ille amicus illius est. Cui, inquit, illo diuite pauper est? Amicus non est qui fortunæ particeps non est. Tamen amicus dando amico suo, attẽdere debet & propriam facultatem, & vires amici sui. Non enim debet onerare amicum honore vel onere, quod supra vires eius sit. Tullius in libro de Amicitia: Tantum cuique tribuendum est primum, quantum ipse efficere possis, deinde quantum ille quem diligis & adiuuas possit sustinere. Item notandum quòd sicut dicit Tullius: Nimis exile est & exiguũ ad calculos vocare amicos, vt pateat ratio datorum & acceptorum. Neque enim verendum est, ne quid excidat, ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo in amicitiam conferatur. ¶ Quartũ est, secreta admonitio. Eccles. 19. Corripe amicũ tuum. Sæpe enim fit commissio. Cauẽdum tamẽ est ne correptio sit contumeliosa. Eccles. 19. Est correptio mendax in ira contumelioſi. Verè mendax est. Mentitur enim correptionem facere, quum potius sit conuitiatio. Tullius: Monere & moneri est officium veræ amicitiæ: ita tamen quòd adunare careat admonitio, & contumelia obiurgatio. ¶ Quintum est manifesta laudatio: non tamẽ in facie, amici, vel coram domesticis ipsius. Hoc enim est adulatoris. Vnde Matth. 11. Dominus laudauit Ioannem postquam discipuli Ioannis ab eo recesserant. Chrysosto. Blanditores in facie laudant, vel coram domesticis: vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. ¶ Sextum est, nec turpia rogare, nec ad preces amici turpia facere. iuxta verbum Tullij prius positum, non debet ad preces amici iniuriam facere proximo. Eccle. 6. Noli fieri pro amico inimicus proximo. Tamen aliquid potest honestè fieri pro amico quod homo

homo non faceret honestè pro se. Tullius in libro de Amicitia: Multa quæ nostri causa nũquam faceremus, causa amicorum facimus: quæ in nostris rebus non satis honestè, in amicorum fiunt honestissimè. ¶ Septimũ est, paritatẽ seruare. Tullius in libro de Amicitia: Maximũ est in amicitia superiorẽ parem esse inferiori. Hieto. super 12. prophetas: Amicitia pares aut accipit, aut facit: vbi inæqualitas est, & alterius eminentia, alterius subiectio: ibi non tam amicitia est, quàm adulatio. Prou. 13. Qui despicit amicum suum, peccat. ¶ Octauũ est, amicum in aduersis nõ deserere. Prou. 17. Omni tempore diligit qui amicus est. Eiusdem 12. Qui negligit damnũ propter amicũ, iustus est. Eccl. 22. Fidem possidebis cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis illius lætaris. ¶ Nonum est, arcanũ non detegere. Eccle. 27. Qui denudat arcana, amici fidẽ prodit, & nõ inueniet amicũ ad animum suum. ¶ Decimum est, peccatum celare. Pro. 17. Qui celat delictum, quærit amicitias. ¶ Vndecimum est, peritioni amici sine dilatione acquiescere. Prouer. 3. Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere, & cras dabo tibi, quum statim possis dare. ¶ Duodecimum est, vtilia ei magis quàm placentia dicere. Prouer. 11. Simulator ore decipit amicũ suum. Et eiusdẽ 16. Vir iniquus lactat amicũ suum. Item eiusdẽ 29. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Sene. in lib. de beneficiis: Dic illis non quod volunt audire, sed quod velint semper audisse. Idem in epistolis: Amici vitia frangenda sunt: non amo illum, nisi offendero: an profecturus sim, nescio: malo successum mihi, quàm fidem deesse. Item notandum quòd quinq; sunt quæ amicitiam solent dissoluere. Conuitium, improperiũ, superbia, mysterij reuelatio, plaga dolosa. Eccl. 22. Mittens lapidem in volatilia, deiicier illa, id est, disperget, & qui conuitiatur amico suo, dissoluit amicitiam. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus, id est, reconciliatio ad amicum. Si aperuerit os tristè, dure tecum loquendo, non timeas, est enim concordatio pristinæ suæ amicitiæ: excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Conuitium dicitur aliquod verecundum, quod tamen nõ est peccatum: vt cum obiicitur amico quòd sit leprosus, vel seruus, vel aliquid simile. Improperium est, cum crimen obiicitur: vt quum dicitur alicui quòd sit latro. Superbia vocatur superflua dominatio. Prou. 25. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, quum dehonestaueris amicum tuum. Eiusdem 26. Sicut noxius

est,qui mittit lanceas & sagittas in mortem:ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & quum deprehensus fuerit, dicit, Ludens feci. Pythagoras,Amicum lædere nec ioco quidem oportet.

De ordine Charitatis. CAP. XVI.

QVaduplex est ordo charitatis. ¶ Primus est,secundum prioritatem & posterioritatẽ,qui attenditur inter amorem Dei, & amorem proximi. Amor enim Dei prior est,quàm amor proximi. Vnde Exod. 20. Primò ponuntur mandata pertinentia ad amorem Dei, deinde quæ pertinent ad amorem proximi. Amor Dei causa est amoris proximi. Proximus enim amatur,quia Deus hoc præcipit. Præterea Deus finis est dilectionis proximi. Finis verò mouet causam,efficientẽ. ¶ Secundus ordo attẽditur in hoc quòd amentur quæ amanda sunt, & non amentur, quæ amanda non sunt. Aug. in li. de doctrina Christiana: Ille sanctè & iustè vivit, qui ordinatã habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendũ,aut non diligat quod est diligendum. Omnis peccator inquantum est peccator nõ est diligendus:omnis homo inquantum est homo,est diligendus. ¶ Tertius ordo iuxta verbum Aug. in eodem lib. in hoc attenditur, quòd non æquè diligatur quod minus, vel amplius diligendum est;aut minus vel amplius, quòd æquè diligendũ est. ¶ Et notandũ quòd aliquis dicitur magis diligi tripliciter. Primo modo, quia ad maius diligitur, scilicet ad maiorem gloriã. Sic vniuersaliter magis diligendus est,qui magis bonus est. Secundò, qui diligitur maiori affectu. Tertiò, qui minori affectu. Ordo dilectionis secundũ magis & minus attenditur inter illa quatuor quæ enumerat Augult. in lib. de doctrina Christiana,dicens: Quatuor diligenda sunt. Vnũ quod supra nos est,scilicet Deus alterum quod nos sumus. Tertiũ est,quod iuxta nos est,scilicet proximus. Quartũ quod infra nos est,scilicet corpus. Quum nos & proximũ enumerat Aug. inter diligenda: nos & proximũ videtur intelligere excellentiorem partem nostri,& proximi animam,scilicet propter hoc quòd corpus ponit postea, quarto loco. Gregor. 1. parte Moral. Cum recte diligimus, nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus. Idem in Moralibus: Magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque moriturã; Quanti ergo meriti est animam à morte liberare in cælesti patria semper victurã? Item iste ordo attenditur inter ea quæ enumerat Ambro. super illud Cantic. 2. Ordinauit in me charitatem: Multorũ,inquit,charitas inordinata est:quod in primo est, ponunt tertiũ, vel quartum. Primò Deus diligendus est, secundo parentes,inde filij,pòst domestici:qui si boni sunt malis filiis

filiis præponendi sunt. ¶ Ordo diligendi secundũ affectum variatur,secundum bonitatem vel propinquitatem eorum qui diliguntur,vel etiam secundum vtilitatem ecclesiæ. Magis enim bonus aliis paribus magis diligendus est,quantum ad affectũ. Item propinquior aliis paribus affectu maiori diligendus est. Item vtilior ecclesiæ aliis paribus maiori affectu diligẽdus est. Et idem intelligendũ est etiam quantum ad affectum. Melior enim, vel propinquior, vel ecclesiæ vtilior aliis partibus magis est eligendus. ¶ Sed dubitari potest,vtrum bonitas propinquitati circa diligenda prævaleat, vel econuerso. Et videtur quòd bonitas prævaleat propinquitati, secundum illud Ambrosij: Domestici si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Item dicit Beda super illud Luc. 8. Mater mea & fratres mei hi sunt, &c. non iniuriosè negligit matrem, nec mater negatur etiam quæ de cruce cognoscitur, sed religiosiores copulæ mentiũ monstrantur,quàm corporum. Greg. Magis debemus diligere quos ex sacro fonte suscepimus, quàm quos de carne nostra genuimus. Et dicendum quòd bonus extraneus præponendus est filio malo, quantum ad spiritualia beneficia, vel etiam quantum ad temporalia:tanta potest esse bonitas extranei, vel vtilitas ecclesiæ. Item dubitari potest de hoc quòd Ambrosius parentes filiis præponit in ordine diligẽdorum. Quum enim natura magis inciter ad amorem filiorum, quàm ad amorẽ parentum:magis videntur filij diligendi,quàm parentes:gratia enim non est opposita naturæ. Ad idem videtur facere illud 2. Corint. 12. Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Item quòd radix humorẽ mittit ad ramos, & non econuerso. Et est dicendum,quòd parentes magis diligendi sunt quàm filij,aliis paribus & quantum ad affectum,& quantũ ad effectũ. Et ad hoc incitat natura instituta & restituta, licet non destituta. Tamen hunc ordinẽ variare potest filij bonitas. Posset enim esse adeò bonus quòd esset præponendus patri. Item ecclesiæ vtilitas, vel filij necessitas, vel propinquitas. Posset enim filius esse adeò vtilis ecclesiæ, quòd potius subuenire deberet aliquis ei,quàm patri suo. Item si esset filius familias,posset esse quòd potius deberet ei aliquis prouidere quàm patri. Posset etiam esse adeò indigẽs quòd citius esset ei subueniendum quàm patri. Aug. ad Marcellinum: Charitas quæ tanquam nutrix fouet filios suos,nõ ordine amandi, sed ordine subueniendi,infirmiores fortioribus anteponit, quos tales vult esse, quales in illis sunt quos non contemnendo, sed de his confidendo interim præterit. ¶ Et notandum est,quòd parentes diligendi sunt affectu du-

pliciter, scilicet quantũ ad exhibitionem honoris, & quantũ ad exhibitionẽ necessariorũ. Quantum ad primum, parentes videtur esse semper præponendi filiis, nisi forsitan filius carnalis sit et pater spiritualis. Quantum verò ad secundum ordo potest variari ex aliqua prædictarum causarum. Item notandum quòd affectu debemus omnem hominem diligere. Effectus verò potest suspẽdi ex causa. Aug. Charitas nõ intermittatur: officia pro tempore exhibeantur. ¶ Quartus ordo attenditur secundum has differẽtias propter se, & propter aliud. Creator propter se amandus est: creatura verò propter Deum. De hoc ordine dicit Augustinus, lib. de ciuitate Dei: Cùm omnis creatura bona sit, amari potest & bene, & male. Bene, scilicet ordine custodito: male ordine perturbato. Quod in laude quadam cerei breuiter versibus dixi: Hæc tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti: Nil nostrum est in eis, nisi quòd peccamus amantes Ordine neglecto pro te quod conditur à te. Item 9. lib. de Trinitate: Amanda est creatura, sed ad creatorem amor refertur: non tam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas. Cùm propter se creatura amatur, tunc nõ vtentem adiuuat, sed corrumpit fruentem. Inferior creatura vtendũ ad Deum, pari tibi fruendũ: sed in Deo sic teipso, non in teipso frui debes: sed in eo qui te fecit.

De his quæ Charitati aduersantur. CAP. XVII.

CHaritati videntur aduersari superfluus amor nostri, vanus amor mundi, odium proximi, & generaliter damnabilis offensa Dei. ¶ Circa primum notandum quòd signum est, quòd aliquis habeat superfluum amorem sui, cùm ea quæ pertinent ad Deum & ad proximum suum, negligit: propria verò, diligenter defendit: & specialiter, cùm defendit sua mala. 1. Corin. 10. Nemo quod suum est quærat. Phil. 2. Nõ quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Gregor. in Moralibus: Plus Deo se amare cõuincitur, qui neglectis his quæ eius sunt, propria tuetur. Idem in Pastoralibus: Qui vult prava agere, & tamen ad hæc cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus se veritate appetit diligi, quàm contra se non vult defendi. ¶ Superfluus amor sui efficit hominem ciuem Babylonicæ ciuitatis. August. 14. lib. de ciuitate Dei: Fecerunt ciuitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei, cælestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui. Illa in gloria sua exaltat caput suum: hæc dicit Domino Deo suo: Gloria mea & exaltans caput meum. ¶ Amor sui radix est multorũ malorum. Vnde super illud 2. Tim. 3. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c. dicit gl. August. Ex eo quòd seipsos non Deum amant: quasi à radice, hæc quæ sequuntur mala oriuntur. Chrysostom. Omnium malorũ causa est amor sui, & radix & fons. Itẽ amor sui hominem excæcat adeò, vt non videat seipsum. Bern. Amor vel odium veritatis nescit iudicium. Greg. super Ezech. Vehementer claudit oculos amor priuatus. Ex quo fit, vt hoc quod nos agimus, & graue esse non æstimamus, plerunque agatur à proximo, & nobis nimis destabile esse videatur. Amor iste amor videtur esse, cùm verè sit odium. Vnde August. super illud Ioan. 12. Qui amat animam suã, perdet eam. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animã suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si male amaueris, odisti: si bene oderis, tunc amasti. Item August. in quodam sermone: Si perit homo amando se, profectò inuenitur negando se. Discе amare te non amando te, secundum Chrysost. Animã amare, est desideria animæ inconuenientia facere. Eccl. 18. Si præstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Qui nimis amat se, perdit se. Vult enim esse in otio vbi corrũpitur: sicut vestis in area reposita, à tineis comeditur. Psal. Omnes sicut vestimentum veterascent. Item deliciis implet se nimis, qui se nimis amat, & sic perdit se. Ex hoc enim celerius moritur. Eccl. 37. Propter crapulã multi obierunt. Qui nimis amat se, nimis solici tẽ seruando se, perdit se. Sicut qui nimis seruat frumentũ suum, amittit, quia corrũpitur. Vnde super illud Matt. 18. Qui voluerit animã suam saluã facere, perdet eam: dicit gl. interlin. Ae si agricolæ dicatur: frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. ¶ Circa vanum amorem mundi notandũ, quòd amare mundum est, quasi amare adulterium. Vnde Iac. 4. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo? Quicunq; ergo voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei constituitur. Et 1. Ioan. 2. Nolite diligere mũdum, neque ea quæ in mũdo sunt. Si quis dilegit mundum, non est charitas Patris in eo. vbi dicit gl. Vnum cor duos aduersarios sibi amores non rapit. Esa. 28. Coangustatũ est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque opetire nõ potest. Charitas pallium est posteriora tegens. Peccata enim præterita abscondit, ne Deus ea ad puniendum videat. Prou. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Ipsa superemineat cæteris virtutibus, vt pallium superponitur cæteris vestibus. Ad Colos. 3. Super omnia charitatẽ habentes. Amor mundi, adulterat animam: amor fabricatoris mũdi, castificat animã: vt dicit Augu. in lib. de verbis domini. Idem in lib. Confe. Amicitia hu-

ius mundi, fornicatio est abs te. Idem super epistolam Ioannis: Si mundi amor in te habitet, nō est quò amor Dei intret. Quum exhauseris cor tuum amore terreno, hauriet amorem diuinum. Amor mundi principium est omnium malorum. Vnde super 1. Io. 2. dicit glo. Sicut dilectio Dei est fons omnium virtutum: ita dilectio mundi omnium vitiorum. Amare mundum, est amare proditorem. Mundus enim dicit dæmonibus, Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Matth. 26. Prou. 27. Meliora sunt vulnera diligētis, quàm fraudulenta odientis oscula. Item amare mundū est amplecti immundum. Aug. super Io. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus. Si autem iam te non delectat hic mundus, iam tu es mundus. Si autē fueris mundus, non remanebis in mundo. Chryso. super Matth. Sicut difficile est arborem iuxta viam positam, fructus suos vsq; ad maturitatem seruare: Sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundū viuentem in actibus suis vsq; ad finem iustitiam tenere. Nam in via à transeuntibus fructus rapitur. Recede à via, & plātare in loco secreto: vt nec mundus tecum habeat commune, nec tu cum mundo. Eccles. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Item amare mundum est amare periculum. Aug. Ama seculū, absorbebit te. Amatores suos vorare nouit, non portare. Eccle. 3. Qui amat periculum, in illo peribit. Aug. ad amatores mundi. Cuius rei causa militatis? maiórne esse poterit spes vestra mundo, quàm vt amici mundi fiatis? ibi quid non fragile, quid nō plenum periculi? Itē per hæc pericula peruenitur ad maius periculū. Item in epistola ad Anastasium: Mundus iste periculosior est blādus quàm molestus: & magis cauendus cùm se allicit diligi, quàm cùm admoner, cogítque contemni. Amare seculū, est amare locū tormentorū. Aug. in lib. de verbis Domini: Abiice à te diuitiarū onera, abiice vincula voluntaria, abiice anxietates, & tædia, quę te plurimis annis inquietant. Bern. in sermonibus: Diuitiarū amor insatiabilis, longe amplius desiderio torquet animam, quàm refrigeret vsu suo: vt pote quarū acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. Itē amare mundum est amare diaboli dominium. August. in li. de agone Christiano: Mittitur diabolus foras, quando ex toto renūtiatur huic mūdo. Sic enim renuntiatur diabolo qui princeps est mundi. Item mundum amare, est in domo igne succensa velle manere. Totus enim mūdus in maligno positus est. 1. Io. 5. Mūdus est fornax Babylonica igne succensa. Dan. 3. Ber. Domus ardet, & ignis instat à tergo, & tu mones nō egredi vel iam egressum regredi. ¶ De 3. quod aduersatur charitati, scilicet odio proximi, require in tractatu, de Ira. Chry. Si inimicitię semel ocupauerint animos, omnia quę dicuntur quę audiuntur, quę fiunt, ita accipiuntur, & intelliguntur, vt ad maiores & Iōglores proficiāt inimicitias. Si quid enim boni de inimico dicitur, nō creditur nisi quid mali, hoc solū creditur, & cōfirmatur. ¶ Circa quartum notandum est, quòd omnis offensa Dei mortalis inquantum à Deo diuidit, aduersatur charitati, quæ à Deo venit. Esa. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deū vestrum.

De diuersis gradibus Charitatis. CAP. XVIII.

NOtandū ergo quòd diuersi sunt gradus charitatis. Est enim charitas incipiens, proficiēs & perfecta. Aug. super epistolā Ioan. Perfecta charitas hæc est: vt quis paratus sit etiā mori pro fratribus. Sed nunquid mox vt nascitur iam prorsus perfecta est; imò vt perficiatur, nascitur: cùm fuerit nata nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: cùm ad perfectionem venerit, dicet, Cupio dissolui, & esse, &c. Phi. 1. Charitas operibus pietatis nutritur, tribulationibus, & consolationibus roboratur, consiliis perficitur. ¶ Et notādum quòd sex sunt quæ valent, vt charitas proficiat, & proficiendo ad perfectionem perueniat. ¶ Primum est q̄ homo magnum desiderium proficiēdi habeat, Magna enim pars profectus est, velle proficere, vt ait Bern. Aug. Nostrum nō progredi iam reuerti est. Cessēt omnis ignauia, si volumus nō redire, currendū est. Leo papa: Inciditur periculū qui proficiendi perdiderūt appetitū. Ber. in epistolis: Indefessum proficiēdi studiū, iugis, & conatus ad perfectionē, perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni est esse perfectū, profectò nolle proficere deficere est. ¶ Secūdū est q̄ à creaturis inferioribus ad creatorem amorem suum recolligat. Solēt abscindi rami arboris nouæ inferius, vt totū crementū suū ponat superius. Greg. Non sufficit proficere homo ad vtraque diuisus. Genes. 49. dicitur ad Rubē: Effusus es sicut aqua, nō creſcas. Aug. in 2. lib. Confessionū: Ab vno te aduersus, in multa euanui. Exarsi enim aliquādo, satiari, inferius in adolescētia: & sylueſcere ausus sum variis, & vmbrosis amorib⁹. ¶ Tertiū est, vt doctrinę intēdat. Sicut paruulus absq; sumptione cibi creſcēdo nō proficit, sic anima sine doctrina deficere potius quā proficere solet. Eccl. 22. Filia fatua in deminoratione fiet. In Ps. Esurientes, & sitientes anima eorū in ipsis deficit. ¶ Quartū est, meditatio, & pręcipuè illa quæ versatur circa beneficia à Deo vel à proximo recepta, vel circa alia incitātia ad amorē Dei vel proximi. De quib⁹ dictū est prius. In Ps. In meditatione mea exardeſcit ignis. ¶ Quia

tum est,oratio.Ber.Amorem Dei in homine à gratia gentiũ lactat lectio,meditatio pascit,oratio confortat & illuminat.¶Sextum est,tẽtatio.Greg.in Moral.Electorũ desideria in prosperitate deprimuntur,aduersitate proficiũt:sicut ignis flatu premitur, vt crescat,& vnde quasi extingui cernitur,inde robotatur, cum per tentationem humilitas proficit.Prospera est ipsa aduersitas quæ mentẽ ab elatione custodit.¶Et notandum est quòd nullus ad tantã perfectionẽ peruenit in vita ista, ad quantã vellet peruenire.Ambr.super Luc.Nemo est qui tantũ virtutis apprehendat,quantũ desiderat:quia omnipotẽs Deus intetiora discernẽs, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, & ex hoc homo quod apprehendere conatur,& nõ valet,in illis se nõ eleuat quę valet.Item notandum,quòd sicut dicit Augustinus,perfecta charitas nec cupiditatem habet seculi,nec timorem seculi,per quas duas ianuas intrat,& regnat inimicus,qui primò timore,deinde charitate pellẽdus est.1.Ioan.4.Perfecta charitas foras mittit timorẽ.Glo.Timorem illum,scilicet quo timet quisq; sciẽs opera iustitiæ:ne veniat districtus iudex,& se minus castigatum damnet.¶Item notandum,q; sex sunt speciẽs perfectionis.¶Prima est, perfectio sufficientiæ: de quâ Matthæi 5. Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.¶Secunda est comparationis, quã debent habere clerici respectu laicorum.Genes.6. Noë erat perfectus in generationibus suis:id est, cõparatione eorum qui erãt de generatione sua.¶Tertia est ordinis,ad quã tenentur in sacris ordinibus constituti,ad quã pertinet continentia.Esa.52. Mũdamini qui fertis vasa Domini.¶Quarta est professionis,quę pertinet ad religiosos.Mat.19.Si vis perfect' esse,vade & vẽde omnia quę habes,& da pauperib'.¶Quinta est prælationis.Io.10. Bonus pastor animã suã dat pro ouib' suis.Greg.in homil.Cùm incõparabiliter lõge melior sit anima qua viuimus terrena substãtia quã possidemus:qui nõ dat pro ouib' suis substantiã suam, quo modo pro his daturus est animã suã?¶Sexta est securitatis: qui hãc habẽt,cupiunt dissolui,& esse cum Christo. Ad Philip.1.

TERTIÆ partis principalis de 4.virtutib.Cardinalib.Tract.I.De ipsis Virtutib. Cardinalib. in cõmuni.

Quare istæ quatuor virtutes dicantur cardinales. CAP. I.

DIcto de tribus virtutibus Theologicis, dicendum est de quatuor cardinalibus. De quibus habetur Sapient.8.Sobrietatem,inquit, & prudentiam docet iustitiam,& virtutem quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Sobrietatem vocat, quam vsitato nomine vocamus temperantiam. Virtutem vocat, quam communiter vocamus fortitudinem. Alias duas vocat nominibus nobis vsitatis. De his hoc modo agetur. ¶ Primò dicetur quare dicantur cardinales: licet non meminerim me legisse eas sic vocari in cano ne Sacræ scripturæ,vel à prophetis,vel sacris expositoribus. Secundo,numerus earum ostendetur. Tertiò, de singulis agetur. Quartò, diuisio earum quam Macrobius ponit subnectetur. ¶Circa primum notandum, quòd quatuor de causis possumus intelligere eas dici cardinales.Primò,propter stabilitatẽ.Cardo stabilis manet,licet ostium in eo vertatur. Prouer. 26. Sicut ostiũ vertitur in cardine suo:sic piger in lectulo suo.Sic hæ quatuor virtutes stabiles sunt,licet ea circa quæ versantur, scilicet ea quibus vtendum est,sint mutabilia.Hæ quatuor virtutes animam quasi quadratam reddũt,& ideo stabilem vndique.Figura enim quadrata vndique stabilis est. Heb. 13. Optimum est gratia stabilire cor.Prudentia animam tenet in veritate vtili: ne per ignorantiam, vel errorem, vel curiositatem ab ea recedat. Temperantia tenet eam in necessitate, ne per superfluitatem vel diminutionem ab ea recedat. Fortitudo tenet animum in quadam æqualitate,ne aduersitas eum deiiciat. Iustitia in proximi vtilitate,vt ei non noceat: sed potius vtilitati eius intendat.¶Secundo,quia sicut ostium cardini innititur: sic tota conuersatio bona his quatuor virtutibus innititur,quæ conuersatio consistit in faciendo bonum, & patiendo malum.Ber. Bonam vitam ego puto,& mala pati, & bona facere, & sic perseuerare vsq; ad mortẽ. Conuersatio bona quantũ ad duo prędicta quasi ostium est quo intratur ad vitam beatam. Mat.19. Si vis ad vitã ingredi,serua mandata. Act.14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cęlorũ.¶Tertiò,propter prœeminẽtiam quam habent respectu cæterarũ virtutum.Cardines enim dicũtur primæ partes cæli,vel terræ,vel maris. Deuteron. 30. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde retrahet te Deus. 1. Regum 2. Domini enim sunt cardines terræ.Iob 36. Cardines quoq; maris operiet.Sic virtutes istæ primæ sunt respectu aliarum virtutũ.Et sicut cardinales præsunt clero,& summus põtifex per eos ardua operatur: Sic hæ virtutes excellentiam habent respectu aliarum virtutum,& anima per eas agit ardua opera, in quibus salus consistit.Et sunt hæ virtutes cardinales ornatus cõuenientissimus cardinalibus: vnde specialem amorẽ debent habere ad eas.¶Quartò,propter principalitatem. Cęterę enim virtutes ad

has aliquo modo reducuntur. Præterea istæ virtutes principales motus viriũ animæ dirigunt. Prudẽtia actũ rationalis qui est discernere inter bonũ & malũ, vel inter duo bona q̃ melius, vel inter duo mala quod magis malũ. Tẽperantia dirigit actũ cõcupiscibilis, qui est, velle bonũ, delectabile. Fortitudo actũ irascibilis, qui est aggredi arduũ, & sustinere quod est difficile ad sustinẽdum. Istæ ergo tres virtutes, tres actus principales triũ viriũ animæ dirigũt quantũ ad se: sed iustitia actus illos dirigit respectu proximi. Ipsa enim circuit oẽs vires, vt dicit gl. Isid. super Ge. a.

De numero prædictarum virtutum. CAP. II.

Dicendum de numero prædictarum virtutum qui officiis earum satis potest declarari. Vnde notandũ q̃ Prudentia cæteris lumen præfert. Tẽperantia animã perficit respectu eius quod infra nos est. Fortitudo respectu eius quod contra nos est. Iustitia respectu eius, quòd est iuxta nos vel supra nos, respectu proximi vel Dei. Aug. Prudẽtia est, eligere quod eligendum est. Fortitudo, nullis auelli molestiis. Tẽperãtia, nullis illecebris. Iustitia, nulla superbia. In lib. de spiritu & anima: Prudentia est in eligẽdis, tẽperantia in vtẽdis, fortitudo in tolerandis, iustitia in distribuendis. Tullius in libr. de offic. Honestas à quatuor partibus manat. Vna cognitionis. Altera communitatis. Tertia magnanimitatis. Quarta, moderationis. Cognitio pertinet ad prudentiam. Communitas ad iustitiam. Magnanimitas ad fortitudinẽ. Moderatio ad temperantiam. Hæ quatuor virtutes, videntur esse cõtra quatuor affectus originales, quos Beda distinguit, scilicet ignorantiam, infirmitatem, concupiscentiam, malitiam vel malignitatẽ. Prudentia cõtra ignorantiam. Fortitudo contra infirmitatem. Temperantia cõtra concupiscentiam. Iustitia contra malitiam, vel malignitatem. ¶ His quatuor virtutibus quasi quatuor lapidibus pretiosis constat corona sponsæ Christi. Prudẽtiam habet à parte anteriori, vt caueat à futuris. Iustitiam à posteriori, vt satisfaciat de præteritis. Temperantiam à dextris, ne eleuetur in prosperis. Fortitudinẽ à sinistris, ne succumbat in aduersis. ¶ Cùm virtus sit circa bonum, secundũ verbum Sapientis: Quadrupliciter verò peccat anima circa bonũ: scilicet vel eligendo quod apparet bonum, cùm non sit: vel illud quod verè bonũ est, ac si non esset bonũ, fugiendo, eò q̃ molestum sit: vel appetendo quod simpliciter est bonum, cùm sibi nõ sit bonum, eò q̃ non sit cõmensuratũ: vel appetendo quod proximo est malum, eò quòd bonum sibi. Prudẽtia est cõtra primũ quæ prodit, & manifestat non esse bonum quod apparet esse bonum.

Fortitudo est contra secundum, quæ amplectitur quod molestum est tanquam bonum expediens: vt est medicina amara, vel incisio in corpore propter salutem corporis facta. Temperãtia contra tertium, quæ cauet superfluũ. Iustitia est contra quartum, quæ cauet proximi nocumentum. Prudentia cauet errorem qui est principium errorum malorum. Fortitudo excludit timorem seculi. Sapiẽs: Fortitudinis est, non nisi turpia timere. Temperantia excludit cupiditatem seculi. Hæc duo principia sunt omnis peccati. Vnde gl. super illud Psal. Incensa igni, & suffossa. Omne peccatum duæ res faciunt, scilicet cupiditas & timor. Iustitia seruat amorem proximi. Est enim vinculum societatis humanæ: vt ait Senec. in lib. de quatuor virtutibus. Prudentia discutit quæ fallunt. Temperantia compescit ab his qui irritant, & alliciunt. Fortitudo sustinet quæ exterrent. Sen. in epistolis: Liniẽda sunt quæ me exterrent, cõpescenda quæ me irritant, discutiẽda quæ fallunt. Iustitia timet quod est timendum, & amat quod est amãdũ. Tul. in lib. de Offic. Nemo potest esse iustus, qui mortem, qui doloreẽ, qui exiliũ, qui egestatẽ timet. Prudentia facit vt homo bene se habeat ad vera, vel falsa. In prospiciẽtia enim veri solertiáque versatur, iuxta verbũ Tull. in lib. de Offic. Temperantia & fortitudo, vt bene se habeat ad prospera, & aduersa. Iustitia, vt bene se habeat ad Deum & proximũ. Prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia secundũ aliquam acceptionẽ sui, accipiuntur enim diuersimodè, vt patebit cũ de singulis agetur, videntur operari circa vnũ & idem opus meritoriũ. Prudentia eligit quod agendũ est. Temperãtia cauet ne quid nimis. Fortitudo ne quid parũ. Iustitia opus ordinat ad debitũ finẽ. Prudentia prouidet speciẽ. Temperantia & fortitudo modũ. Iustitia ordinem. ¶ Numerus harũ quatuor virtutum designatur in multis locis in Scriptura sacra. ¶ Primo in quatuor fluminibus paradisi. de quib. legitur Gen. 2. vbi dicit gl. Gre. Quatuor flumina paradisum irrigant: quia de his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni deteriorũ carnalium æstu tẽperatur. ¶ Secundo in quatuor coloribus quibus decoratæ sunt cortinæ tabernaculi. Exo. 26. quæ significant has quatuor virtutes in quibus decor ecclesiæ cõsistit. Hiacynthus aërei vel cęlestis coloris, pertinet ad prudentiã, qua Deũ & angelos specialiter imitamur. Byssus habens candorẽ pertinet ad tẽperantiam, quæ candidã, & mundam reddit anima. Purpura sanguinei coloris pertinet ad fortitudinẽ, quæ parata est sanguinẽ pro Christo fundere. Coccus ignei coloris pertinet ad iustitiam, propter zelum ipsius. ¶ Tertiò, in quatuor speciebus quibus

bus conficiebatur vnguentũ, quo tabernaculum & vasa ipsius & ministri vngebantur: De quibus habetur Exo.30. Myrrha prima pertinet ad tẽperantiam, quę est in iuuentute. Tunc enim laudabilior est. Cinamomũ, quod est cinerei coloris, quod cũ frangitur in modum nebulæ, spiramentũ visibile emittit, vt dicit gl. super Exo.20. pertinet ad humilitatẽ, quæ est omnis Iustitia. Matt. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiã: id est, perfectam humilitatẽ. Casia quæ crescit in aquis, pertinet ad prudentiam, quæ in aquis doctrinæ nutritur. Calamus arbor aromatica pertinet ad fortitudinem, quæ aduersa tolerando dat odorem suauitatis, vt species aromaticæ cùm conteruntur redolent. His quatuor, addito oleo diuini amoris, conficitur vnguentũ bonæ famę suauissimè redolens. Eccle.6. Melius est nomẽ bonum quàm pretiosa vnguenta. ¶ Quartò, quatuor virtutes sunt quasi quatuor rotæ in curru igneo quo subleuantur amici Dei. 4. Reg. 2. Currus iste igneus est conuersatio ardenter amantiũ Deum. ¶ Quintò, commendatur numerus harũ virtutũ figuris quatuor animaliũ, aquila, vitulo, leone, homine. De quibus Apoc.4. & Ezech.1. In aquila figuratur prudẽtia, cuius est vigilare in rebus discernendis, vt ait Aug. Aquila enim visum habet acutũ. In vitulo temperantia. Vitulus enim immolabatur in lege. Tẽperãtia verò exhibet corpora nostra Deo hostiã viuẽtem. ad Ro.12. In leone fortitudo. Prouer.30. Leo fortissimus bestiarũ ad nullius pauebit occursum. In homine iustitia, quæ vinculũ est humanæ societatis: vt dictũ est prius. Voluit Dominus quatuor esse Euãgelistas, & quatuor Euãgelia, ad designandum quòd illi qui doctrinam Euangelicã docẽt, & qui eam tenent, his quatuor Virtutibus pollere debeant.

TERTIÆ partis principalis de quatuor Virtutibus Cardinalibus Tractatus

II. De prudentia.

De ordine dicendorum in isto tractatu, & de diuersis modis quibus sumitur nomen Prudentia. CAP. I.

INTER has virtutes primò agetur de Prudentia quæ animas dirigit, de qua hoc modo agetur. Primò, distinguentur diuersi modi quibus hoc nomen Prudentia sumitur. Secundò, descriptiones eius ponentur: & quomodo ipsa sit virtus, ostendetur. Tertiò, tangetur de diuersis eius actibus. Quartò, cõmendationi eius insistetur. Quintò, tangetur de speciebus eius. Sextò, de his quę aduersantur. ¶. Circa primum notandũ quòd hoc nomen Prudentia quãdoque sumitur pro eo

quod apparet esse prudentia, cùm nõ sit. Sic sumitur ad Ro.8. vbi dicitur: Prudẽtia carnis, mors est. Gl. Prudẽtiã carnis habet quis, cùm studiosius implet quæ carnis sunt, appetẽdo bona tẽporalia, & fugiẽdo mala, & cùm naturas rerũ tantum sequitur. Prudentia verò ideo dicitur cũ res stulta sit: quia ita videtur secularibus hominibus. Similiter quãdoque sumitur pro sapientia apparẽti. vnde subditur in eodẽ cap. Sapientia carnis inimica est Deo. Et. 1. ad Cor.3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deũ. Quãdoque autẽ sapientia dicitur diuinarũ & humanarũ rerũ cognitio, secundũ verbũ Sen. in epist. Et Tull. in li. de Offi. Et ista cognitio subdiuiditur in tres partes, moralẽ scilicet, & naturalẽ, & rationalẽ, vt tangit Sen. Prudentia verò dicitur sciẽtia operandorum. Vnde Damascenus diuidit animã rationalẽ in duo. In id quod est in ea contẽplatiuũ, & id quod est in ea actiuũ. Contẽplatiuum est quod excogitat res prout habent esse. Actiuũ verò quod consiliatiuũ est, quod agenda dirigit. Et vocat contẽplatiuũ, intellectũ: actiuũ verò, rationẽ. Et dicit sapientiã pertinere ad contẽplatiuũ: prudentiã verò ad actiuũ. Quandoq; authores pro eodẽ videntur sumere prudentiã & sapientiã. vnde Pro.16. Qui sapiẽs est corde, appellabitur prudẽs. Quandoque verò sapientia sumitur pro cognitione diuinorũ, & prudentia sumitur pro cognitione humanorũ. Vnde super illud Psal. Os meũ loquetur sapientiã, & meditatio cordis mei prudentiã. dicit gl. Sapientia ad diuinas res pertinet. Et pòst subditur: Prudẽtia scilicet de moribus. Et nota quòd mos est habitus ex quo sine præmeditatione est frequẽtia operũ. Vel ab eo quod est mox: quia mora est ex ea operatio. Vel dicitur à mora, id est, à diuturnitate assuefactionis. Aug. verò distinguit inter sapientiã & scientiã, in lib. de Tri. Hæc est, inquit, sapientię & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarũ rerũ cognitio intellectualis: ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis. Sapientia etiã sumitur pro sapida scientia, aut pro scientia sapore virtutum condita. Eccl.6. Sapiẽtia dõctrinæ secundũ nomen est eius. Sapida enim est: sicut nomẽ eius à sapore dictũ videtur. Sapiens: Signũ oportet facere habituum fluentẽ delectationẽ & lætitiam. In hoc differt literatus malus à sapiente: quia literatus malus gaudet de hoc quòd scit opponere & respondere de his quæ pertinent ad mores. Sapiẽs verò de hoc quòd illa sunt. Bern. in sermonibus: Inuenisti planè sapientiã, si prioris vitę peccata defleas, si huius seculi desiderabilia paruipẽdas, si æternam beatitudinem toto desiderio cõcupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi horũ singula sapiunt prout sunt. Quãdoque

verò

verò sapiẽtia dicitur cognitio de Deo quasi per saporẽ eius habita, vt cùm aliquis gustauit & vidit quàm suauis est Dominus. Et hęc cognitio differens est ab illa qua aliquis credit Deũ esse suauẽ: quia scriptura hoc dicit, sicut differt cognitio quam habet aliquis de dulcedine vini per gustum ab illa quæ est per auditum. Prudentia etiã quandoque sumitur pro virtute. Et hoc multipliciter: vel pro virtute, scilicet gratuita: vel pro virtute ex multis operationibus acquisita. Item quãdoque sumitur largè, vt cõprehendat omnes virtutes cognitiuas. Et sic videtur eã sumere Tullius, dicens: Prudentia est rerũ diuinarum & humanarũ cum ratione bene viuendi iuncta cognitio. Rationẽ bene viuẽdi, intelligo discretionẽ bonæ vitæ. Prudentia enim est cognitio directiua bonæ vitæ. Quandoque verò strictius sumitur, vt non cõprehendat fidem vel donum consilij, vel intellectus, vel scientiæ.

De descriptione Prudentiæ. Et quomodo Prudentia sit virtus: cùm videatur esse scientia. CAP. II.

PRudentia sic describitur ab Aug. in lib. de moribus ecclesiæ: Prudentia est amor, ea quibus adiuuatur in Deum, ab his quibus impeditur, sagaciter eligens. In libro vero de Spiritu & anima dicitur, quòd prudentia est scire quid anima debeat facere. Super illud Matt. 15. Erant qui manducauerunt quatuor millia. dicit gl. Greg. Prima scilicet prudentia est cognitio rerũ vitandarum & appetendarum. Et potest esse sumptum de verbis Tullij in libr. de Offic. dicentis: Prudentia est appetendarum fugiendarúmque rerum scientia. Describitur etiam sic prudentia in libro de requie mentis. Prudentia est rerum bonarum & malarum cum alterarum dilectione, & reliquarum detestatione, scientia. Tullius eam sic describit in Rhetorieis: Prudentia est rerum bonarũ & malarũ & vtrarúmque scientia. Hæc virtus discernit bona à malis, & bona abinuicẽ, ostendendo quod sit melius: & mala ab inuicẽ, ostendendo quod sit maius malũ. Sed quæritur quomodo Prudentia virtus sit, cùm videatur esse scientia secundũ multas descriptiones eius prius positas? Ad quod videtur posse responderi, quòd Prudentia gratuita virtus est, quia est radius viuus à vero sole procedens. Cognitio quam habent mali circa ea quæ pertinent ad mores, cognitio est quasi mortua, incualida ad mouendũ volũtatẽ, vt bono cognito cõsentiat, vel dissentiat à malo cognito. Sed prudentia virtus non solũ est lumen illuminans intellectũ: sed etiã calefacit affectũ: non solum enim ostendit quid, quando, & qualiter sit agendum, sed etiam movet voluntatem vt appetat bonũ post iudiciũ, vel fugiat malum.

Rom. 8. Prudentia spiritus, vita. Prudentia verò virtus consuetudinalis ex frequentia operum relicta, nõ est idem cum scientia, quę est communiter de his quæ sunt circa operationes voluntarias. Operationes verò ex quibus ipsa vt est virtus relinquitur, sunt singulares discretiones de singularibus fugiendis vel appetẽdis: non secundũ quòd sunt in imaginatione tantum, vel opinione, sed secundum quòd sunt subiecta sensui. Accidit enim de multis, quòd minus mouent ad hoc quòd fugiantur vel appetantur dum sunt in imaginatione, quàm dũ sunt in sensu: habitus verò relictus ex his singularibus descriptionibus potentior est ad mouendum voluntatem vt consentiat bono, vel dissentiat à malo, quàm scientia moralis quæ est communiter de his quæ pertinẽt ad mores. Et videtur differre alter horũ habituũ à reliquo: sicut scientia musicę, quam habet aliquis magister artiũ qui legit musicã in scholis, qui tamen nesciret cantare responsorium vnum, differt à cognitione quã habet ille qui habet magisteriũ organizandi, in quo non solũ est relictus habitus ad cantandum quantũ ad vim apprehensiuã, sed etiam quantũ ad vim motiuã & imperantem motũ & exequentem. Similis differẽtia est inter habitũ quẽ habet magister in medicina, qui scit legere libros medicinæ & pertinentes ad practicam & pertinentes ad theoricã, qui non habet consuetudinem operandi. ¶ Et notandũ quòd non est aliquis prudens prudẽtia virtute, eò quòd sit prudens prudentia solum intellectu. Imò oportet quòd ipse sit prudẽs intellectu, & affectu, & opere. Vnde vsus scripturæ & vsus cõmuniter loquentiũ habent, vt imprudentes dicantur qui imprudẽter operãtur: licet prudenter intelligant quid, & quando, & quomodo sit agendum. Vnde prudẽtia virtus cõsuetudinalis non relinquitur in aliquo, nisi qui prudenter se habuit diu, prudenter intelligendo, prudenter volendo, prudenter agendo. Iob 12. In multo tẽpore prudentia. Qui habet prudentiã virtutẽ, habitũ habet ad prudẽter discernendum, prudenter volendum, prudenter agendũ. Ad hoc etiam quòd prudẽtia sit virtus, videtur facere hoc, quòd ipsa est cognitio boni vel mali, & talis boni vel mali quod difficile est discernere: vt vitij, quod prætendit speciẽ virtutis. Ad hoc etiã quòd ipsa sit virtus, videtur facere actus liberæ voluntatis præcedens eius cognitionem, quam August. vocat amorem discernendi ea quibus adiuuamur in Deũ, ab his quibus impedimur. Cognitio pertinens ad prudentiã nõ est cognitio effecta per violentã prohationem: sed est cognitio credulitatis, cuius consensus est sine necessaria coactione. Poterit etiã videri alicui quòd sic tẽperãtia

ordi-

ordinat vim cõcupiscibilem ad delectationes sensuum: ita prudentia vt est generalis ad virtutes cognitiuas, ordinet voluntatem liberi arbitrij ad operationes quæ pertinent ad vim rationalẽ. Volũtas enim liberi arbitrij penes quã est summa potestas in anima, ita potest se inordinate habere circa operationes intellectus vel rationis, sicuti respectu sensuũ. Vnde sicut necessariæ sunt aliquę virtutes quæ ordinent eam respectu sensuum: sic necessaria est aliqua virtus quæ ordinet eã respectu intellectus. Et sicuti voluntas respectu eorũ quæ sunt delectabilia secundum sensum, potest esse & virtuosa & vitiosa: sic volũtas quę est respectu cognitionum videtur posse esse & virtuosa & vitiosa, vel poterit forsitan videri alicui quòd hoc sit quod Senec. intelligit in epistolis nomine Philosophiæ dicens: sapientia bonũ perfectum est mẽtis humanæ: Philosophia sapiẽtiæ amor est & affectio. Ité illud quasi consistit inter philosophiã & sapientiã interesse. Neque enim fieri potest vt idẽ sit quod affectatur & quod affectatur quomodo multũ interest inter auaritiã & pecuniã, cum illa cupiat, hæc cõcupiscatur, sic inter philosophiã & sapientiã. Idem. Alij Philosophiã studium virtutis esse dixerunt, alij studium corrigendæ mentis. A quibusdam dicta est appetitio rectæ rationis.

De diuersis actibus siue officijs Prudẽtiæ. Et de duodecim stultitijs, quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt.

CAPVT IIII.

SEquitur de diuersis actibus seu officiis prudẽtiæ. Notandum ergo quòd ad prudentiam pertinet actus aliarum virtutum dirigere. Prouerb. 15. Vir prudens dirigit gressus suos: Ipsius est prouidere, vt opera nostra sint Deo grata, nobis vtilia, proximo nõ iniuriosa. Ad eam videtur pertinere discretio illa de qua dicit Bernardus super Canti. Est discretio non tam virtus quàm quędam moderatrix virtutum, & auriga, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit. Et intelligas ibi eam virtutem vocari, inquantum dirigit proprios actus separatos ab actibus aliarum. Aurigam verò virtutum, inquantũ alias virtutes dirigit in actibus suis. Eius est moderari feruorem præcipitantem. Ber. super Cant. Virtus discretionis absque charitatis feruore iacet, & feruor vehemẽs absque discretionis temperamento præcipitat. Ideóque laudabilis est cui neutrum deest quatenus feruor discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Prudentiæ est prouidere vt operibus nostris Deus glorificetur, & nobis præmium acquiratur, & exemplum bonũ proximo præbeatur. Ad prudentem pertinet nolle fallere, & falli nõ posse. Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ. Prudentes, vt falli nõ possitis: simplices, vt fallere non velitis. Senec. in li. quatuor principalium virtutum: Prudens fallere non vult, falli non poterit. Item prudentiæ est, res secũdum veritatem existimare, non secundum multorum opinionẽ. Sen. in eod. lib. Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem rectè viues, si omnia prius existimes & perpenses, & dignitatẽ rebus nõ ex opinione multorum, sed ex earũ natura constituas. Item quæcunque ex rebus transitoriis possides, non mirẽris: nec magnum existimes quod caducum est. Ipsius est nõ quàm multis, sed quibus placeas, cogitare: nec quis dicat, sed quid dicatur attendere. Sene. in lib. de quatuor virtutibus, cap. de prudentia: Non te moueat dicentis authoritas: nec quis, sed quid dicat intendito: nec quàm multis, sed qualibus placeas cogitato. Item prudentiæ est quæ nobis commissa sunt, ad Dei gloriam & vtilitatem ecclesiæ dispensare. Matthæ. 24. Quis, putas, est fidelis seruus & prudens &c. Et Luc. 12. Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens? Sene. Non apud te quæ habes tanquã aliena seruabis: sed pro te, tanquam tua, & dispenses & vtaris. Item prudẽtiæ est cauere ne aliquid leuiter inchoẽtur, vel inchoatum ante perfectionem de facili relinquatur. Sen. eod. lib. Scito in quibusdam te debere perseuerare, quia cœpisti: quædam verò nec incipere, in quibus perseuerare sit noxium. Idem in epistolis: Melius est vt proposita custodias, quàm vt honesta postponas. Ipsius est mutabilitatem cauere. Sene. in lib. de quatuor virtutibus, cap. de prudentia: Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris, & prout rerum aut temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus quæ eadem est, & quum in palmam extenditur, & quum in pugnum constringitur. Eccles. 27. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur. Item prudentiæ est tuti in occulto sicut in publico cauere. Senec. in eodem. Id opta quod optari coram bonis potest. Item ipsius est humilem statum diligere. Sen. in eodem: Ne altiori te rei imponas, in qua stanti tibi tremendum, ascendenti cadendum sit. Ipsius etiam est in prosperis potius quàm in aduersis consultè agere. Sene. in eodem: Tunc cõsilia salutaria aduoca: quum tibi alludit vitæ prosperitas, tũc te velut in lubrico retinebis ac sistes. Potius indiget lumine qui incedit per loca lubrica, quàm qui incedit per arida. Ité prudentiæ est non solùm interiora, sed etiam exteriora ordi-

nare. Prouer. 17. In facie prudentis relucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. Eccles. 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis & risus dentium & ingressus hominis enuntiant de illo. Item prudentiæ est actus rationis ordinare. Primus actus rationis est cogitare, quem dum prudentia ordinat, non solũ cogitationes noxias, sed etiam otiosas cauet. Hiere. 4. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Sene. Cogitationes vagas & inutiles & velut somno similes non recipies: quibus si animum tuum nõ oblectaueris, quum omnia disposueris, tristis remanebis. Ratio etiam dicitur habere quatuor partes prout ad sensibilem comparatur: scilicet inuentiuam, siue inuestigatiuam, iudicatiuam, memoratiuam, & interpretatiuam. Rationem inuestigantem prudentia ordinat, dum eam cohibet ab inquisitione inutilium vel nimis difficiliũ. Prouerb. 23. Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes. Ibidem: Prudentiæ tuæ pone modum. Seneca: Illud quære, quod potes inuenire: id disce, quod potes scire. Ecclesia. 3. Altiora te ne quæsieris. Et paulò pòst: In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Roma. 12. Non plus sapere quàm oportet sapere. Esa. 19. Confundentur qui operabantur linum, plectentes & texentes fila subtilia. Item prudentia rationem inquirentem dirigit, dum causam factorum requirere facit. Sen. in trac. de quatuor virtut. cap. de Prudentia: Cuiuscunque facti causam require: quum initia inueneris, exitus cogitabis. Item rationem dirigit inquirentem, dum eum ex aliis alia coniicere facit, vt ex præsentibus futura. Senec. Consilium peritorum ex apertis obscura existimat, & ex paruulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Idem: Si prudens esse cupis, in futurum prospectum inte de. Dirigit etiam rationẽ inquirentem quantum ad ordinem sciendi, & studium, & fidem. Bernard. super Cantic. Scire ea prius ampliúsque curato quæ serueris viciniora saluti. Idem: Scias modum sciendi, vt scias quo ordine, vt id prius quod maturius ad salutem: quo studio, vt id ardentius quo vehemẽtius ad amorem: quo fine, vt tantum ad ædificationẽ tui vel proximi. Idẽ: Sunt qui scire volunt eo fine tantum vt sciant: & turpis curiositas est. Alij vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Alij vt scientiam suam vẽdant, aut pro pecunia, vel pro honoribus, & turpis quæstus est. Alij vt ædificent, & prudentia est. ¶ Rationem iudicantem prudentia multipliciter dirigit. Primò dum eam cohibet à quibusdam iudiciis quæ ei non sunt licita: vt est iudicium de incertis, quod prohibetur Matthæ. 7. Et Luc. 6.

Luc. 6. Nolite, inquit, iudicare. Glo. Duo sunt in quibus iudicium temerarium cauendum est. Sunt enim quædam media & incerta quo animo fiant, quæ bene & male possunt fieri. Nescimus enim qualis futurus sit qui nunc apparet malus, de cuius correctione desperare, eúmque quasi abiectum reprehendere, temerarium iudicium est. 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare. Item cohibet rationẽ à iudicio vsurpatiuo, quod est quando aliquis iudicat personam quæ sibi subiecta non est. glo. super Matth. 7. Temerarium iudicium est, quãdo quibus non est cõmissum iudiciũ iudicant. Ro. 14. Tu quis es qui iudicas alienũ seruum. Item prudentia rationem iudicantem dirigit, dum eam à leuitate, vel nimia tarditate credendi custodit. Et omnibus enim, & nullis credere vitium est, vt ait Sene. Qui leuiter credit, vitiosè agit. Eccle. 30. Qui citò credit, leuis est corde. Senec. Prudentis proprium est examinare consilia, citò facili credulitate ad falsa prolabi. Prudens non nisi iudicio credit, & non nisi examinatam sententiam in consensum credulitatis admittit. Sene. Opiniones tuæ iudicia sint. Sicut in disputationibus non admittimus nisi manifestã vera, vel quæ vis probationis extorserit: sic in consensum credulitatis non debemus admittere nisi vel manifesta, vel ea de quibus sit nobis plena fides: quod præcipuè seruandum est his quæ non expedit nobis credere: vt sunt mala quæ nobis dicuntur de proximo, quæ amorem nostrũ ad proximum lædere solent, & dare occasionem despiciendi proximum. Item prudentia rationem iudicantem dirigit, dum eam cohibet, ne vel dubia temerè diffinita vel verisimilia affirmet. Senec. De dubiis nõ diffiniram, sed suspensam tene sententiam. Nihil inexpertum affirmes: quia non omne quod est verisimile, statim verum est, sicut & sæpius, quod primum incredibile videtur, non continuò falsum est. Crebrò faciem mendacij veritas tenet: crebrò mendacium facie veritatis occultatur. Nam sicut aliquando frontem tristem amicus, & blandam adulator ostendit: sic verisimile colorat ur, & vt fallat conatur. ¶ Rationem etiam memorantẽ prudentia dirigit, dum salubria facit reminisci, & noxia obliuisci. Salubria ad reminiscendum sunt vt beneficia Dei vel proximi: noxia, vt iniuriæ proximi. Item inter bona præsentia mala facit reminisci contra elationem superbiæ, & inter mala præsentia bona contra dejectionẽ nimiam. Eccl. 11. In die bonorum ne immemor sis malorũ, & in die malorũ ne immemor sis bonorum. Rationẽ etiam prout eius est sermonem interpretari quod excogitauit, prudẽtia dirigit, dum sermonẽ moderatur. Prouer. 10.

Qui moderatur labia sua prudentissimus est. Eccl. 21. Labia imprudētum stulta narrabūt: verba autem prudentium statera pōderabuntur. Syne. Sermo tuus non sit inanis: sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parcè, vituperato parcius. Similiter enim reprehensibilis est nimia laudatio, vt immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, nō amicitiæ reddas. Cū consideratione promitte; plenius quàm promiseris præsta. Prudentis est taciturnitatē amare. Prouer. 11. Vir prudens tacebit. Eccle. 19. Est tacens, & ipse est prudens. ¶ Prudētia etiam rationem dirigit circa ipsam prudētiam, vt nō prudentiæ suæ innitatur, nec facile se credat prudentiam habere. Prouer. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Roma. 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Item Esa. 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corā vobismetipsis prudentes. Item ad prudentiam pertinet prouidere ne totum tempus detur actioni. Seneca: Non semper in actu sis: sed interdum animo tuo dato requiem, & requies ipsa plena sit sapientiæ studiis & cogitationibus bonis. Bernard. in lib. de consideratione: Non te totum nec semper des actioni: sed considerationi aliquid tui & cordis & corporis. Sequestra. Consideratio ipsius actionis partes benigna præsumptione suas facit, præagendo quodammodo & prēordinando quæ agenda sunt necessario. Sanè ne forte quæ præuisa & præmeditata poterāt esse proficua, præcipitata magis pericula fiant. Item prudentia insidias præcauet. Augu. Prudentia est in præcauendis insidiis. Ipsa etiam in bello spirituali triumphat. Exemplum habemus de hoc in Christo. Cuius prudentia percussit superbum. Iob 26. Ipse tribus verbis scripturæ sacræ in deserto diabolum prostrauit. Matthæi 4. Prouerb. 24. Vir sapiens, fortis est: & vir doctus, robustus & validus: quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia. Eccl. 9. Ciuitas parua &c. Et subditur: Inuentus est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam. Et subiungit Salomon: Dicebam ego sapientiam meliorem fortitudine. Et in eodem: Melior est sapientia, quàm arma bellica. Et Sapientiæ 5. Melior est sapientia, quàm vires: & vir prudens magis quàm fortis. Eiusdem septimo: Sapientiam non vincit malitia. Et vicesimoquarto. Econtrario stultitia vel imprudentia in bello spirituali succumbit. Baruch 3. Quondam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. Tullius in Rhetoricis: Parua foris sunt arma: nisi sit consilium domi.

De stultitiis quibus prudentes in bello spirituali succumbunt.

De stultitiis verò quasi innumeris quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt, causa breuitatis paucas enumeremus. ¶ Prima est eorum qui ante pugnam se armare nolunt: sed tunc primo arma accipiunt, cùm dolorem vulnerum sentiunt. Tunc primo patientiæ vel humilitatis clypeum sumunt, quum gladio maligno linguæ venenatæ sunt vulnerati. Eccles. 2. Præpara animam tuam ad tentationem. Præparatio ista est excogitatio de modo resistendi tentationi, quod faciendum est ante tētationem. Semper enim deberent incedere armati qui sunt inter hostes suos. Modum conuenientissimum resistendi tentationi quæ est per linguas venenatas, Christus ostendit, in summa taciturnitate blasphemias persecutorum audiens. Esaiæ 53. Quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & nō aperiet os suum. In Psal. Ego tanquam surdus non audiebam &c. ¶ Secunda est eorum qui sumunt arma nimis onerosa, præcipuè quum non habeant eorum consuetudinem, qui quādoque eorum pōderositate deiiciuntur, vt qui nimis ieiunant vel orant. Dauid arma Saūl deposuit, quia pōderosa erant, & non habebat eorum consuetudinem, & leuibus armis vicit. 1. Reg. 17. ¶ Tertia est eorum qui in ipso cōflictu arma sua proiiciunt, quando ea fortiter tenere deberent, scilicet patiētiam & humilitatē. Vnde dictū est à Boētio: Talia tibi contuleram arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta tefirmitate tuerentur. ¶ Quarta est eorum qui ex ea parte qua debiliores sunt & qua magis à diabolo impugnātur, minus se munirunt, quum contrario esset faciendum. Qui videt se ad auaritiam pronum esse, multum deberet conari ad largitionem eleemosynarū: vt faciunt qui lignorum tortuosa dirigunt, iuxta verbum Philosophi: multum enim inflectunt ea in contrarium, vt sic ad rectitudinem reducant. ¶ Quinta est eorum qui nolunt resistere hostibus in loco vbi facilius possent. Ad portas castri hostibus resistēdum est, aut in aliquo loco alto & arcto, vbi paucitas multis resistat. Et non tunc primo resistendum est, quando totum castrum vel totā terram occupauerunt. Sic ad portas sensuum hostibus spiritualibus est resistendum. In alto etiam eminentis vitæ ponere nos debemus: quod altum multis occupationibus faciendum est angustum, vt hosti via nō pateat, & ibi hosti resistendum est. Sic Eliachim præcepit obtineri ascēsus mōtium, per quos via poterat esse in Hierusalem, vt legitur Iudith. 4. ¶ Sexta est eorum qui nolunt hostem interficere dum paruus est, non attendentes illud Psal. Beatus qui tenebit, & allidet

paruulos suos ad petram. Tales nolūt hosti resistere dōnec fuerint ab eo interfecti. Poëta: principiis obsta, serò medicina paratur. Hiero. Lubricus est antiquus serpēs: & nisi capite teneatur, statim totus illabitur. Gen. 3. dictum est serpenti de muliere: Ipsa conteret caput tuum. ¶ Septima est illorum qui contra suos pugnant, & hostes suos amicos reputāt. Cùm peiores inimici quos habemus sint proprius sensus & propria voluntas: contradictiones quæ propriū sensum impugnant, & persecutiones quæ impugnant propriam volūtatem, sunt adiutoria nobis à Deo missa contra pessimos hostes nostros. Vnde contra suos pugnant qui talibus repugnant. Econtrario fauores hominum & applausus, hostes nostri sunt, qui nos decipiunt, licet hoc multi non intelligant. Prou. 7. Vade contra virum stultum, & nescies. ¶ Octaua est eorum qui de prope volunt pugnare cum hoste, qui ex propinquitate vires assumit, & ex elongatione vires amittit: vt est fornicatio, & cætera vitia ad voluptatem pertinētia. Ideo dicitur Cor. 6. Fugite fornicationem. ¶ Nona est eorum qui fugiendo hostem vitare volunt, qui fugientes magis insequitur. Vt faciunt illi, qui aduersa huius mundi nimis timēt. Sene. Quemadmodum perniciosior est hostis fugiētibus: sic omne fortuitū incommodum magis instat cedenti & aduerso. Multum miratus fuit Iosue videns populum domini fugientem. Iosue 6. Domine Deus, inquit, quid dicam videns Israēlē hostibus suis terga vertentem? ¶ Decima est illorum qui quum pugnādum esset cōtrariis, pugnant similibus, vt odio contra odium, garrulitate contra garrulitatem, stultitia cōtra stultitiam. Potius amore cōtra odium pugnandum est, sicut aqua pugnatur cōtra ignē. Prouer. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illū. Taciturnitate cōtra garrulitatē. Sapiēs: Garrulo nō respondere, cōuitium est. Eccl. 8. Ne litiges cum homine linguato: neque struas in ignē ipsius ligna. Sapientia contra stultitiam. Prou. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiā suam, ne ei similis efficiaris. ¶ Vndecima est illorū qui laborant in impugnatione hostium suorum, quos gloriosius sine ictu possent vincere parcendo. Prouer. 17. Melior est vir patiens viro forti &c. Et eiusdem 20. Ne dicas, Reddā malum pro malo: expecta dominū, & liberabit te. Liberabit, inquā, à labore & periculo vindicandi te. Præterea ad plenū vindicabit te, hostē tuum patibulo infernali tradendo. ¶ Duodecima est illorum qui iuuant hostē suum, ad sui interfectionem. Greg. Non est timendus hostis qui non potest vincere nisi volentem. Sicut diabolus non potest vincere nisi volentem: ita nec occidere nisi inuantem. Diabolus cordi gladium applicat, quando malam cogitationem immittit. Impingis & infigis gladium cordi tuo, quando consentis, & sic diabolum iuuas. Item diabolum iuuat, qui sciens volens vadit ad foueam in qua diabolus vult eum præcipitare. Prouer. 23. Fouea profunda meretrix. Deberet proponere qui tentatur de peccato carnis, quòd non ibit ad locum vbi illud committat, nisi diabolus illuc eum portet. Item diabolum iuuat qui gladium ei conducit quo ab eo interficiatur: vt qui dat aliquid mulieri vt peccato suo consentiat.

De commendatione Prudentiæ. CAP. IIII.

Dicto de officio Prudentiæ, insistendum est commendationi ipsius. Et norandum quòd multa quæ dicta sunt de officio prudentiæ, valere possunt ad eius commendationem. Præter illa verò, Primò facit ad eius commendationem multiplex admonitio, quam scriptura sacra facit ad eam. Mat. 10. Estote prudentes &c. 1. Pe. 3. Estote prudentes &c. Prou. 4. In omni possessione tua acquire prudentiam. Prou. 4. Attendite vt sciatis prudentiā. Eiusdem 16. Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. ¶ Secundò, quòd filius Dei ore proprio eam docere voluit. Prou. 2. dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudētia. Nec solo ore eam docuit, sed opere, persecutores prudenter declinando. Io. 8. Ieus autem abscondit se, & exiuit de templo. ¶ Tertiò, quia ipsa est nobilis species cognitionis. Prou. 9. Scientia sanctorum prudentiæ. Vnde ad commendationem eius faciunt quæ pertinent ad commendationem sapientiæ, de qua habetur multum in libris Salomonis, quasi ferè per totum, & specialiter Prou. 3. Vbi dicitur, Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti. Et in eod. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. Et eiusdem 1. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Et eiusdem 16. Posside sapientiam quæ melior est auro. Et 19. Vbi non est scientia animæ non est bonū. Et Sapi. 8. Omne aurū comparatione sapiētiæ arena est exigua, & quasi lutū ęstimabitur argētū in cōspectu illius. Eiusdē 10. Vani sunt homines in quibus nō subest sciētia Dei. Eiusdem 9. Si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo fuerit sapientia tua, in nihilū computabitur. Esa. 30. Diuitiæ salutis, sapientia & scientia. Osee 6. Scientiam Dei volui plusquam holocaustum. Sapientia Deū lætificat. Prou. 10. Filius sapiēs lætificat patrem suum. Et eiusdē 14. Accepus est regi minister intelligens. Eccl. 20. Homo prudēs placebit magnatibus. Hominē etiā

à periculo liberat. Prou. 11. Iusti liberabuntur scientia. Simile habetur Eccl. 9. Liberauit vrbẽ per sapientiam suã. Ipsa etiã hominem in bono conseruat. Prou. 2. Prudentia seruabit te. Item domum ecclesiæ roborat. Prou. 24. Domus prudẽtia roborabitur. Sapientiã astutia diaboli nõ superat. Esaiæ 9. Non nocebunt, & non occidẽt in vniuerso mõte sancto meo: quia repleta est terra scientia domini. Loquitur de serpentibus, per quos intelligere potes serpẽtes infernales. Serpens ex virga Moysi factus, serpentes Magorũ deuorat. Exod. cap. 7. Sapientia enim sanctorum astutiam diaboli superat. Astutiæ diaboli multæ sunt, quas ponit Gre. in Moralibus: Intuetur, inquit, inimicus generis humani vniuscuiusque mores cui vitio sint propinqui, & illa apponit ante faciem ad quę cognoscit facilius inclinari mentem, vt blãdis ac lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: asperis verò mẽtibus irã, superbiam vel crudelitatem proponit. Ibi ergo decipulã ponit, vbi esse semitã mentis conspicit. Psalm. In via hac qua ambulaui, absconderunt superbi laqueum mihi. Idem in eodẽ: Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit: nõ vt suæ malitiæ finem præbeat, sed vt corda quæ per quietem secura reddiderint, repente rediens facilius inopinatus irrumpat. Idem: Antiquus aduersarius cũ quæ accuẽt mala nõ inuenit, ipsa ad malum bona inflectere quęrit. Cúmque de operibus vincitur, ad accusandum verba perscrutatur. Cùm nec in verbis accusationẽ reperit, intentionẽ cordis fuscare contendit. Idẽ: Quia diabolus fructus arboris in hyeme & in æstate virides cõspicit: quasi vermẽ ponere ad radicẽ quærit. secũdũ Greg. Antiquus hostis bona nostra insequitur tribus modis. Aliquãdo in bono opere intentionẽ polluit, vt omne quod in actione sequitur impurũ sit. Aliquãdo verò intentionem vitiare non præualẽs in ipsa actione homini quasi se insignem proponit, vt securior factus de victo vitio quasi insidiis perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat: sed opus bonum in fine actionis illaqueat. Idem in Moralibus: Sæpe de ipsa victoria bellũ agitur, vt cũ immũda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. ¶ Quartò facit ad cõmendationem prudentiæ, q̃ ipsa videtur esse perfectio nobilioris potentiæ, quàm temperãtia vel fortitudo. Vis enim rationalis quã ipsa perficit, videtur esse nobilior concupiscibili & irascibili, quæ temperantia & fortitudine perficiũtur: quod autẽ nobilius est, melius est & magis eligendũ. ¶ Quintò prioritas quã habet respectu

respectu cæterarum virtutum. Virtus enim cognitiua videtur præcedere affectiuam. Aug. Vt maius est voluntatẽ domini facere quàm nosse: ita prius est nosse quàm facere. Idem: Initium obediẽtiæ est quid præcipiatur velle cognoscere, & pars est obsequij didicisse quod facias. ¶ Sextò magisteriũ quod habet respectu cæterarũ virtutũ. Ad eam enim pertinet illa discretio. De qua dixit Antonius: Discretio conseruat omnes virtutes, & fit genitrix & custos moderatrix virtutum, & perducit fixo gradu intrepidũ monachũ ad dominũ: quia nulla virtus potest perfici & stare sine discretione, sine hac posse videtur potius nocere homini quàm prodesse. Gre. Virtus quo plus se posse conspicit, cò sine moderamine rationis deterius in præceps ruit. Sine prudentia, quasi de homine tenebras incurrimus. Gre. Qui importunè radios solis aspicit, tenebrescit & inde nihil videre cõpellitur, vnde amplius videre conatur: vnde nosmetipsos dum plus iusto discutimus, & ipso discretionis studio indiscretius erramus. Sine hac si virtus teneatur, intermittitur: cùm verò per hanc intermittitur, melius tenetur. Gre. in Mora. Plerũque virtus cũ indiscrete tenetur, amittitur: cùm discretè intermittitur, plus tenetur. Ex studio nãque arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur. Idem: Nõ eadem res est semper virtus, quia per momẽta temporũ sæpe merita mutãtur actionum. Vnde fit vt cũ quid bene agimus, plerũque melius ab eius actione cessemus: & laudabilius ad tẽpus deserat, quod in suo tẽpore mens laudabiliter tenebat. Ber. in sermonibus: Nõ in facto laus est: sed in eo quemadmodũ fiat. Ennius: Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui, Vltra quàm satis est virtutẽ si petat ipsam. ¶ Septimò, q̃ ipsa bona domini nobis cõmissa multiplicat: sine ipsa inutiliter, imò damnabiliter absconduntur vel dissipantur. Ad absconsionẽ pertinet parabola de talẽtis, Mat. 25. Et parabola de seruis, quibus tradidit paterfamilias decẽ talẽta. Lucæ 16. De dissipatione verò habetur Lucæ 16. de villico qui diffamatus est apud dominũ suũ, quasi dissipasset bona illius. Et Prou. 21. Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo iusti, & imprudens homo dissipabit illud. ¶ Octauò, q̃ prudẽtia se habet ad spiritũ rationalẽ iudicantẽ: sicut assessor discretus & fidelis, quo assistente laudabiliter iudicatur. Si verò defuerit, peruertitur iudicium. Prou. 28. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. ¶ Nonò, q̃ ipsa est lucerna in viã paradisi dirigẽs. Qui non habet prudẽtiam, licet sit magnæ & altæ scientiæ, similis est homini in altũ respicienti, & vbi pedem suum ponat non

uidenti, qui de facili potest corruere. Augu. super illud 1. Cor. 8. Scientia inflat. Præponenda est scientia sciētiæ. Melius enim est scire infirmitatem nostrā, quàm naturas rerum. Laudabilior est animus cui nota est infirmitas sua, quàm qui ea nō respecta syderum vias scrutatur & terrarum fundamēta & fastigia. Idē super Gene. 2. De forma & figura cæli multi disputāt: quas res maiori prudentia nostri omiserunt authores: discētibus ad beatam vitam non profuturas, occupantes quod prius est malū, pretiosa & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Si affuerit prudentia, verè potest homo sapiens reputari. Si verò defuerit, verè potest homo stultus reputari. Prudentiam verò intellige, cognitionem operandorum. Prou. 14. Callidi est intelligere viam suā: quid scilicet agendum sit: & imprudētia stultorum errans. Ignorat enim quid agendum sit. Et in eodē: Fatuitas stultorum imprudentia: id est, ignorantia agēdorum. ¶ Decimō, q animalia irrationalia etiā minima docent nos eam: vt serpentes, & formicæ, & similia. Sene. Pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores. Prou. 30. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sapientiora sunt sapientibus: Formicæ populus infirmus, quæ præparant in messe cibum sibi: Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: Regē locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: Stellio manibus nititur, & moratur in domibus regum. In formica commēdatur nobis prouidentia. In lepusculo qui est animal timidum velociter fugiēs, & in petra collocans cubile suū, diffidentia de propriis viribus, & confidētia in Deo, quæ reperitur in hominibus timoratis. In locusta verò, quæ saltat, & post saltū decidit, ardēs desideriū æternorū cū cōsideratione propriæ infirmitatis. In stellione qui est lacertulus quasi depictus & stellatus, qui alas non habet, sed manibus nititur, diligentia in operatione quæ defectū supplet naturæ. Vt enim dicit gl. ingenioſi per negligentiā in imo remanēt: sed simplices quos ingenij pœna nō adiuuat, ad obtinēda regni æterni mœnia virtus operationis leuat. Et qui natura tardi sunt ingenio, solertia industrię suæ ad diuinarū notitiā scripturarū, vel ad virtutū grātiam quibus cælū mereātur, attingūt. ¶ Prudentia defectus supplet: sicut prouidentia suppler infirmitatē formicę. Prudēs enim tēpus necessitatis prœoccupat, puidēdo sibi tēpore opportuno. Itē prudēs in Deo cōfidēs, fortitudinē suā in dei fortitudinē mutat. Esa. 40. Qui sperāt in domino, mutabūt fortitudinē. Itē qđ p se nō potest, multitudine efficit: sicut multitudo locustarū cōcors egreditur ad depascendū viridia. Suppletur etiā

etiā prudēs diligētia, quod minus habet à natura. Serpens docet nos etiam prudentiā astutia sua. Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes. ¶ Et sunt sex astutiæ serpentis, quibus prudentia sanctorum debet assimilari. ¶ Prima est, quòd caput suum summè custodit, pro eo cætera membra exponendo. Nec immeritò: cum capite illæso viuat quātuncūque cætera mēbra lędantur. Sic sancti pro Christo qui est caput eorum, se & sua exponere non timent. Prou. 12. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est. Phil. 3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christū detrimenta. Nec mirum si sancti omnia pro Christo exponunt: quia eo saluo, omnia sunt eis salua, etiā capilli. Matth. 10. Capilli capitis vestri numerati sunt. 2. Macha. 7. E cælo ista possideo: sed propter Dei leges nunc ista despicio, quia ea me ab ipso recepturum spero. ¶ Secunda est, quòd serpens se in arcto foramine ponit, vbi pellem veterē deponit. Sic prudentes in arcta via pœnitentiæ se ponunt, vbi pellem veteris hominis deponunt, Eph. 3. Deponite vos secundum pristinam conuersationem vet. rem hominem qui corrūpitur, secundum desideria carnis. Et nota quòd duo exiguntur ad hoc quòd serpnes in foramine pellem deponat, scilicet foraminis angustia. Si enim esset larum, sine difficultate transiret, & veterem pellem retineret. Et stabilitas foraminis: nisi enim esset stabile, potius foramen secum ferret, quàm pellem ibi relinqueret. Sic pellem veteris consuetudinis non deponunt in claustro, qui in eadem libertate volunt esse in claustro in qua fuerint in seculo. Item qui manentes in seculo nullam habent propositi firmitatem, in pœnitentiis quas agunt de facili secum dispensantes. ¶ Tertia est, quod serpens vnam aurem terra obstruit, & aliam cauda, ne vocem incantatoris audiat: secundū illud Psal. Sicut aspidis surdę & obturātis aures suas. Sic sancti vnam aurem obstruunt memoria mortis, & aliam cōsideratio propriæ fragilitatis, & ne suggestioni diabolo acquiescant, attendentes ex quot & qualibus causis perire possunt. Eccle. 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Qui castrum corporis sui luteum intelligit, nō præsumat facere guerram cum omnipotente. ¶ Quarta est, quòd serpens calcaneo mulieris insidiatur. Gen. 3. Sic sancti, fini qui consequitur opera carnis insidiantur, ex eo ostendentes desideria carnis fatua esse. Iob 3. Quasi vna ex stultis mulieribus locuta es. Aug. Deliciæ carnis hic non satiant, & in futuro damnant. Vbicunque caro quærit refectionem, inuenit defectionem. Grego. Qui præsenti suauitate capitur, quasi per amœna prata ad interitum ducitur. ¶ Quinta

taest,quòd propter inimicitias quas habet cum homine,habitat in deserto, vel latet sub spinis,vel herbis. Sic viri sancti agnoscentes inimicitias quas habet mundus cum eis,fugiunt eum. 1. Ioan.3.Nolite mirari si odit vos mundus.

De speciebus Prudentiæ,& triplici eius diuisione: de memoria & obliuione:de prouidentia, de diuisione prudentiæ secundum Senec.de diuisione eius in prouidentiam, circunspectionem, cautionem,docilitatem. De xii. quæ iuuant ad hoc quòd aliquis bene doceat: & de tribus quæ doctor debeat attendere in sua doctrina,& de septem quæ valent ad hoc vt quis bene addiscat.

CAP. V.

SEquitur de speciebus Prudentiæ.Notandum ergo quòd prudentia prout comprehendit omnem salubrem cognitionem siue virtutem cognitiuam, Primo modo videtur posse distingui in virtutem cognitiuam diuinorum & humanorum. Virtus verò cognitiua diuinorum, triplex videtur esse. Prima acquiescit authoritati,scilicet fides.Secunda rationi,scilicet donum intellectus.Tertia est animũ diuinã suauitatem gustãdo experiri, scilicet donum sapiẽtiæ.De duabus primis dicit Augustin.in libro de Vtilitate credẽdi:Quod credimus,debemus authoritati,quod intelligimus,rationi.De tertia dicitur in Psal. Gustate & videte &c.Prima cognitio de Deo, statui incipientium sufficit. Secunda competit statui proficientiũ.Tertia statui perfectorum. Bern. ad fratres de mõte Dei:Sũt animales,qui nec ratione per se agũtur,nec affectu trahuntur:& tamen authoritate promoti, vel doctrina commoniti, vel exemplo prouocati approbant bonũ vbi inueniunt,& quasi cæci,sed ad manũ tracti sequuntur. Sunt rationales qui per rationis iudiciũ & naturalis scientiæ discretionem habent cognitionem boni & appetitum: sed nondum habent affectum.Sunt perfecti qui spiritu agũtur, qui à Spiritusancto plenius illuminãtur:& quia sapit eis bonum cuius trahuntur affectu,sapientes vocãtur.¶ Virtus verò cognitiua humanorum, vel est cognitiua rerũ quæ propter hominem à Deo factæ sunt, quę specialiter attendit bonum & malum in eis,quæ videtur esse donum scientiæ:vel attenditur circa ea quæ ab homine propter Deum agenda sunt.Quæ duplex est:scilicet prudentia sumpto nomine strictè:& hæc attenditur circa agenda communiter. Et donum consilij,quod attenditur circa ardua,quæ propter arduitatem suã non sunt in præcepto, circa quæ maximè præcipitatio cauẽda est.¶ Videtur etiam prudentia posse distingui,sicut Seneca scientiam moralem diuidit. Cuius pars vna rebus pretia imponit,rectè existimans vnãquanque. Secunda affectus ordinat,impetus animi refrenans.Tertia,quid,quãdo,vbi & quemadmodum agi deãt determinat. Secundum Tullium verò in Rhetoricis,distinguitur prudẽtia in memoriam,intelligentiam, prudentiã.Memoria est,per quã animus repetit illa quæ fuerũt. Intelligentia est,per quam ea prospicit quæ sunt.Prouidentia est, per quam futuri aliquid videtur antequam factum sit.

De Memoria & Obliuione.

AD memoriã monemur,Eccl.1.Memẽto quæ ante te fuerũt. Memoriæ mortui viuũt.Memorię illa pars vitæ nostrę quę pręterit, manet:sine hac quasi perdita est.Senec.Qui nil de pręterito cogitat,vitã perdidit.Memoria thesaurus est cognoscibiliũ.Ipsa est velut quoddã seruatoriũ,in quo veritas vtilis, quã ratio inuestigãdo cepit,fideliter seruatur.Animus obliuiosus est velut locus vbi quicquid repositũ fuerit moritur.Obliuio enim est quasi quædã mors.Gre.1 parte Moraliũ:Sicut mors quod interficit,cogit vt non sit in vita:ita obliuio hoc quod intercipit agit,vt nõ sit in memoria.Animus obliuiosus est quasi stomachus cibũ receptum reiiciẽs.Greg.in homil.Cibus mẽtis sermo Dei est,& quasi acceptus cibus languẽte stomacho reiicitur, quando auditus sermo in vẽtre memorię nõ tenetur.Quisquis alimenta nõ retinet,huius profectò vita desperatur. ¶Et notandum quòd multa sunt quorum memoria specialiter est laudabilis,de quibus causa breuitatis decem ponamus. ¶ Primo laudabilis est memoria beneficiorum, & maximè memoria creatoris & redemptoris nostri. Eccl.vlt.Memento creatoris tui.Et Luc.22. Hoc facite in meã cõmemorationem.Exod.13. Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto.Eccle.29.Gratiam fidejussoris ne obliuiscaris.Posuit enim animã suam pro te.Ber. ad fratres de mõte Dei:Scit,quicunque habet sensum Christi, quantum Christianæ pietati expediat,quãtum seruũ Dei,seruum redemptionis Christi deceat,& vtile ei sit vna saltem aliqua diei hora passionis ipsius ac redemptionis attentius recolligere beneficia, ad fruẽdũ suauiter in cõscientia,& recolẽdum fideliter in memoria.Memoriam etiã beneficiorũ acceptorũ videntur habere animalia irrationabilia.¶ Secundo,memoria mandatorũ Dei. In Psal. Et memores sunt mãdatorũ ipsius ad faciendum ea.Deut.6. Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis,& meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Numeri 15.Dices ad filios Israël,vt faciãt sibi fimbrias per quatuor angulos palliorũ, ponẽtes in eis vittas

vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, recordẽtur omniũ mandatorum Dei. Iosue 1. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi Deus, hæc cogita semper. ¶ Tertio memoria iustitiæ quam Deus exercuit in transgressores mandatorum suorum. In Psal. Memorabor iustitiæ tuæ solius. Ecclesia. 38. Nemor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. ¶ Quarto memoria belli spiritualis, in quo tot & tanti ceciderunt, quæ valet ad hoc vt cautiores simus. Iob 40. Memento belli, & non addas amplius quicquam loqui. Hieron. Ne in præterita castitate confidas: nec Dauid sanctior, nec Sãpsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memẽto semper quòd paradisi colonum mulier de possessione sua eiecerit. ¶ Quinto memoria diuinæ misericordiæ, vtilis in tribulatione positis, ne desperent. Eccles. 51. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine. 1. Mach. 4. Memẽtote quomodo salui facti sunt patres nostri in mari rubro. ¶ Sexto memoria laudabilis vitæ sanctorum, quam imitari debemus. Greg. Facta præcedentium patrum cõsideremus, & non erunt grauia quæ toleramus. Io. 15. Memẽtote sermonis mei quem ego dixi vobis: nõ est seruus maior Domino si me persecuti sunt, & vos persequentur. ¶ Septimo memoria aduersitatis in prosperitate. Eccl 18. Memento paupertatis in die abundantiæ. ¶ Octauo memoria status honorabilis à quo quis degenerauit: vt est nobilitas parentum vel carnalium vel spiritualium: vel propria nobilitas spiritualis à qua quis decidit. Sap. Nobilitatis ad hoc tantum memineris, vt cum claritate generis, morum sanctitate contendas, & cum nobilitate corporis, animi nobilitate proficias. Esa. 51. Attendite ad petram de qua excisi estis & c. Attẽdite ad Abraham patrem vestrũ. Apoc. 2. Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiã. ¶ Nono memoria in eo qui ad prosperitatem deuenit, eorum qui in aduersitate eius socij fuerunt. Gen. 40. Memento mei, cùm bene tibi fuerit. ¶ Decimo memoria propriorũ peccatorũ ad dolendum pro eis. Esa. 38. Recogitabo tibi omne annos meos in amaritudine animæ meæ. ¶ Item notandum quòd quatuor sunt quorũ obliuio vitandetur esse laudabilis. Primo obliuio iniuriarum. Leui. 19. Nõ memor eris iniuriæ ciuiũ tuorũ. Animus obliuiosus beneficiorũ & tenax iniuriarũ est velut colatorij fæces retinens, & quod purũ est exire permittens. Secũdo obliuio beneficij alteri dati. Hæc enim est lex beneficij inter duos, vt ait Sapiens, quòd alter statim debet obliuiſci dati, alter memor accepti esse. Tertio obliuio delectatio

ctationum quas aliquis habuit in præteritis peccatis. Qui recogitat peccata præterita delectando in ipsis: mente reuertitur in Ægyptum, vt filij Israël. Num. 11. Recordamur piscium quos comedere solebamus in Ægypto gratis: in mentẽ nobis veniũt cucumeres. Hoc est etiã respicere retro, vt vxor Loth, Gen. 19. quæ versa est in statuam salis. Luc. 17. Memores estote vxoris Loth. Hoc etiam est habere idola apud se, vt Rachel Genes. 31. Quarto obliuio rerũ tẽporaliũ quæ ad cõtemplatiuos perfectos pertinent. Phil. 3. Quæ quidẽ retro sunt obliuiscẽs: ad ea verò quæ sunt prio ra extẽdẽs meipsum. Macrob. loquẽs de tẽperãtia perfectorũ: Tẽperãtia, inquit, est terrenas cupiditates nõ reprimere, sed potius obliuiſci. ¶ Itẽ notãdũ quòd quinque sunt quæ videtur facere ad bonitatẽ memoriæ. Primum est ficca cõplexio. Siccitas enim est dispositio conueniens ad tenacitatẽ impressionũ, sicut humiditas est dispositio cõueniẽs ad receptionẽ earũ: Secũdũ est exercitiũ circa vnum vel pauca, non circa multa. Vnde pueri quamuis sint humidi, firmiterin memoria retinẽt: quia animæ eorũ nõ occupãtur circa multa, sicut animę maiorũ. Ecc. 38. Qui minoratur actu, percipiet sapiẽtiã. Tertiũ est, placẽtia rei cognitæ. Hanc causam tenuit Plato esse in tenera ætate, quare ea quæ addiscuntur firmiter in memoria retinẽtur. Tenacior, inquit, & forte maior in illa ætate cognitionis delectatio cognita mẽtibus altius infigit. Quartũ est nouitas. Horatius: Quo semel est imbuta recẽs, seruabit odorẽ Testa diu. Ideo vtilia citò addiscenda essẽt. Memoria enim impleta superuacuis, vtilia difficiliusretinet. Sen. in epistolis: Libe raliũ artiũ cõsecratio verbosos sibi placẽtes facit. & ideo nõ discẽtes necessaria, quia superuacua didicerũt. Quintũ est, infixio memoriæ lõga rumination facta. Sen. Certis ingeniis immorari & inuitriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Itẽ cùm multa percurreris, vnũ excipe quod illo die decoquas. ¶ Et notãdũ, quod nõ habet bonã memoriam, scriptura debeat supplere eius defectũ. Eccl. 38. Sapiẽtiam scribe intẽpore vacuitatis. Scripsit Dominus decalogũbis populo Iudæorũ in tabulis lapideis. Exo. 31. & 34. Sũt qui nihil ponunt in memoria, sed omnia in scripto. Sũt alij qui cõfidẽtes in memoria sua, nihil cõmendãt scripturæ: & vtrũque vitiũ est. Pythagoras: Caue ne armariũ doctius quam pectus habeas. Sen. Distrahit librorum multitudo. Itaque cùm legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas. Bern. ad fratres de monte Dei: Non tantummodo agendum est vt cum aliqua delectatione vel sine grandi nausea dies transigatur: sed etiã vt de peracta dieta ad profectũ mẽtis

semper

semper aliquid in conscientia resideat, aliquid quotidie in thesaurũ cordis cõgeratur. Bern. De quotidiana lectione aliquid in vtrẽ memorię dimittẽdũ est, quod fidelius digeratur, & sursũ reuocatũ crebrius ruminetur, quod proposito cõueniat, quod intẽtioni proficiat, quod detineat animũ vt aliena cogitare non libeat. Hier. Fatuũ est propter confidẽtiam memoriæ nihil scripto cõmẽdare: quia in memoriam primo senectus incurrit, vt ait Sene.

De Prouidentia.

SEQVITVR de Prouidẽtia, ad quã monemur exemplo formicæ. Prou. 6. Vade, inquit, ad formicã, ô piger, & cõsidera vias eius, & disce sapiẽtiam: quę cùm nõ habeat ducẽ, nec præceptorẽ, nec principẽ, parat æstate cibum sibi. Et Gen. 41. exemplo Ioseph qui septẽ annis fertilitatis cõgregari fecit quæ erant necessaria septem annis sterilitatis futuræ. Prou. 19. Qui cõgregat in messe, filius sapiens est. Deut 32. Vtinã saperent, & intelligerẽt, ac nouissima prouiderent. Prouidẽtia valdè vtilis est. Tob. 9. dixit Tobias Azariæ: Si meipsum tradã tibi seruũ, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Senec. Qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidet. Prouidẽtia, vel mala futura vitat, vel tẽperat, vel animo pręparat vt ea leuiꝰ ferat. Gre. Eo periculũ vitari nõ potest, quo nõ potuit præuideri. Senec. Propone animo tuo & mala futura & bona, vt illa sustinere possis, ista moderari. Gre. in homil. Minus iacula feriũt quæ præuidẽtur, & nos tolerabilius mũdi mala susćipimus, si cõtra hęc per pręscięntiæ clypeũ munimur. Itẽ in Mor. Tãto quisque minus aduersitate vincitur, quãto cõtra illã pręsciẽdo paratus inuenitur. Itẽ in Pastoralibus: Hostis callidus tãto liberius pectus percutit, quãto nudũ à prouidẽtię lorica deprehẽdit. Itẽ dũ cõtra ictũ quisq; paratior redditur, hostis qui se inopinatum credidit, eo ipso quòd pręuisus est eneruatur.

De diuisione Prudentiæ secundum Sen.

SENECA in libro de quatuor virtutibus principalibus, tangit diuisionẽ Prudẽtiæ similẽ diuisioni Tullij ià positæ, dicens: Si prudẽs fueris, animus tuus tribus tẽporibus dispẽsetur, pręsentia ordina, futura prouide, præterita recordare. Sũt aliqui qui futura ordinãt quæ nõ sunt in sua potestate. præsentia verò confusa & inordinata relinquũt. Act. 1. Nõ est vestrũ nosse tẽpora, vel momẽta quę pater posuit in sua potestate. Ber. Quid de futuro miser tã temerariè pręsumis, tãquã pater tẽpora & momẽta in tua & non in sua magis posuerit potestate? Tales vitã quã habẽt volunt perdere, & quam non habent proponũt vtiliter dispẽsare. Illam patẽ vitę quã Deus iã dat, in contumeliã Dei volunt expẽdere: illa verò

verò quam Deus nondum eis dedit, volunt Deo dare, & de illa gratiam Dei acquirere. ¶ Et notandum q̃ ordo secundũ Aug. 19. de ciuita. Dei, est parium disparium̃q; rerum sua cuiq; loca tribuẽs dispositio. Et facit multum ordinatio ad quietẽ mẽtis. Aug. in lib. Confes. Minus ordinata quieta sunt, ordinata quiescunt. Idem: Iussit Deus, & sic est, vt pœna sibi sit inordinatus animus. Debet verò homo ordinare se & suos & sua. Quantum ad se, ordinabiliter ille viuit (iuxta verbum Bern.) qui in conuersatione sua solicitè conseruat vias suas, & in cõspectu domini, & in conspectu proximi cauens sibi à peccato, & proximo à scandalo. ¶ Quadruplex verò ordinatio debet esse in homine. Prima est considerationis. Bern. in lib. de cõsideratione: Consideratio tua à te inchoẽt, ne frustrà extendaris in alia te neglecto. Secunda est affectionis pręcipuè illius quę aliis supereminet: scilicet dilectionis. Cãti. 2. Ordinauit in me charitatem. Tertia est negotiorum secundũ diuersitates tẽporũ. Bern. ad fratres de monte Dei: Mane præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & vẽturæ di ei tu tibi indicito canonẽ: vespere præteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionẽ. Sic districto non vacabit lasciuire aliquando: singulis horis secundũ cõmunis instituti canonem sua distribue exercitia: cui spiritualia, spiritualia: cui corporalia, corporalia: in quibus sic exoluat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui, vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectũ, si quid imperfectum suo loco, suo modo, suo tẽpore non habeat impunitũ vel irrecõpensatum. Idem in eodem: Primum extra quotidianũ sacrificiũ orationum vel lectionis, studiũ conscientiæ quotidianæ discussioni, emendationi, compositioni pars sua Dei neganda non est. Quarta est ordinatio pertinens ad puram spiritualem. Virtutes enim animæ præparatæ debent esse ad certamina sibi competentia. Temperantia, cùm ad mensam accedit. Prudentia, cùm quid agendũ sit, tractandũ est, & sic de cæteris virtutibus. Grego. in Moral. Quodlibet certamen exuperat, qui mentẽ certamini ante certamen parat. Anima virtutes habens dæmonibus terribilis est, vt castrorũ acies ordinata. Can. 3. Pro. 24. Cum dispositione initur bellũ. Suos debet homo ordinate ostendẽdo quid vnicuiq; sit agendũ, & quid vnicuiq; sit habendũ. Propter primam ordinationem regina Saba admirata est ministros Salom. 3. Reg. 10. Videns regina Saba omnem sapientiã Salomonis &c. & ordinem ministrantiũ &c. nõ habebat vltrà spiritum. De secunda ordinatione habes Esa. 38. Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & nõ viues. Debet etiã homo sua ordinare,

vt vtiliter expendantur, vel vtiliter retineantur. Eccle.7. Pecora tibi sunt, attende illis: & si sunt tibi vtilia, perseuerent apud te.

De alia diuisione Prudentiæ.

PRVDENTIA à quibusdam diuiditur in quatuor species, scilicet prouidentiã, circũspectionẽ, cautionẽ, docilitatẽ. Quarum specierum numerus sic videtur posse manifestari. Cognitio salubris quæ ad prudentiã pertinet, considerari potest absolutè prout est in cognoscẽte, vel ꝓut distribuitur alteri. Est enim thesaurus nobilis qui distributus suscipit incrementũ. Et sicut dicit Aug. in lib. de doct. Christia. Omnis res quæ dãdo deficit, nondũ habetur & nõ datur. si nondũ habetur, quomodo habẽda est? Secundũ ergo quod prudentia dirigit circa distributionẽ scientiæ seu cognitionis salubris est hæc species eius docilitas. Secũdũ uerò ꝙ absolutè cõsideratur vt est in cognoscẽte, tres habet species. Cùm enim sit lumen rationẽ perficiẽs ad videndũ quæ agenda sunt: ratio autem perfectè non videt nisi videat remota vt propinqua, & nisi videat res interius, & non solùm superficialiter: & nisi res videat vndiq; & nõ solùm ex parte vna: prudentia speciem vnã habet qua videtur remota, scilicet prouidentiã, quæ sic dicta est, eò ꝙ procul videat. Et potest extendi nomen prouidentiæ ad memoriã & prouidentiam, quas ponit Tull. Ratio enim procul videt, siue præuideat futura, siue præterita. Simili modo nomen memoriæ quãdoque extenditur ad futura, vt Eccle. 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua. Aliam speciem habet prudentia, qua ea quæ videntur superficialiter bona, agnoscuntur esse mala, scilicet cautionem. Aliam etiam habet qua vndique videt, scilicet circunspectionem. Prouidentia proprio sumpto nomine, est præsens notio futurum pertractans euentum. Huius officium est, ex præteritis & præsentibus futura perpendere. Boët. in lib. Consolationum: Non quod ante oculos situm est, sufficit intueri: rerum exitus prudentiam metitur. Imprudens viam respicit qua iturus est: prudens verò finem vię attendit. Si dicatur imprudenti, Veni mecum, ducam te honorificè & per viam pulcherrimã, paratus est ire, non requirens amplius: prudens vero requirit quò ducẽdus sit. Et si dictũ ei fuerit, ad suspẽdiũ: non vult illuc ire, nec eques, nec pedes, nec per viã amœnã, nec asperã. Si verò dictũ ei fuerit, ꝙ ad locum vbi regnabit: paratus est illuc ire pedes etiam per vias asperas. Qui sine prouidentia est, est sicuti homo debilẽ habẽs visum, qui ea quæ sunt iuxta oculum videt, remota verò aliquãtulũ non videt. ¶ Circũspectio est cõtrariorũ vitiorũ cautela. Officium huius virtutis est, per diligentẽ considerationẽ inter

inter cõtraria vitia mediũ tenere. Ad hanc virtutem pertinet sic libertatẽ seruare, vt fugiẽdo auaritiã, prodigalitatẽ non incurramus: & sic recedere à temeritate, ꝙ in timiditatẽ non cadamus. Ad illud quod est circunspectionis monet nos Salo. Prou. 4. dicens: Omni custodia serua cor tuũ. Dicturus custodia, præmisit omni: ne hinc hostibus fores claudas, & aliunde aditũ pandas. Circũspectio cõmendatur nobis. Eze.1. vbi dicitur, quòd totũ cor pus plenũ erat oculis. Et Apo.4. vbi legitur quòd animalia plena erant oculis antè & retrò. Ouid. In vitium ducit fuga culpæ si caret arte: Dũ stulti vitant vitia, in contraria currunt. Ad circũspectionem etiam videtur pertinere, cum aliquis est vndiq; cinctus malis, minus malũ eligere. Gre. in Moral. Qui murorũ ambitu vndiq. ne fugiat clauditur: ibi se in fugã præcipitat, vbi murus breuior inuenitur. ¶ Cautio est discernere à virtutibus vitia virtutũ speciẽ præferẽtia. Isid. Quædam vitia virtutũ speciẽ præferunt: vnde semper pernicioſius suos sectatores decipiunt, quia se sub velamine virtutis regunt. Nam sub prætextu iustitiæ crudelitas agitur, & remissa segnities mansuetudo creditur. Cicero: Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ quæ latent in similitudine officij. Greg. in Moral. Plerunq; vitia colore virtutũ tincta, tãto nequiora sunt, quãto & esse vitia minimè cognoscũtur. Hostis nostri malitia cautè se arte palliat: vt plerũq; ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, vt inde quis quasi expectet præmia, vnde æterna dignus est inuenire torméta. Cautio apparens bonũ interitus inspicit, & malitiam ibi perpendit. Senec. Qui decipiunt, nihil habent solidi, tenue est mendaciũ, perlucet si diligẽter inspexeris. Qui sine cautione sunt, frequenter incurrunt illam maledictionem. Esa.5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonũ. ¶ Docilitas est prudentia erudiẽdi imperitos, quæ commendatur nobis exemplo Salomo. 1. Reg.3. Cui cùm dominus dixisset, Postula quod vis vt dẽ tibi: ipse docilitatẽ videtur prætulisse omnibus, dicens: Dabis seruo tuo cor docile.

De XII. quæ iuuant ad hoc, quòd aliquis debitè doceat. Et de tribus quæ doctor debet attendere in sua doctrina.

NOTANDVM quòd XII. sunt quæ videntur facere ad hoc vt aliquis debito modo doceat, maximè doctrinã salubrẽ. Primũ est, si ipse laudabiliter viuat. Augu. in lib. de doctrina Christiana: Non obedienter auditur, qui seipsum non audit. Greg. in Mora. Cũ imperio docetur quod prius agitur, quàm dicitur: Nã doctrinæ subtrahit quis fiduciã, quãdo cõscientia præpedit linguã. Vita debet iuuare doctrinã, nõ impedire. Et primò debet, qui docet,

informare se in doctrina, postea alios. Prou.5. Bibe aquam de cisterna tua, & fluēta putei tui. Et pòst subditur: Deriuentur fontes tui foras. De hoc require in tractatu de Superbia, ca. De appetitu magisterij. Secundū est, ut authoritatē magisterij Deo, nō sibi attribuat, Aug. in lib. de doctrina Christia. Quoniā Christus seminat, ego qui sum vix cophinus seminantis, in me ipse ponere dignatur quod uelit spargere. Nolite ergo attendere ad vtilitatem cophini: sed ad charitatem seminis & potestatē seminatoris. Idē in eodem: Christus est qui docet, cathedrā in cælo habet, schola eius in terra est. Schola ipsius corpus eius est: caput docet membra sua: lingua loquitur pedibus suis. Idē super Can. Io. Magisteria forinsecus, adiutoria sunt & admonitiones: cathedram habet in cælo, qui corda docet. ¶ Tertium est, vt doctrinæ orationem præmittat. Aug. in lib. de doctr. Christ. Si regina Esther pro suæ gentis temporali salute locutura apud regē, orauit, vt in os eius cōgruū sermonē dominus daret: quāto magis orare debet vt tale munus accipiat qui pro æterna hominū salute in uerbo & doctrina laborat? Idem in eodem: Agat eloquēs quantū potest cū bona & iusta & sancta dicit, vt intelligenter & libēter, vt obedienter audiatur: & hoc se posse si potuerit, & quantum potuerit pietate orationū magis quàm oratorū facultate nō dubitet, vt orādo pro se & pro illis quos allocuturus est, sit orator autequam doctor. ¶ Quartum est, vt sentētiam plus amet quàm verba. Aug. Bonorū ingeniorū insignis est indoles, in verbis verū amare non verba. Idem in eodē: Vtrum ignoscere producta syllaba tertia aut correpta dicatur, non multum curat qui pro peccatis Deum petit vt ignoscat: sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores sunt, & eo infirmiores, quo doctiores videri volunt. Idem in eodem: Quid prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? & quid obest lignea, si potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est? Idem: Cauendum est ne diuinis grauibúsque sentētiis dū numerus additur, pondus detrahatur, Ad numerū, prout hic sumitur, intelligas pertinere proportionem syllabarum, metrū & colores rhetoricos. Item Aug. in eodē: In authoribus nostris hoc mihi plus placet, quòd ibi rarissimè eos inueni numeros: satis est enim ei propter quod agitur vt verba congruentia, non oris eligatur industria, sed pectoris sequantur ardorē. Senec. Oratio quæ veritati dat operam, incōposita esse debet & simplex. Idem: Oratio quæ sanandis mētibus adhibetur, descēdere in nos debet. Idem: Non delectēt verba uestra, sed prosint: si tamen contingere eloquentia non solicito, potest

potest, si autē parata est, aut pro vero cōstat, assit, & res pulcherrimas prosequatur, si talis, vt potius res, quàm se ostendat. Aliæ artes ad ingenium pertinent, hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, non quærit quare gratuletur sibi quòd inciderit in medicum disertum, sed si ita competit vt ille idem qui sanare potest, comptè de his quæ facienda sunt disserat, hoc tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus est. Quid aures meas scabis? quid oblectas? curare debes morbum veterem grauem publicum: tantū negotij habes, quantum in pestilentia medicus: circa verba occupatus es, vide si sufficis rebus. Augustin. libr. Confes. Didiceram perinde esse sapientiā & stultitiam, sicut sunt cibi vtiles & inutiles: verbis autē ornatis & inordinatis sicut vasis vrbanis & rusticanis vtroslibet cibos posse ministrari. ¶ Quintū est, vt in scripturis sensus authoris requiratur. Aug. in lib. de doctrina Christiana, loquens de illo qui aliud in scripturis sentit, quàm ille qui scripsit: ea tamen sententia deceptus quæ ædificat charitatē, dicit q; illa fallitur ac si quisquā deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò via illā perducit: corrigēdus est tamen, & quàm sit vtilā viā nō deserere, demonstrādū est, ne in consuetudine deuiandi etiam in trāsuersum aut peruersum ire cogatur. Deinde innuit causam quare cauēdū sit hoc in scripturis, dicēs: Titubabit fides, si diuinarum scripturarum vacillat authoritas. ¶ Sextū est, vt in scriptura sacra nō vbiq; mysterium requiratur. Aug. 16. lib. de Ciuit. Dei: Non sanè omnia quæ gesta narrantur, significare aliquid putanda sunt, sed propter illa, quæ aliquid significāt, & ea quæ nihil significant attexuntur. Solo vomere terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis & cæteris vasis musicis aptantur ad cantum: sed vt aptari possint, insunt & cætera quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his cōnectūtur. Ita in prophetica historia dicūtur & aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhæreant ea quæ significant, & quodammodo religātur. ¶ Septimum est, vt diuidēdo mediocritas seruetur. Senec. in epistolis: Philosophiā in partes non in frusta diuidā. Dividi enim eam, non cōcidi, vtile est: nā cōprehendere quē ad modū maxima, ita minima, difficile est. Itē partes eius quod diuisum est, innumerabiles esse & paruulas nō oportet. Idem: Vitij habet nimia qd nulla diuisio: simile confuso est quicquid vsque in puluerē sectū est. ¶ Octauum est, inter tarditatē & præcipitationem medium in proferendo seruare. Senec. in epist. Philoso-

phi pronuntiatio sicut vita debet esse composita: nihil ordinatum est, quod precipitatur & properat. Idem: Æquè stillare illam nolo, quàm currere. Non extendat aures, nec obruat. Idē: Inopia verborum & exilitas minus intentum auditorē habet, tēdio interruptæ tarditatis: facilius tamen insidet quod expectatur, quàm quod preteruolat. Deniq; tradere homines discipulis præcepta dicūtur. Nō traditur quod fugit. Quomodo omnino regere potest, qui regi non potest? Idem: Remedia non prosunt, nisi immorētur. Idem: Dicendi celeritas nō satis decora est philosophiæ quæ ponere debet verba, non proiicere. Idem: Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit: ita oratio pressa, non audax. ¶ Nonū est, vt dicendo veritatem non deseras. Aug. in libro de doctrina Christiana: Minus intelligantur, ni nus placeant, minus moueant quæ dicūtur, vera tamen dicantur & iusta. ¶ Decimum est, vt doctrina facilè sit aperta. Augu. in lib. de doct. Chri. Quid prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quid loquimur non intelligant, propter quos vt intelligant loquimur. Prou. 19. Doctrina prudentum facilis. Eccle. 4. Ne abscondas sapientiam in decore eius. 1. Cor. 14. Si incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad prælium. Idem in eodem: Volo in ecclesia quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decē millia verborū lingua. Ambro. Melius est vt nos intelligant populi, quàm vt cōmendent grammatici. Aug. 4. libro de doct. Chri. Quę vix intelliguntur vel rarò, si aliquid vrget, vel nūquā, omnino in populi audientiam mittenda sunt. ¶ Vndecimū est, vt doctrina sit breuis. Ecc. 21. Verba sapientum statera ponderabuntur. Aug. in li. de doc. Chri. Sicut ingratus est, qui cognita obnubilat: sic onerosus est, qui cognita inculcat. Ouid. Quicquid præcipies, breuis esto: vt citò dicta Percipiant animi dociles, doceantq; fideles. Omne superuacuū pleno de pectore manat. ¶ Duodecimum est, vt doctrina sit vtilis. Seneca in epistolis: Etiam si multū esset ætatis, parcè dispensandum erat, vt sufficeret necessariis: nunc quę dementia est, superuacua discere in temporis egestate? Doctrina moralis debet esse contra pestem aliquam, & finaliter ad ædificandā dilectionem Dei & proximi in hominibus. Seneca in epistolis: Aliquid quotidie aduersus paupertatem, aliquid aduersus mortē auxilii compara: nec minus aduersus cæteras pestes. Aug. in li. de doctrina Chri. Legis & omniū diuinarū scripturarū plenitudo, & finis, est dilectio rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea

ea re frui potest. Et paulò pòst: Quisquis igitur scripturas diuinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu nō ædificet, geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. ¶ Item notandum, q̄ doctor in doctrina sua tria debet attendere: scilicet vt instruat, placeat, & ad agendum moneat. Augu. in quarto lib. de doctr. Christ. Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentē, vt doceat, vt delecter, vt flectat. Deinde addidit: Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus: reliqua duo modo quo dicimus. Qui ergo dicit, quum docere vult quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse q̄ vult ei quē vult docere. Si verò intelligitur, quocūq; modo dixerit, dixit. Quòd si delectare vult eum cui dicit aut flectere, interest quomodo dicat: sicut autē vt teneatur ad audiendum delectādus est auditor, ita flectendus vt moueatur ad agēdum: & sicut delectatur si suauiter loqueris, ita flectitur si amet q̄ polliceris, timeat, quod miraris, oderit quod arguis. Itē Augu. in eod. Quis audeat dicere aduersum mēdaciū in defensoribus inermem debere cōsistere veritatem? vt scilicet qui res falsas persuadere conantur, nouerint auditorem vel benuolum, vel attentum, vel docilem facere: isti autem non nouerint, & illi falsa apertè dixerint: similiter isti vera sic narrent vt audire tædeat, intelligere nō pateat, credere postremò nō libeat. Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnēt, asserāt falsitatem: isti nec vera defendere, nec falsa valeāt refutare. ¶ Item notandū, quòd doctor sacræ scripturæ nō debet esse timidus vel remissus. Aug. in lib. de disciplina Chri. Qui timuerit ne semē cadat in terram malā, nō perueniet ad bonā. Iactamus semina, spargimus semina: sunt qui contemnunt, sunt qui reprehēdunt, sunt qui irridēt. Ista si nos timuerimus, nihil habemus seminare, & in messe habemus esurire. 2. ad Timoth. 4. Prædica verbum: insta oportunè. Matth. 9. Circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docēs in synagogis eorū. Marc. 7. Circuibat Iesus castella, in circuitu docens. Luc. 11. Et erat quotidie docēs in tēplo. ¶ Itē notandum, quòd secundū quosdam docilitas est virtus dirigens hominem tam in addiscendo, quàm in docendo.

De his quæ valent ad hoc vt quis bene addiscat.

ET secundū hoc sciendum est, quòd septem sunt quæ videtur valere ad hoc vt aliquis bene addiscat maximè scripturā sacrā. ¶ Primum est, vt homo bene viuat. Augu. Errat quisquis veritatem se cognoscere posse putat, si adhuc nequiter viuat. Eccle. 1.

Concupiſcens ſapientiam,ſerua iuſtitiam,& dominus præbebit eam tibi.Eiuſdē 27. Volatilia ad ſibi ſimilia cōueniūt, & veritas ad eos qui operātur illam reuertetur.Apocal.3.Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Gl. Collyrio oculi vt videamus inūguntur,quū ad cognoſcendam veri luminis claritatē,intellectus noſtri aciē medicamine bonæ operationis adiuuamus:qui male viuūt,quaſi ſpurcitia manuū ſuarum lumen diuinæ ſapientiæ à ſe prohibēt.¶ Secundū eſt oratio. Quum ſapientia donū Dei ſit,nō debet aliquis tentare rapere eam violētia ſtudij Deo irrequiſito. Iac.1.Si quis indiget ſapientia,poſtulet eam à Deo.Aug.Oratione melius ſoluuntur dubia,quàm inquiſitione alia. ¶ Tertiū eſt humilitas,& hoc quātū ad quatuor. Primo,quātū ad hoc vt nullā doctrinam cōtemnat.Sen.Primum documentū eſt,vt nullam doctrinā cōtemnas.Secundo vt à nullo addiſcere erubeſcas.Sen. de quatuor virtutibus : Eſto ſapientiæ cupidus ac docilis : quæ noſti,ſine arrogantia impartire poſtulāti:quę nō noſti, ſine occultatione ignorantiæ tibi poſtula impartiri. Etiā à malis debet homo addiſcere. Aug.in lib.de doct. Chri. Audiūtur vtiliter qui vtiliter nō agunt:ſua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent:& ita cathedra Moyſi cogit eos bona dicere etiā nō bona facientes.Theophilus:Lector Originis ita botrum carpat,ne ſpinam attingat. Qui ſolū à bonis volūt addiſcere,ſimiles ſunt illis qui ſolū in ſcyphis argēteis vel aureis volunt bibere, & tantū in ſaccis purpureis vel aliter pretioſis frumentum datū recipere,quorū ſitis vel fames miſeranda nō eſt.Tertiò quantum ad hoc vt homo nō erubeſcat cōfiteri ſe neſcire,quod neſcit.Augu. Non erubeſcendū eſt homini ſe neſcire quod neſcit,ne dū ſcire ſe mentitur,nunquam ſcire mereatur. Quartò,quantum ad hoc vt humilē modū loquēdi quē habet ſacra ſcriptura,non contemnat.Aug.ad Voluſianū: Modus dicendi qui ſacra ſcriptura contexitur,omnibus eſt acceſſibilis,quamuis pauciſſimis penetrabilis.Idē:Inuitat omnes humili ſermone,quos non ſolū manifeſta paſcit,ſed etiam ſecreta exercet veritate.Idē tertio lib.cōfeſ. Inſtitui animam intendere in ſcripturis ſanctis : ſed mihi viſa eſt ſancta ſcriptura indigna quam Tulliani dignitati cōpararem: tumor enim meus fugiebat modum eius,illa autē erat quæ creſceret cum paruulis. Sed ego dedignabat eſſe paruulus, & turgidus faſtu grandis mihi videbar.Item in eodem lib.Mira profunditas eloquiorum tuorum,quorum ecce ante nos ſuperficies blādiēs paruulis:ſed mira profunditas Deus meus,mira profunditas,horror eſt intendenti in eā. ¶ Quartum eſt librorum emēdationi

dationi intendat. Aug.2.lib. de doct. Chriſti. Codicibus emendandis primitus debet inuigilare ſolertia eorum qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderant. ¶ Quintum eſt, vt homo ſit diligens ſcripturas ſacras indagando. Ad quod primo neceſſarius eſt timor Dei.Prou.1.Timor domini principiū ſapiētiæ.Ipſe inquirentem à malo ſeruat. Prou.14. Sapiens timet & declinat à malo.Et ibidem : Timor domini fons vitæ , vt declinet à ruina mortis,Itē nihil negligit.Ecc.7.Qui timet Deū, nihil negligit. Secundo manſueto , vt homo credat authoritati diuinæ ſcripturæ.Aug.2.lib.de doc.Chriſtiana:Ante omnia opus eſt Dei timore ad cognoſcendā eius voluntatem deinde miteſcere opus eſt pietate,neq; contradicere diuinæ ſcripturæ,ſiue intellectæ ſi aliqua vitia noſtra percutit,ſiue non intellectæ quaſi nos melius ſapere meliúſque percipere poſſumus:ſed cogitare potius & credere id eſſe melius & verius,quod ibi ſcriptum eſt,etiā ſi lateat, quàm illud,quod nos per noſipſos ſapere poſſumus. Bernard. ad fratres de monte Dei:In omnibus ſcripturis legenti,initium debet eſſe timor domini.Auguſt.2.libro de doctrina Chriſtiana:In omnibus canonicis ſcripturis , timentes Deum & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei. Quo ordine verò procedendum ſit indagando ſcripturas ſacras , Auguſt. eodem libro determinat,dicens:Erit diuinarum ſcripturarum ſolertiſſimus indagator , qui primò totas legerit , notáſque habuerit: etſi nondum ad intellectum , iam tamen lectione duntaxat eas quæ vocantur canonicæ , non cæteras ſecurius leget fide veritatis inſtructus. Et infrà: In ſcripturis quærentium voluntatem Dei, prima obſeruatio eſt,noſſe canonicas ſcripturas:etſi notandum ad intellectum,legendo tamen mandare memorię,vel omnino incognitas non habere. Deinde ea quæ in eis apertè poſita ſunt vel præcepta viuendi , vel regulæ credendi , ſolertius diligentiúſque inueſtiganda ſunt , quæ tanto in eis quiſque pluſa inuenit , quanto eſt intelligentia capacior. In his enim quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt,inueniuntur omnia illa quæ contngent fidem , moréſque viuendi , ſpem ſcilicet & charitatem. Tunc verò facta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarum , in ea quæ obſcura ſunt aperienda & diſcutienda pergendum eſt , vt ab obſcuriores locutiones illuſtrandas,de manifeſtioribus ſumantur exempla,& quædam cęterarum ſententiarum teſtimonia dubitationem in cęteris auferant.In qua re memoria valet plurimum. ¶ Inquiſitio verò dupliciter ſit. Quandoque ab alio quærendo , ad quod pertinet il-

lud Augustini, secundo libr. de doctrina Christiana, dicentis: Nulla res magis memoriæ mandanda est, quàm illa verborum locutionúmque genera, quæ ignoramus, vt quum peritior occurrerit, quæri possint. Quandoque aliquis per se inquirit in scriptura, & tunc cauenda est ei temeritas, ne scilicet ignota pro notis habeat, hísque temere assentiat. ¶ Hæc enim præsumptio est, quam effugere qui volet, adhibebit ad res considerandas tempus & meditationem. Augustinus in libr. de Vtilitate credendi: Duæ sunt personæ laudabiles in religione. Vna eorũ qui iam veritatem inuenerunt, quos etiam beatissimos iudicare necesse est. Alia eorum qui studiosissimè & rectissimè inquirunt. Primi sunt in ipsa possessione: alij in via qua tamen certissimè perueniatur. ¶ Tria verò enumerantur alia genera hominum profectò improbanda ac detestanda. Vnum est opinantium, id est eorum qui se arbitrantur scire quæ nesciunt. Alterum siquidem qui sciunt se nescire, sed non ita quærunt vt possint inuenire. Tertium verò eorum qui nescire se existimant, nec quærere volunt. Item cauenda est in inquirendo curiositas, quæ est, non magnæ vtilitati nimiam operam impendere. Seneca: Quid te torques in illa quæstione quam vtilius est contempsisse, quàm soluere? Cauenda est etiam ibi instabilitas. Seneca in epistolis: Vide ne lectio authorum multorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Cauenda est etiam rixandi libido, quæ peritos in arte logica multum solet vexare. Augustin. 2. lib. de doctrina Christiana: Disputationis disciplina ad omnia genera obscura quæ in literis sanctis sunt penetranda, plurimum valet, tantum ibi cauenda est rixandi libido, & puerilis quædam ostentatio aduersarium decipiendi. 2. ad Tim. 2. Noli verbis contendere. Augustin. 4. lib. de doctrina Christiana: Verbis contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni alterius præferatur. Item cauenda est ibi nimia velocitas in transcurrendo: non enim videt animus transcurrendo latentem sententiam. Nihil magnum rerum ipsa natura citò effici voluit, præposuítque pulcherrimo cuique operi difficultatem: nascendi quoque hanc legem fecit, vt maiora animalia visceribus parentũ diutius continerentur. Aristotel. dicit in lib. de natura animalium: Elephas fœmina prægnãs est duobus annis, quæ est animal magnũ. Itẽ Sapiens: Omnia nostra dũ nascũtur, placent. Sed redeamus ad iudicium. Cito scribendo nõ fit vt bene scribatur. Bene scribendo sit vt citò, sed tũc maxi-

maximè quum facilitas illa cõtigit, resistamus & prouideamus, vt offerentes equos frænis quibusdam coërceamus. ¶ Et notandum quòd secundum Aug. secundo lib. de doctrina Christiana, duabus causis non intelliguntur quæ scripta sunt: si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur: sunt autem signa propria vel translata. Propria dicuntur cum his tribus signandis adhibentur propter quas sunt instituta: vt quum dicimus bouẽ, intelligentes illud animal. Translata sunt, quum ipsæ res ad aliquid aliud signãdum vsurpantur: vt quũ dicimus bouem, intelligentes Euangelistam. Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio, & varietas interpretationum. Cõtra ignota signa translata, remedium est cognitio rerum ad quas signandas transferuntur. Aug. 3. lib. de doctrina Christiana, contra ambiguitatem signorum dat remedium: Homo, inquit, timẽs Deũ, voluntatem eius in scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina pietate mansuetus, præmunitus etiam scientia linguarum ne in verbis locutionibúsque ignotis inhæreat, præmunitus etiam cognitione quarũdam rerum necessariarum, ne vim, naturámve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adiuuante etiam codicum varietate, quam solers emendationis diligentia procurauit, veniat ita instructus ad ambigua scripturarum discutienda atque soluenda. Et paulò pòst: Quum verba propria faciũt ambiguã scripturam, primo videndum est ne male distinxerimus aut pronuntiauerimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse prouiderit, quomodo distinguẽdum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei quando scripturarum planioribus locis & ecclesiæ authoritate percepit. Quòd si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes ambiguitatis, & secundum fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & sequentibus partibus restat consulendus, vt videamus cui sententiæ de pluribus quæ se ostendunt ferat suffragium, cãmque sibi contexi patiatur. ¶ Et notandum quòd qui legit scripturas, laborare debet vt eas memoriter teneat & intelligat. Si tamen alterum non possit fieri, præeligenda videtur esse intelligentia memoriæ. Aug. 4. lib. de doct. Christ. Sunt qui scripturas legunt & negligunt. Legunt, vt teneant: negligunt, vt intelligant: quibus sine dubio, præferendi sunt qui verba corũ minus tenent, & sui cordis oculis vident sensum earum. Sed vtriusque ille melior, qui & cum vult dicit, & sicut oportet intelligit. ¶ Sextum est, vt homo sit assiduus in studendo. Hier. Diuinę scripturę semper in manibus & iugiter in mente voluantur: nec sufficere

ficere putes mandata memoriæ tenere, & operibus obliuiſci. Idem: diuinas ſcripturas ſæpius lege, imò nunquam ſacra lectio de manu tua deponatur. ¶ Septimum eſt, vt de ſapientia à Deo accepta non ſit ingratus, ſed datorem ſuum glorificet. Eccle. vlt. Danti mihi ſapientiam dabo gloriam.

De his quæ aduerſantur Prudentiæ. Et de 12. ſtultitijs eorum qui peccant. CAP. VI.

VIdetur aduerſari Prudentiæ, primò ſtultitia, quæ eſt rerum appetendarum & vitandarũ non quælibet, ſed vitioſa ignorantia, vt ait Aug. in lib. de libero arbitrio. Eſt autem ignorantia vitioſa, ſi aſſit affectatio neſciendi quæ agenda ſunt vel vitanda, vel negligentia ſciendi. Bern. in libr. de 12. gradibus humilitatis: Fruſtrà, inquit, ſibi de infirmitate vel ignorantia blandiũtur, qui vt liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. Augu. ſuper illud Pſalm. Noluit intelligere, potuit intelligere, vt bene ageret, ſed noluit, & ita veniam non habet. Greg. in Moral. Neſcire, ignorantia eſt: ſcire noluiſſe, ſuperbia. Bern. in epiſtolis: Multa neſciuntur, aut ſciendi, incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem huiuſmodi ignorantia non habet excuſationem. Secundo videtur aduerſari prudentiæ virtuti vitioſa prudentia vel ſapientia, quæ videtur poſſe diſtingui in tres ſpecies. ¶ Prima eſt, prudentia ſiue ſapientia carnis: de qua Ro. 8. Sapientia carnis inimica eſt Deo. Et in eodem: Prudentia carnis mors eſt, id eſt, cauſa mortis æternæ. Vbi dicit glo. Prudentia carnis eſt, cum quis ſtudioſius impler, quę carnis ſunt. Augu. in lib. de quantitate animæ: Eſt noxium genus artium quo animi valetudo ſauciatur. Idem: Odore & ſapore mirè diuidere pulmenta, & quo lacu piſcis captus ſit noſſe dicere, quædam eſt miſeranda peritia. Sen. in epiſtolis: In membris alius pretioſas aues ſcindit & per pectus, & circunferens eruditam manum in fruſta excutit. Infelix qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter ſecet: niſi quòd miſerior eſt, qui hoc voluptatis cauſa docet, quàm qui cauſa neceſſitatis diſcit. Addiſce ab his quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt cuius rei ſapor illum excitet, cuius delectet aſpectus. Et hæc prima ſpecies ſapientiæ vitioſæ ad delicias pertinet. Vnde ſuper illud 2. Corint. 1. Non in ſapientia carnali dicit glo. Quæ eſt voluptates diligere, labores vitare. ¶ Secunda ſpecies eſt ſapientia terrena, quæ pertinet ad diuitias. Bar. 3. Filij Agar qui exquiſierunt prudentiam quæ de terra eſt. ¶ Tertia ſpecies eſt ſapientia diabolica pertinens ad honorem vel malitiam. Diabolus enim primò honorem diuinum appetiit

tiit, poſt homini malignè inuidit. Ierem. 4. Sapientes ſunt vt faciant mala, gloſſ. malitioſi. De his tribus ſpeciebus ſapientiæ tangitur Iacob. 3. Non eſt, inquit, ſapientia iſta deſurſum: ſed terrena, animalis, diabolica. Animalem vocat ſapientiam carnis. Sapientiæ terrenæ aduerſatur ſapientia filij Dei pauperis facti, in principio doctrinæ ſuæ paupertatem commendantis. Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu. Et eandem conſulentis. Matthæi 19. Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Sapientiæ carnis videtur opponi ſapientia ſanctorum, quæ ſecundum Auguſtin. eſt hic temporaliter cruciari, & in æternum delectari. Sapientiæ verò diabolicæ ſapientia humiliati: de qua Eccleſiaſtic. 11. Sapientia humiliati exaltabit caput illius. Sed contra illud quod dictum eſt, forſitan obiiciet aliquis: Quomodo aliqua ſapientia poſſit eſſe vitioſa, quum omnis ſapientia à Domino Deo ſit? Eccleſi. 1. & Baruch 3. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ. ¶ Etiam ſcientia mali bona eſt. Si ſcientia mali mala eſſet, & eum in quo eſt malum efficeret, Deus qui omnia mala ſcit, magis malus eſſet quàm cæteri. Ad hoc dicendum eſt, quòd ſapientia vitioſa pro magna parte ſui ſapientia non eſt, ſed error: ſicut dicit Aug. quòd diſciplina mali non eſt diſcipiina. Et ſuper illud Rom. 8. Prudentia carnis mors eſt. dicit gloſſ. Prudentia dicitur, quum res ſtulta ſit: quia ita videtur ſecularibus hominibus. 1. Cor. 3. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Mors manifeſtè oſtendit ſapiẽtiam huius mundi ſtultitiam eſſe. Sapientia terrena ſtultitia eſſe oſtenditur: cùm ille qui tantum in congregatione diuitiarum laborauit, nudus in terra ponitur. Iob 1. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meę, nudus reuertar illuc. Sapientia carnis ſtultitia eſſe oſtenditur, cùm caro deliciis enutrita vermibus eſca datur. Sapientia diabolica ſtultitia eſſe oſtẽditur cùm ille qui voluit eſſe ſuper alios, ſub terra poſitus, ab hominibus, porcis & canibus conculcatur. Eccleſiaſt. 11. Si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis: id eſt, mortis, & dierum multorum, ſcilicet vitæ futuræ, quæ non habebit finem, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. ¶ Et notandum quòd ſecundum Greg. in 1. parte Moralium, huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Scientia etiam aliqua licet ſit vera ſcientia, vitioſa poteſt dici ratione ſtudioſitatis quæ eam præcedit. Vnde ſuper illud Roma. 8. Prudentia carnis mors eſt. dicit gl. quæ eſt quum

ea studiosius implet quæ carnis sunt. Vel potest dici vitiosa propter vsum vitiosum eius. Eccles.19. Est prudentiæ nequitia,& in ipsa execratio: vsus enim nequaquam eius execrabilis est.

¶Et notandum quòd disciplina mali dupliciter potest intelligi. Vno modo vt ille genitiuus notet materiam, de qua est disciplina: & sic disciplina mali bona est, & à Deo est. Vel sic vt notet finem ad quem est disciplina: & sic est disciplina mali, id est, ad malum: mala est, inquantum est ad malum, & est ab homine vel diabolo. Et idem intellige de illo verbo Eccles.11. Non est sapientia nequitiæ disciplina: disciplina enim nequitiæ si sit ad vitandum nequitiam, bona est: si ad faciẽdum, inquantum talis, mala. Item videtur quodammodo prudentiæ aduersari animi præsumptio vi elatis. Aug. loquens de illo verbo Apostoli, Dicẽtes se esse sapientes, stulti facti sunt. ad Ro.1. Si dicendo, inquit, te esse sapientem stultus factus es: dic te esse stultum, & sapiens eris. Matth.11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.1. Corint.3. Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Prou. 26. Vidisti hominem sibi sapientem videri, magis spem illo habebit insipiens. Grego.3. parte Moralium: Valde difficile est, vt is qui se sapientem æstimat, mentem ad humilitatem reducat, & recte prædicantibus credat. Greg. in Moral. Quia prima stultitia angeli elatio cordis fuit: vera sapiẽtia efficitur hominis, humilitas suæ æstimationis. Item prudẽtiæ quodammodo aduersari videtur concupiscentia inordinata. Aug.1.lib.Confes. Spargis pœnales cæcitates supra illicitas cupiditates. Psal. Supercecidit ignis, & non viderunt solẽ. Item prudentiæ videtur quodammodo aduersari societas insipientium. Prou.13. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus autem stultorum similis eis efficietur. Sene. in epistolis: Rem facillimam ratio exigit, secundum naturam suam viuere: sed hanc difficilem facit communis insania. Vocatur insania, insipientia eorum qui se reputant sapientes. Simplicẽ stultitiam habent qui nesciunt quæ scienda essent, & ignorantiã suam agnoscunt: sed qui ignorantiã suam non agnoscunt: quasi insani sunt. Insanus enim credit se esse sapiẽtem, quũ sit valde stultus. Miserabilis est cæcitas eorum qui cæcitatem suam etiam non agnoscunt: quibus accidit sicut cuidam fatuæ, de qua loquitur Sen. in epistolis suis: Ad pastam, inquit, vxoris meæ fatuam scis hæreditariũ onus in domo mea remansisse. Hęc fatua subitò desiit videre. Incredibilem rem narro tibi, sed veram: nescit se esse cæcam. Inde pædagogum suum rogat, vt migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc

Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum, cæci ducere quærunt. Nos sine duce erramus, & dicimus: non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter in vrbe viuere potest: nõ ego sumptuosus sum, sed vrbs magnas expensas exigit. Quid nos decipimus? non extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus sedet, ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. ¶Et notandum quòd secundum communem modum loquendi, & secundum modum etiam loquendi quem habet sacra scriptura, insipientia, vel imprudentia, vel stultitia non solum pertinẽt ad intellectum, sed etiam ad voluntatem & operationem. Vnde stultus est omnis peccator: & maxima stultitia est peccare, & maxima sapientia rectè viuere. Chrysostomus: Sapientia est, non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei viuere, & eloquia Dei timere. Iob 28. Dicit homini diuinitus esse ostensum, quòd timor Domini ipsa est sapientia: & recedere à malo intelligentia. Ecclesiastæ vlti. Finem loquendi omnes pariter audiamus: Time Deum, & mandata eius obserua. Loquela est ad sapientiam edocendam: sermo enim proprius nuntius est rationis doctæ. Homini indocto magis conuenit tacere, quàm loqui. Finis ergo loquendi, id est, illud ad quod finaliter est loquela, est sapientia consummata, quæ consistit in timore Dei & obseruatione mandatorum eius. Sine timore Dei nihil sapientiæ videtur haberi, quum timor Domini principium sit sapientiæ. Pro.1. Sicut non reputaretur sapiens, qui non timeret furari vel rapere in terra illius domini qui districtissimè faceret iustitiam: sic non est sapiens qui non timet offendere Dominum illum qui nobilissimam creaturam damnauit irrecuperabiliter pro vno peccato superbiæ. Luc.10. Videbam sathanam quasi fulgur cadentem de cælo. Et pro peccato primorum parentum, totum genus humanum damnauit exilio & temporali morte. Et pro peccato luxuriæ, totum mundũ, exceptis octo personis aquis diluuij submersit. ¶Et notandum quòd licet valde necessarium sit sapienter intelligere, quia occasio est vt homo sapienter velit & sapienter operetur: & insipienter intelligere valde sit periculosum, eò quod sit occasio insipienter volendi & insipienter agendi: tamen sapere vt est in solo intellectu, non est Deo gratũ, nec homini meritorium, nisi attingat voluntatem vel operationem. Nec insipientia in solo intellectu dãnabilis est, donec attingat voluntatem vel operationem: vt scilicet insipienter velit, vel insipienter agat. Qui sapiẽs est solo intellectu, insipiens ve-

rò voluntate & operatione, insipientius videtur se habere quàm si non haberet sapientiam in intellectu. Sicuti duobus incedentibus per viam publicam, si deuient in viam quæ mittat eos in manus latronum qui eos iugulent, vnus scienter, alius nesciens, stultior in hoc reputabitur qui sciens deuiauerit, quàm qui nesciens. Et insipienter vadit, qui de die corruit vel offendit, quàm qui de nocte. Iob 5. Per diem incurrent tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meredie.

De xij. stultitiis, quibus peccantes mortaliter adhærent.

ET notãdum quòd qui mortaliter peccat, multũ stultè agit. Et tangemus xij. stultitias quæ in eo qui peccat possunt assignari. Prima est, quòd ipsemet se excæcat. Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum. Gregor. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Secunda est, quòd seipsum diabolo illaqueat. Iob 18. Immisit in rete pedem suum. Gregor. Qui pedes in rete mittit, non quum voluerit eiicit: sic qui in peccatis se deiecit, non mox quum voluerit surgit. Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisquis cõstringitur. Qui peccat volens, vincitur ab hoste crudeli qui non miserebitur. Gregor. Debilis est hostis qui non vincit nisi volentem: ipse etiã volens se præcipitat. Matth. 4. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Gloss. In quo infirmus ostenditur, quòd nulli nocere possit, nisi prius ille se deorsum miserit. ¶ Tertia est, quod quasi insanus in seipsum manus iniicit infligendo sibi vulnus insanabile. Ecclesiast. 22. dicitur de peccato: Plagæ illius non est sanitas: imò quod plus est, seipsum occidit. Sapient. 16. Homo per malitiam occidit animam suam. Ecclesiasti. 22. dicitur de peccato: Dentes leonis dentes ipsius interficientis animas hominum. Peccatum dicitur mors animæ: quia à Deo separat qui est vita. Augustin. Vera mors est quam homines non timent: separatio animæ à Deo quæ est beata vita animarum, vel quia aufert vitalitatem vitæ præteritæ & præsentis. Bernar. super Cantic. Quàm mitius me priuares ô amara mors vitæ vsu, quàm fructu. Nam vita sine fructu, grauior mors. Denique duo mala parantur arbori infructuosæ, securis & ignis. ¶ Quarta est, quòd bona sua proiicit. Osee. 7. Proiecit Israël bonum. Qui cadit per mortale peccatum, omnia bona quæ vnquam fecit amittit. Bona etiã quæ agit in statu illo vera bona non sunt: quia non sunt sibi meritoria: qui mortale peccatum committit, quasi ignem in propria domo ponit, qui omnia destruat. Luc. 10. tangitur de duabus stultitiis modò dictis, vbi legitur de illo qui incidit in latrones

trones, qui despoliauerũt eum, & plagis impositis abierũt semiuiuo relicto. ¶ Quinta est, q̃ se charissimè emptũ à Deo, diabolo vilissimè vendit. 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro & argento redẽpti estis, &c. sed pretioso sanguine Agni, &c. Prou. 10. Cor impiorum pro nihilo. Esa. 52. Gratis venũdati estis. ¶ Sexta est, q̃ ab authore omnium bonorum recedit: ideo non est mirum si malè sit ei. Aug. Tale bonum est Deus, vt nemini eũ deserenti bene sit. Osee 7. Væ eis, quoniã recesserũt à me. Aug. in lib. Soliloquiorũ: Deũ relinquere, idẽ est quod perire. ¶ Septima, q̃ cum omnipotẽte guerram facere præsumit: quæ guerra citò finita esset, si misericordia Dei permitteret, q̃ diabolus eũ iugularet. Thre. 3. Misericordiæ domini quia nõ sumus consumpti. ¶ Octaua est, q̃ ei seruit cuius gratiam acquirere nequit. Greg. Stultum est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. Quanto aliquis ei amplius seruierit, tanto amplius ipse eum torquebit. ¶ Nona est, quòd ipse sibi locum tormenti efficit. Affligitur enim peccator in corde suo. Hiere. 2. Scito & vide, quia malum & amarũ est reliquisse te dominũ Deum tuum. Qui peccat, quasi sarcinam super se ponit, qua in præsenti grauetur, & in futuro in infernũ præcipitetur. Augu. Quid est mors? depositio sarcinæ grauis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehẽnam præcipitetur. ¶ Decima est, quod ipse in inferno portam facit. Mat. 16. Portę inferi nõ p̃ualebũt aduersus eam. Portæ inferi dicũtur peccata mortalia: quia qui in eis decedunt, in pũcto ad inferna descẽdunt. Iob 21. Sicut qui ad portã est, propinquus est domui. ¶ Vndecima est, q̃ portam paradisi sibi obstruit, & regnũ cælorum modico pretio vẽdit, similis Esau, qui pro lenticula vẽdidit ius primogenitu ræ suæ. Gen. 25. Bern. Væ vę, vapor est ad modicum parens, quòd æternæ felicitatis aditum intercludit. ¶ Duodecima est, q̃ ad suspendium sciens & volens vadit: quis non reputet insanum eum qui requisitus quò vadat, & respondet, suspendere me vado? Sic nullus sapiens reputandus est, qui in mortali peccato est, cũ singulis diebus vnam dietam magnam faciat ad infernale suspendium. Eccl. 6. Quid habet amplius stulto sapiens, & quid pauper nisi vt pergat illuc vbi est vita? Hic discernit verè inter sapientes & stultos, quòd sapientes vadunt ad vitam æternam, stulti verò ad mortem æternam. De stultitiis singulorum peccatorum, requiẽ in tractatu dę Vitiis.

TERTIÆ partis principalis de quatuor virtutibus cardinalibus Tractatus III. De Temperantia.

De ordine virtutum cardinalium adinuicem, & ordine dicendorum in hoc tractatu. CAP. I.

DIcto de prudentia, quæ est inter cardinales virtutes, quum ordinet cæteras, & sit in vi rationali quæ videtur esse nobilior concupiscibili & irascibili, quia ea discernitur homo ab animalibus brutis, dicendum est de aliis tribus. Et primò de Temperantia & Fortitudine, quàm de Iustitia: quia temperantia, & fortitudo ad iustitiam disponunt & præparant, sicut cupiditas quam temperantia refrænat, & timor cui fortitudo resistit, iustitiam à suo officio impediũt. Et prius dicetur de Tẽperantia, quàm de Fortitudine: quia tẽperantia animum ordinat ad id quod est infra se, scilicet ad bona quæ corpori seruiunt: fortitudo ad id quod est contra, scilicet aduersa. Item temperantia regit homo seipsum, fortitudine & iustitia alios. Prius verò & homini vtilius est regere se, quã regere alios. Sen. Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi: multos enim reges, si ratio te rexerit. Item temperantia refrænat concupiscentiam animæ circa bona modica & inferiora, fortitudo verò roborat eam circa bona ardua. Illa spiritualem descensum animæ cohibet: ista spiritualem ascensum promouet. Cohibitio verò à spirituali descẽsu est prior ascẽsu spirituali. Item temperantia est in concupiscibili: fortitudo verò in irascibili. Operatio verò cõcupiscibilis naturaliter videtur esse prior, quàm operatio irascibilis. Vis enim concupiscibilis est appetitiua boni delectabilis. Irascibilis est appetitiua boni ardui expediẽtis: vt est medicina vel scissura, quæ fit propter salutẽ corporis. Bonũ verò expediẽs bonum est secũdũ quid: bonũ verò delectabile, bonũ simpliciter, & propter illud est bonũ expediẽs. Vnde appetitus boni delectabilis naturaliter est prior appetitu boni expediẽtis, & est naturalis. Arist. in li. de naturis animaliũ: Omnia naturaliter appetũt delectationẽ. Itẽ vis cõcupiscibilis motiua est, secundũ apprehẽsionẽ boni: vis irascibilis secũdũ apprehẽsionem mali. Sicut enim per apprehẽsionem boni expectati in cõcupiscibili fit motus cupiditatis, & per eius adeptionẽ seu coniunctionẽ fit quies, vel gaudiũ in anima: sic per apprehẽsionẽ mali quod aliquis opinatur sibi affuturum, est timor in irascibili: & per illationẽ mali quod prius timebat, siue per ablationẽ boni quod concupiscebat, fit perturbatio vel ira in irascibili, & sequitur appetitus vindictæ. Vnde dicit Auicenna, q̃ vis cõcupiscibilis est imperãs moueri, vt appropinquetur ad ea quę sunt necessaria, aut vtilia appetitu delectamẽti. Irascibilis verò est vis imperãs moueri ad repellẽdũ id quod putatur nociuũ, aut corrũpẽs appetitu vincẽdi. Vnde cũ bonũ prius naturaliter sit, quàm malum: malũ enim dicitur aliquid, secundũ Aug. quia adimit bonũ, vel nocet bono, operatio concupiscibilis quæ est secundũ apprehensionẽ boni, prior est naturaliter, quàm operatio irascibilis quæ est secundũ apprehẽsionẽ mali. Præterea primus insultus à diabolo factus primis parẽtibus videtur fuisse contra tẽperantiam. Et in pugna Christi prima tẽtatio fuit cõtra virtutẽ tẽperantiæ. Prima etiam pars vitæ nostrę assuescit voluptatibus, quarum refrænatio ad tẽperantiam pertinet. Propter istas causas merito temperantia fortitudini præponetur. & secũdum hunc ordinẽ modò ostensum numerantur quatuor virtutes, super illud Matt. 15. Erant qui manducauerãt, quatuor millia hominum. Gloss. quatuor, propter quatuor virtutes quibus rectè viuitur: prudẽtiam, tẽperantiam, fortitudinẽ & iustitiã. Eodẽ etiã ordine enumerantur Gen. 2. in glo. super illud, Qui diuiditur in quatuor capita. De tẽperantia verò hoc modo dicetur. Primò diuersæ acceptiones huius nominis, Tẽperãtia, assignabuntur. Secundò descriptiones eius ponentur. Tertiò ea quæ pertinent ad eius commendationẽ. Quartò agetur de partibus temperantiæ.

De diuersis acceptionibus huius nominis Temperantia. CAP. II.

NOtandum quòd nomen temperantiæ tripliciter accipitur. Primo pro temperantia in generali, ad quam pertinet cauere circa omne opus virtutis, ne quid parum vel nimis fiat. Ad eam pertinet moderari opus virtutis illo modo de quo loquitur Horatius: Est modus in rebus, sunt certi denique fines: Quos vltra citrà que nequit consistere rectum. Sic sumere videtur nomen temperantiæ Bernar. in libr. de consideratione: Temperantiæ est, inquit, non solum iustitiæ, sed & fortitudini, & prudentiæ, modum imponere. Secundo modo dicitur temperantia virtus animi impetus non rectos cohibens. Sic sumitur à Tullio in prima Rhetorica. Tertiò dicitur temperantia virtus animam regens circa delectationes corporales, siue circa delectationes quinque sensuum. Gloss. super Matthæ. 15. Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant. Et Augustin. dicit temperantiam esse in coëreendis delectationibus prauis.

De descriptione Temperantiæ. CAP. III.

TEmperantia sic describitur à Tullio in prima Rhetorica: Temperantia est rationis in libidinem atque alios non rectos animi impetus firma & moderata dominatio. Libidinẽ hic intelligę cupiditatẽ carnalis delectationis. Alios impetus animi

non rectos intellige, vt cupiditatem habendi, vel proximo nocēdi. His cupiditatibus ratio animi dominatur: non quòd motus in eis non surgant, sed quia cùm emergunt, non fit processus ad consensum. ¶ Et notādum quòd secūdum Tullium in lib. de Offic. duplex est vis animæ, vna est ratio, altera est appetitus quæ animū rapit. Rationis est dominari, appetitus obtemperare. Tullius in lib. de Offic. sic describit temperantiam: Temperantia est dominium rationis in libidinem, & in motus alios importunos. Secundum Aug. verò in lib. de moribus ecclesiæ, Temperantia, est amor sese integrum Deo incorruptūmque seruans. Secundum Macrobium, Temperātia est, nihil appetere pœnitēdum in nullo moderationis legem excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Item Augu. dicit in lib. de Libero arbitrio, quòd temperantia est affectio coērcēs & cohibens appetitum ab his quę turpiter appetuntur. ¶ Et notandum quòd modus à quo moderatio dicitur, quadruplex est. Primus est, restrictio inordinati appetitus in vi concupiscibili, quę prona est ad concupiscēdum delectabile temporale: vel in vi irascibili, quæ impetuosa est ad repellēdum nocium vel corrumpens. Secundus consistit in priuatione eius quod est nimis & parum. Tertius in hoc quod opus debitis circunstantiis induatur: & huius tertij modi secundus pars est. Quartus modus est, à quo virtus modestię dicitur, quam Tullius ponit tertiam partem temperantiæ. De quo infrà dicetur.

De commendatione Temperantiæ. CAP. IIII.

AD commendationem temperantiæ, primò facit quòd ipsa homini honorem suum custodit. Honor hominis est libertas voluntatis quæ apprehensō delectabili, potest illud velle vel non velle. Genes. 4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. In brutis est seruitus appetitus huic libertati opposita: apprehēso enim delectabili accenditur concupiscentia eorum, nec habent in potestate sua eam extinguere vel temperare. Qui virtutem temperantiæ habet, viuit vt homo, qui eam non habet, vt brutum. Hiero. Qui post carnem ambulant in vētrem & libidinē proni, quasi irrationabilia iumēta reputātur. In Psalm. Homo cùm in honore esset, nō intellexit, comparatus est iumētis. ¶ Secūdò, quòd ipsa hominem spiritualiter circuncidit, & inter eos, qui sunt de populo Dei, & qui non sunt, verè discernit. Seneca lib. de quatuor virtutibus: Continētiam si diligis, circuncide superflua, & in arctum desideria cōstringe. Continētiam ibi vocat temperātiam. Ierem. 4. Circuncidimini domino, & auferte præputium cordium vestrorum. Deut. 30. Circūcidet dominus Deus tuus cor tuū, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deū tuum in toto corde tuo. Temperantia opprobriū Ægypti, scilicet mūdi superfluum, aufert à populo Dei. Iosue 5. Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis. Ambro. Ipsa cauet ne quid nimis. Sapiēs: Id arbitror primo esse vtile in vita, Ne quid nimis. ¶ Tertiò, q familiarē Deo reddit. Sap. 6. Incorruptio facit proximum Deo. Temperantiæ est, vt amor Deò incorruptus atque integer custodiatur. Secundum Aug. in lib. de moribus ecclesiæ, Ipsa Deo seruat integrum cor, quod ipse specialiter requirit. Prouerb. 23. Prębe fili mi, cor tuum mihi. Aug. 10. lib. Cōfe. Domine, per cōtinētiam colligimur in vnum à quo in multa defluximus. Minus enim tē amat qui tecum aliquid amat quod nō propter te amat. Ipsa assimilat hominē Deo, qui spiritus est, eum spiritualem faciendo. Senec. in lib. de quatuor virtutibus cardin. de Continentia: Desideria tua paruo redime: quia hoc tātum curare debēs vt desinant, atque ita quasi ad exēplar diuinū compositus à corpore ad spiritum quantum potes adducere. Ipsa filios Dei quasi ablactat, separando eos à solatio tēporalium deliciarum: quòd Deo valde gratum est. Gen. 21. Abraham in ablactatione Isaac fecit conuiuium magnum. Ipsa ad contemplationem Dei præparat. Augu. Temperantia est amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens & eleuans ad superiorem. Item in libr. Solilo-quiorum: Vnum est quod tibi possum præcipere: nihil nobis plus penitus esse fugiendum, quam ista sensibilia: cauendūmque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennæ nostrę impediantur, quibus integris atque perfectis opus est, vt ad illam lucē ab his tenebris euolemus, quæ se nec ostēdere quidē dignatur in hac cauea inclūsis, nisi tales fuerint, vt ista vel effracta, vel dissoluta possint in auras suas euadere. Temperantia Deo thronum eburneum præparat, significatum per thronum eburneum quem fecit rex Salomon. de quo 3. Regum 10. & 2. Paralipom. 9. Ipsa etiam in domo eburnea eū delectat. In Psalm. A domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Ipsa Dei tabernaculum sanctificat. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Et vt vno verbo dicamus, adeò placet, quòd sine ipsa nullus Deo placere potest. ad Roma. 8. Qui in carne sunt, Deo placere nō possunt. ¶ Quartò, quòd ipsa frænum est quo corpus humanum à spiritu regitur. Sine quo spiritus corpori periculosè præsidet: sicut aliquis periculosè insidet equo sine fræno, si æquus sit indomitus, & aqua vel aliud periculum sit propinquum. De hoc fræno Seneca dicit: Impone concu-

piscentiæ tuæ frænũ. ¶ Quintò, quòd ipsa diabolũ offendit multum, sicut oppositum eum gaudere facit. Ecclesia. 18. Post concupiscentias tuas nõ eas, & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te gaudium inimicis tuis. Temperantia diabolum in arido ponit, vbi non habet requiem. Matthæi 12. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & nõ inuenit. Intemperantia verò diabolo locum quietis parat, scilicet humidum. Vnde Iob 40. dicitur, Dormite in locis humentibus. Temperãtia liberat ab hoste qui diu hominem possedit, scilicet à voluptate cui à cunabulis assueuit. Sapiens: Vsus ægrè dediscitur. Idem: Difficile est repellere passionem vitæ contemporaneam. Tẽperãtia hostem cauet, cuius ingressus pacificus videtur: scilicet voluptatem blandientem. Seneca: Voluptates inter res vilissimas præcipuè extirpa, quæ more latronum ad hoc nos amplectuntur vt iugulẽt. Ipsa in prosperis custodit vbi maius periculũ est. Greg. Cùm omnis fortuna timenda sit, magis prospera timenda est quàm aduersa. Hæc enim sæuiendo erudit, illa blãdiendo seducit. Ipsa vitia carnalia quæ maioris sunt infamiæ extinguit. ¶ Sextò, quòd ipsa est stola prima. Lucæ 16. Proferte citò stolã primam. Ipsa est vestis de bysso. Prou. vlt. Byssus & purpura indumentum eius. Ipsa candor est quasi materialis respectu aliarũ gratiarum. Ipsa est principium spiritualis pulchritudinis, quæ consistit in candore & rubore. Canti. 5. Dilectus meus candidus & rubicundus. 1. Cor. 15. Qualis cælestis, tales & cælestes. ¶ Septimò, quòd vas corporis syncerum custodit. Sapiens: Syncerum nisi vas, quodcunque infundis acescit. 1. Thessa. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra &c. vt sciat vnusquisque vestrũ vas suum possidere in sanctificatione & honore. Ipsa honestat, prouidet illi parti hominis quæ magis ea indiget, scilicet carni. ¶ Octauò, quòd hominem munit eã parte qua infirmior est, scilicet ex parte carnis. Matthei 26. Spiritus quidem promptus est, caro autẽ infirma. Ipsa etiam à deceptione hostis familiaris custodit. Boet. Nulla verò pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Et vt vno verbo comprehendamus, nõ est digna ponderatio continentis animæ, id est, temperatæ. Eccl. 26. Quod vocamus cõmuniter tẽperantiam, vocat Sen. cõtinentiã. Tẽperantia turpitudinẽ fugit, & sic munditiã seruat. Sen. Si continentiam diligis, turpia fugito antequam veniãt, nec quenquã aliũ verebetis plus quàm te, omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. Ipsa decorem prouidet motibus nostris. Sen. Si continens es, & animi tui & corporis motus obserua ne indecori sint. Nec ideo illos contemnas quia latent: nam nihil differt, si nemo videat, dum tu illos videas.

De partibus Temperantiæ secundum Tullium. Et de prima eius parte, scilicet continentia: & de duodecim quæ nobis dissuadent inordinatum amorem voluptatum. CAP. V.

NOtãdum quòd secundũ Tullium in prima Rhetorica, Tẽperãtia tres habet partes. Prima vocatur ab eo Continẽtia, secunda Clemẽtia, tertia Modestia. Prima videtur regere animũ quãtum ad appetitum boni. Secunda, quantum ad appetitũ alieni mali. Tertia, quantũ ad exteriora horum indicia. Cõtinentia, vt ait Tull. est per quam cupiditas cõsilij gubernatione regitur. Continẽtia verò sic sumpta videtur posse diuidi sicut cupiditas, quam ipsa refrænat, diuiditur: & quæ habet duas species, scilicet inordinatum appetitum delectãdi, & inordinatum appetitũ habendi. Sic cõtinẽtia videtur habere duas partes: vnã quæ refrænat appetitũ voluptatũ, & aliã quæ refrænat appetitum diuitiarum. Ad quod videtur pertinere quod dicit gl. super illud Luc. 6. Beati pauperes. Ecce temperãtia, temperantiam vocat paupertatem spiritus, qua refrænat appetitum diuitiarum. Has duas partes continentiæ tangit Seneca, dicens: Hac mediocritatis linea cõtinentiã obseruabis, vt nec voluptati deditus, prodigus & luxurioſus appareas, nec auara tenacitate sordidus aut obscurus existas. Circa illã partẽ continẽtiæ quæ appetitum voluptatum refrænat, notandum q, duodecim sunt quæ nobis dissuadent inordinatum amorẽ voluptatũ. ¶ Primũ est, locus in quo sumus. Augustinus: In valle miseriæ sumus, vbi eò magis flẽdũ quo minus flemus. Idem: Nescimus quo fine claudimur in hoc exilio: nõ ejecit Deus hominem, vt hic faceret alium paradisum. ¶ Secundũ est, tempus in quo sumus. Bern. Vniuersum tempus pœnitentiæ vigilia quædã est solẽnitatis magnæ, & æterni sabbati quod prælamur. Vigilia non est tempus deliciarum, sed festũ. ¶ Tertiũ est, exemplum Christi & sanctorum. Ber. Christus qui nõ fallitur, elegit quod carni molestius est: id ergo melius, id vtilius, id magis eligendum: & quisquis aliud docet, vel suader, ab eo tanquam à seductore cauentũ est. 2. ad Cor. 11. In fame, & siti, in ieiuniis multis. ¶ Quartũ est exemplũ eorum quibus amor voluptatum nocuit: vt exemplum matris Euæ, de qua Gene. 3. Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendũ, &c. & tulit, & comedit. Exẽplum Salomonis, de quo Eccles. 2. Non prohibui cor meũ quin omni voluptate frueretur: propter quod infatuatus

est.3.Regu.3. ¶Quintum est periculum in acquirendo sumptus deliciarum:multoties enim acquirũtur, vel per morté propriã, vel per mortem alterius. Noluit Dauid bibere aquam quam sibi attulerant tres fortes:sed libauit eam Domino,dicens: Propitius sit mihi Dominus,ne faciam hoc:num sanguinem hominũ istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Melius esset sine periculo tãtum panẽ & aquam sumere, quàm cum periculo delicias habere.2. Machabeor.5. Iudas secesserat in desertum locum,ibíque inter feras cũ suis vitam in montibus agebat, & fœni cibo vescentes demorabãtur ne participes fierent coinquinationis.¶Sextum est,labor qui est in præparando.Epicurus voluptatis assertor omnes libros suos impleuit oleribus, & pomis & cibis vilibus,dicés his esse viuendũ:quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparentur:maiorémque pœnam habent in inquirendo,quàm voluptatem in abutendo.¶Septimũ est,voluptatum breuitas.Senec. Voluptas est breuis,fastidit obiecta:quo auidius hausta est,citius in contrarium recidens. ¶Octauum est, earum indignitas. Senec. In voluptate nihil est magnificum,aut quod naturam proximam Deo deceat.Non est animi virilis, sed puerilis, voluptates carnales amare.Ideo lacte significatur in Scriptura sacra carnalis voluptas, quod est cibus puerorum: non decet in ætate virili vel senili à mammillis lac sugere. Genes.18. Postquam consenui, voluptati operam dabo. ¶Nonum est penuria fratrum nostrorũ & filiorum Dei.Nõ decet Christianum delicias quærere,cùm sciat Christum in tot membris suis necessaria non habere.ad Hebræos 11. Fide Moyses grãdis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Iniqua est partitio, quòd inter filios Dei alij superflua habeant,alij necessariis indigeant.Ber. Clamant nudi, clamant famelici,& conqueruntur:Nobis,inquiunt,fame & frigore miserabiliter laborantibus,quid conferunt tot mutatoria,vel extensa in perticis,vel plicata in manicis?nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inutiliter expenditis. Idem: Inueniunt otiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur.¶Decimum est,voluptatũ impuritas: habent enim multam amaritudinem annexam. Rectè Deus congregationes aquarum appellauit maria. Genes.1. Multitudini enim delectationum est annexa multitudo amaritudinum.Boët.Dulcedo felicitatis humanæ multis amaritudinibus respersa est.Iob 30.Esse sub sentibus delicias reputabam.Eccl.7.Inueni amariorem morte mulierem.Hæc est,voluptas carnis animam separans à Deo: & ideo amarior est morte corporis quę corpus ab anima separat. Cùm enim Deus melior sit anima, separatio eius erit deterior. ¶Vndecimum est,voluptatum vanitas.Eccle.11.Adolescentia & voluptas vana sunt. Vanum est quod non confert plenitudinem continenti.Hier.Voluptas habita,famem,non satietatem parit. Eccl.1.Non saturatur oculus visu,nec auris auditu impletur.Io.3. Quj biberit ex hac aqua,sitiet iterum. Aug.Anima humana delectationis auida,ex quo recessit ab vnitate, cùm rerum qualitate non possit,rerum varietate satiari desiderat.Eccle.20.Dixi in corde meo:Vadam,& affluã deliciis,& fruar bonis,& vidi quòd hoc quoque esset vanitas.¶Duodecimum est, eorum noxietas. Nocent autem homini multipliciter. ¶Primò, quòd multoties sunt corpori occasio mortis vel infirmitatis. Senec: Voluptatibus maior pars corporum perit.Idem:Corpus suggerit vanas voluptates,breues,pœnitendas,ac nisi magna moderatione temperentur,in contrarium habituras. Idem: Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. ¶Secundò, quia hominem in seruitutem ponunt.Senec.Voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere nõ possunt:& ob hoc miserrimi sunt,quòd eò peruenerunt,quòd illis quę sunt superuacua,facta sunt necessaria. Voluptas amantibus se quinque iuga supraponit, scilicet consuetudines delectationum,quæ sunt secundum quinque sensus.Luc.14.Iuga boum emi quinque.¶Tertiò,in hoc quòd corpus spiritui contumax reddit.Prouer.29.Quj delicatè à pueritia nutrit seruum suum,postea sentiet eum contumacem.Voluptas carni concupiscenti aduersus spiritum in adiutorium sit: vnde multoties spiritus succumbit.Ber.Si concupiscentia cœperit habere irritamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur conscientia.¶Quartò, quia licet videatur esse medicamentum: tamen facit ad infirmitatis augmẽtum.Gre.in Moral.Ipsum medicamentum in vulnus vertitur: quia exquisito remedio, paulo diutius inhæretur,ex eo grauius deficimus,quòd prouide ad refectionem paramus. ¶Quintò, quia multum à salute impedit. Ipsa est quasi forte glutinum.Lib.14.Vxorem duxi, & ideo non possum venire:hæc est voluptas carnis. ¶Sextò, obliuionem inducit.Eccle.5.Non satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor eius.¶Septimò,hominem à sapientia impedit.Iob 38.Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.¶Octauò,sterilitatem bonorum operum inducit. Esa.47. Et nunc audi hæc delicata. Et paulò post: Venient tibi hæc duo

subito in die vna, sterilitas, & viduitas. Ipsa hominē quasi paralyticum efficit. Iere.31. Vsquequo dissolueris deliciis filia vaga? Deute.28. Tenera mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, ipsa virilitatem aufert. Esa.19. Erit Ægyptus quasi mulieres. Ipsa fluuius est in quo Pharao infernalis masculos vult proiici. Exo.1. Ipsa est aqua Ægyptiis in sanguinem versa. Exod. 7. ¶ Nonò hominem locacem facit. Ipsa est fluuius ranas ebullíens. Exo.8. ¶ Decimò, reddit hominem incompatientem: vt patet in epulone Euangelico. Luc.16. Amos 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph. ¶ Vndecimò, melioribus diuitiis priuat, scilicet spiritualibus. Ber. Delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam. Columba aquam refugit, aquā scilicet carnalis voluptatis. Genes.8. Ber. loquens de illo verbo, Nisi ego abiero, paraclētus non veniet. Ioan.17. Quis, inquit, audeat de cætero carnis illecebris fœtidis deditus paraclētum expectare. ¶ Duodecimo, in pœnā æternā cōmutatur. Apoc.18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Aquæ inferiores in mare mortuum descendunt. Iosue 3. Voluptates enim temporales ad amaritudinem æternam ducunt. Multa quæ valent ad refrenandum amorē diuitiarū, inuenies in tract. de Auaritia. De paupertate etiā spiritus quæ amorē diuitiarū refrenat, dicitur in tractatu de Beatitudinibus: ideo hic ea quæ pertinent ad refrenationē huius amoris prętermittimus.

De descriptione Clementiæ. Et quòd principi sit maximè necessaria: quot sint etiam quæ possint incitare principem ad clementiam.

CAP. VI.

CLementia est virtus per quā animus in odiū alicuius temerè cōcitatus benignitate retinetur. De his quæ valēt ad refrenandū odium, multa inuenies in tractatu de Ira. secundū Senec. Clemētia est tēperantia animi in potestate vleiscēdi, vel lenitas superioris aduersus inferiorē in pœnis constituēdis. Et notādū, q̄ licet clemētia necessaria sit omnibus, maximè tamē principibus. Vnde Dominus primū principē populi sui Moysen cōstituit, qui erat vir mitissimus super omnes homines qui morabātur in terra. Num.12. & 3.Reg.20. legitur: Audiuimus, q̄ reges domus Israël clemētes sunt. Hester 13. Volui potētes nequaquam abuti magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos. Et Esa.16. Emitte agnū Domine dominatorem terræ. Et de Christo legitur Mat.21. Ecce rex tuus venit tibi māsuetus. Et lex eius vocabitur lex clemētię. Prou.vlt. In signum etiam clemētiæ inunguntur reges Christiani & ecclesiæ prælati. Senec. Nullum ex omnibus clementia magis quàm regem aut principem decet. Idem: Clementia efficit vt inter regem tyrannúmque diserimen fit, id est differentia. ¶ Item notandum quòd clementiæ virtus mediocritatem seruat in parcendo & in vleiscendo. Senec. Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile temperamentum est, quicquid plus æquo futurum est in partem humaniorem præponderet. In arca erat virga Aaron cum manna. Ad Hebr. 9. Ille enim qui præest, quandoque debet parcere, quandoque vltionem sumere. ¶ Virga Assueri extensa signum erat clementiæ. Hester 8. Ad clementiam pertinet maximè temperantia in vltione propriarū iniuriarum. Sen. Quemadmodū magni animi non est qui de alieno libe ralis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementē voco non de alieno dolore facilē, sed eum qui eum suis stimulis exagitetur, non prosiliit, qui intelligit magni animi esse iniurias in summa patientia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune lęso. Vltimo duas res præstare solet: aut solatium affert ei qui accepit iniuriā, aut in reliquum securitatē. Principis maior est fortuna, quàm solatio egeat, manifestiórque vis quàm vt alie no malo sibi viriū opinionē quęrat. Hoc dico, cū ab inferioribus petitus violatúsque est: clementia principē seruat, ne impatientia vel aliqua alia inordinata affectione vltionem præcipitet. Tullius in lib. de Off. Optandum est vt qui præsunt reipublicæ, legū similes sint, quæ ad puniendū nō iracūdia, sed æquitate ducuntur. Ad principē verò clementem pertinet illud verbū Sen. In hac tāta facultate rerū nō ira me ad iniqua supplicia cōpulit, nō iuuenilis impetus, nō temeritas hominū & cōtumacia, quæ sæpe tranquillissimis quoque pectoribus patiētiā extorsit. Clemētię est causas parcēdi quærere. Sen: Alterius ætate prima motus sum, alterius vltima: quoties nullā inueni misericordię causam, mihi peperci. ¶ Itē. notādū, quòd 12. sunt quę possunt valere ad incitādū principes ad clementiā. ¶ Primū est, exēplū excelsi principis, scilicet Dei. de quo Ioēl.2. legitur, quòd ipse benignus & misericors est, & prętabilis super malitia. Et Sap.12. Parcis omnibus, quoniam tua sunt. Sen. Si Deus placabilis est, & delicta potentiū nō statim fulminibus persequitur: quāto æquius est hominē hominibus prępositum, miti animo exercere imperiū? ¶ Secūdū est exēplū creaturarū inferiorum, vt exemplum quod ponit Sen. de rege apum: iracundissimæ, inquit, ac pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes, & aculeum in vulnera relinquunt. Rex ipse sine aculeo est.

Nolui t

Noluit ipsum natura nec sæuum esse, nec vltione magno constã turã petere, telúmque detraxit, & irã eius inermẽ reliquit. Exemplar hominibus regibus ingẽs. Pudeat ab exiguis animalibus nõ trahere mores, quum tanto moderatior hominum animus esse debeat, quãto vehemẽtius nocet. ¶ Tertiũ est naturalis nobilitas animorum qui regẽdi sunt. Sen. Remissius imperanti melius paretur: cõtumax est animus humanus, & contrariũ atque arduũ nitẽs, faciliúsque sequitur quã ducitur. ¶ Quartũ est; quòd clemẽtia naturæ humanæ congruit: crudelitas verò videtur esse contra naturam humanã & quasi bestialis. Sen. Quid istud delectari sono catenarũ quocũque ventũ est multũ sanguinis fundere, aspectu suo terrere & fugare? quæ alia vita esset, si leones vrsíque regnarẽt, si serpentibus in nos ac noxiosissimo animali cuique daretur potestas: ipsa rationis inexperta natura abstinet suis, & tuta etiã inter feras similitudo morũ est. Aristot. in lib. de natura animal. dicit quòd nõ est auiũ vnius speciei vt se comedant. Sen. Ferina rabies est sanguine gaudere ac vulneribus, ac abiecto homine in syluestre animal trãsire. ¶ Quintũ est humani sanguinis pretiositas quo parcissimè vtendũ est. Sen. in epist. Clementia sanguini alieno tanquam suo parcit, & scit homini non esse homine prodigè vtendum. Item vtens verbis quę cõpetunt clemẽti principi, Cõdi tum, inquit, imò strictũ apud me ferrum est: summa parsimonia etiã vilissimi sanguinis. Vtinam gladius spiritualis ecclesiæ strictus esset, & vsus eius parcus. Et subdit Sen. Seueritatem abditã ad clementiam in procinctu habeo. Greg. Nazianzenus ad Imperatorẽ: A Christo tibi in homines vita & venia, potestas mortis indulta est, & gladius tibi datus est, nõ tam vt operereris quàm commineris, quàm etiam depositum quoddam incruentum & impolutum restituas commendanti. ¶ Sextum est, finis propter quem principes sunt constituti: vt scilicet medeantur generi humano. ideo dicebat Sen. quòd non minus turpia sunt principi multa supplicia, quàm medico multa funera. 2. ad Cor. 10. Potestatem dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem vestram. Idem: Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerásque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus regantur applicant: alia circuncidunt, quasdam infirmas vitio loci, nutriunt: videbit quod ingeniũ, qua ratione tractandũ sit. Idẽ: Princeps alios ex ciuibus suis, quia vtiles bonique sunt, libens videat: alios in numerum relinquat, quosdã esse gaudeat, quosdã esse patiatur. ¶ Septimum est,

est, quòd oppositũ clementiæ, scilicet crudelitas, hostes multiplicat. Sen. in lib. de clementia: Voluntas oportet antè sæuiendi, quã causa deficiat. Alioquin quemadmodũ pręcisæ arbores plurimis ramis repullulãt, & multa satorũ genera vt densiora surgant recidũtur: ita regia crudelitas auget inimicorũ numerum tollendo: parentes enim liberique eorũ qui interfecti sunt, & propinqui & amici in locum singulorũ succedũt. ¶ Octauũ est quòd crudelitas audaciam malefaciendi dat. Sen. Temperatus timor cohibet animos: assiduus vero & acer & extrema admonens, in andaciã iacẽtes excitat, & omnia experiri suadet. Acerrima virtus est quam vltima necessitas extẽdit. Idem: Videbis sæpe cõmitti, quia sępe vindicatur. Idem: Summa prudentia, summi viri & rerũ naturæ peritissimi maluerunt velut incredibile scelus & vltra audaciam positũ prętetire, quàm dum vindicant ostendere fieri posse. ¶ Nonũ est, quòd clementia principi securitatem dat. Sen. Errat si quis existimat ibi tutum esse regem, vbi à rege nihil tutum est. Securitas securitate mutua pascenda est. Non est opus latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribúsque sepire, saluũ regẽ clementia in aperto præstabit, vnũ est inexpugnabile munimentũ, amor ciuium. Prouerb. 11. Clementia præparabit vitam, & sectatio malorum mortem. ¶ Decimum est, quòd clementia regnum roborat. Prouerb. 20. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. ¶ Vndecimum est, quòd bonitatem & principis & populi consummat. Prouerb. 16. Clementia regis quasi imber serotinus. Sicut imber temporaneus est ad germinationem: sic serotinus est ad maturationem. Temporaneus inchoat quod serotinus consummat. Sic clementia regis benefica est his qui malè se habent quod est consummatæ bonitatis, & facit vt populus vitam suam bene consummet. Multi enim bene finiunt vitam suã, qui malè finiuissent, nisi clementer cum eis actum fuisset. ¶ Duodecimum est, quòd clementia facit vt princeps temporalis in futuro iudicem vniuersalem clementem inueniat, secundum illud Lucæ 6. In qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis. Ad illud potest referri illud Prouerb. 11. prius positum: Clementia præparabit vitam.

De Modestia. CAP. VII.

TVllius in prima Rhetoric. Modestiam sic depingit: Modestia est, per quã pudor honestatis purã & stabilem cõparat authoritatem. Et innuitur in hac descriptione causa & effectus modestiæ. Pudor enim qui est timor turpitudinis vel fuga rei indecentis, declinando indecentiã in exterioribus efficit ordinationẽ

exter

exteriorē quę modeſtiæ eſt: & ſic cōparatur authoritas ſeu grāuitas pura non habens admiſtionē ſui contrarij, ſcilicet vtilitatis & ſtabilitatis: nō enim eſt momentaneat, ſed permanēs. Et notandū quòd ordinatio interior, quæ eſt cū ratio præeſt & appetitus obtēperat, cauſa eſt exterioris ordinationis: inordinatio verò interior, quæ eſt cum appetitus non ſubeſt rationi, cauſa eſt exterioris inordinationis. Vnde quum animus eſt iratus, aut metu commotus, aut nimis voluptatē appetēs, exteriora mutātur: cor accēſum ſtimulis irę palpitat, corpus tremit, lingua prępeditur, facies igneſcit. Vnde verū eſt illud Poētę: Deprehendas animi tormenta latentis in ęgro Corpore. deprehēdas ſi gaudia, ſumit vtrūque. Inde habitum facies. Ordinatio vel inordinatio exterior ſignum eſt interioris. Ecc. 19. Amictus corporis, & riſus dentiū, & ingreſſus hominis enūtiant de eo. Gre. in Paſtoralib. Intus eſt cuſtodia quę cōpoſita ſeruat exterius mēbra. Qui ergo ſtatū mētis perdidit, foris in incōſtantia motionis fluit atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice ſubſiſtat. Notādū quòd modus à quo modeſtia dicitur, eſt tenere decorē. Et eſt decor iſte reſpectu aſpectus hominū. Ad cognoſcendum vero aliquid decorū vel nō, attendēdū eſt an ſit naturæ conſentaneū, & an ſit perſona dignū quæ hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum eſt etiam ad conuenientiā temporis vel loci. Decorum eſt in homine, quod eſt conſentaneū naturæ excellenti hominis, & eſt indecens in homine aliquid quod non eſſet indecens in bruto. Item aliquid eſt indecens in perſona prælati, quod nō eſſet indecens in perſona priuata. Aliquid etiam iudecens eſt, quia deeſt cōgruentia temporis, ſecundū illud Eccl. 20. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit eam in tēpore ſuo. Et ponit exēplū Tullius de duobus collegis ſeu cōiudicibus, ſcilicet Pericle & Sophocle, corā quibus ſedentibus pro tribunali quum tranſiret quidā iuuenis pulcher, dixit Sophocles ſocio ſuo, O puerum pulchrū. Cui Pericles: Prærem decet habere non ſolū manus, ſed & oculos continentes. Si Sophocles verbū prædictum in Atletarū probatione dixiſſet, iuſtā reprehenſione caruiſſet. Tullius: Vitioſum eſt deriſorię delicatum inferre ſermonē. Ratione etiā loci aliquid indecens eſt, vt in ſacro loco fit aliquid indecenter, quod alibi fieret decenter. ¶ Item notādū quòd modeſtia indecentiā cauet in verbo, in riſu, in moru corporis, in membrorū ſitu, in habitu vel cultu, in occupatione vel actu. De indecentia in verbo, riſu, & motu, tangit Senec. in libr. de quatuor Virtutibus, dicens: A verbis turpibus abſtineto: quia licentia eorum imprudentiam nutrit. Sermones vi-

les magis quàm facetos & affabiles ama, rectos potius quàm obſecundantes: miſcebis interdum ſeriis iocos, ſed tēperatos & ſine detrimento dignationis & verecundiæ. Nam reprehenſibilis riſus eſt, ſi immoderatus, ſi pueriliter effuſus, ſi muliebriter factus. Odibilem hominem facit riſus, aut ſuperbus & elatus, aūt malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Si ergo tempus iocos exigit, hos cum dignitate ſapientiæ gere: non erit tibi ſterilis, ſed grata vrbanitas. Vrbanitas tua ſine dente ſit, ioci tui ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore, inceſſus ſine tumultu, quies tibi non deſidia erit. Idem in eodem: Non ſis alio rū curioſus ſcrutator, neque acerbus reprehenſor, ſed ſine exprobratione corrector, ita vt ad monitionem hilaritate pręuenias, & errori facile veniam dato, nec extollas quenquam, nec delicias: requirenti facilè reſponde, contendenti facile cede, nec in iurgia execrationeſque diſcedas. Idem in eodem: Rari ſermonis ipſe, ſed loquentium patiens: ſeuerus ac ſerius, ſed hilaris non aſperans. Circa motum corporis cauenda eſt nimia tarditas & nimia celeritas. Senec. Si continens es, & animi tui & corporis motus obſerua, ne indecori ſint. De indecentia in motu corporis vel ſitu membrorum, tangitur Eſaiæ 3. Pro eo, inquit, quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit Deus verticem filiarum Sion. Ezech. 24. Lateribus & humeris impingebatis. Prou. 6. dicitur de homine apoſtata: Annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Et in eodē dicitur: Sex ſunt quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, Oculos ſublimes. Iob 15. Currit ad uerſus Deum erecto collo. In habitu vel cultu iſte modus habendus eſt, vt vitetur agreſtis & inhumana negligentia, & habeatur mundicia, non tamen niſi exquiſita. Hier. Ornatus & ſordes pari modo fugienda: quia alterum delicias: alterum gloriam redolet. Senec. Non ſplendeat toga, nec ſordeat. 1. ad Timot. 2. Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe. In occupatione verò attendendum eſt ad naturam: ad quid ſcilicet aliquis à natura ſit diſpoſitus. Qui enim debilis eſt corpore, & ingenioſus, & viuacis memoriæ, non militiam, ſed ſtudium literarum ſectari debet. Fatuum enim eſt naturæ repugnare, & illud ſequi quod non poſſit aſſequi. ¶ Attendendum eſt etiam ad ætatem. Ætas enim adoleſcentiæ labore animi vel corporis eſt exercenda, & authoritati ſenum ſubiicenda. Debent enim adoleſcentes ſenes vereri, conſilio eorum regi, &

exemp

exemplo informari. Senibus verò labores corporis videntur esse minuendi. Animus verò his exercẽdus est: consilio debent alios iuuare, & exempla imitatione digna eis ministrare. Priuatæ personæ est pari iure cum ciuibus viuere: prælati verò est æstimare se gerere personam ciuitatis, retinere decus, seruare leges.

De partibus Temperantiæ prout ipsa est virtus regens animam circa delectationes sensuum, & de ordine dicendorum de eis. CAP. VIII.

DIcto de partibus temperantiæ secundum Tullium, dicendum est de partibus temperantiæ prout temperantia virtus est regens animam circa delectationes sensuum. Notandum ergo quòd illæ partes temperantiæ quæ regunt animam circa delectationes quæ sunt secundum gustum & tactum, satis sunt notæ & nominatæ, quæ sunt sobrietas & continentia. Illæ autem partes quæ pertinẽt ad delectationes quæ sunt secundũ visum & auditum & olfactum nõ sunt ita notæ nec habẽt specialia nomina. Et potest esse in causa vtilitas dictarũ virtutũ: quia duo sensus, scilicet gustus & tactus pertinent ad esse: tres alij pertinent ad bene esse. Mediante gustu assumitur quod per vim nutritiuã corpori vnitur: & sic conseruatur esse indiuidui. Vnde gustus est ad cõseruandum esse indiuidui. Mediante verò tactu per vim generatiuam transfunditur quod erat in vno corpore, in aliud corpus: & sic fit multiplicatio indiuiduorũ, & saluatur esse speciei in multis indiuiduis, quod nõ posset saluari in vnico, quũ indiuiduũ sit corruptibile. Item tactus & gustus sunt principales sensus, alij verò tres sunt ordinati ad illos. Visu enim & auditu & olfactu nutrimẽtũ à lõge agnoscitur, quod gustu de prope agnoscitur. Vnde dicitur in lib. de natura animalium, quòd auis rapax est acuti visus, quoniam indiget vt cibum suum videat à remotis. Visu etiam, auditu, & olfactu agnoscitur de longe destructiuum corporis, vel delectabile secundum tactum quod de prope tactu decernitur. Prius vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, quàm de illo gustaret. Genes. 4. & prius vidit Dauid mulierem lauantem se ex aduerso, quàm adulterium cum ea commiteret. 2. Reg. 11. Item sicut dicitur in lib. de natura animalium, Sensus tactus in homine subtilis est plus quàm alii sensus, & post ipsum gustus. Cæteri sensus in homine sunt bebetiores, quàm in aliis animalibus. Item dicitur in eodem libro, quòd sensus visus in omnibus animalibus est supra auditum, & sub his olfactus. Tactus & gustus operantur secundum propinquitatem obiecti, alij secundum distantiam. Vnde delectationes quæ sunt secundum tactum & gustum, maiores sunt, quàm quæ

quæ sunt secundum alios tres sensus. Et promptas ad operationes & delectationes, secundum illos duos sensus, maior est quàm secundum alios tres. Et vitia quæ sunt circa operationes & delectationes illorũ duorũ sensuum magis sunt periculosa: ideo virtutes quæ sunt contra illa vitia, magis sunt necessariæ & magis notæ, & habẽt specialia nomina. Inter virtutes verò pertinentes ad delectationes quinq; sensuum, Primò prosequemur de sobrietate. Secũdò de continẽtia. Tertio tangemus de illa temperantia quæ est circa delectationes aliorum trium sensuum.

De ordine dicendorum de Sobrietate. De diuersis acceptionibus huius nominis Sobrietas. De eius commendatione ac officiis. CAP IX.

CIrca Sobrietatem verò primo distinguemus diuersas acceptiones huius nominis Sobrietas. Secundò ponemus ea quæ pertinent ad eius commendationem, Tertiò tangemus de officiis ipsius. Circa primũ notandũ quòd nomẽ sobrietatis quadrupliciter sumitur in Sacris. Quandoque enim sumitur large pro temperantia, quæ est vna quatuor cardinaliũ virtutũ, vt Sap. 8. Sobrietatẽ, air, & prudentiã docet, &c. ad Titum 2. Sobriè, & iustè, & piè, &c. ¶ Secundò sumitur pro temperãtia quæ est generalis: vt ad Titum 2. Iuuenes hortare, vt sobrij sint. Gl. in omnibus. ¶ Tertio sumitur pro temperãtia quæ est circa potũ & cibũ, vt ad Tit. 2. Adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligãt, prudentes, castas sobrias, Glo. in cibo & potu. ¶ Quartò sumitur sobrietas pro tẽperantia circa potũ tantũ, & sic ebrietas est ei opposita. Sic sumitur Eccle. 31. Aequa vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius. Tertio modo sobrietas hic sumitur, scilicet pro temperantia circa cibum & potum, & circa delectationes quæ sunt secundum gustum.

¶ *De commendatione Sobrietatis.*

AD cõmendationẽ verò huius virtutis notandũ, quòd sobrietatem suadet nobis natura, scriptura, vniuersa creatura. ¶ Natura, modicitate oris humani suadet nobis mediocritatẽ in sumptione cibi & potus. Homo enim in cõparatione sui corporis parui oris est: vt dicit Arist. in li. de natura animalium. Oris verò modicitate suadet nobis natura charitatẽ in sumendo cibum & potum: vnicũ enim os habemus, cũ duos oculos, & duas aures habeamus. Brevitate verò delectationis quæ nõ habetur, nisi in trãsitu cibi, dissuadet nobis sumptuositatem ciborum delectabilium. Ber. in sermone? Huius tam modicæ partis, scilicet gutturis, tam exigua delectatio quãta paratur solicitudine, quãtam deinde molestiam parit: hinc & morbi varij generãtur. Idem: Etiam dissuadet nobis

corruptio cibi & potus,quæ fit postquã in stomachũ descenderit. Ioël.1. Vlulate omnes qui bibitis vinũ in dulcedine:periit enim ex ore vestro. Nõ sic est in aliis sensibus:nõ enim corrũpitur res pulchra quæ videtur,quum semel visa fuerit: nec res odorifera, quum semel odorem eius aliquis perceperit.Naturales appetitus animæ non sunt deliciarũ. Eccl.29. Initiũ vitæ hominis aqua & panis. Eandem escam assignauit Deus homini & brutis. Gene.1. Ecce, inquit, dedi vobis omnem herbam afferentẽ semen super terrã, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem sui generis,vt sint vobis in escã, & cunctis animantibus terræ.Sene. Considerate quantũ natura poscat,& quantum cupiditas experat. ¶ Scriptura verò sacra dupliciter suadet nobis sobrietatem,scilicet admonitionibus multis, & sanctorũ exemplis. De admonitionibus verò paucas ponere sufficiat.1.ad Thes.5. Vigilemus,inquit,& sobrij simus.Et in eodẽ:Nos qui diei sumus,sobrij simus. 2.ad Timo.4.Ministeriũ tuum imple,sobrius esto.1.Pet.4.Estote itaq; prudentes,sobrij,&c. Eiusdẽ 5.Sobrij estote,& vigilate,&c. De exemplis hæc pauca ponere sufficiat.Dan.1.dicũt pueri bonæ indolis, Dentur nobis legumina ad vescendũ,& aqua ad bibendum,cibo regio contempto.Dan.10.Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem nõ comedi.& caro,& vinũ non introierunt in os meũ. Matth.3.& Marc.1.dicitur de Ioanne Baptista, quòd esca eius erat locustæ,& mel syluestre. Et Luc.1. Vinum & siceram nõ bibet.Bern.super Cant.Abstinebo à carnibus,ne dum nimium nutriunt carnem,simul & carnis nutriant vitia.Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandũ tædeat.Et de beato Nicolao legitur,quòd cùm lacte aleretur,quarta & sexta feria semel tantũ in die mammillarũ lac sugebat.Omnis etiã creatura sobrietatẽ suadet,quia in omni creatura est modus, & mẽsura,secundũ illud Sap.11. Omnia in mensura,& numero,& pondere disposuisti. ¶ Item ad cõmendationem sobrietatis valere potest, si ostendatur quot & quanti sunt eius effectus,& quàm periculosus est homini eius defectus. ¶ Notandũ ergo,quòd sobrietas valet ad sanitatẽ,secundũ illud Eccl.31. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus.Sen.in epistolis:Simplex erit ex causa simplici valetudo: multos morbos, nulla fercula fecerũt.Chry.super epistolã ad Heb. Nihil sic salutem,nihil sic sensuũ acumen operatur, nihil sic ægritudinẽ fugat,sicut moderata refectio.Item sobrietas valet ad vitæ diuturnitatẽ.Eccl.37. Qui abstinens est,adiiciet vitam. Item sobrietas valet ad iucunditatem & corporalem,& spiritualem. Ecclesiastici.30. Exultatio animæ

mæ & corporis vinum moderatè potatum. Greg.in Moralib. Si à carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu hoc quod delectat inuenimus. Homo sobrius delectabiliter viuit & dormiendo,& vigilando.Eccle.31.Somnus sanitatis in homine parco: dormiet vsque mane,& anima ipsius cum ipso delectabitur. Homo sobrius differt comedere donec esuriat,& tunc etiam panis & aqua delectabiliter ei sapiunt.August.in lib.de verbis Domini: Vix fastidiosus satiaris, nescis quomodo sapit quod famas accendit.Sene.in epistolis: Solus panis bonus fiet,& tibi cum terrum, & similagineum fames reddet. Ideo non est antè edendum,quàm illa imponat. Expectabo ergo,nec antè edam quàm aut bonum panem habere potero,aut malum fastidire desiero. Bern. in epistolis: Prudenter sobriéque conuersanti, satis est ad omne condimentum,sal cum fame.Sapiens:Desiderii cõdimentum,sal cum fame. Sap.Desideriis omnia condiuntur. Darius in fugã, cùm aquam turbidam ex cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius. Bern. ad fratres de monte Dei: Panis furfureus & simplex aqua, olera vel legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt: sed in amore Christi & desiderio æternæ delectationis ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his vel aliquo horũ delectabiliter satisfaciũt naturæ? Facillimum quippe & delectabile esse adiuncto amoris Dei condimento,secundũ naturam viuere,si insania nostra nos permitteret,qua sanata statim naturalibus natura arridet. Chrysost. Conferamus, inquit,mensam diuitis & mediocris: discutiamus vtrosque conuiuas: qui magis, quæso, sunt qui puram verámque mensæ capiunt voluptatẽ? illíne qui cœnas prandiis iungũt, quique ventris distensione rumpuntur, atque oppressione ciborum suorum premuntur,in quorũ corpore vino inundante velut naufragij cuiusdam fluctu obruta anima necatur,vbi nec oculus,nec lingua,nec pes propriis deseruit officiis,sed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta grauius, quàm catenis, vbi nec sopor eis ad quietem datur, nec ad salubritatẽ cedit.Idem Chry. Hi qui in deliciis & luxuriis vitam ducunt,resoluta quidẽ corpora, & omni cera molliora circunferunt,atque infirmitatibus repleta, quibus ad cumulum malorum podagræ tremor & immatura senectus accidit, & est eis vita semper in medicis & in medicamentis. Sensus autẽ tardi graues & obtusi, & quodammodo iam sepulti. Idem: Quis hæc iucunda dicat & grata, qui tamen, nouerit, quid sit iucunditas & voluptas? Voluptas à prudentibus

ita diffinitur: Voluptas est, quum quis suis desideriis fruitur. Vbi verò desideriis frui non potest, dum vel ægritudo non sinit, vel satietas ipsa desiderij facit ea quæ onerosa sunt ingrata, sine dubio etiam voluptas in eis pariter & iucunditas perit. Idem: Considera ægros qui fastidio perurgentur, quomodo quanuis suaues, & lauti cibi apponantur, oneri eis magis sunt, quàm voluptati: sicut quum per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter & voluptas, & iucunditas, perimitur: quia non tam ciborum gratia, quàm desiderij gignit satisfactio uoluptatum. Vnde anima satiata calcabit fauum. Prou. 27. Item de petra melle saturauit eos: quandoquidem post multam itineris fatigationem & laborem sitis, aquis frigidis ex saxo fluentibus fruebantur, cásq; cum multo desiderio hauriebant. Hoc ipso ergo quòd dulcissimæ, & desiderabiliter potandi cupiditas explebatur, aquas illas mel appellauit. Igitur dubitari non potest, quòd simplicior uictus & mensa mediocris plurimũ iucunditatis habeat & uoluptatis. Et ecõtrario diuitum mensæ execrabiles & horridæ, & morborum, & contaminatione plenæ, in quibus molesta sunt hæc quæ delectabilia videntur. Item sobrietas gratiam hominum comparat, sicut eius oppositum hominibus exosum reddit. Eccle. 31. Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, & nõ cùm manducas multum odio habearis. Item Deum glorificat. 1. ad Corinth. 10. Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Glo. Si quid manducas & bibis, sumis ad refectionem corporis reparationémque membrorum, gratias tribuens ei qui tibi tribuit mortali & fragili ista supplementorum solatia: Cibus tuus & potus laudat Deum. Sobrietas etiam in conuiuiis nostris, Deum pascit, prouidendo ibi puritatem in qua ipse delectatur. Cant. 20. Qui pascitur inter lilia. Item sobrietas munditiam prouidet, vbi maximè immunditia displicet: scilicet in ore & ad mensam. Inter membra in ore maximè displicet immunditia. In mensa etiam multum placet munditia. 2. Paral. 14. Proponuntur panes in mensa mundissima. Et Leui. 24. iubentur duodecim panes propositionis statui super mensam purissimam. Sobrietas ornamentum mensæ est. Bern. ad fratres de monte Dei: Si manducas, mensam tuam per se satis sobriam sobrietas tua perornet. Item sobrietas offensam Dei cauet, vbi maximè cauenda est, scilicet cùm bonis Dei vtimur. Magna iniquitas est cum Deo hostiliter agere, quum in mensa eius sumus. Cauent latrones ne noceant aliquot diebus his cum quibus comederunt. Item sobrietas seruat rationis libertatem quam eius oppositum impedit. Eccl. 31. Ne

Ne comprimaris in conuiuio vini. Hieron. in epistolis: Qui inebriatur & mortuus est, & sepultus. Aug. Non est aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmon. Huiuscemodi enim vir cùm se bibere putat vinũ, bibitur à vino. Sobrietas pessimã seruitutẽ excutit, scilicet seruitutẽ corporis quod ad seruiẽdũ datũ est spiritui, & nobilitatẽ animæ seruat. Ecc. 10. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescũtur in tẽpore suo ad reficiẽdũ, & non ad luxuriam. Item sobrietas membrũ valde nobile regit, os scilicet: sensum etiam pertinentem ad esse, scilicet gustum dirigit, circa quem vitiũ valde periculosum est. Destructiuum enim esse potest ipsius, & esse occasio magnæ infirmitatis, vel mortis. Item sobrietas opus necessitatis regit, in quo sine ipsa frequenter erratur & à iuuenibus, & à senibus. Item ad intelligentiam prẽparat. Vnde Dan. 1. Pueri qui cibos regios, contempserunt grossis cibis contenti, intelligentiores cæteris inuenti sunt. Item vigilantiam seruat ad quam Deus monet, Matth. 14. & 25. & 26. Et Lucæ 21. Et Marc. 13. Vnde notabiliter sobrietas, & vigilia sociatur. 1. ad Thes. 4. Vigilemus, inquit, & sobrij simus. Et 1. Pet. 5. Sobrij estote, & vigilate. Itẽ ministerio Dei idoneũ efficit. Vnde 1. ad Timoth. 3. vbi ostẽditur qualis debet esse minister Dei, dicitur: Sobrium, ornatum, &c. Et ad Titum 1. Prudentẽ, sobriũ, iustum, &c. Item ab igne infernali, scilicet luxuria seruat. Vnde pueri qui abstinentes fuerunt, à fornace Babylonica illæsi exierunt, Dan. 3. Sobrietas filios Dei fugientes Ægyptios infernales, per siccum ad terrã promissionis perduxit. Exod. 14. Filij Israël ambulauerunt per siccũ, &c. Qui sobrietatẽ nõ habent, in aquis voluptatum submerguntur. Sobrietas primũ congressum habet in bello spirituali. Sine ipsa cæteræ virtutes frustra pugnãt. Gl. super Matt. 4. Nisi gula prius refrænetur, frustrà contra alia vitia laboratur. Qui poplite flexo aquam biberunt: non permissi sunt ire ad bellum cum Gedeone. Iudic. 7. Poplite flexo aquam bibit, qui voluptuosè comedit. Item sobrietas diabolo aufert ingressum in homine: & sic videtur ei auferre dominium. Non videtur dominus esse cactri, qui nõ habet ibi ingressum. Sobrietas diabolum in arido ponit, vbi ipse non quiescit. Mat. 12. Ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Piscis infernalis in arido positus palpitat: vt de pisce Tobiæ legitur Tobiæ 6. Esaiæ 50. Computrescent pisces sine aqua. Fames lupum de nemore exire facit, sic sobrietas diabolum de homine. Ipsa carni concupiscenti aduersus spiritum victualia aufert, & igni concupiscẽtiarũ ligna subtrahit, vnde diminuitur vel de-

ficit. Ipsa carnē in potestate sua habet. Gen. 16. Ecce ancilla in manu tua est, vtere ea, vt libet. Ipsa enim ad modum lapidis pretiosi hominem custodit, ne cibus vel potus ei nocear. Si sobrietas desit dū corpus repletur, anima euacuatur, homo depauperatur. Pro. 21. Qui diligit epulas, in egestate erit. Deus blasphematur. Gloss. super illud 1. ad Cor. 10. Siue comeditis, siue bibitis, &c. Si modū naturæ debitū immoderatione voracitatis excedis, & vinolentia te ingurgites, quantascunque laudes lingua sonet, vita blasphemat. Item venter deificatur. ad Phil. 3. Quorum Deus venter est. Porta oris aperta, exercitus vitiorū ingreditur. Iob 30. Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me. Sine sobrietate mensa homini est in laqueum. Eccl. 9. Sicut pisces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo: ita capiuntur homines tēpore malo. Tempus malū & periculosum est homini non habenti virtutem sobrietatis tēpore prandij. Sap. 14. Creaturę Dei in odiū factę sunt, & in tentationē hominum, & in muscipulā pedibus insipientium.

¶ De *officio Sobrietatis.*

SOBRIETATIS officia duo sic distingui possunt. Vnum est cauere excessum in cibo. Aliud est cauere excessum in potu. Seneca: Ede citra saturitatē, bibe citra ebrietatem. Luc. 21. Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Crapula quandoque sumitur pro excessu cibi solum, vt in prædicto verbo. Quandoque verò communiter pro excessu in cibo, vel potu: vt Eccl. 37. Propter crapulam multi obierunt, qui autē abstinens est, adiiciet vitam. Et in Psalm. Tanquam potens crapulatus à vino. Similiter nomen ebrietatis quando q; sumitur pro excessu in potu solum: vt ad Rom. 13. Non in comessationibus & ebrietatibus. Gloss. Briam genere masculino dicimus calicem aptum potationi, à quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potatio vini. Quandoque verò nomen ebrietatis sumitur communiter pro excessu in cibo vel potu. ¶ Et notandū quòd sobrietas non ponit modū, siue mensuram solū circa quantitatē cibi, vel potus, sed ponit modum quantum ad omnes circunstantias. Qui enim sobrius est, sumit cibum & potum quantum debet, & quando, & quomodo debet. ¶ Vnde possumus distinguere quinque officia sobrietatis. Primum est, cauere ne statutū prandendi terminum præueniamus. Qui tempus præuenit, non expectat donec falsa præparata sit, scilicet fames, vnde cibum insipidū comedit. Eccl. 10. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes comedunt in tempore suo. ¶ Secundum est, cauere ne cibos lautiores quæramus. Senec. Victus sit tibi ex facili re: nec ad voluptatē, sed ad cibum accede. Palat

Palatum tuum fames excitet, nō sapores. Desideria tua paruo redimae, quia hoc tantum curare debēs, vt desinant. ¶ Tertium est deuitare studiositatē præparandi cibos. Studiose cibos præparare, est hostis nostri gladiū acuere. Cibus enim delicatus est gladius quo caro vtitur contra spiritum. 1. Petr. 2. Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militāt aduersus animā. ¶ Quartum est, nimiū appetitū cibi vel potus refrænare. Augustin. Fieri potest vt sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur. Insipiens autem fœtidissimæ gulæ flamma in vilissimū cibū ardescat: & satius quisque more Domini maluerit piscibus vesci, quàm lenticula more Esau. Non propterea cōtinentiores nobis sunt pleræq; bestię, quia vilioribus esceis alūtur. ¶ Quintū est, mēsuram refectionis non excedere. Ezech. 4. Cibus tuus quo vesceris, erit, in pondere. De hac materia require in tractatu, de vitio Gulæ. Solet autem quæri, vtrum quælibet ebrietas seu quilibet excessus in cibo vel potu virtutē sobrietatis destruat, quod si verū esset, omnis excessus in cibo, vel potu mortale peccatū esset: virtutē enim eius nō destruit, nisi mortale peccatū esset. Ad hoc dicendum, quòd duplex est modus siue mensura ad sobrietatē pertinens. Vnus attenditur in commēsuratione naturę. Vnde mēsuratè sumit cibū, vel potum qui sumit quod necessariū est, & sufficit naturę. Immoderatè verò qui sumit plus quàm necessariū est. Et iste excessus potest esse & venialis & mortalis. Vnde non omnis talis excessus destruit virtutē sobrietatis. Alius modus attenditur in comparatione boni tēporalis ad æternū. Vnde secūdum hoc modum seruat quis in sumendo cibum & potū, quādo tēporale bonū nō præfert vel æquat æterno bono. Immoderatè verò se habet sumendo cibum & potum, quum temporale bonū præfert vel æquat æterno. ¶ Et talis excessus mortale est peccatum, & destruit virtutem sobrietatis.

De diuisione Tēperātiæ quæ est circa delectationes quæ sunt secundū tactū. Et de ista parte tēperātiæ quæ pertinet ad mēbra generationi deputata, quæ potest cōtinētia appellari, ac eius descriptione, cōmendatione, & diuisione. CAP. X.

DIcto de sobrietate, quæ est temperantia circa delectationes secundū gustū, dicendum est de temperātia illa quę attēditur circa delectationes secundum tactum. Multiplex verò est delectatio secundū tactum. Quædam est, in suauitate vestiū, quædam in suauitate lectorū, quædam in suauitate vugētorum, quædam in suauitate balneorū. Quædam verò in carnali conta-

ctu, quæ duplex est: quædam pertinens ad membra generationi deputata, quædam pertinens ad cętera membra. Tęperantia verò circa delectationes prædictas vocari potest cõtinentia. Maximè verò vsitato sermone, continentia vocatur temperantia illa quæ cauet illicitas delectationes secundũ tactum quo ad mẽbra quæ generationi deseruiunt, quæ sic describitur: Continentia est abstinẽtia ab omni coitu illicito. Et est hæc virtus multũ necessaria: regit enim mẽbra illa in quibus maximè sæuit cõcupiscẽtia: mouentur enim quãdoq; homine inuito, vel dormiente. Et dicitur in lib. de natura animaliũ, q̃ accidit hominibus, & quadrupedibus coitum desiderantibus subito spermatizare, quibusdam ad tactum mutuum, aliis ad solum aspectum. Horũ mẽbrorũ æffrẽnatio multum periculosa est, vt ostensum est in tractatu de vitio Luxurię. Cùm generatio sit ingressus in esse, ipsa est velut quædã porta diligenter custodienda. Cuius Deus vult Dominus esse: ideo in membro generationi deputato, specialiter voluit signum suum ponere, scilicet circũcisionem. Circuncisio specialis figura videtur fuisse cõtinentię. Cõtinentia in Scriptura sacra multum nobis suadetur. Exod. 10. Renes vestros accingetis. 4. Reg. 4. Accinge lũbos tuos. Iob. 38. Accinge sicut vir lumbos tuos. Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti. ad Ephes. 5. State succincti lumbos vestros. Continentia zona aurea est sponsæ regis cælestis ad decorẽ data. Daniel. 10. Ecce vir vnus vestitus lineis, renes eius accincti auro obrizo. Apocal. 1. Vidit Ioannes similem filio hominis præcinctum ad mammillas zona aurea. Eiusdem 15. Exierunt septem angeli pręcincti zonis aureis circa pectora. Zona aurea circa mammillas vel pectora, est cõtinẽtia cordis. Aurum obrizum circa renes, est continentia carnis. Aurum in igne seruatur: continentia igne luxuriæ non lædit. Ad commẽdationem continentiæ faciunt ea quæ valẽt ad detestationẽ luxuriæ. De quibus require in tractatu de Luxuria. ¶ Et notandũ quòd tres sunt partes continentiæ. Inter cõtinentes enim qui à coitu illicito abstinent, quidam sunt qui ita abstinẽt à coitu illicito, quòd vtuntur licito, quorum cõtinentia dicitur coniugalis. Quidam verò nõ solum abstinẽt ab illicito, sed etiã à licito. Quod contingit in duplici statu. Vel in eis qui habent integritatem carnis, quorum continentia dicitur virginalis: vel in eis qui habent carnem corruptam, quorum continentia dicitur vidualis, quantum, ad personas illas quæ fuerunt in matrimonio. Quantum verò ad personas quæ non fuerunt in matrimonio, non habet speciale nomen quo vocetur.

De con

De continentia virginali, & primo de distinctione nominis virginitatis ac eius descriptione, de eius commendatione, de his quæ virgines timere debeant, de triplici aureola, & quinque causis propter quas multum competit officio prædicationis abrenuntiatio propriorum. CAP. XI.

INter has verò tres species continentiæ, primo dicetur de virginali, quæ cæteris prior est & tempore, & dignitate. De qua hoc ordine dicetur. Primo ostendetur quot modis nomen virginitatis sumitur. Secundo, descriptio virginitatis ponetur & exponetur. Tertio, commendationi eius insistetur. Quartò, de his quæ specialiter virginibus sunt timenda. Quintò, tangetur de triplici aureola virginitati debita.

¶ *De distinctione nominis Virginitatis.*

CIRCA primum notandũ q̃ nomen virginitatis quadrupliciter sumitur. Quandoque pro incorruptione fidei. 2. ad Corin. 11. Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Gl. Aug. Virginitas cordis fides est incorrupta. Quandoq; carnis integritas. Vnde gl. Aug. super verbũ prædictũ: Virginitas carnis corpus est intactũ. Idem cõtra Iulianum: Pudicitia est res mẽtis, virginitas corporis Quandoq; autem pro pudicitia mentis cum integritate carnis, quantum ad propositũ seruandi eam. Sic virginitas mansisset in Lucia, si inuita fuisset corrupta. Quandoque verò pro pudicitia mentis cum integritate carnis, non solum in proposito seruandi eam, sed etiam in re. Et virginitas sic sumpta excellenter accipitur: & habentibus virginitatem talem, conuenit deferre anulum aureum in ecclesia militante, in signum, quòd sunt sponsæ Christi. In triumphante verò ecclesia merito huius virginitatis aureola reddetur.

¶ *De descriptione Virginitatis.*

CIRCA secundũ notandũ. q̃ Virginitas sic describitur: Virginitas est in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio, id est, propositũ seruãdi perpetuã incorruptionẽ. Carnem verò corruptibilẽ, intellige carnẽ possibilẽ corrumpi: siue necessatio corrũpatur, vt in statu peccati: siue possibilẽ corrũpi, & non corrũpi, vt fui caro Adã in statu innocentiæ. ¶ Et notandũ quòd corruptio carnis quæ accidit ei quæ habet propositũ cauẽdi carnis corruptionẽ omnino cõtra suam voluntatẽ, nõ priuat eam aureola. Vnde dixit Lucia: Si inuitã me violaueris, castitas mihi duplicabitur ad coronã. Aufert tamẽ insignia quæ dãtur specialibus spõsis Christi in ecclesia militante, vt est anulus aureus. Aug. Virgines quæ corruptæ sunt semel, nõ audeãt se sacris virgini-

bus adæquare. Leo papa: Famulæ Dæi quæ oppressione barbarica integritatẽ perdiderũt pudoris, laudabiliores erũt si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Ratio huius est, quia in militante ecclesia operamur secundum iudicium humanũ qđ est secundũ illud quod apparet. In triũphãte verò secundũ diuinũ. Deus autẽ intuetur cor. 1. Reg. 16. Vnde cũ nõ appareat, quòd inuita sit corrupta non defert insignia virginalia. Corruptio verò carnis ex volũtate mẽtis proueniens, siue cũ culpa, vt extra matrimoniũ, siue sine culpa, vt in matrimonio priuat anulo aureo in præsenti, aureola in futuro. Corruptio verò mentis si per pœnitẽtiã reparata fuerit, & finale propositũ seruãdi carnis integritatẽ affuerit, non priuat anulo aureo in præsenti, nec aureola in futuro. Integritas verò carnis in ea quæ carnis opus appetit, non est digna aureola. Hier. Nihil prodest carnem habere virginalẽ, si mẽte quis nupserit. Aug. de virginitate: Felicior mihi videtur nupta mulier, quàm nuptura virgo: habet enim iam illa quod ista cupit, præsertim si nõdum sponsa cuius quam fuit. Illa vni studet placere, cui data est: hæc multis, incerta cui danda est. Hæc vni pudicitiam cogitationis defendit à turba, quòd non adulterum, sed maritum quærit in turba.

¶ *De commendatione Virginitatis.*

¶ NOTANDVMꝙ virginitas est, pretiosus thesaurus absc̃ditus in agro corporis. Mat. 13. Pretiositas huius thesauri tãta est, vt ipse nõ solũ sit pretiũ glorię æternę, quę omnib⁹ electis est cõmunis, sed etiã specialis glorię. Debetur enim ei non solũ aurea, sed etiã aureola. Exo. 25. Præceptũ est, vt fieret mẽsa, & super mẽsã corona, & super coronã coronula, qua figurata est aureola. Istũ thesaurũ qui inuenit, absc̃dit: quia qui eius pretiositatẽ intelligit, seculo renũtiãs monasteriũ sibi elegit, vbi in absc̃dito faciei Dei viuit. Ber. Necesse habemus absc̃dere si quid habemus boni: quoniã thesaurũ regni cælorũ qui inuenit homo absc̃dit: propter qđ in claustro, & syluis absc̃dimur. Nec hoc infructuose. Credo enim hic esse, si quartã partẽ corũ quę facit in seculo actaret, qui nõ vt sanctus adoraretur, reputaretur vt angel⁹. Nũc autẽ quotidie tãquã negligẽs increpatur. Thesaur⁹ iste regno cęlorũ similis est. Vita enim virginũ cęlesti vitæ multũ assimilatur. Mat. 25. Simile est regnũ cælorũ decẽ virginib⁹. Virginitas ponit in statu cęlesti, quãtũ ad incorruptionẽ carnis. Mat. 22. In resurrectione neq; nubẽt neq; nubẽtur, sed erũt sicut angeli Dei. Ber. loquẽs de castitate, cui⁹ dignior species est virginitas: Hæc sola in hoc mortalitatis loco, & tempore quẽdã statũ immortalis gloriæ re-

præsentat. Hæc instar odoriferi balsami, quo cõdita cadauera incorrupta seruãtur, sensus, & artus cõtinet & stringit. Virgines designatæ sũt per pelles hyacinthinas: quæ in tabernaculo superiores fuerũt. Exo. 26. Et ibi dicit gl. Bedæ: Hyacinthus est cælestis coloris. Et subditur: Per pelles ergo hyacinthinas exprimitur vitus illorũ, qui mortificatis illecebris carnis, cælestẽ in terris vitã gerunt, & inter homines positi angelicam puritatem imitantur: quia neque nubent neq; nubẽtur. Et subditur: Meritò ergo pelles hyacinthinę supremum locũ tenent, & color cælestis cælo proximum. Cyprianus: Imaginem eius qui de cælo est, portat virginitas. Amb. super illud ad Cor. 7. Bonũ est homini sic esse. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quã homines angelis assimilantur. Maior tamen victoria est virginum quàm angelorum. Angeli enim sine carne viuunt: homines verò virgines in carne triumphant. Hier. In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. Bern. in epistolis: Angelus habet virginitatem, sed non carnem. Sanè felicior, quàm fortior in hac parte. Optimus & optabilis valde ornatus ille, qui & angelis possit esse inuidiosus. Renuit angelus adorari à Ioãne virgine. Apoc. vlt. Vide, inquit, ne feceris: conseruus tuus enim sum. Virgines etiam similes regno cælorũ sunt diuina inhabitatione. Deus enim habitat in cælis. Regnum cælorum absc̃ditum est. Mira res, cũ terra in cælo recludi debeat, in virginibus cælũ terræ includitur. Esa. 50. Induam cælos tenebris, & ponam saccum operimentum eorum. Lucæ 12. Regnum Dei intra vos est. ¶ Vita virginũ vita regia est, cùm ipsæ sint sponsæ regis cælestis, & ideo reginæ. Ipsæ etiam regnant in regno sui corporis. Virgines enim figurã tenent ecclesiæ triumphantis, ideo non consecratur nisi virgo, licet episcopus consecretur qui virgo non est. Sanctitas enim virginis, sanctitatem signat ecclesię triumphantis, cùm sanctitas episcopi significet sanctitatem ecclesiæ militantis. Virginibus cõpetit illud 2. ad Cor. 4. Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Virginitas thesaurus est niueus. Iob 18. Nũquid ingressus est thesauros niuis? Thesaurus est propter pretiositatẽ. Eccle. 26. Non est digna ponderatio continentis animæ. Niueus propter puritatem. Virgines propter puritatem lilio comparantur. Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, &c. Item, Qui pascitur inter lilia. ¶ Et notandũ, quòd virginitas flos est, qui si debito modo seruetur, non decidit: quem ventus vanæ prosperitatis non deiicit, nec hyems aduersitatis lædit. Hunc Ioannes Euãgelista ferè centum annis seruauit. Hic est flos qui omnẽ fructum terrenũ excedit,

dit cum etiam fructui coniugali componatur, hac occasione beatus Matthæus occisus est, quia noluit consentire, vt Iphigeniæ quæ virginitatem nouerat, cuidam regi nuberet. Flori virginitatis Deus pro fructu accedit. Sapien. 3. Felix sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorũ in delicto, habebit fructũ in respectione animarum sanctarum. Super hũc florem Spiritussanctus quiescit. Esa. 11. Flos de radice eius ascender, & requiescet super eum spiritus Domini. Virgo non est arbor sterilis & maledicta: sed terreno fructui præponit cælestem, & carnali spiritualem. Esa. 56. Non dicat eunuchus: ego lignum aridum. Ibidem promittit Dominus nomen eunuchis melius à filiis & filiabus. Non est angelus arbor sterilis vel maledicta, etsi fructum carnalem nõ habeat. Hier. Nuptię terram replent, virginitas paradisum. ¶ Et notandum, quòd liliũ sex habet folia candida, & aliqua grana quasi aurea. Velut sex folia in virgine sunt sex quæ valent ad conseruationem incorruptionis. ¶ Primum est sobrietas, quod folium lacerat: excessus in cibo & potu, quasi quædam spina, quæ via est ad luxuriam. Loth inebriatus perpetrauit incestum. Genesi. 19. Prou. 20. Luxuriosa res est vinum. ¶ Secundum est labor. Quasi spina lacerans est quies ignauiæ, vel otiositas quę est viâ ad luxuriam. Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomę sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium. ¶ Tertium est habitus asper & humilis. Ber. in epist. Vt ætatem teneram ordinis asperitas teneat, memento quòd asperior carduus pannum facit leniorem, & conuersatio conscientiam. Velut spina lacerans est superbus habitus vel mollis, quæ via est ad luxuriam. Num. 25. Filij Israël fornicati sunt cum mulieribus Moabitarum quæ se ornauerant. 1. ad Tim. 2. Non in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem. ¶ Quartum est, custodia sensuum, præcipuè illorum qui nobis remota ostendunt, vt est visus vel auditus. Velut spina lacerans est curiositas videndi vana vel audiendi noua, quæ via est ad luxuriam, vt patet in Dina filia Iacob, quæ egressa vt videret mulieres regionis illius, corrupta est à Sichẽ filio Emor. Gen. 34. ¶ Quintum est, modestia sermonis. Velut spina lacerans est loquacitas, vel turpitudo sermonis. Seneca: A verbis turpibus abstinero, quia licentia eorum imprudentiam nutrit. Pro. 7. Ecce mulier occurit illi ornatu meretricio præparata ad capiẽdas animas garrulas. 1. ad Cor. 5. Nolite seduci. Corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ, vel colloquia mala. Hiero. Si sermo virginis prudens, modestus, & rarus: nec tam eloquentia

tia pretiosus, quàm pudore. ¶ Sextum est, fuga occasionum peccandi. Velut spina lacerans est nimia domesticitas: virgo debet esse aliquantulum syluestris. Syluestria animalia solent habere pulchriorem pellem quàm domestica. Opportunitas peccandi via est ad luxuriam: vt patet in Thamar corrupta ab Amon fratre suo, quia sola cum solo fuit in thalamo. 2. Regum 13. Gene. 18. Ne stes in omni loco circa regionem. Ber. Solent virgines quæ verè virgines sunt, semper esse pauidæ & nunquam esse securę: & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere. Quasi grana aurea sunt tres modi diligendi Deum, quos distinguit Bern. dicens: Discę amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore domini auertamur. Vel grana aurea possunt intelligi motus diuini amoris ex diuersis causis procedentes. Amandus enim est Deus, quia creator, quia recreator, quia remunerator. ¶ Item virginitas principium est spiritualis pulchritudinis. Pulchritudo sponsæ sicut & pulchritudo sponsi consistit in candore & rubore. Cant. 5. Dilectus meus candidus & rubicundus. 1. Cor. 15. Qualis cælestis, tales & cælestes. Dignior verò species candoris spiritualis est virginitas. Bernar. Candor lucis æternæ est sapientia, & cãdidam oportet esse animam in qua ipsa sedere elegerit. Virginitas thronus eburneus veri Salomonis est. 3. Reg. 10. Fecit Salomon thronum de ebore grãdem. Virginitas animam Dei sponsam efficit. Vnde Leui. 21. Dicitur de summo sacerdote: Virginem ducet vxorem. 3. Regum. 1. Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem. Esther 2. Quærantur regi puellæ virgines. Psal. Adducentur regi virgines. Virginitas omnibus modis Deo coniungit. vnde Cantic. 5. dicitur virgini à Christo: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Eiusdem 4. Veni de libano sponsa mea, &c. Libanus interpretatur candidatio. Virginitas Deo & hominibus grata est. Eccle. 40. Ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc mulier immaculata computabitur. Hier. Multum distat inter puritatem virginalis animę nulla contagione pollutę, & sordes eius quæ multorum libidini subiacuit. Isid. Quidam in iuuentute luxuriosè viuentes, in senectute continentes fieri delectantur: & tunc eligunt castitati seruire, quando libido seruos habere contempsit. Virginitas velut campus est totius picturæ spiritualis: super eam picturam aliarum gratiarum ponit Deus. Eccle. 25. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Virginitas Dei amicum & familiarem reddit. Vnde Ioannes virgo

special

specialiter vocatur discipulus quem diligebat Iesus. Ipse tanquã familiaris Christo supra pectus domini recubuit. Io. 13. Deutero. penult. Amantissimus domini habitabit confidenter. Sapient. 6. Incorruptio facit esse proximum Deo. Beda super Lucam: Sicut Christus in summa pace natus est, vt se pacem diligere ostenderet ita de virgine natus est, vt se virgineum decus diligere mõstraret. Ad literam: Christus toto tempore vitæ suæ fuit virgo, & virginem matrem habere voluit, & virginem patrem. Ioseph creditur virgo fuisse, & Ioannes familiaris eius virgo fuit. Psal. Ambulãs in via immaculata hic mihi ministrabat. Virgines dulcius & tenerius à Deo Diliguntur. Vnde Ioannes virgo positus est ad patres suos, tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis noscitur alienus, vt dicitur in prologo super Ioannem. Non enim transiit de mundo per dolorem martyrij, vt alij sancti & apostoli. Virgines merito in Deo delicias inueniunt, quia amore eius delicias carnis relinquunt. Bernar. in epistolis. Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt: sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur: vbi curiosa eiborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolor varietas, oculos pariter pascit & cælestis panis ieiunam deserit mentem. Num. 31. dicit Moyses: Mulieres quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem & omnes fœminas virgines reseruate. Virginitas agnum sequitur quocunque ierit. Apocal. 14. Ipsa etiam cãtat canticum nouum, quod aliis cantandum non conceditur. Ad literam. Solent virgines dulcius cantare, quàm corruptæ. Apoc. 14. Et cantabant quasi cãticum nouum ante sedem, &c. & subditur: Et nemo poterat dicere canticum illud, nisi illa centum, &c. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Greg. in Pastora. Singulariter canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cæteris fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Virgines enim sunt superior pars ecclesiæ. Cyprianus: Virginitas est portio illustrior gregis Christi. Aug. Nunc vobis, virgines, sermo est, ad quarum quo gloria sublimior, maior & cura. Apoca. 14. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno. Hier. Si virgines primitiæ sunt: ergo viduæ, & quæ in matrimonio sunt erunt post primitias. Idem: Ecclesia matrimonij non damnat, sed virginitati subiicit. Idem: Virgo maioris pretij apud Deum est, dum id contemnit quod si fecerit non delinquit. Idem: Plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuit imperatum. Item Hier. loquens de illo verbo Apost. 1. ad

1. ad Cor. 7. De virginibus præceptum domini non habeo. Quare, inquit præceptum domini non habet de virgine? Et respondet, quia maioris meriti est quod non cogitur & offertur. Virginitas difficile seruatur, & ideo maioris meriti est. Idem: Libido honestas mentes libentius persequitur. Et iterum: Libido virginibus maiorem parit famem. Dulcius enim æstimatur quod nescitur. Virginitas expeditum & liberum reddit ad seruiendum Deo. 1. ad Corint. 7. Qui sine vxore est, solicitus est quæ domini sunt, &c. Et subditur: Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta in corpore & spiritu. Hiero. Si nil aliud esset, & nulla merces virginem amplior sequeretur: sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ domini sunt. Osee 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Virgines habet Deus tanquam proprios seruientes. Vnde ad virginitatem pertinet illud Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi. Virginitas in veste immaculata Deo ministrat. Apoc. 14. Sine macula sunt ante thronum Dei. Et competit illud Eccles. 24. In habitatione sancta coram ipso ministraui. Luxuria vestem corporis maculat. In canonica Iudæ: Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam. Esa. 9. Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. Virgo castrum debilissimum tenet toto tempore vitæ suæ cõtra illum. De quo scriptum est Iob 41. Non est potestas in terra, quæ cõparetur ei. Et ideo merito super alios coronatur. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. 2. ad Timo. 2. Virginitati debetur fructus centesimus, cum continẽtiæ viduali debeatur fructus sexagesimus, & coniugali triceſimus. Matt. 13.

¶ *De his quæ specialiter virginiũ timere debent.*

NOTANDVM quòd sex sunt virginibus multum timenda. ¶ Primum est superbia. Aug. in lib. de virginitate: Non solũ prædicanda est virginitas vt ametur, verumetiã monenda ne inflentur. Idem in eodẽ: Superbia amplius ampliorib⁹ insidiatur. Nõ ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur: quo magis inest alicui vnde sibi placeat, cõ magis vereor ne sibi placendo illi displiceat, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Idem in eodem: Metuo tibi vehementer, ne quum te agnũ quocũque ierit secuturã esse gloriaris, cum per tumorem superbiæ sequi per angusta ne possis. Et ierũ: Bonũ virginitatis quanto magnũ video, tanto ei ne pereat curam superbiam pertimesco. Bernar. super Missus est: Pulchra permistio virginitatis & humilitatis: nõ mediocriter placet Deo illa anima, in qua humilitas cõmendat virginitatẽ, & virginitas exor

exornat humilitatẽ. Potest placere humilitas quę virginitatẽ deplorat amissam: sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Maria virginitatẽ oblita gloriatur de humilitate, & tu negligẽdo humilitatem blãdiris tibi de virginitate. Aug. in libr. de virginitate: Facilius sequuntur agnum, & si non quocunq; ierit, certe quocũq; potuerint, cõiugati humiles, quàm superbientes virgines. ¶ Secundum est fatuitas. Hanc fatuitatẽ specialiter intelligo defectũ charitatis. Si dilectio Dei est honorabilis sapiẽtia, Eccl. 1. defectus diuinæ dilectionis est detestabilis fatuitas. Magna fatuitas non cauere defectum illius rei, sine qua cætera nõ prosunt. Fatuæ virgines non sumpserũt oleum secum cũ lampadibus, Matt. 25. Bern. in epist. Castitas sine charitate, lãpas est sine oleo: subtrahe oleũ, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet. Exempla quòd magis tenentur virgines & castæ personæ diligere Deum & proximũ, quàm aliæ. Primũ exẽplum est istud. Magis tenetur diligere medicũ ille qui semper cõseruatus est ab eo in sanitate, quã ille qui incidit in pluribus infirmitatibus, & postea sanatus est ab eo. Sic qui cõseruatus est à Deo in virginitate, vel in castitate, magis tenetur diligere. Item magis tenetur diligere ille aliquem dominum qui dedit ei equũ bonũ, qui bene & sanè duxit & reduxit cũ, quàm ille qui habuit ab eo equũ licet bonũ, tamẽ cæcidit & læsit eũ. Itẽ magis tenetur diligere ille, qui multa bona recepit ab aliquo domino, quã ille qui recepit ab eo debita dimissa. ¶ Tertiũ est tepiditas, quæ solet accidere in virginibus ex hoc quòd considerãt se parũ peccasse. Cõtra quod dicit Aug. in lib. de virginitate: Quoniã veritas dixit quòd ille cui modicũ dimittitur, modicũ diligit: vos vt ardentissimè diligatis cui diligendo à coniugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimissum, quicquid à vobis non est illo regente cõmissum. Multo ardentius debes diligere illum qui flagitiosis ad se cõuersis, quæcunq; dimisit, in ea te cadere non permisit. Quid habes quod non accepisti? aut qua peruersitate minus diligis à quo plus accepisti? Cogita omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodire committantur. Noli modicum diligere, quasi à quo tibi modicum dimissum est: sed potius multum dilige à quo tibi multum tributum est. Contra hanc tepiditatem valet virginibus, si habeant frequenter vinum sacræ scripturæ, quod est vinum germinans virgines. Zac. 9. id est, affectiones virginales. Ad idẽ valet meditatio Dominicæ passionis. Thren. 1. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Istud torcular fuit pressura crucis. In

In hoc torculari fuit præssa vua illa, de qua Gene. 49. Lauabit in vino stolam suã, & in sanguine vuæ pallium suũ. 1. Mach. 6. Ostẽderunt elephantis sanguinẽ vuæ & mori, ad acuẽdos eos in prælium. Hoc vinũ Dei amore inebriat. Psal. Calix meus inebrians quàm præclarus est. ¶ Quartum est macula peccati, quæ in virgine est macula in gloria. Macula turpior est in veste alba: virginitas est vestis alba. Vnde byssõ comparatur. Prou. vlt. Byssus & purpura indumẽtum eius. Ideo macula peccati valde indecẽs est in virgine. Hier. Præclara est virginitas & pudicitiæ virtus, si non aliis macularum lapsibus infirmetur. Qui virginitatem carnis habent cũ corruptione mentis similes sunt sepulchris quæ exterius apparẽt hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorũ. Matth. 23. Hier. Nihil prodest virginitas corporis, vbi operatur corruptio mentis. Idem: Illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mẽtem cogitatio, nec carnẽ libido cõmaculat. Ad cauẽdam maculã peccati necessariũ esset spõsæ Christi frequenter inspicere in speculo. Speculum est scriptura sacra. Grego. Specula sunt Dei præcepta, quibus animæ sanctæ semper aspiciunt: & si quæ in eis sunt fœditates deprehendunt. Cant. 6. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, & resident super fluenta plenissima. Columba lacte lota est spõsa Christi cum puritate virginali, quæ super fluẽta sacræ scripturæ sedet, vt vmbram accipitris infernalis videat. Hier. in epistolis: Tanto maiori studio placendi opus est, quanto maior est ille cui placẽdum est. Impossibile est quenquam Deo placere, si quicquid ei placeat ignorat. Fieri potest vt & obsequendi voto offendat, si quomodo obsequi debeat, antè non didicit. Aliud speculum est vita sponsi. Bern. super Cant. Vtrunque es mihi domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patiẽti. Cum speculo etiam necessaria est ablutio quæ per confessionem fit: vnde cum lauatorio erant specula. Exod. 38. Bernard. in epistolis: Audi quæ places, ama vnde places: ama confessionem ob quam amarie, ama confessionem si affectas decorem. Confessioni iungitur decor. Psal. Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Lota facie, humilitate confessionis grata est Deo confessio laudis. Cantic. 2. Ostende mihi faciẽ tuam. Ibidem: Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. ¶ Quintum est, diuisio cordis. August. loquens de virginibus: Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce: totum teneat in animo vestro, quicquid noluistis occupari connubio. Væ duplici corde. Eccl. 2. Duplici corde est virgo, quæ scilicet vult placere & Deo

& mũdo. Greg. Nemo potest in vna eadẽque re omnipotẽti domino atq; eius hostibus gratus existere. Nã Deo amicũ se denegat, qui eius placet inimico. Ber. in epistolis: Volens placere hominibus, Deo nõ places. Si nõ places, nõ placeas. Signum q̃ virgo cor diuisum habeat & velit mundo placere, est exterior ornatus. In Psal. Omnis gloria filiæ regis abintus. Amb. de virginitate: Deiecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum quod vos nõ ornatis, ornatus est. Hie. in epist. Satis pulchram Deo crede faciẽ: sed hominib. apparere pulchra non studeas. Bern. in epist. Filiæ Babylonis quarum verè gloria confusio est, induũtur purpura & byssо, & subinde conscientia pannosa iacet: fulgent monilibus, & sordẽt moribus. Econtrà, Tu foris pannosa, intus speciosa resplendes: sed diuinis aspectibus, non humanis. Idem: Decor qui cum veste induitur, & cum veste deponitur, vestis procul dubio est nõ vestiti. Tu ergo noli æmulari in vanitatibus & mẽdicantibus pulchritudinẽ alienam vbi perdiderunt suam. Indignũ tibi iudica formam à pellibus muriũ & operibus vermium mutuari: tua tibi sufficiat. Ille est verus propriúsque cuiusque rei decor, qui nulla interiacente materia per se inest. Idem: Vides nempe auro, argento, lapidibus pretiosis, & omni denique cultu regionũ tam ornatas, quàm oneratas. Vides post se longas trahentes fimbrias, & dẽsas pulueris nubes excitantes in aëra. Hæc nõ te moueant: illæ illa in morte deponent, te tua sanctitas nõ relinquet. Non sunt sua quæ portant, & quum interierint non sument omnia. Mundus cuius sunt illis exeuntibus retinebit. ¶ Sextò rimendum est ne desit perseuerantia. Augu. in lib. de virginitate: Sequimini agnum renẽdo perseuerãter: quod nouistis, ardenter facite quũ potestis, ne virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil potestis vt redeat. Virginitas amissa non recuperatur, si lampas confracta non reintegratur. Amos 3. Virgo Israel profecta est in terram suam: non est qui suscitet eam. Cùm aliqua amisit virginitatẽ, si totum mundum daret pro ea, & totus esset aurum, non recuperaret eam. Bern. in epistolis: Studeto perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Idem: Scias diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam virtutum nouit coronari.

De triplici aureola, scilicet prædicatorum, virginum, & martyrum.

SEQVITVR de aureola, quæ est additio ad gloriam electis debitam. Et notandum quòd multis modis potest fieri additio ad gloriam. Vno modo per augmẽtum charitatis secundũ quã mẽsuratur præmiũ: vnde charitate augmentata maior gloria debetur. ¶ Secũdo in resurrectione per gloriam corporis. Vnde super illud Exod. 25. Et super illam alteram coronam aureolam. dicit gloss. Corona aurea labio mẽsæ apponitur, quum in scriptura dicimus egredientes de corpore animas in cælis æterna recipere præmia. Hæc aureola superponitur quum in scriptura dicitur, q̃ ei sublimior gloria in receptione corporum seruetur. ¶ Tertio per opera supererogationis siue per impletionem consiliorum. Vnde dicit quædam gloss. super prædictum verbum Exod. Corona aurea additur, quum per euãgelium his qui mãdata custodiunt vita æterna promittitur. Matt. 19. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. Huic corona aureola supponitur, quum dicitur: Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. ¶ Triplex autem est additio gloriæ, quæ communiter aureola dicitur. Prima est quæ debetur his qui excellenter officium prædicationis exercent. Vnde super prædictum verbum Exod. dicit interlin. In hoc figuratur remuneratio eorum qui in doctoribus excellunt: excellentia verò ista secundum quosdam in hoc attenditur, quod cum prædicatione sit illud opus supererogationis, quod est abrenuntiatio propriorum, quæ supererogatio fuit in primis ecclesiæ prædicatoribus, scilicet apostolis. ¶ Et notandum est quòd quinque de causis multum competit officio prædicationis abrenuntiatio propriorum. ¶ Prima, ne hi qui contemptum tẽporalium prædicant, hoc facere videantur vt ea soli habeant. ¶ Secunda est, quia qui habent officium prædicationis, oculi sunt ecclesiæ. Oculos autem expedit longe esse à terræ modicum enim terræ oculo iniectum multum impedit visum. Sic amor terrenorum multũ impedit spirituale visum. Eccle. 20. Encænia & dona excæcant oculos iudicum. ¶ Tertia est, quia secundum Dei ordinationem officio prædicationis debita est ministratio necessariorum à subditis: vt probat Paul. 1. ad Corinth. 9. Quis, inquit, militat suis stipendiis vnquam? Et paulò post: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Et iterum: Deus ordinauit his qui euãgelium annuntiant de euangelio viuere. Item Gal. 6. Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Matt. 10. Nolite possidere aurum &c. Et subditur: Dignus est operarius cibo suo. Hie. Considerandũ est q̃ vni operi nostro duplex merces debetur: vna in via, alia in patria. Vna quæ nos in labore sustinet: altera, quæ nos in resurrectione remuneret. Beda: Hic merces inchoatur, & in cælo perficitur. Idem: Qui sacerdum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit. Deute. 12. Non alligabis os boui trituranti. Luc. 9. Nihil tuleritis

in via. In signum quòd prædicator non debet ferre secum necessaria, sed aliu debet ei ministrare, fert alius puluinar diacono lecturo Euangelium. Cantico.2. Læua eius sub capite meo. ¶ Quarta est, quia exercentes prædicationem specialiter reputãtur operarij in vinea Dei: vnde prouisio eorum specialiter pertinet ad dominum vineæ. De operariis habetur Matth.9. Messis quidem multa, operarij pauci. Et eiusdem 20. Misit operarios in vineam suam. Non reputat Deus operarios illos, qui tantum propter corpus laborant: sicut non reputat dominus vineæ vindemiatorem qui nõ diligit nisi quod comedit. Chrys. Opera nostra sunt opera iustitiæ, non vt agros colamus, nõ vt diuitias acquiramus. Idẽ: Sicut nemo cõducit operariũ vt hoc solum faciat quod manducat: sic nos non ideo vocati sumus vt hæc sola operemur quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei. sicut mercenarius totam diẽ impẽdit circa opus, modicam horam circa cibum: sic nos omne tempus debemus impẽdere circa gloriam Dei, modicam partẽ circa terrenos vsus. Beda: Tantà prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus nõ ferat. ¶ Quinta est, vt liberius operi prædicationis possint intẽdere maxime vtili. Qui enim habent diuitias, vel in toto vel in parte sunt diuitiarum, nec proprij seruientes possunt esse Dei. Vnde Matt.6. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Mãmona Syra lingua diuitiæ. Chrys. Diuitiæ à seruitute Dei nos expellunt in suam captiuitatẽ. Vnde diuites dicũtur viri diuitiarum in Psal. Sen. Nostri essemus, si nostra non essent. ¶ Secunda additio gloriæ quæ aureola dicitur, est illa quæ debetur virginitati. De qua glos. super Exod.21. Ad hãc coronam pertinet cãticum nouũ quod virgines tantũ corã agno concinũt, & quæ sequũtur, quocũque ierit. Et super illud Apoc.14. Cantabant quasi canticũ nouum ante sedẽ. dicit interlin. id est, de integritate animæ & corporis exultabant. ¶ Tertia additio ad gloriam quæ aureola dicitur, est illa quæ debetur martyrio. Prima videtur pertinere ad vim rationalẽ & ad virtutem prudẽtiæ secundum illam speciem prudentiæ quæ dicitur docilitas, quæ videtur dignior species prudentiæ. Excellentissimum verò opus pertinens ad virtutem docilitatis, videtur esse euangelizare. Hoc opus est valde difficile. Vnde super illud 1. ad Co.1. Non misit me Deus baptizare, sed euangelizare. dicit gl. Aug. Perfectè baptizare etiã minus docti possunt: perfectè autem euãgelizare, multò difficilioris & rationis est operis. Ad hoc quòd aliquis perfectè euangelizet, oportet quòd totus à Spiritu sancto occupetur: vt scilicet scientia sit in intellectu, charitas in affectu, dulcedo in sermone, lux boni exẽpli in opere. Opus istud angelicum est. Luc.2. Euangelizo vobis gaudium magnum, dixit angelus. Imo quodammodo diuinum est opus. Ad illud enim Deus in mundum venit. Esa.61. Euangelizare mãsuetis misit me. Mar.1. Eamus in ciuitates & vicos proximos vt ibi prædicẽ: ad hoc enim veni. Vnde quũ istud opus excellẽtissimum sit & quasi supra hominẽ, nõ est mirum si exercẽtes opus istud, supra cæteros homines remunerentur, maximè si excellẽter illud exerceant, scilicet totaliter illi officio dediti syncerè & liberè. Syncer itas in hoc attenditur, vt exerceatur sine cupiditate tẽporalis lucri. Libertas in hoc, quòd sine timore tẽporalis damni. Exercentes hoc officium hic præhonorandi sunt, & similiter in futuro præhonorabuntur. 1. ad Ti.3. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant verbo & doctrina. Et super illud ad Eph.1. Vt sciatis quæ sit supereminẽs magnitudo virtutis eius in nos. dicit Gl. Quoddam incrementum habebunt summi doctores, vltra illud quod omnes communiter habebunt. Dan.12. Qui docti fuerint. fulgebunt quasi splendor firmamẽti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sicut claritas stellarum excedit claritatem firmamenti: sic claritas doctorum claritatem cæterorum. Ipsi habebunt coronam non solum pro se, sed etiam pro aliis qui per eos saluati fuerint. Vnde super illud Phil.4. Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea. Dicit glo. Amb. Per quos in præsenti lætificor, & in futuro coronabor. Discipulis enim in agone victoribus, dignus erit corona magister aureola. ¶ Secunda videtur pertinere ad vim concupiscibilẽ & ad virtutem tẽperantiæ secundũ illam partẽ eius quæ dicitur continentia virginalis. Virginitas triumphat de concupiscẽtia illa quæ senior est. In mẽbris enim generationi deputatis maximè sæuit concupiscẽtia. Ipsa refrenat maiorẽ delectationẽ quæ sit: illam scilicet quæ est secũdum tactũ, & excellẽti modo: integritate scilicet carnis, vel incorruptione seruata. Ipsa etiam gloriam filiorum amore Dei contẽnit: vnde nõ est mirũ, si gloria eius in futuro cumuletur. ¶ Tertia aureola videtur pertinere ad vim irascibilẽ & ad virtutẽ fortitudinis. Martyrio enim superatur mors, quæ est maximũ terribiliũ. Vnde nõ est mirũ, si martyres præ cæteris remunerãtur. Et vt vno verbo dicatur, in carne præter carnẽ viuere, euãgelizare, mortẽ nõ timere, supra hominem esse videntur, vnde meritò horum operum sit remuneratio super cæteros. Aureola videtur pertinere ad

virtutẽ iuſtitię: qui hoc triplex meritũ habẽt, ſpeciales imitatores Chriſti ſunt in præſenti vita, & ſpeciales imitatores eius erũt in gloria. Chriſtus fuit virgo, prędicator, & martyr: & Io. Baptiſta, à quo incœpit euãgelizatio regni cælestis. Decebat vas integrũ eſſe & ſyncerũ per virginitatẽ, in quo repoſitũ erat balſamũ cęleſtis ſapiẽtię diſpenſandũ per prędicationẽ, & cãdori mũditię ſociari decuit cãdorem ſapiẽtiæ: & vt nullus locus remaneret dubitationi, veritatẽ doctrinę neceſſe fuit cõfirmari morte. Nullus enim ſani capitis auderet mendaciũ morte propria confirmare.

De Continentia viduali. CAP. XII.

Dicendum eſt de aliis duabus partibus continentiæ. Et primo de illa quæ eſt abſtinẽtia ab omni coitu poſt experientiam carnalis operis. Hæc enim continẽtia dignior videtur eſſe continentia coniugali, cũ ei debeatur fructus ſexageſimus. Mat. 13. Similior etiã videtur eſſe virginali continentiæ, quum abſtineat ab omni coitu ſicut & ipſa. Hæc ſpecies verò continentiæ quum nõ habeat nomen propriũ quo nominetur, quãdoque vocatur caſtitas: quod nomẽ generale alius ſolet accipi pro cõtinentia quacunque: quãdoque verò nominatur continẽtia vidualis quæ eſt ſpecies ipſius. Abſtinentia enim ab omni coitu in carne corrupta: quædã eſt vidualis vt illorum qui fuerũt in matrimonio: quædã verò non eſt vidualis, vt illorũ qui non fuerunt in matrimonio, vt ſunt miniſtri eccleſiæ. Ad cõmendationẽ caſtitatis facit illud Ber. in epiſtolis: Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immũdo cõceptũ ſemine, de hoſte domeſtico, angelũ deniq; de homine facit? Differunt quidẽ inter ſe homo pudicus & angelus, licet felicitate, non virtute. Sed & ſi illius caſtitas felicior, huius tamẽ eſſe fortior cognoſcitur. Multa etiã de his quę poſita ſunt ad cõmendationem continẽtiæ in genere vel virginitatis, referri poſſunt ad cõmẽdationẽ caſtitatis. Caſtitas verò vidualis cõmẽdatur exẽplo turturis, quæ vni marito aſſociatur in tota vita ſua: vt legitur in li. de natura animaliũ. Hãc etiã commendat Apoſt. 1. ad Cor. 7. dicens: Dico autẽ innuptis & viduis: bonũ eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego: q; ſi nõ ſe continent, nubant: melius eſt nubere, quàm vri. De hoc cõmendatur Iudith 15. eiuſdem: Confortatũ eſt cor tuũ, eò q; caſtitatẽ amaueris, & poſt virum tuum alium neſcieris, ideo eris benedicta in æternum. ¶ Ad caſtitatẽ vidualem incitare poteſt perſonã relictam vnitas, quæ fuit & carnalis & mentalis, inter eam & cõparẽ ſuũ dũ viueret. Fuerunt enim duo in carne vna. Gen. 2. & Matt. 19. Et ſubditur: Itaque iam nõ ſunt duo, ſed vna caro: ergo perſona relicta quaſi ſemi

ſi ſemimortua eſt. Vnde ſatis rationabile eſt, vt nõ multum adhæreat huic ſeculo: ſed magis cogitet de alio, in quo iam eſt quaſi dimidia, & in breui tota futura. Vnde Aug. 4. li. Cõfeſ. loquens de quodam amico ſuo defuncto: Bene dixit quidã de amico ſuo, Dimidiũ animę ſuę: nã ego ſenſi animã meam & animam illius vnam fuiſſe in duobus corporibus: & ideo horrori erat mihi vita, quia nolebã dimidius viuere. Ber. ſuper Cant. loquẽs de fratre ſuo Gerardo defuncto: Quum eſſemus cor vnum & anima vna, hanc meã pariter & ipſius animam pertranſiuit gladius, & ſcindens mediã partẽ locauit in cęlo, partem verò in cœno deſeruit. Ego illa portio miſera in luto iacens, truncata parte ſui & parte potiori. Ad vidualem etiam caſtitatem incitare poteſt oppreſſio filiorum, quã facere ſolẽt ſecundi mariti filiis qui fuerũt de primo marito. Et tribulatio experta quã habẽt qui ſunt in cõiugio. 1. ad Cor. 7. Tribulationẽ carnis habebunt huiuſmodi. Gloſ. Pro neceſſariis rebus prouidendis ſibi & filiis. Ad idem incitare poteſt impedimentum Deo ſeruiendi. 1. ad Cor. 7. Hoc ad vtilitatẽ veſtram dico: non vt laqueũ vobis iniiciã, ſed ad id quod honeſtũ eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento domino obſeruandi. Si quis autem &c. ¶ Et notandum, q; caſtitas vidualis ſpecialiter commẽdabilis eſt in iuuene quæ modicum fuit cum viro, quum poſtea toto tempore vitæ ſuæ cõtinet. De hoc commendatur Anna Luc. 2. Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis VII. à virginitate ſua. Et hæc vidua vſque ad annos LXXXIIII. Hiero. Perfectæ virtutis indicium eſt, renuntiare ſubito ex parte voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas fidei ardore extinguere. ¶ Et notandũ, q; mulier quæ vidualem caſtitatem vult ſeruare, debet occaſiones peccandi declinare. Vnde legitur de turture in lib. de natura animaliũ, q; in æſtate ſe mittat ad loca frigida: in hyeme verò non apparet: ſed manet in nido. Hiero. Parum caſtitati credo ſine ſuis appenditiis. ¶ Tria videntur eſſe appenditia caſtitati viduali. ¶ Primũ eſt, nõ euagari, ſed vel in propria domo manere, vel in tẽplo orare. De quo cõmendatur Anna Luc. 2. Quæ nõ diſcedebat de templo ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte. Euagatio in viduis reprehenditur 1. ad Ti. 5. Simul otioſæ diſcũt circuire domos: nõ ſolùm autem otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ nõ oportet. ¶ Secundũ eſt, ciborum aſperitas. 1. ad Tim. 5. Vidua quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt. Gl. Viuens inquã vita corporis, mortua eſt in anima. ¶ Tertium eſt, veſtium humilitas. Vnde Geneſi. 38. legitur de

Thamar, quòd deposita veste viduitatis assumpsit alium habitū quando voluit carnali operi intendere. Ornatus qui tolerabilis est in ea quæ necesse habet placere viro suo, non est tolerabilis in vidua, quæ ad hoc solum studere debet vt placeat Deo.

De castitate ministrorum ecclesiæ. Et de octo causis quare castitas multum eis competat. CAP. XIII.

NOtandum ergo, q̃ castitas multum decet eos, vnde etiam apud Gẽtiles, sacerdotes castitatem amplectebãtur. Plato in Timæo: Sacerdotiis prædiri apud Athenas separati à cætero populo manebãt, ne cõtagione aliqua eorum castitas pollueretur. Castitas figuraliter suadetur ministris ecclesiæ, Exod.12. vbi comesturis agnum paschalem dicitur, Renes vestros accingentis. Item eiusdem 29. Indues, inquit, tunicis lineis, & cinges baltheo Aaron & filios eius. Itẽ Leui.16. Femineis lineis veredã celabit, accingetur zona linea. Minister ecclesiæ castus, est vnus illorum trium qui bene incedunt. Prou. pen. Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartũ, quod incedit feliciter, enumeratur secundo loco gallus succinctus lumbos. Sap.4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate dignitatis, scilicet ecclesiasticæ. Thren.4. Candidiores Nazaræi eius nive nitidiores lacte. Candor niveus vel lacteus est vera castitas. Luc.12. Sint lumbi vestri præcincti. ad Eph.6 State succincti lumbos vestros in veritate. Et 1.ad Tim.3. vbi describitur quales debeant esse ministri ecclesiæ, dicitur quòd oportet episcopum esse pudicum. Et paulò pòst dicitur, quòd diaconos similiter oportet pudicos esse. Et eiusdem 5. Teipsum castum custodi. Et 1.Pet.1. Propter quod succincti lũbos mentis vestræ, sobrij perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratiã. Et ad Tit. 1. dicitur de episcopo, quòd oportet episcopum esse continentem. ¶ Et notandum, quòd octo causæ assignari possunt, quare castitas multum cõpetit ministris ecclesiæ. ¶ Prima est, quia ipsi debẽt Deũ placare. Eccl.44. In tẽpore iracũdiæ factus est reconciliatio. Placare verò non possunt nisi placeant. Placere verò non possunt, si carnaliter viuãt. ad Ro.8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Bernar. Væ filiis iræ qui nondum reconciliati, reconciliationis alienæ negotiũ quasi gẽs quæ iustitiã fecerit apprehẽdunt. ¶ Secunda est, quia ipsi sunt loco Dei, ideo viuere debent vt Deus: spiritualiter scilicet, nõ carnaliter. Deus enim spiritus est. Io.4. Apoc.1. Vidit Ioannes similem filio hominis, prẽcinctum ad mammillas zona aurea. Similis filio hominis est vicarius Christi, qui zonam auream continentiæ debet habere. ¶ Tertia est, quia ipsi angelicum officium habent

habent eidem domino seruientes cui & angeli: ideo & puritatem angelicã habere debẽt. Vnde Malac.2. dicitur de sacerdote, Angelus domini exercituum est. Exo.19. Sacerdotes qui accedũt ad dominum, sanctificentur ne percutiat eos. ¶ Quarta est, quia ipsi intendunt spirituali generationi, quæ munda & sancta est: ideo non decet eos intendere generationi carnali, quæ immunda est. Nec expedit eos habere filios carnales: ne dũ solicitudo & amor eorũ diuiduntur ad eos, minuantur ad filios spirituales. Ioannes Euangelista virgo maiorem solicitudinem & dilectionẽ habebat ad filios spirituales, quàm ad carnales. 3. Ioã. Maiorẽ horum non habeo gratiã, quàm vt audiã filios meos in veritate ambulare. ¶ Quinta est, quia ipsi cõtrectãt. Sancta: ideo oportet eos sanctos esse, maximè quãtũ ad carnis mũditiã. 1.Reg.11. Non habeo panes laicos ad manum, sed tantũ panẽ sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, mãducẽt. Leui.21. Incẽsum domini, & panes Dei sui offerunt: & ideo sancti erunt. Itẽ in eodẽ: Homo qui habuerit maculã, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministeriũ eius. Macula valde turpis, luxuria est: hãc maculã dedit Salomõ in sua gloria. Eccl.47. Itẽ Leui.22. Homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ sanctificata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. 1.Reg.7. Sanctificaverunt Eleazarum, vt custodiret arcam Domini. 1.Paral.15. Sanctificati sunt sacerdotes & leuitæ, vt portarent arcã domini. Esa.52. Mundamini qui fertis vasa Domini. ¶ Sexta est, quia eos oportet mũdare alios, ideo oportet eos esse valde mundos. Eccl.34. Ab immundo quid mundabitur? 2.Para.29. dictum est Leuitis: Sanctificamini, mundate domum Domini. Neemiæ 12. Mundati sunt sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum. 1.Mach.4. Elegit Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mũdauerũt sancta. ¶ Septima est: quia ipsi habent sponsam nobilissimã, scilicet sapientiam: ideo facilius sponsa vel cõcubina carnali carere possunt. Sapi.8. Hanc amaui, & exquisiui illam à iuuentute mea, & quæsiui sponsam eã mihi assumere, & amator factus sum formæ illius. Prou.7. Prudentiã voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea: Homines quasi immersi in balsamo sapientiæ, immunes sunt à corruptione. Eccl.24. Quasi balsamum non mistum odor meus. In Psal. Eloquia Domini eloquia casta. Ab effectu. Iac.3. Quæ desursum est sapientia, primũ quidem pudica est, id est, pudicũ faciens. Hiero. Ama sacras literas, & carnis vicia nõ amabis. ¶ Octaua est, q̃ ipsi ministri sunt Altissimi, ideo decet vt ipsi sint proprij ipsius. Decet

enim dominum tantum habere proprios seruientes quòd non habet similiter potestatem in corpore eorum.1. ad Cor. 7. Vir sui corporis potestatem non habet,sed mulier.

De continentia coniugali. Et primo de destructione erroris illorum qui damnant matrimonium. CAP. XIIII.

SEquitur de continentia coniugali.Circa quam primo destruetur error ille qui matrimonium damnat.Secundo,matrimonium commendabitur.Tertiò, ostendetur qualiter sint matrimonia contrahenda.Quarto,quia continentia coniugalis abstinet à carnali opere illicito , & vtitur licito , & ostenditur quod opus carnale sit licitũ,& quod illicitum.¶ Circa primũ verò primo ponemus testimonia Noui testamenti, quibus dictus error innititur.Secundo authoritates & rationes quibus falsitas dicti erroris conuincitur.Qui sunt huius erroris, vocantur Cathari vel à catho cuius posteriora osculantur , in cuius specie Luciferum dicunt sibi apparere.Vel à catha, quod est fluxus : defluunt enim per diuersa vitia:ponunt enim naturam corporis malam esse,& esse à principio malo:debere eam omnibus modis purgari, vt citius à natura mala liberemur:vnde nolunt fluxum illum matrimonio restringi.Ipsi dicũt opus carnale,q̃ tamẽ ab vxore exercetur,fornicationem esse,vtentes ad hoc probandum illo verbo 1.ad Cor.7. Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat:ergo est fornicatio cum vxore.Sed verbum dictum sic est intelligendũ.Propter fornicationẽ &c.non propter fornicationem faciendã,sed euitãdam.Simile ad Ro. 4. Christus traditus est propter delicta nostra,nõ facienda,sed destruẽda. Et est vulgaris modus loquendi: vnde dicitur aliquis ferre pelliceũ propter frigus:nõ propter frigus faciendum,sed repellẽdũ. Item in eodem:Hoc autẽ dico secundũ indulgentiam , nõ secundũ imperium:ergo peccatũ est matrimoniũ,cũ indulgeatur. Præterea pòst dicit ibidem Apostolus:Volo omnes esse sicut meipsum: id est,cõtinentes.Et dicendũ est,q̃ indulgẽtia ibi nõ accipitur pro venia,sed pro cõcessione minoris boni. Minus enim bonum est matrimonium , quàm virginitas vel castitas. Vtrũque bonũ est, & donum Dei. Vnde subdit Apostolus: Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidẽ sic,alius verò sic. Propter hoc ergo dicit , quòd vult omnes homines esse sicut se: quia vellet eos nõ solum bonos esse,sed etiam meliores. Item in eodem dicitur:bonum est homini mulierem non tãgere:ergo malum est eam tangere.Non sequitur:sicut non sequitur:bonũ est nõ bere vinum,ergo malum est bibere vinum.Item in eodẽ: Qui habent vxorẽs , sint tanquam non habentes : ergo malum est,cum eis cõmisceri.Sed hoc nõ sequitur:sicut nõ sequitur:Qui emunt, sunt tanquã non possidẽtes,quod ibidem legitur:ergo nõ debent comedere de fructibus agri empti.Qui habet vxorem est tanquã non habens,si debitum reddit & non exigit. Itẽ dominus monet ad relinquendũ vxorem.Lu.18.Nemo est qui relinquit domum, aut parentes,aut fratres,au vxorem, aut filios propter regnum Dei,& nõ recipiat multo plura in hoc tempore &c. & Eiusdem 14.Si quis venit ad me,& non odit patrem suum & matrẽ suã & vxorem suã &c.non potest meus esse discipulus:ergo vxor est relinquenda & odio habẽda.Ad quod dicendũ,quòd vxor est relinquẽda & odienda eo modo quo & pater & mater, vt scilicet si vult trahere aliquem ad idololatriã, vel hæresim, vel aliud peccatum,non consentiatur ei:tamen si bene se habeat, amãda est si cut pater & mater.1.ad Cor.7.Si quis frater vxorẽ habet infidelẽ, & hęc cõsentit habitare cũ illo,non dimittat illã. ¶ Licet autem dictus error iã in sua radice destructus sit,vbi fuit destructus error Manichæorum,qui ponit principia prima,vnũ bonũ,& aliud malum,à quo dicit esse ea quæ sunt corruptibilia , à quo errore hic error ortum habuit:tamen manifestè falsitas eius conuinci potest testimoniis scripturę quę sequuntur.Mat.19.Pharisæis interrogantibus Christum , an liceret dimittere vxorem suã quacũque ex causa.Ipse præmisso testimonio Genes. intulit, Quod ergo Deus cõiunxit,homo non separet.Ostẽdens manifestè matrimoniũ esse à Deo,& non esse ab homine separandũ.Patet ergo quòd matrimonium est bonum.Item Luc.1.dicitur de Zacharia & Elizabeth vxore eius , quòd ambo erant iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini, sine querela,& quòd angelus Gabriel Zachariæ nuntiauit hęc: Elizabeth vxor tua pariet tibi filium. Et paulò pòst : Et Spiritu-sancto replebitur adhuc , ex vtero matris suæ. Non est ergo matrimonium malum in quo sancti homines fuerunt, & ex quo fructus tam bonus processit. Et Io. 2. Maria interfuit nuptiis , & Iesus & discipuli eius ad eas vocati sunt,& fecit ibi Iesus initium signorum suorum.Non honorasset Christus tot modis nuptias, si malę essent.Item ad Roma. 7. Mulier viuente viro vocabitur adultera , si fuerit cum altero viro . Si autem fuerit mortuus vir eius,liberata est à lege viri, vt non sit adultera , si fuerit cum altero viro.Item 1.ad Cor.7.Vxori vir debitũ reddat:similiter & vxor viro.Et in eodem:Nolite fraudari adinuicem , nisi fortè ad tempus,vt vacetis orationi , & iterum reuertimini in idipsum.

Et

Et iterum: His qui in matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, vxorem à viro nō discedere. Et paulò post: Et vir vxorem non dimittat. Item in eodē: Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, nō peccauit. Item in eodem: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit. & qui nō iungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege viri: cui vult, nubat, tantùm in Domino. ergo etiam secundæ nuptiæ sunt licitæ. Item ad Ephes. 5. Viri diligite vxores vestras &c. In eodem: Vnusquisque vxorem suam sicut se ipsum diligat. Et 1. ad Timot. 2. Mulier seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem. Item 4. Spiritus manifestè dicit: quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, & prohibentium nubere &c. Et eiusdem 5. Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse. Item ad Hebræ. vlt. Honorabile coniugium in omnibus (supple sit) & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. id est, damnabit. Bern. Omni immunditiæ habenas laxat, qui nuptias damnat. Idem: Rata est in terris continentia, neque pro tantillo quæstu exinaniuit se Filius Dei, formam serui accipiens. In hac approbatione matrimonij conueniunt nobiscū tam Iudæi quàm gentiles. Gētiles enim in veneratione habuerūt coniugium, & filios qui nō erāt nati de coniugio, illegitimos iudicabant. In hoc autem conueniunt nobiscum sapientissimi, vt Salomon Prouer. 19. Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino verò propriè vxor prudens. Seneca etiam vxorem habuit, vt apertè habetur in eius epistolis. Et notandum quòd illi qui sunt huius erroris, dicunt mulierem damnari si prægnans decedat vel in partu. Quod manifestè patet esse falsum in Elizabeth, Lucæ 1. quæ prægnans erat quum salutauit eam beata Virgo: & tamen repleta est Spiritusancto, & infans exultauit in vtero eius, quæ si decessisset in partu, saluata esset. Partus enim pœnam habet, non culpam.

De commendatione Matrimonij. CAP. XV.

SEquitur de comendatione matrimonij. ¶ Et notandum quòd duodecim sunt, quibus matrimonium potest commendari fidelibus, qui vtrunque testamentum recipiūt. ¶ Primum est, autho-

ritas instituentis illud. Cùm alios ordines instituerit aliquis sanctus vt Aust. vel Benedictus, ordinē matrimonij instituit ipse Deus qui errare nō potest. Vnde si culpabilis est qui ordinē beati Benedicti transgreditur: constat quòd valde culpabilis est qui transgreditur ordinem matrimonij à Deo institutum. ¶ Secundum est, locus in quo institutum est, scilicet paradisus. Institutum enim est immisso sopore in Adam. Genes. 2. Et raptus est Adam in spiritu, & interfuit curiæ cęlesti, & ibi agnouit virtutem matrimonij, & cuius rei esset sacramentum. Et erat Adam tunc corpore in paradiso terrestri, mente verò in paradiso cælesti. Vnde super Genes. dicit glos. August. Extasis recte intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adæ particeps Angelicæ curiæ & intrans in sanctuarium Dei nouissima intelligeret: vnde euigilans prophetico spiritu eructauit, Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Hæc verba cum Adæ scriptura fuisse dicat, Christus in Euangelio Deum dixisse declarat. Matth. 19. vt intelligamus per illam extasim Adam diuinitus hæc dixisse. ¶ Tertium est antiquitas. Non enim de nouo institutus est ordo iste, imò antiquitate excedit omnem ordinem in terris institutum. ¶ Quartum est, status. Institutum enim est in statu innocentiæ in illo felici tempore in quo homo nondum peccauerat. ¶ Quintum est, quòd hunc solum ordinem saluauit Deus tempore diluuij. In arca enim tantū saluati sunt Noë & vxor eius, & tres filij eius & vxores eorum. Si qui erant concubinarij, si quæ meretrices, omnes diluuio sunt submersi. ¶ Sextū est, quòd beata Virgo hunc ordinem intrare voluit: licet proposuisset seruare virginitatem: quod non parum facit ad honorem matrimonij: noluit filius carnem ex ea assumere, donec fuit in matrimonio. Matrimonium pallium est quo beata virgo vsa est, quo occultauit cælestem conceptum. Sub quo pallio latere voluit filius Dei: sub hoc pallio celatum est diabolo misterium redemptionis nostræ. Infelices & maledictæ sunt illæ quę potius eligunt esse in confusione diaboli quàm in ordine beatæ Virginis. Confusio diaboli est status meretricū, quæ quandoque peccant cum patre, quandoque cū filio, quandoque cum duobus fratribus vel cognatis, quandoque cum solutis, quādoque cum coniugatis, quandoque cum sacerdotibus, quandoque cum religiosis, quādoque cum leprosis. Infelices etiam sunt adulteræ quæ matrimonio non deferunt, quæ non timent pallium beatæ Virginis inquinare. ¶ Septimum est, quòd Deus voluit honorare nuptias sua præsentia & matris suæ, & discipulorum suorum. Ioā. 2. Vbi inueniūt cōcubinarij quòd Christus vel beata Virgo in domibus eorum comederit? Diabolus potius in domibus eorum

inhab

inhabitat,cui de corporibus suis sacrificia faciũt.Sicut enim qui continenter viuunt, corpora sua Deo sacrificant.Iuxta illud ad Rom.12.Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Sic qui lixuriosè viuunt,corpora sua sacrificant diabolo.Quomodo habitaret Deus, vbi exercetur opus illud quod plus Deo fœtet & angelis eius,quàm aliquod cadauer hominibus fœteat? ¶Octauum est, quòd Dominus nuptias voluit honorare.Primo aperto miraculo quod fecit coram discipulis suis.Ipsum verò miraculum quo aqua mutata est in vinum,ostendit cuius virtutis sit matrimoniũ.Aqua enim vilis est,vinũ pretiosum. Sic opus carnale absque matrimonio vile quid est: opus vero matrimoniale pretiosum. Vnde infelices sunt concubinarij,qui aquam fœtentẽ vino pretioso præeligunt, potius volentes exercere opus illud extra matrimonium cum peccato,quàm in matrimonio sine peccato. Infelices etiam sunt illi qui vinum bonum & purum habent, & relinquunt illud pro vino prauo quasi felle misto.Hi sunt illi qui proprias vxores habent & alienis adhærent. ¶Nonũ est,excellens benedictio quam ecclesia facit coniugibus iuxta altare ad missam in præsentia Dominici corporis.Qui potius vult esse concubinarius quàm legitimus maritus,ipse potius vult habere maledictionẽ quàm benedictionem.Quandiu enim est in peccato,maledictus est quicquid agat.In Psal.Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Concubinarij videntur velle maledictionem, & meritò illam habebũt.Dicetur enim eis illud Matt.25. Discedite à me maledicti in ignem æternum. His autem qui bene se habent in matrimonio dicetur illud Matt.Venite benedicti Patris mei &c. ¶Decimum est,pretiosus fructus,qui ex matrimonio sequitur. Generantur enim inde filij huius seculi, qui pòst per adoptionem fiunt filij Dei.Si quis haberet vineam quæ annuatim ferret mille modios vini,valde amaret eam.Quantum ergo amandum est matrimonium vnde pueri procreantur,cùm puer vnus præualeat toti vino quod in mundo est?Ex matrimonio generantur virgines.Vnde si virginitas multum amanda est, & matrimonium multum amandum est.Hieron.Laudo coniugium,quia virgines generat: lego de spinis rosam, de concha margaritam. Valde infelices sunt meretrices quæ operi carnali intendunt:& tamen quia exponendo se omnibus se ita inquinant,non sunt dignæ vt Deus deis fructum prolis.Mira fatuitas,non cessant seminare, licet videat se nullũ fructum inde colligere. Meretrices habẽt officium in mundo isto iugulandi homines pro denario & denario.Vix inter

latrones inuenitur aliquis qui tale officiũ velit habere.Ipsæ adiutrices sunt dãnationis humanæ sicut & dæmones. Quid dicent in die iudicij,si quæratur ab eis vbi sunt filij earũ? Ipsæ damnabũtur quasi eos occiderint.Exponendo enim se omnibus quasi suffocauerunt eos. ¶Vndecimum est,quòd matrimoniũ est vnum de septẽ sacramẽtis ecclesiæ. Si quis in aqua baptismi lutũ proiiceret,vel alio modo sacramẽto baptismi cõtumeliã faceret,nõ esset patũ culpabilis.Sic nec parũ culpabilis est qui adulterando sacramẽto matrimonij cõtumeliã facit. ¶Duodecimum est,virtus magna matrimonij, quæ multis potest ostendi. Primo per hoc quòd opus carnale quod sine eo esset mortale, cum eo est venia le,vel omnino sine peccato.Secũdo per hoc quòd remedium est contra mala quæ ex meretricio sequũtur cõcubitu, quæ sunt sterilitas,prolis interfectio,incestus.Tertiò per hoc quòd adeò efficax est ad concordiã faciẽdã,quæ adeò placet Deo,sicut discordia multũ ei displicet.Tota patria vna vno matrimonio quandoque ad concordiam reducitur.Prou.6.Sex sunt quæ odit Deus.& septimũ detestatur anima eius.Septimum quod detestatur est ille qui seminat inter fratres discordias.Quarto per hoc quòd defendit hominem ex ea parte qua diabolus eum fortius impugnat. Iob 40.Fortitudo eius in lumbis eius.

De modo contrahendi Matrimonium. CAP. XVI.

NOtandum ergo quòd ille qui vult contrahere matrimonium,Primò debet habere intẽtionem ad Deũ: vt scilicet cõtrahat desiderio generãdi filios secũdũ carnẽ,q pòst fiat filij Dei per adoptionẽ.In illis enim qui Deũ excludũt ab intẽtione sua, potestatem habet demoniũ.Tob.6.dixit angelus Tobiæ minori: In eos qui cõiugiũ ita suscipiũt, vt Deũ à se & à sua mente excludãt,& sue libidini ita vacent,sicut equus & mulus in quibus non est intellectus,habet super eos dæmoniũ potestatẽ. Et in eodem: Accipies virginẽ cũ timore Domini,& amore filiorũ magis quã libidinis ductus.Itẽ eiusdẽ 8.dixit Tobias minor: Nunc Domine tu scis quoniam nõ luxurię causa accipio vxorẽ meã,sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomẽ tuũ in secula seculorũ.¶Secũdo debet eligere vxorẽ similẽ sibi,nobilem si nobilis est,ignobilem si est ignobilis.Gen.2.Faciamus ei adiutorium simile sibi.De costa viri formauit Dominus mulierem, ne posset vnus cõtra alterum gloriari se esse de nobiliori genere.Non formauit Deꝰ mulierẽ de capite ne crederetur formata ad dominationẽ.Neq; de pede,ne crederetur subiiciẽda in seruitutẽ: sed de costa,vt habeatur tãquam socia.Poẽta: Si qua voles apte nubere,

nube

nube pari. Paritas ista nõ solũ attẽdẽda est quantũ ad nobilitatẽ, sed etiã quantũ ad iuuẽtutẽ & pulchritudinẽ. Quãdo enim iuuenis & pulchra nubit seni & deformi, habet eũ exosum & adultera efficitur. Paritas ista bene in anulo ostẽditur: qui si strictior sit, digito nõ cõgruit: si latior, decidit. Sic se habet inter cõiuges si sint dispares: quia vel simul manẽtes nõ sunt cõcordes, vel vnus ab altero discedit. ¶ Tertio, vt cum tali contrahat, quę sit de progenie bona. Nõ debet ducere filiã vsurarij vel raptoris. Hæc enim fuit vna de causis diluuij. Videntes enim filij Dei filias hominũ quòd essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus quas elegerãt. Gen. 6. Filij Dei vocãtur qui erãt de stirpe Sethi: filij hominũ qui erant de stirpe Cain. ¶ Quarto q; persona cũ qua cõtrahit sit bona & ptudẽs, quod est vnũ de magnis donis Dei. Prou. 19. Domus & diuitię dãtur à parẽtibus: à domino verò propriè vxor prudẽs. Eccl. 26. Mulieris bonæ beatus vir. Et in eodẽ: Pars bona, mulier bona, in parte bona timẽtiũ Deũ, dabitur viro pro factis bonis. Et in eodẽ: Gratia super gratiã, mulier sancta & pudorata. 1. Cor. 6. Sãctificatus est vir infidelis per mulierẽ fidelẽ.

Quod opus carnale sit illicitum & quod licitum. Et quot & quæ requirantur ad hoc quòd opus carnale fiat sine culpa & meritorię. Et quot sint quæ requirant inseparabilitatem matrimonij. CAP. XVII.

SEquitur videre de opere carnali, quod sit illicitũ & qđ licitũ. Poterit tamẽ videri alicui q; opus illud nũquã fiat sine culpa. ¶ Primò p hoc quod dicit Aug. in li. de fide ad Pe. Sine libidine nõ est parẽtũ cõcubitus. ¶ Secũdò per hoc quod dicit gl. Hier. super illud 1. Pet. 3. Vt non impediantur orationes vestræ. Impediri orationes officio cõiugali comemorat: qa quotiescũque vxori debitũ reddo, orare non possum. Vult enim secũdũ gl. illã, redditio debiti semper habere culpã, cùm semp orationẽ impediat. ¶ Tertio p hoc quod dicit gl. super illud 1. Cor. 6. Qui fornicatur, in corpus suũ peccat. Hic propriè seruit anima corpori, sed vbi anima quæ debet dominari corpori, seruit ei, videtur esse peccatũ, cùm sit ibi priuatio debiti ordinis. ¶ Quarto per hoc quod dicit gl. ibidem: Sic totus homo absorbetur à carne, vt iam dici nõ possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro. ¶ Quinto per hoc quòd semper in illo opere videtur esse immoderata delectatio. Et dicendum est quòd opus illud exerceri potest sine omni culpa, & etiam meritoriè, in tribus casibus. ¶ Primus est, cùm sit causa prolis suscipiẽdę & ad cultũ Dei educendæ, cũ aliis debitis circũstãtiis. Aug. Cõcubitus necessarius est causã generãdi incul-

pabilis est solus nuptialis. Iste concubitus solus dicitur esse nuptialis, quia principaliter institutũ est matrimoniũ ad suscipiendum prolem. Et hæc prima institutio & principalis dicitur fuisse facta in officiũ. Secunda eius institutio fuit in remediũ, scilicet ad fornicationẽ euitandã. ¶ Secundus casus est cùm petenti redditur debitũ. Aug. Reddere debitũ coniugale, nullius est criminis. In hoc casu iustitia mouet. ¶ Tertius casus est, cùm aliquis exigat opus illud, vt caueat compari suo ne in peccatũ cadat: vt cùm aliquis sciens vxorem suã verecundam & nunquã petiturã debitũ, & timet de casu eius, debitũ exigit. Et in hoc casu pietas mouet. Si verò aliquis exerceat opus illud, vt impleat concupiscentiam suam, culpa est ibi quandoque venialis, quãdoque mortalis. Venialis, quando concupiscentia ita subiecta est rationi, quòd nõ cognosceret eam nisi esset coniunx sua. Mortalis verò, quãdo adeò immoderata est concupiscentia quòd cognosceret eam. licet nõ esset sua. Et in hoc casu intelligitur illud verbum quod dicit glo. super 1. ad Cor. 7. Omnis vehemens amator, propriæ vxoris adulter est. Et ibidem dicit glos. Aug. Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpã: cõcupiscentiæ verò satiandæ, sed tamẽ cum coniuge, habet culpam propter thori fidẽ venialem. In verbo vero Aug. in libr. de fide, ad Pet. libido dicitur concupiscentia inordinata, quæ pœna est, & nõ sumitur pro culpa vel veniali vel mortali. ¶ Ad aliud dicendũ quòd oratio sumitur quandoque pro quolibet bono opere. Vnde gl. super 1. Thes. vlt. Non desinit orare qui non desinit bene agere. Quandoque pro oratione vocali: quãdoque verò pro actu interiori, cũ anima in Deũ afficitur. Et iste actus excellens animæ impeditur opere carnali. Si enim animæ vires ordinentur, generatiua videtur esse infimæ: vis verò secundum quam anima afficitur in Deum, summa videtur esse: vnde non est mirũ si operationes illarũ virium sibi nõ consociantur. Idem intelligendum est de illuminatione prophetica, quæ tunc non habet fieri. Hier. super Matt. Connubia legitima carent peccato, non tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur: præsentia sancti Spiritus dabitur, etsi prophetæ esse videatur qui officio generationis obsequitur. Glossæ verò quæ sunt super illud 1. Corinth. 6. Qui fornicatur &c. intelligendæ sunt non de coniugali facto cum debitis circunstantiis, sed opere libidinoso, vbi ratio vincitur. Ad illud autem quod immoderatione delectationis obiicitur, dicendũ est quòd ex quo Adã peccauit, nõ fuit coniugale opus sine aliqua immoderatione: sed quædam immoderatio est quæ pœna est solũ, & prouenit ex in-

ordinatione sæuientis concupiscentiæ. Sed ex quo aliqua prædictarum trium causarum, prius inchoatur opus illud, & non propter delectationem, & delectatio manet infra fines suos, scilicet in vi brutali, nec trahitur ratio vt delectationi consentiat, non est delectatio illa peccatum. Aquæ enim inferiores à superioribus sunt diuisæ firmamento virtutis.

Quot & quæ requirantur ad hoc quòd opus carnale sine culpa sit & meritorium.

ET notendū quòd multa requiruntur ad hoc quòd opus carnale sine culpa sit & meritoriū. ¶ Primū est, vt fiat in eadē specie. Natura enim est vis rebus insita ex similibus procreans similia. Vnde si fiat opus illud in alia specie, est peccatū contra naturam: quod tangitur Exo. 22. Qui coierit cū iumento, morte moriatur. Et Deut. 27. Maledictus qui dormierit cū aliquo iumento. ¶ Secundū vt fiat in organo dissimili. Si verò fiat in organo simili, est peccatū contra naturā: quòd tangitur Ro. 1. Nā fœminę eorū mutauerūt naturalē vsum, in eū vsum qui est cōtra naturā. Similiter & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideriis suis, in inuicē masculi in masculos turpitudinē operātes. ¶ Tertiū est, vt fiat in organo ad hūc vsum deputato: cōtra quod est pollutio extraordinaria, quā tangit gl. super prædictū locum Ro. 1. Qui cum ipsa cōiuge alio modo quàm licet dormierit, operatur cōtra naturā. ¶ Quartū est, vt nō fiat modo bestiali, sed modo quē decet rationalem naturam: modo scilicet idoneo infusioni seminis quantū ad virū, & receptioni seminis, quantū ad fœminā. Contra hoc verò est illud peccatū contra naturā, quod enumerat Methodius inter causas diluuij, dicens: Mulieres in vesaniā versæ super gressæ viris abutebantur. ¶ Quintū est, vt personæ inter quas hoc opus exercetur nō sic se habeāt, quòd vna sit radix à qua alia processerit, vel processerint ab vna radice è proximo. Hoc enim multum valet ad societatē, quæ multū est cōseruatiua humani generis. Per hoc enim, quòd matrimoniū contrahitur cū persona non attinente, initur societas inter cōsanguineos vtriusque personæ coniugū, qui sibi nō attinebāt. Si hoc opus exerceretur cū attinentibus, haberent homines suspectā cohabitationē vxorū suarū cum suis propinquissimis, & cum propinquissimis ipsarū: sic in magna parte periret societas humana cōseruatiua humani generis. Cōtra hoc est peccatū incestus peccatū valde detestabile, quòd etiā exemplo brutorū animalium nobis dissuadetur. Vnde legitur in lib. de natura animalium, quòd camelus cooperto capite matris eius super eā saltauit, & operimento sublato matrē cognoscens, turpitu

turpitudinis opere quod inceperat intercepto descendit, & ingeniatorē interfecit. Similiter cùm fieret equo & matri eius, cognoscens matrē sibi suppositā, subito fugit. ¶ Sextū est, quòd personæ inter quas hoc opus exercetur, vnitæ sint inseparabiliter: non enim sufficit vt consentiant vno cōsensu sicut fornicatores.

¶ De inseparabilitate matrimonij.

HANC inseparabilitatē primò videtur requirere, quia matrimonium sacramentū est figuratiuū matrimonij spiritualis, quod est inter Christū & ecclesiam. Eph 5. Sacramentū hoc magnū est: ego autē dico in Christo & ecclesia. Vnde cū illud matrimoniū sit inseparabile, & matrimoniū carnale inseparabile debet esse. ¶ Secundo fructus ad quē est matrimoniū, est indiuisibilitas. Destruitur enim proles si diuidatur. 3. Reg. 3. Dixit mulier cuius filius erat viuus ad regē qui eum iusserat diuidi: Obsecro domine mi, date illi infantem viuū, & nolite interficere eum. Si quis tamen obiiciat, quòd quando sunt plures filij, potest fructus diuidi: Dicendū est, quòd nec tunc diuidi potest quin omnes sint filij patris sicut & matris, & omnes teneātur tam patri quàm matri, & tam pater quàm mater omnibus. ¶ Tertiò, fidei integritas, sine qua non est secura societas. Si separari deberent, nō cōsideret vnus coniugū de altero: nec vnus fidelis esset alteri, quantū ad bonorū communicationē. Prou. vlt. legitur de forti muliere: Cōfidit in ea cor viri sui. ¶ Quartò, magnitudo amoris qui est inter ipsos: maximus enim videtur esse inter amores qui sunt ratione carnis, cùm etiā amori patris vel matris videatur præualere, secundum illud Matth. 19. Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit vxori suæ. Cū aliqua vnio corporū inseparabilis sit, vt mistio aliqua: mentalis vnio videtur debere esse inseparabilis, & maximè videtur de illa quæ est maritalis amoris, quæ maxima & familiarissima videtur esse. Præterea si omni tempore diligit qui amicus est, nulla aduersitas separare debet amicitiā coniugum. ¶ Quintò societas consanguineorū coniugum ipsis mediantibus contracta, quæ separabitur, si matrimoniū eorū dissoluatur, sicut mediantibus illis sociati fuerint: quæ societas cùm adeò sit Deo valde grata, ab homine separanda nō est. Contra vnitatē inseparabilem, est peccatū fornicationis. ¶ Sextū est, vt illud opus exerceatur inter personas, quæ sint vnitæ singulariter. Vnica enim vnici debet esse. Ad quod facit magnitudo amoris. Si enim maximus amor carnalis & familiarissimus est inter eos, cum vnica debet esse amor ille. Quod enim per superabūdantiā dicitur, vni soli cōuenit: hæc singularitas vnitatis in anulo ostenditur, qui vni

cum digitum capit. Si quis tamen obiiciat quia vnus debeat multas habere, vt sic multiplicentur cultores Dei, cùm vnus homo sufficiat multas fœcundare. Respondendũ est, quòd Deus non attendit tantũ multiplicationẽ generis humani, quantũ ad numerum, quantum attendit eius multiplicationẽ, quantum ad meritum, & vt frequentius qui generantur nõ sunt veri cultores Dei. Eccl. 15. Non cõcupiscit Deus multitudinem filiorũ infidelium & inutilium. Luc. 23. Venient dies in quibus dicẽt: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt. Licet paucissimi essent cultores Dei tempore primorũ parentum: tamen noluit dominus ordinare vt Adam haberet duas vxores simul, vt sic citius multiplicaretur genus humanũ. Pręterea primus quem genuit Adã, malus fuit, scilicet Cain. Vnde patet quòd citius genuit imitatorẽ diaboli, quàm cultorẽ Dei. Præterea animalia magna, vt dicitur in lib. de natura animaliũ, raro generant. Elephas enim fœmina cessat triennio post partũ à coitu: & camela per annũ. Paucos etiam generant, quia vnicũ fœtum: cùm animalia parui corporis generent multos, vt ibidem legitur. Sic homo maximus dignitate inter animalia, nõ est mirum si rarò & paucos filios generet. Præterea quandoq; qui sufficit multas fœcundare, vix sufficit vni, & proli eius sine periculo animæ suæ necessaria prouidere. Legitur in li. de nat. animaliũ, de aquila, quòd valde grauatur in nido, ita quòd venari non possit: & ideo nõ sufficit pascere plus quàm duos pullos: vnde tertium ouum proiicit, vel tertium pullum. Si quis verò obiiciat, quòd saltem in principibus qui sufficiunt prouidere tolerabile erit, quòd vnus habeat plures: Dicendũ est quòd frequentius isti minus sufficiunt prouidere vxori & filiis suis sine periculo animarum suarum, quàm alij. Præterea multiplicatio dominorum destructio est terrarũ. Multiplicatis hæredibus sequitur diuisio regnorũ quam consequitur desolatio eorũ. Matth. 12. Omne regnum in se diuisum, desolàbitur. Multiplicatis principibus multiplicantur mala super terrã. 1. Mach. 1. legitur de Alexandro qui diuisit regnũ suum pueris nobilibus, qui secum erant nutriti à iuuentute. Et subditur: Obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisq; in loco suo, & imposuerunt sibi diademata post mortem eius, & filij eorũ post eos annis multis, & multiplicata sunt mala super terram. Quando aliquis princeps habet multas vxores succedẽtes, vix est pax inter filios, qui sunt ex illis vxoribus. Præterea nollet princeps vxorem suam ab alio fecundari, etiam si ipse nõ posset eam fœcundare. Vnde nec ipse velle debet etiam quum vxor sua sterilis est, ex alia fructũ habere: hoc enim est de iure naturali, vt non faciat alij quod sibi non vult fieri. Præterea vix perfecta pax seruari posset, si vnus plures haberet. Conqueritur Sara Gene. 16. quòd ancilla sua Agar cõtemneret eã, cui ipsa virum suũ cõmunicauerat. Et Lia dixit Racheli: Paurumue tibi videtur, quòd præripueris maritũ meũ mihi? Ge. 30. Cõtra hanc singularitatem est peccatũ adulterij. ¶ Octauum est, vt nõ moueat ad opus carnale delectatio, sed vel bonũ prolis, vel iustitia, vel pietas, de quibus prius tactum. ¶ Nonum est, vt opere inchoato ratio non trahatur ad cõsentiendũ delectationi. Vnusquisq; enim tentatur à concupiscentia sua attractus & illectus. Iac. 1. ¶ Decimum est, vt eligatur tempus, in quo licet opus illud exercere: abstinendũ enim est ab illo opere tempore menstruorum. Leui. 16. Si coierit vir cum muliere tẽpore sanguinis menstrualis, immundus erit. Eiusdem 28. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes. & dicit Aug. quòd tũc abstinendum est ab illo opere propter prolis corruptionem. Hier. dicit, quòd tunc cõcipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi. Item tẽpore sacro. Augu. Propter dies processionis & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia etiam à licitis abstinendum est, vt facilius impetrari possit quod postulatur. Item tempore quo vxor grauida est. Vnde elephas prægnantem fœminam non tangit: vt legitur in lib. de natura animaliũ. ¶ Vndecimum est, vt locus sacer caueatur: non enim est exercendũ illud opus in loco sacro.

De temperantia delectationum secundum visum, auditum, & olfactum.

CAP. XVIII.

Dicto de Temperantia delectationum, quæ sunt secundum gustum & tactum, dicendum est de Temperantia quæ est secundum visum, auditum, & olfactum. Et notãdũ quòd quũ visus in omnibus animalibus sit supra auditum, & sub visu olfactus, vt legitur in libr. de natura animalium, periculosior visus esse videtur, nisi refrænetur, quàm auditus, & auditus quàm olfactus. Vnde scriptura multum suadet nobis refręnationem visus. Eccle. 9. Ne respicias mulierem multiuolam. In eod. Virginem ne conspicias. Item: Noli circunspicere in vicis ciuitatis. Et itẽrum: Ne circunspicias speciem alienam. Eiusdem 25. Ne respicias mulieris speciem. Et 41. Ne respicias mulierem alieni viri. Causas quare visus sit periculosus, require in tracta. de Luxuria, cap. de aspectu mulierum. De refrenatione visus & auditus, habetur Esa. 33. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit. Visus & auditus videntur habere curiositatem quasi

insatiabilẽ. Eccle.1. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Gre. Graue curiositatis est vitiũ, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandã vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens, se nesciat. Idẽ: Curiosi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto sit ignarus sui. ¶ Et notandum, quòd auditus à multis est tẽperandus. ¶ Primò à musicis instrumentis. Iob 21. Tenent tympanũ & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducũt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descendũt. Esa. 5. Cythara, & lyra, & tympanũ, & tibia, & vinũ in conuiuiis vestris, & opus domini non respicitis. Antigonus Alexandri pædagogus citharã eius fregit, adiecítq; dicens: Tuæ ætati iam regnare conuenit, pudeátq; in corpore regis voluptatem luxuria dominari. ¶ Secundo à lasciuo cantu vel colloquio mulierum. Vnde Eccle. 9. dicitur de saltatrice: Ne audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius. Et in eodem dicitur de muliere aliena: Colloquium illius quasi ignis exardescit. ¶ Tertio à malis proximi. Eccle. 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam detrahentem. ¶ Quarto à bonis propriis quæ adulatores solent hominibus ad memoriam reducere. Seneca: Si cõtinens es, adulationes euita: sitque tibi tam triste laudari à turpibus, quàm laudari ob turpia. Idem: difficillimum opus continentiæ est, assensiones adulatorum repellere, quorum sermones animã quadam voluptate resoluunt. ¶ Quinto à suauitate proprij cantus. Greg. Dum blanda vox quæritur, sobria vita deseritur. ¶ Olfactus etiá temperandus est à suauitate odorum: quum scriptum sit Esa. 3. Erit pro suaui odore fœtor. Vna pœna infernalis erit fœtor sulphuris. In Psal. ignis, sulphur, & spiritus procellarum &c. Esa. 30. Flatus domini quasi torrens sulphuris succendens eam.

TERTIÆ partis principalis de quatuor virtutibus cardinalibus, Tractatus IIII. De Fortitudine.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Fortitudo. PARS I.

DIcto de Prudentia & tẽperantia, dicendũ est de Fortitudine. De qua hoc modo dicetur. Primò ponentur diuersæ acceptiones huius nominis Fortitudo. Secundo, diuersæ descriptiones Fortitudinis. Tertio, ea quæ pertinent ad eius cõmendationem. Quarto, dicetur de his quæ iuuant fortitudinẽ. Quinto, de partibus ipsius. ¶ Circa primum, notandũ est, quòd nomen fortitudinis sumitur quãdoq; pro fortitudine

titudinẽ corporali, qualis fuit fortitudo Sampsonis. Hæc fortitudo videtur esse potẽtia facile agendi, & difficile à cõtrario patiendi. Quãdoq; verò pro fortitudine animi: & sic sumitur quadrupliciter. Vno modo generaliter, & secundum hoc fortitudo reperiri potest in omni vi, & omnis virtus fortitudinem habet respectu vtij sibi contrarij: vt continentia contra luxuriã. Prou. vlti. Accinxit fortitudine lũbos suos. Ad fortitudinem istã pertinet in omni opere meritorio facere ne quid minus, sicut ad tẽperatiam generalem pertinet facere ne quid nimis. Alio modo nomen fortitudinis sumitur largè: non tamen ita generaliter sicut prius. Et fortitudo hoc modo attenditur circa difficilia in passionibus, siue sint exteriores passiones, siue interiores. Exteriores passiones sunt cõtumeliæ, damna rerũ, & molestiæ corporis ab alio illatæ. Passiones interiores illæ dicuntur cõtra quas certamen habet temperantia: vt sapores gustui, & ea quæ appetitui sensibili passiones inferunt. De his passionibus dicit Philosophus, quòd difficiles sunt & cõtemporaneæ vitæ. Sic accipitur fortitudo super illud Prou. vlti. Mulierem fortem quis inueniet? Glo. Mulier fortis, ecclesia quæ pro amore sponsi prospera, & aduersa contemnit. Contemnere prospera, temperantiæ est. Et Tullius in lib. de Officiis dicit, quòd fortis animus & magnus duabus rebus maximè discernitur: quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur: altera res est, vt sic ita affectus animo vt res gerat magnas & maximè vtiles: sed vehementer arduas & plenas laborum & periculorum. & Ang. in libr. de libero arbitrio dicit, quòd fortitudo est affectio animæ, qua omnia incõmoda & damna rerum non in potestate nostra cõstitutarũ contemnimus. Res nõ in potestate nostra constitutæ sunt quæ nobis inuitis auferri possunt. Tertio modo strictius sumitur pro fortitudine, scilicet quæ attenditur circa ea quæ sunt difficilia in passionibus exterioribus, ita q; non comprehendit temperantiam. Et sic sumitur ab Augustino in libro de moribus ecclesiæ: Amor, inquit, ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, non appetendis istis temperans, in amittendis fortis inuenitur. Quarto strictissimè sumitur, secundum quòd non attenditur circa quodcũque difficile in passionibus exterioribus, sed tantùm circa exteriores passiones quæ corpori infliguntur, & non extendit se ad damna rerum. Et sic videtur Aristo. sumere Fortitudinem in Ethicis.

De descriptionibus Fortitudinis. PARS II.

CIRCA secundum notandum est, quòd fortitudo sic descri-

bitur ab Aug. in libro de moribus ecclesiæ: Fortitudo est amor omnia facile tolerans propter illud quod amatur. Sed videtur hæc descriptio nō solum conuenire fortitudini, sed etiam fidei, spei, charitati, & timori. De fide enim legitur 1. Pet. vlti. Cui resistite fortes in fide. Glo. quæ est tanquam murus. De spe, ad Hebræ. 6. Fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem &c. Gl. quod nos faciat in omni aduersitate fortes, volentes ad horam pati, vt in æternum regnemus. De charitate 1. ad Cor. 13. dicitur quòd omnia suffert. Et Cá. vlti. Fortis est vt mors dilectio. De timore, Iob. 4. Vbi est timor tuus? vbi formido tua? Glo. Has virtutes congruo ordine ponit, sicut in via seculi audacia fortitudinem, timor debilitatem parit: ita in via Dei timor fortitudinem. Ad hoc dicendū est, quòd fides, spes, & charitas & timor faciūt aliquem fortem ad aggrediendum terribilia, vel sustinendum difficilia, & aliter fortitudo, quia actus illi propriè sunt à fortitudine originaliter. Et fortitudo facit fortē formaliter ad aggrediendum terribilia & sustinendum difficiliora. Prædicta verò fortem faciunt eo modo quo accidit in certamine mundano, quòd brauium quod proponitur in medium certantibus, dum videtur ab eis & speratur haberi, & desideratur, motiuum est, vt virilius certent: Sic præmium æternum dum per fidem aspicitur, & per spem speratur, & per charitatē desideratur, hominem excitat vt fortius certet. Timor etiam filialis siue castus, cuius causa est amor, dum timet separari à Deo quem amat, ex hoc ipso plus Deo coniungitur, & fortius ei adhæret. ¶ Fortitudo sic describitur, super illud Matthæi 15. Erant quatuor millia hominum qui manducauerāt. Glo. Fortitudo est firmitas animi cōtra molestias seculi. Tullius verò in 1. Rheto. sic eā describit: Fortitudo est cōsiderata periculorū susceptio, & laborū perpessio. Idem in 2. Rhet. Fortitudo est magnarū rerum appetitio, & humiliū contemptio, & cū ratione vtiliratis laborum perpessio. Item fortitudo est rationabilis aggressio terribilium cū constanti eorum perpessione. Macrobius: Fortitudinis est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia metuere, vel prospera vel aduersa tolerare. Aristo. Fortitudo est virtus difficillimorum in passionibus operatiua gratia boni. Et loquitur Aristoteles de passionibus siue molestiis exterioribus.

De commendatione Fortitudinis. PARS III.

NOtandum ergo, quòd ad commendationem Fortitudinis potest valere, Primò frequēs admonitio, quā sacra scriptura facit de ipsa. Ios. 1. Confortare, & esto robustus. Simile habetur Deuteron. 31. & 3. Reg. 2. & Dan. 10. Itē Tob. 4. Forti animo esto. Simile eiusdē 7. ¶ Secūdo, q̄ virtus fortitudinis plus videtur habere virtuositatis cæteris virtutibus. Vnde nomē virtutis antiquitus fuit solius fortitudinis, vt ait Tullius. ¶ Tertio, quòd hęc virtus multum cōpetit statui in quo sumus. Mūdus enim iste locus est laboris & certaminis: ideo in vita valde necessaria est nobis fortitudo. Ad Gala. 6. Dū tempus habemus operemur bonum ad omnes. Eccle. 9. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò tu properas. Ber. In mundo isto quasi in stadio certaminis positi sumus. Eccle. 3. Tempus belli & tempus pacis. Tempus belli est in præsenti. Militia est vita hominis super terram. Iob 7. Vnde illa pars ecclesiæ quæ in terris est, militans ecclesia vocatur. Quę fortitudine debet esse induta in præsenti. Pro. vlti. Fortitudo & decor indumentū eius. Esa. 52. Induere fortitudine tua Sion. Si sine fortitudine sit, necesse habet fugere hostes suos tanquam inermis. Thre. 1. Abierūt absque fortitudine ante faciē subsequentis. ¶ Virtus fortitudinis etiā inseparabilis est. Totus enim mundus non posset vincere vnū hominem in quo esset vera fortitudo animi. Seneca: Facilius est gentem vnā quàm virum vnum vincere. Sine fortitudine animi quasi nihil est fortitudo corporis. Eccl. 9. Verti me ad aliud, vidique sub sole nec velociū esse cursum, nec fortium bellum. Esa. 1. Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ. & eiusdem 20. erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem. Virtus fortitudinis Deum lætificat. Neemiæ 8. Gaudium enim Domini est fortitudo vestra. De hostibus triumphat. 2. Reg. 22. Accinxisti me fortitudine ad prælium, incuruasti resistentes mihi subtus me. Homini bona sua seruat. Lucæ 11. Qū fortis armatus custodit atriū suum, in pace sunt cuncta quæ possidet. Item hominem ditat. Prou. 10. Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat. Eiusdem 11. Robusti habebūt diuitias. Et 21. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autē piger semper in egestate erit. ¶ Itē hominē glorificat, sicut ignauia hominem vilificat, Pro. 12. Manus fortiū dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Ipsa etiā regnum cælorū violenter occupat. Mat. 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

De his quæ iuuant Fortitudinem. PARS IIII.

QVæ iuuant Fortitudinem, videntur duodecim esse. ¶ Primo iuuat eam maiorum exortatio. Deuteron. 20. Appro-

pinquante iam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum, Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, ne pertimescat cor vestrum &c. Et 2. Machab. capit. vlti. legitur de Machabæo, quòd armauit socios suos non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis & exhortationibus. Et in eodem: Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, statuerunt dimicare & confligere fortiter. ¶ Secundo exempla robustorum. Vnde 2. Machabæorum 6. Hoc modo vita decessit Eleazarus memoriam mortis suæ exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. ¶ Tertio exercitatio. Bern. ad fratres de monte Dei: Rusticus duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc fecit, sine ea corpore mollescit. Voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires in omni labore suo ministrat. ¶ Quarto fides, mercedem fortium operum ostendendo. 2. Parali. 15. Confortamini, & non dissoluentur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro. ¶ Quinto timor. Pro. 14. In timore Domini fiducia fortitudinis. Timor illud expellit propter quod vel solum vel maximè timendum est, scilicet peccatum. Eccle. 1. Timor Domini expellit peccatum: ideo meritò hominem reddit securum. Item timor hominem facit purè operari, quod valet ad fortitudinem. Iob 16. Mundis manibus addet fortitudinem. Præterea timor facit hominem in se deficere, ideo in Deo roborat. Bernardus in sermonibus. Vtilis prorsus infirmitas, quæ medici manum requirit, & salubriter in se deficit, quam perficit Deus. Idem super Canti. Optanda infirmitas quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed etiam penitus destitui & deficere à memetipso vt domini virtutum virtute stabiliar? ¶ Sexto spes Esaiæ 30. In silentio & spe erit fortitudo vestra: spes fortem efficit, omnipotenti inniti faciendo. Ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. ¶ Septimo charitas. Et hoc dupliciter. Vno modo adiutorium proximi habẽdo. Proue. 18. Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma. Eccle. 4. Melius est duos esse simul, quàm vnum. Habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Et in eodem: Si quis præualuerit contra vnum, duo resistunt ei. Secundo modo veritati adhærendo. Gregorius in moralibus: Qui veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit: quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerit, omne quod foras mutabiliter agitur, ad arcem mentis minime pertinget. ¶ Octauo sapientia. Pro. 24. Vir sapiens fortis est, & vir doctus robust

robustus &c. Greg. in Moral. Valde fortitudo destituitur, nisi per cõsilium fuleiatur. ¶ Nono temperantia quę in prosperis seruat. Greg. in Moral. Nulla aduersitas deiicit, quem prosperitas nulla corrumpit. Idem: in hac vita qui nulla prospera appetit, nulla aduersa pertimescit. Primum pertinet ad temperantiam: secundum ad fortitudinem. ¶ Decimo disciplina corporis quę hostem domesticum debilitat. Bern. Quid mirum si hoste debilitato, tu fortior efficeris? ¶ Vndecimo, eleemosyna. Prou. 22. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera. Eccles. 29. dicitur de eleemosyna: Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit. ¶ Duodecimo, oratio, quæ multum valet ad fortitudinem. de cælo enim fortitudo est. 1. Macha. 3. Exo. 17. Cùm leuaret manus Moyses vincebat Israël.

De partibus Fortitudinis. Et primo de securitate: de duodecim solatijs contra timorem mortis, de timore inordinato, & securitate commendabili & reprehensibili. PARS V.

NOtandum ergo quòd Tullius in 1. Rhetoric. quatuor partes eius assignat, scilicet magnificentiã, fiduciam, patientiam, perseuerantiam. Macrobius verò septem partes eius tangit, Magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constãtiam, tolerantiam, firmitatem. Quidam verò sex tantum modo partes assignant: scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatẽ, patientiam, constantiam, magnificentiam. Et satis rationabiliter videtur posse poni hę sex partes fortitudinis. Fortitudo enim debilitatem animi expellit, & magnitudinem animi efficit.

¶ Quòd debilitatem expellat, patet ex hoc, quòd fortitudo debilitati opponitur. Quòd magnitudinem animi efficiat, patet ex hoc, quòd fortitudo dicitur magnanimitas. Sene. in libr. de quatuor virtutibus principalibus. Triplex verò est debilitas animi. Prima est, nimia pusillanimitas à malo futuro, quę timiditas vocari potest. Quæ dissuadetur, Eccles. 7. Noli esse pusillanimis in animo tuo. Et reprehenditur, Matt. 8. Quid timidi estis modicæ fidei? Secunda est nimia passibilitas à malo pręsenti, quæ est quasi quædam teneritudo vel mollities, cuius signum est facilitas dolendi, quæ infirmitas est in quibusdam qui conquæruntur secum durè agi, vel sibi dura verba dici. Tertia est instabilitas, quæ similis est debilitati virgæ subtilis quæ de facili in omnem partem flectitur. Contra has tres infirmitates, tres sunt partes fortitudinis. Securitas contra timiditatem. Patientia contra teneritudinem. Constantia contra instabilitatem. ¶ Foritudo inquantum animi magnitudinem efficit, tres habet partes. Ipsa enim

quantum

quantum ad actus suos habet principium, medium, & finẽ. Quitum ad principium, pertinet ad eam magnanimitas, quæ est rationalis aggressio terribilium: quantum ad medium, fiducia quæ est certa spes perducendi ad finem rem quæ inchoata est: quantum ad finem magnificentia quæ est rerum quæ geruntur felix consummatio.

¶ *De Securitate.*

INTER has sex partes fortitudinis, primò de securitate prosequemur, quæ est intimiditas mali. Iuxta illud Arist. in Ethic. Fortis est intimidus mali. Et describitur sic: Securitas est habitus secundũ quem imminentes incommoditates & rei inchoatæ affines non formidãtur. Et coarctat hæc descriptio securitatem ad intimiditatem, quæ est post rei inchoationem. Securitas cõmendatur nobis in leone. Prou. 28. Iustus vt leo cõfidens absque terrore erit. Eiusdẽ 30. Leo fortissimus bestiarũ ad nullius pauebit occursum. ¶ Et notandũ quòd secundum Philosophum quæ congregata sunt in homine secundum rationem, dispersa sunt in brutis secundũ naturam: vt castitas in elephante, liberalitas in leone. Vnde dicitur in li. de natura animalium, quòd vulpes secuuntur leonem, quia est animal cõmunicatiuum prædæ. Mansuetudo vero in agno. Esa. 53. Quasi agnus corã tondente se, obmutescet. Modestia iraſcendi in columba. Iere. 25. Facta est terra in desolationẽ à facie colũbæ, & à facie iræ furoris domini. Glo. Greg. Quia in Deo nulla furoris inæqualitas reperitur furorem domini iram columbæ nominauit. Vt enim vim diuinæ districtionis imperturbabilem demonstraret, & irã dixit & columbę. ¶ Securitas conflictum habet cum timore. Securitatis officiũ est, contra aspera fortunæ solatiũ dare. De quibus solatiis ait Sen. lib. de remediis fortuitorum. De cuius verbis pauca ponamus: Morieris, inquit. Et respondet, Hac conditione intraui vt exirẽ. Morieris. Gentilium lex est, quod acceperis reddere. Morieris. Peregrinatio est vita: cùm multum ambulaueris, diu redeundum est. Item morieris. Stultũ est timere quod vitare nõ possit. Istud non effugit etiã qui distulit. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Omnes te anteceſſerunt, omnes te sequẽtur. Item peregrè morieris. Ego quod debeo soluere paratus sum: videat fœnerator quo me appellet. Item iuuenis morieris. Optimũ est, antequã optes mori. Optimũ est mori quum iuuat viuere. Iuuenis moriar. Fortassis alicui malo te subdet fortuna: & si nulli alij, certe sẽsim senecturi. Insepultus iacebis. Quid aliud respõdeã, quã Virgilianum illud, Facilis iactura sepulchri? Si nihil sentio, nõ pertinet ad me iactura corporis sepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est. Quid interest, ignis an fera me consumat, an tempus? omnium vltima sepultura, non defunctorũ cura, sed viuorũ inuenta est sepultura, vt corpora & visu fœda & odore amouerentur. Idem in li. de natural. quæstionibus: Nihil refert quã minax mors veniat: quod à nobis petit, minimũ est. Et hoc senectus à nobis ablatura est: hoc auriculæ dolor, hoc humoris corrupti abundantia. Pusillà res est hominis vita, sed ingẽs res est contẽptus vitæ. Hanc qui contempserit, securus videbit Maria perturbari. Illa inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginẽ intrepidus, & fortasse quòd debebit cadere, prosiliet. Quid ad me quàm magna sint quibus pereo, ipsum perire non magnum est: si volumus trãquillè degere, anima in expeditò est habenda, siue illam insidiæ, siue morbi petant. Idem in eodem: Nihil interest vtrũ me lapis vnus elidat an toto monte præmar. Item egregiè Vagellius: Si cadendum, inquit, mihi est, cælo me cecidisse velim.

¶ *De duodecim solatijs contra timorem mortis.*

CONTRA timorem mortis possunt valere duodecim solatia quæ ex scripturis diuersis colliguntur. ¶ Primũ est, quòd ipsa mors hostem nostrum familiarẽ occidit, scilicet corpus ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ. Sapiens: Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus. ¶ Secundum est, quòd ostiũ nobis efficit in carcere immũdo in quo capti detinemur, in corpore scilicet. In Psal. secundum aliam literam: Educ de carcere animam meam. Sed sunt quidam adeò assueti miseriæ huius carceris, vt nihil timeãt, tantum in hoc carcere, quàm ostium vel exitum. Seræ & repagula ab incarceratis odio solẽt haberi, & nõ liber exitus. Tertium est, quod nos expedit ab onere cophini immũditia pleni. Sap. 9. Corpus quòd corrũpitur, aggrauat animam. ¶ Quartũ est, quòd nos expedit vel fidem imponit peregrinationi laboriosæ & amaritudinibus plenæ. Gre. Quid est vita mortalis, nisi via? & quale sit, fratres mei, perpendite in via lassari, & viam nolle finiri. Idem: Vita præsens laboribus plena est: cum luctu agitur, & tamen cum lachrymis dimittitur. Eccl. 20. Melior est mors, quàm vita amara. ¶ Quintũ est, quòd lentum equum omni genere vitiorum vitiosum nobis occidẽdo, dextrariũ optimum nobis restitui facit. Equus vitiosus corpus est. Ab hoc equo expediri desiderabat Paulus, ad Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tribus de causis timet miles equum sunm amittere: vel quia non est securus de emenda, vel quia capi timet equo amisso

amisso, vel propter equi bonitatē. Nulla verò harū trium causarū est in casu proposito. Securus enim est de emenda seruus Dei. S. Ambro. Mori non timeo, quia bonum dominum habeo. Et 2. Mach. 7. dixit vnus de septem fratribus: De cælo, inquit, ista possideo: sed propter legem Dei ista despicio, quia me ea recepturū spero. Non timet etiam seruus Dei capi equo amisso: tunc enim de manibus hostium liberatus est. In Psal. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Equus iste etiam adeo vitiosus est, vt operā dum sit seruo Christi ab eo expediri. Sextum est præsentis vitæ periculum. Mors portus est periculosę nauigationis in mari huius mundi, iuxta verbum Ber. Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor nauibus non perit vna: in mari huius mundi, de quatuor nauibus vix euadit vna. ¶ Septimum est mortis necessitas. Sen. Nullus est pernicioſior hostis, quàm quem audacem angustiæ faciūt. Paria conantur magnus animus ac perditus. Cogitemus non quantū propè mortem perducti sumus, omnes reseruamur ad mortem: nec de re, sed die quæritur. Nónne contemneres eum qui inter morituros cōstitutus, beneficij loco peteret vltimus ceruicē amputari? Idem facimus magni æstimamus tardius mori. Idem in lib. de naturalibus quæstionibus. Nullum maius solatiū mortis, quā ipsa mortalitas. ¶ Octauū est, moriēdi continuitas. Sen. Quid times quod quotidie experiris? Idē: Quotidie morimur, tota die aliqua pars vitæ demitur, & tunc quoque cū crescimus, vita decrescit. ¶ Nonū est, mortis propinquitas. Chry. Signati post modicum mortui sumus. Quare ante modicū in causa Dei cū gloria non morimur, vt fiat voluptariū, quod futurū est necessariū? Sen. Nemo tam immitis est, qui malit semper pendere, quàm semel cadere. Idē: Erras si in nauigatione sola putas minimū esse, qua morte vita diuiditur. In omni loco æquè tenue interuallū est. Non vbique se mors tam propè ostendit, vbique tam propè est. ¶ Decimū est mors Christi. ad Heb. 12. Curramus ad propositum certamen, aspicientes in authorē fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Augu. Magna consolatio est membris ex capite, quòd Christus est qui sapientia Dei patris, gaudiū mundi fugit, & ad mortē voluntariè venit: certissimū argumentum est quòd mors seruis Dei timenda non sit. ¶ Vndecimū est, amantissimi & sapientissimi patris potestas. Hoc solatiū exhibuit dominus discipulis suis, dicēs eis post suam resurrectionem: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Matt. vlt. Magna consolatio est filiis Dei, quòd persecutionis

virga est in manu patris eorū. Patris inquā misericordiarum cuius sapientiā nihil latere potest, cuius potentiā nihil potest superare. Vnde verisimile est quòd persecutor non affliget filios eius, nisi quātum pater videbit eis expedire. Esa. 10. Virga furoris mei Assur. Matt. 10. Nónne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? ¶ Duodecimum est, sequens immortalitas. Tullius: Non est lugēda mors quā immortalitas eōs sequitur. Eccl. 7. Melior est dies mortis, die natiuitatis. Duabus de causis melior est seruis Dei dies mortis, die natiuitatis. Vna est, quia mors est egressus à miseria, natiuitas vero ingressus est ad miseriam: melior est egressus à miseria, quàm ingressus ad miseriam. Sapiens: Mors bona si non est, finis tamen illa malorum est. Sen. Mors malorū omnium remedium est. Secūda est, quia mors est porta gloriæ seruis Dei. Ipsa est inchoatio beatæ vitæ: vnde est nobilior mors quàm sit natiuitas secundum corpus. Vnde transitus sanctorū, natale eorum vocatur ab ecclesia. In Psal. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Verè pretiosa, quia est regni æterni pretiū. ¶ Sequitur de quibusdā aliis solatiis, quæ tangit Sen. in lib. de remediis fortuitorū. Exulabis. Et respondet. Patria est vbicūque bene es. Illud autem per quod bene es, in homine, non in loco est. Si sapiens est perfrinatur: si stultus, exulat. Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: leuis est patientia. Si grauis est, feramus: nō leuis est gloria. Dura res est dolor, imò tu mollis. Non sum potens: gaudeo iniuriam facere non poteris. Pecuniam perdidi: fortasse illa te perdidisset. O te felicem, si cū illa auaritiā perdidisti. Sed si manet illa apud te, es tamē vtcunque felicior, quòd tanto malo materia subducta est. Pecuniā perdidisti: & illa quā multos. Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore posuit loco. Dānum putas, remediū est. Pecuniā perdidisti: nēpe quā vt tu haberes, alius antè perdiderat. Oculos perdidi: quā multis cupiditatibus via incisa est. Oculi incitamenta sunt vitiorum, duces scelerum. Amisi liberos: Stultus es qui fles mortē mortalium. Periere perituri. Habebāt illi cuius essent magis quàm tui. Educandos tibi fortuna mandauerat: recepit illos, non abstulit. Naufragium feci. Cogita nō quid perdideris, sed quòd euaseris. Nudus exij: sed existi. Omnia perdidi: sed cum omnibus perire potuisti. In latrones incidi: noli conqueri quòd incideris, gaude quòd effugeris. Amicum perdidi: aliū quære, & ibi eum quæras, vbi inuenias. Quære inter liberales artes, inter honesta & recta officia, quære in laboribus. Ad mēsam res ista nō quæritur. Perdi-

di

di amicũ,fortem animum habe: si vnum erubesce: si vnicũ,quid tu in tãta tẽpestate ad vnã auchorã stabas? Bonã vxorẽ amisi. Inuenies,si nihil quæris nisi bonam vxorem. Soror bona nõ potest recuperari,nec mater. Vxor aduentitium bonum est. Non est inter illa quæ semel vnicuique contingunt. Multos tibi numerare possum,quibus bonã vxorem lugẽtibus contigit melior. Contra aspera huius mũdi abundantius consolatur scriptura,& specialiter doctrina Saluatoris,qui ad hoc consolandũ miseros in mũdũ istũ venit. Esa.61. Ad annũtiandũ mãsuetis misit &c. vt cõsolaretur omnes lugẽtes. De consolationibus habes Matt.5.& 10.& Luc.6.

¶ De timore inordinato.

SECVRITAS timorem inordinatũ expellit. Contra quẽ dicit Sen. in epist. Nos ad præsentia non aptamur: sed cogitationes in longinqua prẽmittimus. Itaq; prouidentia maximũ bonũ conditionis humanæ,in malũ versa est. Ferãt pericula quæ vident fugiunt, quũ effugere secutũ sit nos,& vẽturo torquemur & præterito. Multa bona nostra vitio nostro nobis nocent. Timoris tormentũ memoria reducit, prouidentia anticipat: nemo tantũ præsentibus miser est. Idẽ: Plura sunt quæ nos terrẽt,quàm quæ premittunt,& sæpius opinione quàm re laboramus. Illud tibi præcipio,ne sis miser ante tẽpus, quũ illa quæ velut imminentia expauisti,fortassis nunquã ventura sunt. Quædã magis torquẽt quàm debeant: quędã torquent,cùm omnino nõ debeãt: quędã antè torquent,quàm debeant. Idẽ: Respice an certa argumẽta sint futuri mali: plerunq; suspicionibus laboramus,& illudit nobis illa quæ conficere belli solet,fama. Non coarguimus illa quæ nos in metum adducũt: nec excutimus,sed trepidamus: & sic vertimus terga, quẽadmodũ illi quos pulvis motus fuga pecorũ fugauit castris, aut quos aliqua fabula sine authore sparsa cõterruit. Nescio quomodo vana magis cõturbant: vera enim modũ habent. Quàm multa expectata nunquã cõparuerũt, etiã si futurũ est: quid iuuat dolori suo occurrere? satis citò dolebis quũ venerit, interim tibi meliora promitte. Idẽ: Spe metũ tẽpera: alius dicat, fortasse nõ veniet: tu dic, quid si veniet? videbimus vtrũ veniat: fortasse pro me venit,& mors ista vitã honestabit. Contra timorẽ inordinatum multum valet sapientia. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter,& disponit omnia suauiter. Sapientiæ 8. Ecõtrario est de stultitia. Sen. Stultitia nihil pacatum habet, ad omnia pauet, & ipsis terretur auxiliis.

¶ De securitate commendabili & reprehensibili.

ET notandũ q̃ est securitas cõmẽdabilis,& est securitas reprehensibilis. De cõmendabili dicitur Prou.15. Secura mẽs quasi iuge cõuiuium. Gre. in Moral. Quasi continuatio refectionis, est trãquillitas securitatis. Idẽ: Iustis initiũ retributionis est ipsa plerũque in obitu securitas mentis. Idem: Quisquis ad vitæ præcepta se dirigit, priusquam vitæ æternæ præmia percipiat, hic iam initia securitatis in perpetuum securitatis degustat. Securitas ista videtur esse sequela virtutum. Greg. in Moral. Dum virtutes mentri lætitiam pariũt, quandam etiam securitatem gignũt. ¶ Ad securitatem primò valet puritas conscientiæ. Conscientia pura meritò secura est, quum à peccato purgata sit, propter quod solùm vel maximè timendũ est. Bern. O vita secura, vbi pura cõscientia in quam via secura, vbi absque formidine mors expectatur, imò exoptatur cũ dulcedine, & excipitur cũ deuotione. Secundò, diuturnitas pœnitentiæ. Gregorius. In pœnitente cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascitur. Tertiò cõtemptus boni transitorij. Gregor. in Moral. Mira securitas cordis, aliena non quærere. Augu. in lib. de lib. arbit. Nemo securus est in his bonis, quæ potest inuitus amittere: virtutem autem & sapientiam nemo amittit inuitus. Qui bona transitoria contemnit, mala pœnæ transitoriæ non metuit. Seneca: Desines timere, si sperare desieris. Quartò integer amor interni & æterni boni. Vnde super illud Prouerb. 28. Iustus autẽ quasi leo confidens absque terrore erit. dicit Gloss. Iusti securitas leoni comparatur: quia quum quaslibet aduersitates insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit quod vincit, quia illum diligit quem nemo inuitus amittit. ¶ Securitas reprehensibilis, est securitas temeraria: vt est securitas eorum, qui ita sunt securi in mari huius mundi, quasi iam essent in portu, & ita sunt securi dum adhuc bellum durat, quasi iam triumphassent. 3. Regum 10. Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus. Bernardus in sermonibus: Nusquam est securitas, fratres, neque in cælo, neque in paradiso, neque in mundo. In cælo cecidit angelus sub præsentia multo minus in mundo deitatis. Adam in paradiso de loco voluptatis: Iudas in mundo de schola Saluatoris. August. in lib. Confess. Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur. Hieronymus in epistolis: Nulla securitas est vicino serpente dormire. Qui habent hanc securitatem, facile à diabolo vincuntur. Hieron. in epistolis: Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Iudic. 18. Nullus erit labor, intrabimus ad securos. Hier. Noli nimis esse securus: nimia securitas mentis tempestas est. Grego. in

Moral. Sæpe quẽm certamen suæ tẽtationis superare nõ valuit, sua securitas deterius strauit: & vnde se pertimescit quandoque cadere, inde accipit fortiter stare. Idem: Sancti viri sic de spe sunt certi, vt tamen semper sint de tentatione suspecti. Quæ securitas vbi etiam excellentia sunt dona Dei, vt est diuina reuelatio, possunt esse homini occasio ruinæ. 2. ad Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi, &c. Gl. Aug. Quomodo securus agnus egreditur, vbi aries sic periclitari metuit? Greg. In paradisum duceris, & ab angelo sathanæ tentaris. Item securitas reprehensibilis, est securitas cum negligentia. Grego. in homil. Plerique pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt, quòd nulla commiserint mala grauiora. Idem in Moral. Dum mẽs secura redditur, in torporem laxatur. Idem: Mater negligentiæ solet esse securitas. Item reprehensibilis est securitas incauta. Greg. in Moral. Multis sæpe graue periculum, incauta securitas fuit e contrario. Prou. 11, Qui cauet laqueos, securus erit. Greg. in Moral. Sæpe mens dum in se virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatæ culpæ telo perforatur, & inde à Deo in æternum longe fit, vnde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquauit. Item securitas reprehẽsibilis est eorum, qui pericula futura non præuident. De securitate talium, Iob 21. Domus eorum securæ sunt, & pacatę, &c. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. De improuisione talium, Prou. 28. Viri mali non cogitant iudicium. De securitate malorum, Eccl. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, filij hominum absque timore vllo perpetrant mala. In eodem: Sunt impij qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Securitatẽ cum improuidentia habebat, cui dictum est, Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Luc. 12. Item illi de quibus eiusdem 17. Edebant, & bibebant, vxores ducebãt, & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Et in eodem similiter factum est in diebus Loth, edebant, &c. Et pluit ignem, & sulphur de cęlo, & omnes perdidit. Talis etiã securitas fuit Ierosolymitis, quibus Dominus ait Luc. 19. Et quidem in hac die quæ ad pacẽ tibi; nunc autẽ absc̃dita sunt ab oculis tuis, &c. Et 1. ad Thess. 5. Cùm dixerint pax & securitas: tũc repẽtinus eis superueniet interitus.

De Patientia. PARS VI. *sex habet capitula.*

De ordine dicendorum de Patientia, de descriptionibus Patientiæ & merito, ac distinctione nominis eius. CAP. I.

SEquitur de patiẽtia, de qua hoc modo dicetur: Primò ponetur descriptiones eius. Secundo, ea quæ pertinent ad eius commendationem. Tertiò, agetur de his quæ iuuant patientiam. Quartò, ponentur eius diuisiones. ¶ Circa primum notandum quòd patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia. Et potest sumi hæc descriptio à verbis Gregorij super illud Lucæ 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Gregor. Vera patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum qui irrogat mala, nullo animi dolore moueri. Et super illud Iob 4. Vbi fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? dicit Glos. In fortitudine proficit qui mala aliena immotus tolerat. ¶ Describitur etiam sic: Patientia est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans. Vel sic: Patientia est omnium passionum molestarum aliunde illatarum victoriosa perpessio. ¶ Item sic describitur à Tullio in 1. Rhetoric. Patientia est honestatis aut vtilitatis causa, rerum aduarum & terribilium voluntaria ac diuturna perpessio. Honestatis causa est perpessio: vt cùm quis pro fide Christi potius eligit mori, quàm negando eam saluare vitam suã. Vtilitatis vero causa: vt cùm quis pro salute regis mori eligit. Voluntaria vero ideo dicitur: quia qui omnino inuitus patitur, non habet laudẽ vel meritum. Ideo dicitur 1. Petr. 4. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt non Christianus erubescat, diuturna dicitur: quia ad verum patientem pertinet, vt patiendo perseueret. ¶ Si quis obiiciat quòd passio exterius illata non videtur voluntaria esse, & ideo nec meritoria: Dicendum est, quòd quædam sunt passiones intrinsecus natæ: tamen per apprehensionem extrinseci boni, vel mali mouentis: vt gaudium, spes, timor, dolor. Et hæ passiones possunt esse à voluntate eius qui patitur, tanquam à causa efficiẽte, vel non resistente, quæ indubitanter possunt esse meritoriæ. August. 14. libro de ciuitate Dei: Cupiditas, lætitia, metus, tristitia, voluntates sunt. Recta voluntas bonus est amor, & peruersa malus est amor. ¶ Amor fugiens quod ei aduersatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est; animi dolor, qui tristitia nominatur, dissensio est. Quædã verò passiones sunt extrinsecus illatæ: vt molestia corporis, vel contumelia verbi. Et passiones non sunt voluntariæ à voluntate eius qui patitur, tanquam à causa efficiente. Tamen possunt quodammodo dici voluntariæ voluntate consentiente, & non contradicente. Voluntas verò sustinendi seu recipiendi eas, secundum quosdam, meritoria est etiam aureæ & aureolæ, si tamen sit cõiuncta pas-

sioni: aliter verò non est meritoria aureolæ. Secũdum alios passio quæ quodammodo est voluntaria, est meritoria, prout meritorium dicitur, quod de debito sit magis debitum. Dicitur enim mereri, secundum alios multipliciter. Vno modo est impetrare aliquid de congruo: sic boni merentur aliis gratiam. Alio modo de indebito facere debitũ: & mereri hoc modo pertinet ad gratiam mediante actu liberi arbitrij. Tertio modo, mereri est de debito facere magis debitum: sic meretur quis actu exteriori, vel passione meretur aureolam, inquantum ex charitate eam suscipit, & non ipsa voluntate suscipiendi. Plus enim dicit susceptio voluntaria, quàm voluntas suscipiendi. Ponit enim actualẽ passionem, & voluntatem circa ipsam susceptionem: tamen fortitũ non exigitur, quòd tunc sit actu voluntas, sed sufficit quòd voluntas illa fuerit ex qua hæc susceptio est voluntaria, dummodo patiens maneat in charitate. ¶ Et notandum quòd patientia quandoque largè sumitur, quandoque strictè. Patientia largè est, circa omne difficile, & circa omnem tẽtationem. Iac. 1. Beatus vir qui suffert tentationem. Strictè verò est circa passiones extrinsecus illatas: actus verò patientiæ est recipere passionem, ita quòd animus nec succumbat, neque vindictam inferenti appetat.

De commendatione Patientiæ. CAP. II.

AD commendationem Patientiæ, Primò facit frequens admonitio, quam facit Sacra scriptura ad patientiam. Ephes. 4. Obsecro vos in domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & patientia. 1. Thessalon. 4. Patientes estote ad omnes. 1. Timoth. 6. Homo Dei sectare patientiam. Hebræ. 12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Iacob. 5. Patientes estote fratres vsque in aduentum domini. ¶ Secũdò, quia patientia valde glorioſe triumphat. Ad gloriam triumphi eius facit, quòd ipsa sine ictu, vel repercussione vincit. Non leuaret vnam festucam ad hostes feriendos: sed tela eorum retundit, & in corda hostium mittit. In psalm. Gladius eorum intret in corda ipsorum. Persecutoris gladius in cor eius intrat, quia animam eius occidit. Patientia vincit homo persecutores, & dæmones, & seipsum. De persecutoribus patet in beato Vincentio, qui vicit Datianum. Vnde dixit ei: Vis me plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques. De dæmonibus verò, idem patere potest, quos patientia martyrum eiecit de dominio huius mundi. Legitur de quodam sene monacho eremita, quòd cùm quidam homo malo spiritu arreptus eum fortiter in maxilla percussisset, & senex mox alteram præbuisset, diabolus statim recessit. Similiter legitur de filia cuiusdam primarij dæmonium habente, quòd cùm quidã discipulus secũ venisset ad domum in qua ipsa erat puella à dæmonio vexata, dedit alapam ei: ille autẽ præbuit ei mox & aliam. Dæmõ autẽ coactus clamauit, ꝙ violenta mandata Dei expellerẽt eum inde, & statim curata est puella. ¶ Patientia vincit seipsam, quod genus vincendi est rarissimum. Est etiam nobilissimũ. Seneca in lib. de Naturalibus quæstionib. Innumerabiles sunt qui populos, qui vrbes habuerunt in potestate: paucissimi, qui se ad gloriam huius triumphi. Primò facit quòd hostis familiarissimus eo vincitur. Nulla verò pestis efficacior ad nocẽdum, quàm familiaris inimicus. Secundò, quòd patiẽs hostẽ superat, qui iam est secũ in arce. Difficilius verò est, hosti resistere cùm intrauit castrum vel arcẽ, quàm si sit extra. Vnde super illud Prou. 16. Melior est vir patiens viro forti, &c. dicit Gl. Minor est victoria vrbes expugnare, quia extrà sunt quæ vincuntur. Tertiò, quia qui fortior est in fortiori, fortior est in minus forti: & cùm aliquis multas vrbes expugnauit, si posteà seipsum superauerit, nobilior erit triumphus vltimus præcedentibus, quo victor vrbiũ seipsum deuincit. Ad gloriam huius triumphi etiam facit, quòd cùm in aliis triumphis pugnet homo totus contrà hostem, hic non pugnat, nisi quasi dimidius. Patientia sancti vicerunt regna. Patientia hominẽ reddit inuincibilem. Vnde super illud Iob 4. Vbi est fortitũdo tua, &c. Qui se vincit, cõtra omnia fortis est. Vnus homo verè patiens à toto mundo vinci non posset. Senec. Facilius est gentẽ vnam, quàm vnum hominẽ vincere. Idem loquens de quodam qui vicit ignẽ, & duos reges patientia sua: Ego non dubito, quin magis laudẽ trunca illa manus manci meruerit, quàm cuiuslibet fortissimi, quam saluam fecit hostiũ flammarũque cõtemptor, & manum suam in hostili foculo distillantẽ spectauit, donec iussum est, vt inuito ignis eriperetur: hoc tanto magis puto, quãto ratius est hostẽ amissa manu vicisse, quàm armata. Fecit bellum inermis & mãcus, & illa manus trũca duos reges vicit. Poëta: Maxima virtutum patientia pugnat inermis, Armatósque solet vincere sæpe viros. ¶ Legitur ꝙ Socrates positus in carcere, cùm essent qui permitterent eum fugere, noluit exire: sed remansit, vt duarum rerũ grauissimarũ hominibus metum auferret, mortis scilicet, & carceris. Sancti maximè videtur gloriari in his quæ sunt patientiæ. Gal. vltim. Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini. 2. Cor. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. Roman. 5. Gloriamur in tribulationibus. ¶ Tribus

de causis electi gloriantur in tribulationibus. Primò, quia viros strenuos magis decet tribulatio, quàm prosperitas. Sicut militi gloriosius est esse in exercitu, quàm in balneo. Boëtius: Vir sapiens molestè ferre non debet quoties in certamen forte adducitur. Sic virum fortè nõ decet indignari, quoties bellicus increpuit tumultus. Senec. in epist. Quid enim malit, quisquis vir est, somnum suum classico quàm symphonia rumpi? Secundò, quia in hoc assimilatur Christo, cui assimilari magnæ gloriæ est. Ecc. 18. Magna gloria est sequi Dominum. Ber. super Cant. Quanta gloria est sponsæ assimilari sponso? nihil gloriosius reputat quàm Christi portare opprobrium. Idem: Grata ignominia crucis, sed ei qui crucifixo ingratus nõ est. Gloriosum est militi deferre arma regis: sic gloriosum est Christiano deferre stigmata Christi. Gal. 6. Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Iesu Christi in corpore meo porto. Aug. Stigmata appellauit, quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Stigma enim dicitur punctum, vel nota aliquo ferro facta. Tertiò, quia tribulatio ostẽdit eos esse amicos Dei. Apocalyp. 3. Ego quos amo, corrigo, & castigo. ¶ Tertiò magnũ dominium patiẽtiæ. Patiẽti seruiunt persecutores. Prouerb. 12. Qui stultus est, seruiet sapienti. Nullus adeo seruiuit beato Vincentio vtiliter, vt Datianus, fabricãdo ei coronam regni æterni. Et in Psal. Supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores. Fabricaueruntinquam, coronam æternam. Patiẽtiæ seruiunt æstus & hyems, & omnia aduersa mũdi. Sterilitas agrorũ implet eius horrea, sterilitas vineærum cellaria. Fures & raptores & alia hominibus noxia seruiũt ei. Ignis domos aliorum exurens ædificat patientiæ domum in cælis. Ad eam pertinet illud Psalm. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Ipsa confringit potentias, arcum, scutũ gladium & bellum. Omnia enim ista in obsequium eius cõuertũtur. Ipsa mors seruit ei, tenebrosum carcerẽ corporis cõfrangendo. Mors clauis regia est, quam Deus exhibet ad liberandum amicos suos à carcere corporis. Ipsa porta est per quã amici Dei effugiunt è manibus persecutorum ad Dei misericordiã. Prouerbior. 14. Sperat iustus in morte sua. Patientia dominatur homo sibiipsi. Lucę 21. In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras. Hoc dominium attenditur in hoc, quòd ipsa cohibet hominem inferiorem ab illicito appetitu vindictæ. Cohibet similiter exteriorem. Linguam enim cohibet à cõtumelia, manum à violentia. Vnde sicut dicitur de garrulo, quòd nõ potest tenere linguam suã, de homine verò modesto in verbis, contrarium dicitur

citur: Sic patiens potens est seipsum cohibere & interius & exterius ab his quæ pertinent ad vindictam. Et quantum ad hoc, dicitur patiens animam suã possidere. In homine impatiẽte dominatur ira vel furor, & eũ possidet. ¶ Quartò, quòd hominem ditat. Patiens sapienter agit ad hoc vt debita sua soluat. Ipse sapienter acquirit, sapienter custodit, & multiplicat: sapienter debita soluit, nihil de suo in solutione expẽdendo, sed faciendo vt hostes sui ea soluant, dum iniurias ab eis illatas patienter sustinet, quæ sunt velut aurum & argentum & lapides pretiosi, quibus à debitis suis absoluitur. Iob 37. Ab aquilone aurum veniet. Ipse de his quæ nullius valoris videntur esse, debita sua soluit: vt sunt mala pœnæ, mors scilicet, infirmitas, & similia. Mors enim ei pretiosa est. In Psalm. Prætiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Augu. in lib. de Ciuit. Dei: Quid pretiosius quàm mors, per quam fit vt omnia delicta dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Patiens de hoc quod necesse habebat expendere, à debitis suis se absoluit, & insuper regnum cælorum emit: vt patet in martyribus, quorum mors per quam necessariò transiturui erant, ab omni pœna eos absoluit, & regnum cælorum eis acquirit. Patiens sapienter acquirit: quia sine suo labore, labore scilicet persecutoris qui materiam coronæ perpetuæ ei ministrat. Et in hoc est melior vir patiens viro forti. Prouer. 16. Fortis enim multo labore diuitias spirituales acquirit, vigilando, ieiunando, peregrinando. Patiens etiam conseruando sapienter agit. Si enim persecutor in aliquo temporali damnificat hominem patientem, ipse quę sibi remanẽt, maximè spiritualia, diligenter custodit. Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Ecõtrario impatiens si ei auferatur aliquid terrenum, ipse proiicit spiritualia bona. Prouerb. 19. Qui patiens est, non sustinebit damnum. Eccl. 2. Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Patiens etiam multiplicando sapienter agit. Ipse enim mala in bona cõuertit. Ipse de malis commodum suum facit. Ipse non experitur quicquã mali. Eccle. 8. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Esa. 3. Dicite iusto quoniam bene &c. Patienti in omnibus aduersis bene accidit, quia iuxta verbum Gregor. nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Patientia ariditate paupertatis vberius fructificat. Ipsa ad modum vrsi verberibus impinguatur, & vt Salamandra, de igne tribulationis viuit. Et ad modum asini pungitiuis pascitur, & vt struthio ferrum & alia dura comedit. Quia gaudet patientia duris. Ipsa ad modum piscis marini aquis

tribulationum nutritur. Et lapides in panes conuertuntur: quibus enim impatientes lapidantur, patientes pascuntur & ædificantur. Patientię donum à Deo datum est, vt alat suos in fame. Fames enim est eorum refectio. Patientia est desertum & hortus voluptatis. Patientia est velut aurũ quod igne tribulationis depuratur. Homo impatiens est vt palea quæ ibi exuritur. Augu. in lib. de Ciuit. Dei: Sicut aurũ sub vno igne rutilat, palea fumat, & vbi paleæ comminuuntur, frumenta purgantur: Ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur & blasphemant, boni Deum precando laudant. ¶ Quintò quòd iram Dei & proximi mitigat. Prouerb. 25. Patientia lenitur princeps. Bernard. Vapulem sanè vt male operans, si mihi flagella in merita computentur: forsitan miseretur flagellato, qui in me non inuenit meritum quod remuneret. Prouerb. 15. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. ¶ Sextò, quòd Christo vicem reddit. 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. In Psal. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vult Christus vt aliqua patiamur pro eo, sicut ipse passus est pro nobis. Vnde cùm comedisset de pisce asso, dedit reliquias discipulis suis. Lucæ vlt. Piscis assus est Christus passus. Voluit Christus communicare discipulos passioni suæ. ad Colossens. 1. Ad implebo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. ¶ Septimò, quòd hominem quasi martyrem facit. Gregor. Sine ferro vel flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus. ¶ Octauò, quòd mita facit. Gre. Ego virtutem patientiæ signis & miraculis maiorem puto. Si patientiam habens aliquid mortiferũ biberit, non ei nocebit. Sermo venenatus quę audit, in medicinã ei vertitur. Patiẽti nox aduersitatis vt dies illuminabitur: ita enim clare videt in nocte aduersitatis sicut in die prosperitatis, vel etiã clarius. Et implet Dominus illã promissionẽ Esa. 43. Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, nõ combureris. homo patiens est vt rubus ardẽs absque læsione. Exo. 3. Homo patiens est vt pueri quos Deus in igne Babylonicæ fornacis illæsos seruauit. Daniel. 3. ita accidit homini patiẽti, sicut accidit beato Tiburtio, qui cùm nudis plantis incederet super carbones ardentes, videbatur ei quòd super roseos flores incederet. Prouer. 6. Nunquid potest homo ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? homo patiens hoc potest. ¶ Nonò, quòd patien

patientia multum ad sapientiam facit. Prou. 14. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia. Homo impatiens nõ solùm est stultus, sed quasi insanus, quia ira furor breuis est. Prouer. 19. Doctrina viri per patientiam noscitur. Grego. Tanto quis ostenditur minus doctus, quanto minus patiens conuincitur: quum Dominus qui sapientissimus est, sit patientissimus, in fine mundi iniurias suas vindicaturus est. Qui magis patiens est, magis sapiens est, & magis Deo assimilatur. Prouer. 14. Impatiens operabitur stultitiam. In eodem: Qui impatiens est, exaltat stultitiam suã. ¶ Decimò, quòd patientia statui huius exilij multum congruit. Apocal. 13. Hæc est patientia & fides sanctorũ. ad Heb. 10. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Ministri Dei qui sunt de ecclesia militanti multũ indigent patientia, sicut illi qui sunt in bello, multũ indigẽt scuto vel aliis armis. 2. ad Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia. Et inter ea quæ charitatis sunt, primo ponit Apostolus patientiam. 1. ad Corint. 13. Charitas, inquit, patiens est, benigna est. Qui in hac vita est absque patientia, est quasi homo sine cappa in tempore pluuiali, & sicut homo inermis in medio hostium suorum. ¶ Vndecimò, quòd patientia vestis purpurea est, valde decens in electis Dei. Coloss. 3. Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Patientia vltima ponitur quasi ordinans & protegens cæteras virtutes. Prouerb. vltim. legitur de hac purpura, Byssus & purpura indumẽtũ eius. ¶ Duodecimò, quòd ipsa animam perficit. Vnde super illud Iob 4. Perfectio viarum tuarum. dicit gloss. De patientia perfectio nascitur. Iacobi 1. Patientia opus perfectum habet. Habẽt cęteræ virtutes opus perfectũ quãtum ad sufficientiam: sed patientia, quantum ad excellentiam. Patientia vitam feliciter consummat. Ipsa enim efficit ne vir iustus in tormentis deficiat. ¶ Terciodecimò, quòd ipsa est radix cæterarum virtutum. Vnde dicit Gloss. super illud Lucæ 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Patiẽtia est radix & custos omniũ virtutum, quia sicut radix portat plantã cum ramis suis & fructu, ita patiẽtia portat omnia onera quæ sibi imponuntur. ¶ Decimoquartò, quòd ipsa rosa est quãtum ad redolentiã & ruborem martyrij. Patientes enim dicere possunt illud: Propter te mortificamur tota die. Martyrium patientiæ quandoque durat quadraginta annis, quum martyrium beati Laurentij paruo tempore finitum sit. De redolentia dicit Gragor. in Moralibus: Sicut aromata odo-

rem suum, quum incendantur, expenduntita viri sancti omnes quod de virtutibus redolet in tribulationibus innotescunt. Aug. in libro de ciuitate Dei: Non qualia, sed qualis quisque patiatur, interest. Nã pari motũ exagitatum vel exhalatum, horribiliter, tenuiter, & suauiter fragrat vnguẽdum. ¶ Decimoquintò, quòd valde efficax est ad acquirendum cælum. Hier. Non nisi per patientiam impletur quod dicitur, Regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. Mat. 11. Vnde quum in aliis beatitudinibus fiat promissio de futuro, patientibus dicitur regnum cælorum esse de præsenti. Mat. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. ¶ Decimosextò, quòd animi magnitudinem ostendit. Senec. Magni animi est, iniurias in summa patientia pati.

De his quæ iuuant Patientiam, de Tribulatione, & multiplici eius vtilitate. CAP. III.

TRia verò videntur multum iuuare patientiam, scilicet scriptura sacra, oratio, sancta meditatio. Scriptura sacra. Vnde in Psal. Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me. Mensam inquam scripturæ. Prou. 30. Omnis sermo Dei clypeus ignitus est sperãtibus in se. Oratio multum iuuat eam, cũ patiẽtia vel eius profectus donũ Dei sit. Vnde in Psal. Ab ipso patiẽtia mea. Et iterũ: Tu es patiẽtia mea. Item oratio gratiã impetrat qua tribulatio refrigeratur. Eccl. 18. Nónne ardorem refrigerabit ros? Hier. 17. Dicitur de ligno plantato iuxta aquas, q̃ non timebit cũ venerit æstus. Ideo Dominus Mat. 26. appropinquante tribulatione passionis, discipulos monet ad orandum: Vigilate, inquit, & orate ne intretis in tentationem. Et Luc. 21. prædicta tribulatione ante iudicium ventura monuit eos ad orãdũ: Vigilate, inquit, omni tempore orãtes, vt digni habeamini fugere quæ ventura sunt. Esaiæ 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulãtis, & mittet eis saluatorem. In Psal. In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Iac. vlt. Tristatur aliquis vestrum, oret. Mediatio etiã iuuat patientiam. Præuenit enim tribulationem, & ad eã præparat maximè meditatio de his quæ fidei sunt. Vnde fides & patiẽtia sociãtur. ad Heb. 6. Imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabũt promissiones. Et Apoc. 13. Hic est patientia & fides sanctorum. De præparatione ista, tãgitur Eccl. 2. Præpara animã tuam ad tentationem. Psal. Ego autem in flagella paratus sum. ¶ Meditatio verò præparãs ad tribulationẽ, diuidi potest in quinque species. Quarum prima versatur circa exẽpla. Secunda, circa ea quæ fecimus. Tertia, circa ea quæ meremus. Quarta, circa persecutores. Quinta, circa tribulationes. ¶ Prima subdiuiditur in tres species. Quarũ prima est circa malos qui tot & tanta patiũtur, vt peccata sua perficiãt, qui quotidianis cruciatibus cruciatũ merentur æternum. Ecclesia. 21. Via peccãtium complantata lapidibus, & in fine illius inferi, & tenebræ, & pœnæ. Sapient. 5. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis. Ambulauimus vias difficiles, dicunt mali. Libenter sustinere debent boni pro vita beata, quæ sustinent mali pro morte æterna. ¶ Secunda est circa alios qui pro minimis bonis, scilicet trãsitoriis tot & tanta substinẽt. Iac. 5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum: patientes estote & vos &c. ¶ Tertia, circa bonos. Tob. 2. Hanc tentationẽ permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Et pòst: Non est contristatus cõtra Deum, quia plaga cæcitatis euenerat ei. Iac. 5. Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finẽ Domini vidistis. Hieronym. Quis sanctorum sine patientia coronatus est? à cunabulis ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens. Gregor. Facta præcedẽtium patrum consideremus, & non erũt grauia quæ toleramus. ¶ Inter exempla verò sanctorũ præcipuum est exemplum Christi. ad Hebr. 12. Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt non fatigemini animis vestris deficientes. Exemplũ Christi est quasi scutũ quod dam cordium nostrorum. Thre. 3. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. 1. Pet. 4. Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Bernard. super Cantic. Vtrunque es mihi Domine Iesu, & speculum patiẽdi, & præmiũ patientis: vtrũque fortiter pronocat ac vehementer accendit. Idẽ super illud Cant. 1. Fasciculus myrrhæ, &c. Habete illum semper: non retro in humeris, sed antè præ oculis, ne portantes & non odorantes, & omnes pro mat, & odor non erigat. Videntes angustias Domini, leuius vestras portabitis. Gre. Si ipse hinc sine flagello nõ exiit, qui sine peccato venit: quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Passio Christi lignum est aquas tribulationum dulcorans, signata ligno illo quod à Domino ostẽsum est Moysi, vnde aquæ dulcoratę sunt. Exo. 15. Greg. Si passio Domini ad memoriã reuocetur, nihil adeò durũ quod nõ æquo animo toleretur. Elephantis ostendebatur sanguis vuæ, & mori, ad acuendum

eos

eos in præliũ.1.Macha.6.Et Dominus ostendit manus & latus di scipulis in tribulatione positis.Luc.vlt.Et aspectus serpentis ænei sanabat à morsibus ignitorũ serpentium.Num.21.Aspectus enim Christi in cruce irã & impatientiã sanat. ¶ Ad secundã speciem meditationis quæ varsatur circa ea quæ fecimus,pertinẽt verba Sacræ scripturæ quæ sequuntur,Genes.42.Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrũ.Michææ 5.Irã Domini portabo,quoniam peccaui ei.Poëta:Leuiter ex merito quicquid patiare ferendũ est.Greg.in Moralibus:Tunc illata conuitia bene toleramus,quũ in secreto mẽtis ad male perpetrata recurrimus. Idẽ:Tanto quis patientius ferrũ medici tolerat, quãto putridum esse conspicit quod secat.Idem:Per hoc quod culpæ pondus cognoscitur, afflictionis pœna alleuiatur.Idem:Patienter iniuriam illatam tolerat, qui piè meminit quod fortasse adhuc habeat in quo debeat ipse tolerari. Idem: Considerata infirmitas propria mala nobis excusat aliena.Idẽ in Pastoralibus: Si quis sua incõmoda quæ portantur considerat,ea quę ab altero sustinet, leuius portat. ¶ Ad tertiam quę est circa ea quę meruimus,pertinet illud Greg.Leue quidẽ videtur quòd iniuria percutimur,dum in actione nostra cõspicimus quòd peius est quod meremur.Habac.3. In grediatur putredo ossibus meis,& subter me scateat vt requiescã in die tribulationis. ¶ In quarta meditatione attendendus est status persecutoris, qui est quasi insanus vel freneticus in seipsum manum iniiciens, in cor suum primo gladium mittens. Fratri vel filio insano vel frenetico debetur compassio, non odium vel indignatio.Hanc meditationem inuenit Glos.Bedæ super illud Lucæ 6.Benedicite maledicentibus vobis,&c.Medicus animarũ quos ad curandos proximos instruit,omnia quæ ad salutem proximorum valere possunt tolerare præcepit, vt tanquam à filiis ægrotantibus vel freneticis,si salus illorum id exigat multa patiatur,donec infirmitas transeat. ¶ Item attendendum est quòd persecutor virga est patris misericordiarum : illis qui patientes sunt est aurea:impatientes verò habebũt ferream,quæ tanquam vas figuli confringet eos.Virga ista in signum clementiæ extenditur filiis Dei:vnde non est odienda, sed potius amplectenda. Esther 5.Osculata est Esther virgam auream quam ostendit ei Assuerus.Qui virgã patienter sustinent,tormentũ malitiæ euadent.Sapient.3.Et non tanget illos tormentum malitiæ siue mortis. ¶ Item attendendũ est in hac meditatione, quòd licet persecutor in præsenti filios Dei pungat,tamẽ in futuro eis mellificat.In Psalm:Circumdederunt me sicut apes,&c.Apes etsi inferãt compunctionis dolorem,amantur tamen,quia ministrant mellis dulcedinẽ.Similiter amãdi sunt persecutores,& tolerãda est pũctura

ad tẽpus propter iucũditatẽ quę ex ea sequitur. Eccle.1. Vsque ad tẽpus sustinebit patiens,& postea redditio iucunditatis. Greg.Si illic dulcia appetimus,necesse est vt prius hic amara toleremus.

¶ *De tribulationibus.*

SEQVITVR de quinta meditatione quæ circa tribulationes versãtur.In qua primo attendendum est, à quo sit tribulatio.A deo enim est.Eccle.11.Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.Et ita cũ ipsa sit à summo bono,indubitãter ipsa bona est & amãda.Ipsa est munus datum à Deo quia amantissimus est:Vnde chara habenda est. Solent homines chara habere quæ dantur eis ab amicissimis suis,licet sint parui valoris.Ioan.18. dicit Dominus Petro : Calicem quem dedit mihi Pater,non vis vt bibam illum? Tribulatio potio est data à sapientissimo & fidelissimo medico.Vnde non est timendum infirmo de excessu.Quomodo enim excederet qui sapientissimus est & fidelissimus?1.ad Corinthios 10.Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.In Psalm. Congregans sicut in vtre aquas maris. Mensurat enim amaritudines tribulationis.Exo.15.Stetit vnda fluẽs.Iob cap.38. Circũdedi mare termin is meis, & posui vectem & ostia, dixi, Hucusque venies, & non procedes amplius. ¶ Secundò attendendum est, quòd non solum tribulatio est à summè bono, sed etiam in summè bono fuit:ex quo manifestũ est ipsam bonam esse.In eo enim nihil potuit esse nisi bonum.Augustinus: Omnia terrena bona contemsit homo Christus vt contemnenda monstraret: & omnia terrena mala substinuit,quæ sustinẽda præcipiebat,vt nec in illis quę reterretur felicitas,nec in istis timeretur infelicitas.Idẽ: Vnicus ille de Patris substãtia natus,æqualis Patri,in forma Dei,Verbum quo facta sunt omnia,non habebat vbi flagellaretur.ad hoc autem carne indutus est, vt sine flagello non esset. Qui flagellat vnicum sine peccato, relinquet adoptatum, qui est cum peccato. ¶ Tertiò attendendum est,quòd tribulatio ad summum bonum ducit,& ideo indubitanter est bona.Gregor,Mala quæ nos hic præmunt,ad Deum ire compellunt.Act.14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum. ¶ Et notandum quòd quum tribulatio bona sit, licet amara, ipsa non est proiicienda,vt faciunt quidam similes illi qui ascendens in arborem nucis,inueniens amaritudinem in cortice fructus, eum proiicit, & ideo non gustat de dulcedine nuclei.Sic aliqui infelices tribulation

lationem proiiciunt, quum eius amaritudinem sentiunt. Sapientiam 3. Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est. Prouer. 3. Tene disciplinam, & ne dimittas eā. ¶ Porius condienda est tribulatio quasi quadruplici salsa. ¶ Prima est, consideratio æternorum suppliciorum, quæ salsa est pungitiua: generat enim timorem. Dedit Dominus metuentibus se, significationem vt fugiant à facie arcus. Arcus inquam, diuini iudicij. Hæc significatio est tribulatio: quia homines futura mala non timēt, ideo Dominus adhibet præsentia mala propter quæ velint nolint dolent, vt dolor præsentium introducat timorē futurorum. In Psalm. Apprehendite disciplinam. Glo. etiam si fugiat. Discipina præsentis tribulationis tabula est apprehendentes eam à naufragio liberans: sed in futūro tribulatio apprehendet & submerget illos, qui eam nunc fugiunt: Iob 27. Apprehendet eum quasi aqua inopia. Virga Moysi proiecta versa est in colubrum. Exod. 4. Sic tribulatio proiecta in mortem, &c. 15. Qui increpationes odit, morietur. Virga non occidit. Prouerb. 23. Si percusseris eum virga, non morietur. Sed coluber occidit. Ideò rectè in virga intelligitur pœna trāsitoria: in colubro mors æterna. ¶ Secūda salsa est consideratio æterni præmij. Hæc est quasi aromatica. Gregor. Consideratio præmij minuit vim flagelli. ¶ Tertia est, consideratio passionis Christi. Augustin. Magna consolatio membris ex capite. 2. ad Timoth. 2. Si compatimur, & conregnabimus. Bernard. Nunquid Christus socium tribulationis à communione sua patietur arceri? Sic confidens in cruce latro, eadem die cum eo fuit in paradiso.

¶ *De multiplici Tribulationis vtilitate.*

QVARTA est multiplex vtilitas tribulationis. Et primo ponamus septem vtiles effectus tribulationis, secundū septem proprietates ignis. Tribulatio enim per ignē in scriptura sacra consueuit significari. Psal. Igne me examinasti. ¶ Notandum ergo, quòd tribulatio ad modum ignis illuminat. Threnor. 3. Ego vir videns paupertatem meā, in virga indignationis eius. Gregor. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Daniel. 4. Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Altissimus in regno hominum. Et subditur: Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos ad cœlū leuaui, & sensus meus redditus est mihi. Hæc illuminatio figurata est in illuminatione Tobiæ, qui felle posito super oculos eius visum recepit. Tob. 11. In amaritudine fellis, intellige amaritudinē tribulationis. Tribulatio fugat stultitiā ab homine, & verā sapiētiā introducit. Prouer. 22. Stultitia colligata est in corde pueri, sed virga disciplinæ fugabit eam. Iob 27. Sapiētia nō inuenietur in terra suauiter viuentiū. Interlin. Nā si verē saperēt, in hoc exilio potius luxurierēt. Glo. Qui vsque adhuc vitę voluptatibus pascitur, ab ęternę sapiētiæ intellectu separatur. Aurū verò terrę Heuilath optimū est: quod interpretatur, dolēs. Gē. 2. Eccl. 24. Qui emittit disciplinā sicut lucē. Esa. 28. Tātū sola vexatio dabit intellectum auditui. Thren. 1. De excelso misit ignē in ossibus meis, & erudiuit me. Ier. 6. secundū translationem LXX. Per omnē dolorē & flagellum erudieris, Hierusalem. Prou. 29. Virga atque correptio tribuit sapientiā. Eccl. 22. Flagella & doctrina omni tempore sapientia, id est, causa sapiētiæ. Efficacior verò ad erudiendū videtur esse aliquando disciplina verberum, quàm disciplina verborum. Vbi enim non potest disciplina verborum, additur disciplina verberū. Item Eccl. 22. Pūgēs oculum deducit lacrymas, & qui pūgit cor, profert sensum. ¶ Secūdò, emollit vt ignis ceram, vel omnino liquefacit vt ignis metalla dura. Iob 22. Deus molliuit cor meū. Psal. Liquefacta est tera sicut cera. Cera igne modico emollitur, & veterem imaginem deponit, & nouā recipit: sic corda non indurata modica tribulatione emolliūtur, & vetustatē vitiorū deponunt, & nouitatē virtutum assumunt: corda verò dura non liquefiunt ad ignem tribulationis, nisi sit tribulatio magna mortē inferens vel comminans. Tunc vetustas vitiorū deponitur, & corda parata sunt fluere in omnem modulū & formā rectę viuēdi, omnino parata stare sacerdotis mandato. Tunc fit ibi felix cōmutatio dexteræ excelsi: vas enim ignominiæ commutatur in vas gloriæ, & serui diaboli efficiuntur filij Dei. Prouerbior. 12. Verte impios, & non erunt. Iob 28. Auro locus est in quo conflatur. Hic locus est ignis tribulationis. ¶ Tertiò, tribulatio hominem roborat: sicut ignis roborat laterem, quem tamen videtur comburere. Ad Romanos 5. Tribulatio patientiam operatur; tribulatio roborat inducendo sanctos, vt dentes leonis infernalis, qui sunt hæretici, malorum suggestores, detractores & persecutores nihil possint in eos de tribus diaboli. dicitur Esa. 3. Quare atteritis populū meum, & facies pauperum commolitis? Patientia martyrum multos dē ter extraxit de ore diaboli, quia visa patientia sanctorum multi ad Christum conuersi sunt. ¶ Quartò tribulatio destruit, & quasi adnihilat vincula amoris, quibus aliquis ligatus est mundo. Vnde Danielis tertio. Tres pueri qui ligati missi sunt in fornacem, inuenti sunt soluti. Vnde accidit in homine qui tribulationem patitur, sicut accidit qu Christianus populus obsideret

quod

quoddam castrum quod tenebant Saraceni. Oppoſuerunt enim Saraceni quẽdam Chriſtianum nobilem captum machinæ, ſperantes quod in eam partem iacere nollent lapides. Illo autẽ clamante, vt propter eum non deſiſterent ab impugnatione: experiunt Chriſtiani lapides iacere, & primo lapidis ictu ruptus eſt funis quo ille ligatus pendebat. Vnde ille cadens in foſſatum abſtractus eſt à Chriſtianis, & ſic liberatus eſt: qui verè potuit Domino dicere, Diripuiſti Domine vincula mea. Catena illa quæ nos ligatos tenet, eſt amor viuẽdi: iuxta verbũ Senecæ. Aliquando verò vno ictu tribulationis tædet aliquem viuere, & mortem deſiderat, cadẽs in profundum humilitatis. Eccl. 41. O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti. Sicut adhæret cibus vaſi in quo decoquitur, niſi moueatur, & amittit ſaporem debitum & colorem: ſic cor hominis adhæret huic mundo per amorem, niſi tribulationẽ patiatur, ſecundum illud Pſalm. Conglutinatus eſt in terra venter noſter. Nec eſt modica vtilitas ſeparatio ab amore mundi, quum totũ & ſolũ malũ hominis ſit amor mundi. Iuxta verbũ Aug. Greg. Ipſe mundus dũ tot amaritudinibus cruciat, dũ calamitates ingeminat, quid aliud niſi vt nõ ametur clamat? Niſi tribulationes eſſent, homines Deum obliuiſcerentur, bonis temporalibus contenti. Greg. Electis ſuis Deus interaſperũ facit, ne dum delectantur in via, obliuiſcatur eorum quæ ſunt in patria. Baruch 4. Delicati mei ambulauerunt vias aſperas. Tribulatio eſt velut abſynthium, quo hi qui ſunt paruuli ſpiritualiter, à temporali conſolatione ſeparantur, ſicut pueri aliqua amaritudine à lacte ſeparari ſolent. ¶ Quintò tribulatio hominem probat. Eccleſi. 27. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Eiuſdẽ 2. In igne probatur aurum & argentum, & homines receptibiles in camino humiliationis. Iob 23. Probabit me quaſi aurum quod per ignem tranſit. Tobiæ 12. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret. In Pſ. Probaſti cor meũ, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, &c. Greg. Nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si bella deſunt virtutũ experimenta non prodeunt. Idem: Improuidus miles eſt, qui ſe fortem in pace gloriatur: nemo quippe quantum profecit, niſi inter aduerſa, cognoſcit. ad Roma. 5. Patientia probationem operatur. Gen 27. Accede fili mi vt tangam te, & probem vtrum tu ſis filius meus, an nõ. ¶ Sextò purgat. Io. 16. Omnẽ palmitem qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat. Malach. 3. Sedebit cõflans & emundans argentũ, & purgabit filios Leui. Greg. Quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio viro iuſto. Sed de quibuſdam poteſt dici illud Ierem. 6. Fruſtra cõflauit conflator. Malitiæ enim eorũ non ſunt conſumptæ: argentum reprobum vocate eos, quia Deus proiecit eos. Maledictum ferrum quod ex lima cõtrahit rubiginem. Non aurum, ſed paleam ſe oſtendit, qui in igne tribulationis non purgatur, ſed per impatientiam crematur. Matth. 3. Paleas comburet igni inextinguibili. ¶ Septimo tribulatio ad modum ignis deſiccat ab aquis deliciarum, & ſic conſeruat. Greg. in Paſtoral. Cor Solomonis idcirco funditus ſapientiã deſeruit, quoniam ipſum nulla diſciplina exterius cuſtodiuit. Tribulatio eſt, vt myrrha à putrefactione cuſtodiens. Hæc Paulum cuſtodiuit ne ſuperbiret. 2. ad Corin. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Tribulatio viris Iſraëlitis murus eſt à dextris & à ſiniſtris. Exodi 14. Erat aqua filiis Iſraël, quaſi murus ad dextram, & ad læuam. Tribulatio ſepit viã inferni, ne electi per eam incedant. Oſee 2. Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria. Tribulatio hominem ſeruat à furibus infernalibus. In hominibus voluptati deditis vitia abundant. Eſa. 26. Iuſtitiam non fecimus in terra noſtra: ideo nõ ceciderunt habitatores terræ: id eſt, peccata. ad Romanos 7. Scio quòd habitat in carne mea peccatum. Adam in deliciis quaſi in aqua dulci cõputruit. In tribulatione verò quaſi in aqua ſalſa ſeruatur homò à putrefactione. Greg. Liber homò per cibũ ſibi mortẽ intulit, & reductus ad ueniam ſub diſciplina melius viuit. Idem: Quo nos Deus durius ex diſpenſatione percutit, eo amplius ex pietate cuſtodit. Idem: Electum ſuũ diuina gratia tunc magis erudiendo cuſtodit, quum quaſi percutiendo deſerit. Sic facit Deus eccleſiæ, ſicut Alexandrum feciſſe legitur, qui cinxit quòddam nemus igne propter ſerpentes. Sic Chriſtus igne tribulationis eccleſiam cingit, propter ſerpentes infernales. ¶ Præter effectus prædictos habet tribulatio multos alios effectus. ¶ Primus eſt, quod ſanat. Ipſa eſt medicina ſanans eos qui ſponte eam recipiunt: eos verò qui eam recipere nolunt, inquinat: effunditur enim ſuper eos. Dauid: Calicem ſalutaris accipiam. Idem: Effunde iram tuã ſuper eos, qui te non nouerunt. Eccle. 28. Altiſſimus de terra creauit medicinã, & vir ſapiens non abhorrebit eam. Inuoluenda eſt hæc medicina quaſi ſub quadam nebula præſentis vtilitatis, ne homo abhorreat eam: vel admiſcẽda eſt ei zuchara æternæ dulcedinis. ad Hebræos 12. Omnis diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercita-

tis per eam reddet iustitiæ. Tribulatio est velut cauterium factum in membro minus nobili ad sanandum membrum magis nobile: molestia corporis infirmitatem sanat mentis. Eccles. 10. Curatio cessare faciet peccata maxima. Prouerb. 13. Legatus fidelis sanitas. Fideliter agit tribulatio cum eo, cui dominus mittit eam: operatur enim ad eius vtilitatem, non ad voluntatem. Eccles. 31. Infirmitas grauis sobriam reddit animam. Prou. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula. Cauteria videntur esse vulnera, quum tamen potius sint remedia. Sic tribulatio videtur esse aduersitas, quum potius sit remedium à Deo datum. Eccl. 7. Melior est ira risu. Ira, inquam, aduersitatis, risu prosperitatis. Dicit Greg. de beato Benedicto, qui propter tentationem carnis proiecit se in spinis, quòd vulnere corporis sanauit vulnus mentis. Idem: Quis nesciat quòd multo melius est ardere flammis febrium, quàm igne vitiorum? & tamen cùm febre corripimur, quia vitiorũ æstu, qui occupare nos poterat, considerare negligimus, de percussione murmuramus. Idem: Durum non æstimes esse quod pateris, dum æternis cruciatibus ab interna passione liberaris. Idem: Diuina dispensatione agitur, vt prolixiora vitia prolixior ægritudo exuat. Item tribulatio hominem incitat, vt Deum requirat. Esa. 26. Domine, in angustia requisierunt te. In Psal. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Idem: Quum occideret eos, quærebant eum. Osee 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me. In Psal. Cõuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Exod. 22. Vrgebant Ægyptij Israëlitas exire de Ægypto. Et filius prodigus fame vrgente quum rediit ad patrem suum. Luc. 15. Item accelerare facit. In Psalm. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. ad Hebr. 4. Festinemus ingredi in illam requiem. Saltem deberet qui à Deo flagellatur, intelligere quòd iumentum percussum videtur agnoscere, scilicet quòd percutiatur, quia erat extra viam: vnde redit ad viam, vel quia nimis lentè incedebat, vt gressum accelleret. Sic quòd flagellatur à Deo, si extra viam erat per mortale peccatum, debet redire ad viam deserendo peccatum: si in via erat, sed lentè incedebat pauca bona agendo, accelerare debet gressum plura bona agendo. Item tribulatio consolationem meretur. Esa. 61. Vt ponerent consolationem lugentibus Sion. In Psal. Secundum multitudinem dolorum meorum, &c. Idem: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Deutero. 8. Afflixit te penuria, & dedi tibi manna. Item tribulatio virtutes iuuat. Hier.

Adiutrix

Adiutrix virtutum est tribulatio. Ipsa valet ad timorem, dum pœnas futuras facit intelligi. Gregor. Si Deus tam asperè percutit vbi parcit, quàm asperè percutiet, vbi non parcet? Idem: Districtus iudex quanta illic districtione feriet quos reprobat, si hic cruciat quos amat? Luc. 23. Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Ierem. 25. Quum noluerint accipere calicem de manu tua, vt bibant, dices ad eos: Bibentes bibetis, &c. Quia ecce, in ciuitate in qua inuocatum est nomen meũ, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? non eritis immunes. 1. Petr. 4. Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? Item valet ad spem, ad Romanos 15. Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Meritò spem habet de regno æterno, qui monetam habet, qua ipsum emitur. Moneta ista ab electis non reprobanda, est tribulatio. Iob 5. Increpationem domini ne reprobes. Item valet ad charitatem, dum facit intelligi quid pro nobis filius Dei fecerit, quum pro nobis morti se exposuit. Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. Item valet ad humilitatem. Iob 6. Sagittæ domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum Item valet ad pietatem. Homo enim in deliciis nutritus, nescit aliis compati. Ierem. 44. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua. Et subditur: Non est transfusus de vase in vas. De vase inquam iustitiæ, in vas misericordiæ. Filius Dei compassionem didicit patiendo. Hebræ. 4. Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia. Item tribulatio signum est diuini amoris. Apoc. 3. Quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo, & age pœnitentiam. Prouerb. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit, instanter erudit. Eccle. 30. Qui diligit filium suum, assiduat ei flagella, vt lætetur in nouissimo suo. ad Hebr. 12. Quem diligit Deus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In eodem: Quis filius quem non corripiat pater? Et iterum: Si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. August. Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Idem: Noli esse iniquo sensu & puerili, vt dicas, plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quàm me: quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio: potius gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas. Illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit. Idem: Quid mirum, si flagellat custodiens paruulos Dominus,

quos grandes quærit hæredes? Idem: Non timeas flagellari, sed exhæredari. Gregor. Nisi correctis Deus hæreditatem dare disponeret, erudiri eos per molestias non curaret. Idem: Ne queraris de verbere, dum nescis quæ te maneant præmia in remuneratione. Tribulatio in præsenti ex pietate datur. Gregor. Ideo Deus hic quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat: ideo autem hic ferit, non parcendo, vt in æternum parcat. In Psalm. Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in adinuentiones eorum. Amos 3. Tantummodo vos cognoui ex omnibus congregationibus terræ: idcirco visitabo super vos iniquitates vestras. 2. Machabæorum 6. Non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij indicium est. Greg. Electi quinque timent, ne vltio quæ suspenditur, in fine grauior seruetur. Feriri paterna correctione desiderant, & dolorem vulneris salutis medicinã putãt. Gaudere debet infirmus, quum vider cælestem medicum intromittere se de eius infirmitate, & ex hoc sperare salutem. Illi qui in omnibus in mũdo isto prosperantur, sunt quasi infirmus desperatus, cui nihil quod petat negatur. Greg. Desperatis ægris, medici quicquid poposcerint dari præcipiunt: & eis qui reduci possunt ad salutem, quæ appetunt dari contradicunt. Idem: Continuus successus temporalium, est certum futuræ calamitatis indiciũ. Vitulus mactandus liber ad pascua mittitur. Gre. Iniustus ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur: quia & vituli qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur. Iustus à delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia etiam nimirum vitulus ad laboris vsum deputatus, sub iugo retinetur. ¶ Aliquando quod videtur esse misericordia, verè est ira: & quod videtur esse ira, verè est misericordia. August. ad Marcellinum: Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quia nihil infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impietas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Sed peruersa & aduersa corda mortalium felices res humanas putant, quum tectorũ splendor attenditur, & labes non attenditur animorũ: quum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutũ: quum gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur: cum ex his quæ diuitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes. Hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur grauius: si impunita dimittit, tunc punit infestius: quum verò euertit subsidiũ vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer aduersatur. Esa. 25. Misereamur impi

impio: Et subditur. Et non discet facere iustitiam. Augu. in 2. lib. Confess. Tu semper aderas misericorditer seruiens, & amarissimis aspergẽs offensionibus omnes allicitas iucũditates meas, vt ita quærerem sine offensione iucundari. Idem: Percutis vt sanes, & occidis nos ne moriamur abs te. Idẽ 5. lib. Patiebar in cupiditatibus meis amarissimas difficultates, te tanto magis propitio, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras. Idem 7. lib. Acies conturbata & tenebrata mentis meæ acri collyrio salubriũ dolorum de die in diem sanabatur. Ezech. 16. Auferetur zelus meus à te, & requiescam, nec irascar amplius. Osee 4. Non visitabo super filias vestras, quũ fuerint fornicatæ. Item tribulatio Dei socium efficit, secundum illud Psal. Cum ipso sum in tribulatione. Et iterũ: Iuxtà est dominus his qui tribulato sunt corde. Bernard. Quantumcunque sæuiat tribulatio, non putes te derelictum, sed memineris scriptum esse, Cum ipso sum in tribulatione. Et Dan. 3. Vidit Nabuchodonosor in fornace cum tribus pueris quartum similem filio Dei. Esa. 43. Quum ambulaueris per aquas, tecũ ero. Gregor. Da mihi semper tribulationem, vt semper possis esse mecum. Item tribulatio est quasi via strata & munda, quum prosperitas via sit lutosa. Vnde quũ Deus de prosperitate educit hominẽ & ponit in statu aduersitatis, deberet lætari, dicens cum Dauid: Eduxit me de lacu miseriæ, de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Item tribulatio hominem proficere facit. In Psalm. In tribulatione dilatasti mihi. Sine tribulatione homines dormiũt somno pigritiæ: sed tribulatio excitat eos, vt ignis in domo succensus, & vt aqua nauem subintrans. Matth. 8. Domine, salua nos, perimus. Augustinus: Ideo præmuntur iusti in ecclesia, vt pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificẽt Deum. Item tribulatio virtutem perficit. 2. ad Corinth. 12. Virtus in infirmitate perficitur. ¶ Tribulatio multis modis facit perfectionem virtutis. Primò, quia purgat virtutes, vt ignis aurum. Greg. Fornax tribulationis ligna vitiorum incinerat, & aurum purgat. Secundò, quia hostem debilitat, corpus scilicet. Tertiò, quia magnitudo tribulationis occasionem dat, vt Deus gratiam augeat. 1. ad Corinthios 10. Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum: id est, virtutis augmentum. Quartò, quia secundum verbum Senecæ, multum adiicit sibi virtus lacessita. Et secundum Gregorium, ignis flatu premitur, vt crescat. Item tribulatio patienti debita soluit. Lucæ sexto. Dimitte, & di-

mittetur vobis. Quũ capti apud Saracenos mendicare coganter redemptionem suam, fatui sunt capti à diabolo, si aurũ, & argentum vnde possunt se redimere, gratis sibi oblata recusant. Prouerbio. 13. Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. Tribulationes diuitiæ propriæ hominis dicuntur, quia homo occasio earum fuit. Thren. 3. Non humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Sap. 1. Deus non fecit mortem. Eccle. 2. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe. ¶ Et notandum quòd magna Dei misericordia est, quòd pro pœnis futuris recipit retributiones præsentes. Tale enim est ac si ille cui debentur marcæ auri, & argenti, reciperet pro eis fabas vel lapillulos, quibus facta est cõputatio: plus enim est faba vna respectu marcæ argenti, quàm translatio præsens respectu pœuæ futuræ. Ezechiel. 4. Diem pro anno dedi tibi. ¶ Tribulatio succursus est homini à Deo missus. Quod tripliciter ostendi potest. ¶ Primo sic: Si domus alicuius igne esset succensa, quam per se non sufficeret extinguere, aquam sibi oblatam cum gaudio susciperet, & obsequium non persecutionem reputaret: quanto magis quum domus conscientiæ succensa est igne concupiscentiæ, aquam tribulationis debet reputare succursum, & non aduersitatem vocare, quia nõ est aduersus eum: sed prosperitatem, quia pro ipso est. Sed sunt aliqui qui fugiunt, quum nihil eos persequatur. Prouerb. 18. Fugit impius nemine persequente. ¶ Secundo sic: Si aliquis ab hostibus suis duceretur super equum velocem ad locum vbi esset occidendus, gratum haberet, si quis equum illum vulneraret vel occideret, vt sic ab hostibus liberaretur, & hoc reputaret succursum, non nocumentum: quantum ergo gratus debet esse ei qui corpus suum lasciuum in quo ad mortem æternam ducitur, infirmitate vel alio modo lædit, vt sic à dæmonibus liberetur? Prou. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. ¶ Tertiò, sic: Si duellum committeres cum aliquo, & videres hostem tuum tibi prævalere, gratum haberes si quis hostem illum debilitaret intantum, vt ei prævalere posses. Quasi duellum est inter carnem, & spirituni. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Gal. 5. Vnde ille qui videt prævalere carnem aduersus spiritum, magnas gratias debet agere Deo, si infirmitate vel alia tribulatione carnem eius debiliter, vt à spiritu superetur. Iob 40. Momento belli, nec vltra addas loqui. Gregor. Ac si diceret, tanto te ad disciplinam patris exhibe placidum, quanto te prospicis ad bella infirmum. Si occulti hostis contra te bellum consideras, quicquid à me pateris, non accusas. ¶ Item tribulatio sanctis occasio est

est pugnæ, & per consequens victoriæ & coronæ. 2. Timoth. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Gregor. Inimicus humani generis calidè insidians, fraudem quam contra sanctum Iob parauerat, pertulit, quia sancto viro quot occasiones intulit, quasi tot causas victoriæ ministrauit. Sapient. 10. Certamen forte dedit ei vt vinceret. Non est timenda tribulatio electis Dei, quum Deus eam mittat illis, vt ab eis vincatur. Item tribulatio pondus est, ad quod præmium cæleste tradetur nobis: ideo non est optanda eius diminutio. 1. Corinth. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis. ¶ Item tribulatio materia est coronæ nostræ. Bernardus, Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur, paulatim gemmis corona nostra priuatur. Iaco. 1. Beatus vir qui sufert tentationem: quoniam quũ probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Tribulatio præsens vertetur in gaudium, ita quod pro vna gutta tribulationis: erũt quasi mille modij gaudij. Ioan. 16. Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Baruch 4. Qui induxit nobis mala ipse rursus adducet nobis sempiternam incunditatem cum fame nostra. Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Mutatio ista tribulationis in gaudium, figurata est Ioa. 2. in mutatione aquæ in vinum. Præeligenda est aqua tribulationis in vinum gaudij mutando, vinum gaudij temporalis mutando in aquam æternæ tribulationis. De hac mutatione habes Luc. 6. in diuite, &c. Lazaro. Bernardus: Ego sanè diuitem de quo Saluator facit mentionem in Euangelio, in nullo audio accusari, nisi quòd induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: si crudelitatis eum arguimus, quòd substantiam mundi habens, & videns fratrẽ suum egere, clauserit viscera sua ab eo: quid dicturi estis qui tot videtis Lazaros esurientes & nudos, & plus de iumentis vestris & eorũ phaleris, quàm de illorũ miseriis cogitatis? Sed ad tremendũ iudicium Abrahę veniamus. Memento fili quòd receperis bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Verũ vtrunque est, negari non potest, fer sententiam, quia paucis expressa est summa negotij. Ille bona, & iste mala accepit: nunc autem hic consolatur, tu autem cruciaris. Expergiscimini ebrij & flete: terribilis in iudiciis Deus super filios hominum. Hęccine est cruciatuum cau-

sa tota, quòd in seculo bona receperat? Ita planè: neque enim nos ad hoc de paradiso voluptatis diuina animaduersio eiecisse videtur, vt alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet. Legitur, Ioannem Euangelistam virgas, & lapides cõmunes in aurum, & lapides pretiosos conuertisse: quis virgas illas, & lapides illos, si indubitanter crederet ea conuertenda esse in aurum & pretiosos lapides, non amaret? ¶ Item tribulatio virga Moysi est, in qua mirabilia fiunt. Per eã aqua de petra educitur. Aqua, inquam, lacrymarum, de cordibus duris, & quasi petrinis. Per ipsam etiam veri Israëlitæ à Pharaone infernali & eius exercitu liberantur. Tribulatio seruos Dei liberat ab hostibus: sicut flagellis pecora ad castrum vrgentur, ne à prædonibus rapiantur. ¶ Tribulatio locus est, quem filius Dei elegit in hoc mundo ad manendum. Bernardus: Christus qui nõ fallitur, elegit quod carni est molestius. Id ergo melius, id vtilius, id magis eligendũ: & hic est locus filiorũ Dei in mũdo isto. Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patientur propter iustitiam. 2. Timo. 3. Qui cor nobile haberet, potius eligeret esse cum filiis Dei in tribulatione, quàm cum damnatis in temporali prosperitate. Hebr. 11. dicitur de Moyse, quòd negauit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatẽ. Dauid: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Si aqua amara transeundo per terram dulcis efficitur, & si vinum trãsiens per garyophyllos, garyophyllatum efficitur, & vinum in quo abluuntur reliquiæ sanctum reputatur: tribulationes quæ per Christum trãsierunt, & alios sanctos, quasi sanctæ habendæ sunt. Sãctitatis vero earum signa esse videntur mirabilia quæ ipsi operantur. Qui enim mortui fuerunt in deliciis viginti annis vel amplius, superueniẽte eis forti tribulatione suscitãtur. Nullæ reliquiæ in mundo isto tot & tantas infirmitates sanare videntur, vt tribulationes, per hoc q̃ in Christo fuerunt: & crux iam videtur esse vncta, eò quòd in Christo qui vnctus est fuit. Vnde cruces in consecratione ecclesiarum oleo inunguntur. Bern. loquens de illo verbo. Qui fingis laborem in præcepto. An nõ labor fictus, iugũ suaue, crux inuncta? ¶ Et notandũ, q̃ cùm tribulatio in scriptura sacra per aquam designetur: vt Cant. vlt. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Septem sunt effectus vtiles tribulationis, secundum proprietates aquæ. Primus est, quòd hostes spirituales submergit, vitia scilicet & dæmones. Exodi 15. Operuit aqua tribulantes

lantes eos: vnus ex eis non remansit. Secundus est, quòd fideles nutrit, sicut aqua pisces. Esa. 50. Computruerunt pisces sine aqua. Et notandum quòd aqua amara dulces nutrit pisces & magnos. Cete grandia non inueniuntur nisi in mari. Aliæ aquæ nutriunt pisciculos: sic homines magnæ virtutis nutriuntur in aquis tribulationum. Tertius est, quòd munit sicut aqua munit castra quæ cingit. Vnde Iob 3. dicitur de amicis Iob, Nemo ei loquebatur verbum: videbant enim dolorem esse vehementem. Quartus est, quòd aqua eleuat nauem dum crescit. Gene. 7. Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcã in sublime à terra. Sic tribulatio electos Dei exaltat, & proficere facit. Econtrario dicitur, de malis. Iob. 17. Cor eorum longè est à disciplina, propterea non exaltabuntur. Quintus est, quòd ad modum aquæ mundat. Vnde sponsæ regis cælestis vestem de byssо præparat. De qua Apocalyp. 19. Datũ est ei cooperire se byssо candido & splendẽti. Apocalyp. 7. Hi qui sunt amicti stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? Et dixit illi, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna. Sextus est, quòd vinũ temporalis gaudij tẽperat, ne cordibus debilibus noceat. Vinum enim gaudii temporalis homines infatuat, si bibant illud purum, vt patet in Salomone, Ecclesiast. 2. Non prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur. Septimus est, quòd ignem libidinis extinguit: vt patet in monacho illo qui de luxuria tentabatur, quem abbas suus iussit ab aliis infestari: qui postea interrogatus super illa tentatione, respondit: Mihi viuere non licet, & fornicari libet. ¶ Itẽ notandum, quòd tribulatio ad multiplicationem bonorum iuuat. Exod. 11. Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur. Item in bono sustentat. Eccle. 2. Sustine sustentationes Dei. Sustentationes sunt tribulationes. Greg. in Moralib. Ipso infirmitatis nostrę pondere deorsum quotidie ducimur, vt mira manu artificis per subuenientia flagella releuemur. Ecõtrario prosperitas in malo sustentat. Gre. in moralib. Difficilius malum corrigitur quod prosperitate fulcitur. Idem: Qui à Deo auertitur & prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto zelo disciplinæ inuenitur alienus. Itẽ tribulatio ad Deũ trahit. Bern. super Cant. Trahimur cũ tribulationibus, & tẽtationibus exercemur. Aug. Cùm molestiæ in huius vitæ fragilitate crebrescunt, æternã requiẽ nos desiderare cõpellũt. Mũdus quippe iste periculosior est, blandus quàm molestus, & magis cauendus est cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitq; cõtemni. Tribulatio viam electorũ asperam efficit, ne eos magis diu perge-

re,quàm citò peruenire delectet,secundũ verbum Gre. Tribulatio porta est regni cælorũ.Hæc porta Domini, iusti intrabũt in eam.Lucæ vlti.Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloria suã.Act.14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorũ.Et vt vno verbo dicamus,adeò vtiles sunt tribulationes, quòd hi qui eas sustinent, beati à Domino reputantur. Lucæ 6. Beati qui nunc fletis,quoniam ridebitis. Matt.5.Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, &c.Iob 5.Beatus qui corripitur à Domino.Iac.1.Beatus vir qui suffert tẽtationem.Eiusdem 5.Ecce beatificamus eos qui sustinuerũt.1.Pet.3. Si quid patimini propter iustitiam,beati.Eiusdem 4.Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis:ideo tribulatio cum gaudio est suscipienda. Act.5.Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, &c. Iac.1. Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.1.Pet.4. Communicantes Christi passionibus, gaudete:vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Matt.5. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Simile Luc.6.

De diuisione Patiẽtiæ in patiẽtiã diuinæ correctionis,humanæ persecutionis,& dæmoniacæ impugnationis. CAP. IIII.

COnsequenter ponendæ sunt diuisiones pertinentes ad patientiã.Notandũ ergo quòd patientiam pertinet patienter ferre Dei correctionẽ,hominum persecutionẽ, dæmonũ impugnationem. Scriptura verò sacra multũ beatificat patienter sustinentes prædicta.¶Sustinentes Dei correptionẽ beatificantur. Iob.5.Beatus vir qui corripitur à Domino.Correptio Dei procedit ex magno amore.Esaiæ 11.Egredietur virga de radice Iesse. Iesse interpretatur incendiũ.Respuere Dei correptionẽ,periculosum est valde. Ecclesiast.21. Qui odit correptionẽ,minuetur vita. Eiusdem 21.Qui odit correptionũ,vestigiũ est peccatoris. ¶Dei correptio est,ægritudo corporis, quæ cũ gaudio recipiẽda est,quia vtilissima.Multũ enim debilitat hostẽ familiarẽ(corpus scilicet)& subdit spiritui.Cùm infirmor,tunc potens sum.2.Corin. 12. Et in infirmitate experitur homo virtutẽ animi.Seneca: Non in mari tantum aut prælio vir fortis apparet:sed exhibetur etiã & in lectulo virtus. In Vitis patrũ,cùm quidã peteret à Ioanne eremita,vt sanaret eũ à tertiana. Respõdit:Rẽ tibi necessariã cupis abiicere:vt enim corpora nitro,ita anima languoribus & castigationibus purificatur. Et quidam senex infirmanti discipulo dixit: Ne contristeris ex infirmitate vel plaga corporis. Si enim ferrum,es,æruginẽ amittis.Si verò aurum es,per ignem proba

probatus,à magnis ad maiora proueheris. Et cùm quidam miles rogaret quẽdam virum sanctum vt à morbo liberaret eum cum precibus suis: vir sanctus audito ab eo quòd melior esset in ægritudine,& deuotior quàm in sanitate,dixit:Oro dominum vt seruet te in statu, in quo melior es. Dicebat quidã, quòd cùm Deus dat infirmitatem alicui, si pro ea, seruiret ei centum annis non esset nimis. Prou. 20. Liuor vulneris absterget mala. Eccles.11. Malitia vnius horæ obliuionẽ facit luxuriæ magnæ.Idem etiam dicebat,quòd diues est Christianus,qui non habet nisi vnam solam febrem quatuor accessionum;vel etiam solam ephimeram, dam solum sciat & velit de illa cum Deo negotiari. Ægritudo corporis citatio est de pace facienda cum Deo: si fuerit ad mortem, peremptoria.si non fuerit, dilatoria. Pax verò ad quam est citatio,valde honorabilis est peccatori:omnes enim offensæ ei à Deo remittuntur, & insuper pax eius regno cælorum quasi emitur.Gaudere debet qui infirmatur de hoc quòd vilis domuncula eius incipit destrui,cùm spem habeat domum regiam se habere in cælis.2.Cor.5.Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus,domum non manufactã,sed æternam in cælis ¶Et notandum quòd super illud Matt.9.Confide fili,remittuntur tibi peccata tua.ostendit gl. Bedæ,quòd quinque modis infirmitates cõtingunt.Primò, vt merita iustis per patientiam augeãtur.vt Iob 2.Secundò,ad custodiã virtutum,vt in Paulo,2.Cor.12. Tertiò ad corrigẽda peccata,vt lepra Mariæ.Num.12. Quartò,ad gloriam Dei, vt cæco nato. Io.9.& Lazaro. Eiusd.11. Quintò ad initium pœnæ,vt Herodi. Act. 12. Patientes persecutiones beatificantur. Matt.5. Beati inquit, qui persecutionem patiuntur, &c.Persecutor præparat tibi coronam æternam.Noli odire vel repercutere fabricatorem coronæ tuæ.In Psal.Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.Fabricauerunt,inquam,coronam.Sustinentes dæmonum impugnationes beatificantur. Iacob.1. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit,&c.

De tentationibus dæmonum.Et primo quod dæmones tenent homines:de vtilitate tentationum,de modo tentandi quem habet tentator,& de modo repugnandi quem debet habere qui tentatur.

CAPVT V.

CIrca tentationes, Primo ostendemus quòd dæmones impugnent homines. Cùm enim ipsi sint inuisibiles, & pugna eorũ inuisibilis est,nec agnoscitur nisi oculis cordis: ignorantia verò eius periculosa est homini: nõ enim repugnat qui se impugnari

gnari ignorat: grande periculum est habere iuxta se hostē suum, si homo hoc nesciat. Hiere. Tunc maximè impugnaris, cū te impugnari nescis. Secundò, ostendemus vtilitates tentationum, vt magis patienter sufferantur. Tertiò, tangemus de modo impugnandi quē habet tentator. Quartò, de modo repugnandi, quem debet habere qui tentatur. ¶ Circa primum notandum, quòd impugnatio quam diabolus facit homini, Primò, certificari potest ex 3. Gen. vbi serpens mulierem decepit, & Deus ibidem ostēdit impugnationem istam esse duraturam, dicens ad serpētem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. ¶ Secundò ex lib. Iob 1. & 2. cap. vbi sathan petiit à domino vt permitteret eum impugnare Iob. Et eius. 7. legitur: Militia est vita hominis super terram. & alia translatio habet, tētatio est vita, &c. Item Matt. 4. & Luc. 4. vbi diabolus dominum tentauit. Et secundum Aug. assumpsit diabolus formam humanam, quod permisit dominus, vt tentatio nobis certior fieret. 1. ad Cor. 7. Reuertimini ad idipsum ne tentet vos sathanas. Matt. 27. Vigilate ne intretis in tentationem. ad Ephe. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, &c. Act. 5. Cur tentauit sathanas cor vestrum? Et de beato Martino legitur, quòd multoties diabolus ei apparuerit in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri, & in forma etiam animalium diuersorū generum. Simile legitur de multis aliis sanctis. Aug. in sermonibus: Præmonitos vos esse volo, neminē super terrā absq; tētatione victurū, vt cui fortè tollitur aliqua, aliā secur⁹ expectet.

¶ *De vtilitate tentationum.*

CIRCA secundum notandum quòd tentatio ad multa vtilis est. Primò erudit. Eccl. 34. Qui non est tētatus quid scit? Iterum: Qui non est tentatus, qualia scit? Et iterum: Qui non est tentatus, pauca recognoscit. Iud. 3. Hæ sunt gentes quas reliquit dominus vt his erudiret Israëlem. Secundò humiliat. Greg. Dum vitia nos tētant, proficientes in nobis virtutes humiliantur. Idem: Iebusæum Israël tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat. Tertiò, negligentiam repellit. Gl. super illud: Proba me Deus, & tenta me. Ideo dicit tenta: quia nisi tentaret, negligentes essemus. Quartò, virtuti addit. Seneca: Multum adiicit sibi virtus lacessita. In Vitis patrum dixit quidā abbas: Cruda tegula si mittatur in flumen, statim dissoluitur, cocta non. Ita est homo habens sapientiam carnalem, qui non est tentationū igne decoctus. Quintò seruat. Gre. Nisi Psal misita per tribulationes se melius seruari nosset, non diceret, Proba me domine,

mine, & tenta me. Idem in Moralibus. Cùm per tentationē humilitas proficit, prospera est ipsa aduersitas quæ mentem ab electione custodit. Idem: Cùm tentamur vitiis, diuina dispensatione nobiscū agitur, ne virtutibus quibus proficimus extollamur. 2. ad Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. Gre. in Moralibus: Tunc interius bene custodimur, cùm per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nec tentatio exterior culpas perficit, quia interior intentio sursum trahit. Nec sursum interior intentio in superbiam eleuat, quia tentatio exterior humiliat. Sic magno ordine cognoscimus in interiore profectu quid accepimus, in exteriore defectu quod sumus. Sextò, virtutem hominis notificat. Deuterono. 13. Tentat vos Deus vester vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non. Septimò, Deum glorificat. Psalm. Eruam te, & glorificabis me. Octauò, populum ædificat. Tob. 2. hanc tentationem ideò permisit euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ illius. Nonò, ei qui tentatur in præsenti, honorem acquirit. Vnde legitur de beato Antonio, quòd cum quadam nocte à dæmonibus esset laceratus, subito radius quidam lucis & dæmones & tenebras effugauit, statímque sanatus Christum præsentem intelligens, dixit: Vbi eras Iesu bone, vbi eras? quare principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Et vox ad eum ait: Antoni hic eram: sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam nominari. Decimò, in futuro coronat. 2. ad Timot. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Et Iaco. 1. dicitur de sufferente tentationem, quòd cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Tob. 3. Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur.

¶ *De modo impugnandi, quem habet tentator.*

SEQVITVR de modo impugnandi, quem habet tentator. Notandum ergo quòd modi impugnandi quos habet quasi infiniti sunt. Vnde Paulinus episcopus Augustino: Hostis noster cui mille nocendi artes tam variis expugnandus est telis, quàm impugnat insidiis. tamen nos causa breuitatis de paucis dicemus. Bern. quatuor species impugnationis eius distinguit loquens de illo verbo Psal. Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno, &c. His verbis significatæ sunt quatuor tentationes quibus vndique circundati necesse habemus scuto domini circundari antè & retro, à dextris & à sinistris. Timor afflictionis nocturnus est & planè tenebrosus, quia abscondit ab oculis,

lis, quòd non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sed facile hunc radius veritatis exulat. Ingerit enim oculis cordis peccata quæ fecimus, nunc æterna supplicia, nunc æterna præmia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Christus. Ergo ad lucem tam multiplicis veritatis nox recessit. Sed time sagittam quæ in die leuiter volat, sed non leue vulnus infligit. Hæc sagitta vana est gloria, quam oportet cauere feruentiores, ne deserant scutum veritatis. Quid enim tam contrarium vanitati? Deinde subdit: Primò à sinistris pulsat diabolus pusillanimitate. Deinde à dextris humanis laudibus. Si sic non proficit, dicit: Viribus deiicere nequeo, sed fortè decipere possum alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris est ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis. Contemptis, ait, vanam gloriam, quoniam vana est: fortè solidius aliquid affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid si veritas inuestigat hunc proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Non restat callido inimico contra eos quos videt omnibus modis diligere iustitiam & odisse iniquitatem, nisi vbi iniquitatem palliet virtutum imagine. Quos enim perfectos boni nouit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti suadere conatur, vt facile qui currit incurrat. 2. ad Cor. 11. Ipse sathanas trãsfigurat se in angelum lucis. Sola autem est veritas, quæ palliatam deregit falsitatem: iuxta verbum Bern. Item Greg. Quatuor, inquit, has tentationes in generali statu ecclesiæ haud difficile diligens considerator inueniet. Timor nocturnus nouellam adhuc exercebat ecclesiam, quando omnis qui occidebat seruos Dei, arbitrabatur obsequium se præstare Deo. Deinde persecutione cessante, & die reddita, turbauit eam grauius & afflixit sagitta volans: quoniam exierunt aliqui de ecclesia inflati spiritu carnis suæ inanis & volatilis gloriæ cupidi, & volentes sibi facere nomen linguas suas magnificando, diuersa & peruersa dogmata prædicauerunt. At quidem nunc pax à paganis, pax ab hæreticis: sed non pax à filiis falsis. Omnes Christiani ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum & tenebrarum negotia trãsierent: nec in his animarum salus, sed luxus queritur diuitiarum. Superest vt iam reueletur homo peccati, filius perditionis antichristus dæmonium non modo diurnum, sed etiam meridianum, quòd non solum transfigurat se in angelum lucis, sed extollitur supra omne

omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Nimirum insidiatur acrius calcaneo matris ecclesiæ, à qua caput suum dolet esse cõtritum. Sed ab hoc quoque incursu ecclesiam electorum veritas liberabit, propter eos breuians dies, & dæmonium meridianum destruens illustratione aduentus sui. ¶ Item notandum quòd secundum Grego. in Moral. quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde nanque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per aduersarium, delectatio per carnẽ, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Vnde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Heua delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam, per audaciam soluit. Quatuor etiam modis peccatum consummatur in opere. Prius nanque latens culpa agitur, postmodum verò antè oculos hominum sine confusione reatus aperitur, dehinc in consuetudinem ducitur ad extremũ quisque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miserę desperationis enutritur. Notandum quòd diabolus tanquam præsumptuosus libenter suadet id quod temeritatis est & præsumptionis. Vnde mulierem incitauit ad hoc vt iudicaret de facto superioris, & de intentione præcipientis, dicens. Cur præcepit vobis Dominus, &c. Genesis 3. Quorum vtrunque temerarium est. Item in impugnationibus suis multum mendacio vtitur. Vnde mulieri post eius responsionẽ mentitus est, dicens: Nequaquam moriemini. Et Matt. 4. hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Iob 8. Ipse mendax est & pater eius. Quum ipse vult aliquem deiicere in peccatum, ipse promittit ei quòd citò resurget. Esa. 51. Dixerunt animæ tuæ, Incurbare, vt transeamus. Bernard. Noli acquiescere dicenti, Incurua re, vt transeamus: non est enim transiturus, sed te grauiter oppressurus. His verò qui sunt in peccato, longam vitam repromittit, quæ repromissio nequissima multos perdidit. Eccles. 1. 9. ¶ Et notandum quòd diabolus quinque modis decipit hominem qui est in statu pœnitentię, suadẽdo ei vt onus illud abiiciat. ¶ Primò, mentiendo exonerationẽ, quod non est exoneratio, sed leuis oneris in grauissimum commutatio: vt festucæ in trabẽ vel montẽ. Vnde qui tentatur debet dicere sic tentanti, Si onus deposuero, nunquid sine onere ero? Cui quæstioni si plenè respõdere voluerit tentator, dicet, Imò ponetur super te mons: scilicet infernalis pœna, quæ pœna grauior est monte. Apoca. 6. Dicent montibus, Cadite super nos, &c. Bonum est ergo leue

onus

onus pœnitentię ferre, vt tantum onus possit vitari. Apoc.2. Non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete. ¶ Secundò decipit, ea quæ diuisim portanda sunt simul ostendendo, dicens, Quomodo posses hoc portare tot annis? Cui dicendũ est, Hodie cum adiutorio Dei portabo hoc & cras, tandẽ cum adiutorio Dei portabo leuius propter assuetudinem. Sic vbi fallit compositio, soluit diuisio. Matt.6. Sufficit diei malitia sua. ¶ Tertiò decipit, virtutẽ hominis à Dei virtute diuidẽdo dicẽs, Tu debilis es, nullo modo posses hoc portare. Cui dicendum est, si intelligis mea virtute sola, verum dicis, quia dicitur Io.15. Sine me nihil potestis facere. Si verò intelligis quòd nõ possim Dei virtute adiutus, mentiris. ad Philip.1. Cõfidimus in domino Iesu, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Eiusdem 4. Omnia possum in eo qui me confortat. ¶ Quartò decipit, spoliationẽ mentiendo exonerationem. Sicut latro quandoque simplicẽ scholarem exonerat à cappa sua. Aurum vel lapides pretiosos debes reputare pœnitentiam quam tibi vult diabolus auferre. Vnde debes cauere eum tanquam spoliatorem rei pretiosissimæ. Apoc.3. Suadeo tibi emere aurum, &c. Aurum emere, est fructum pœnitentiæ præparare. ¶ Quintò, quærendo pondus diminuere, ad quod gaudium cæleste tibi tradendũ est. 2. ad Corinth. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. ¶ Item diabolus supra pectus suum graditur sicut serpens, qui solebat erectus incedere, nunc supra pectus graditur. A Deo enim auersus est diabolus, qui ad Deum conuerti debuit, & in eis proficit qui à Deo auertuntur, qui scilicet oculos suos statuerunt declinare in terram. Daniel.12. dicitur de iniquis iudicibus, quòd declinauerunt oculos suos, ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. ¶ Item diabolus terram comedit: vt dicitur de serpente. Genes.3. Amatores enim terrenorum deuorat. Esa.65. Serpenti puluis panis eius. Iob 18. Abscondita est in terra pedica eius. Esa.24. Laqueus super te qui habitator es terræ. Econtrario dicitur Prou.1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Idem calcaneo insidiatur. Gene.3. Calcaneus est pars extrema & infima in corpore. Est etiam à posteriori, vnde raro ab oculis videtur. Et quia retro est, & quia ab oculis longe est diabolus, calcaneo, id est, extremæ parti ecclesiæ maximè insidiabitur: in fine enim mundi, scilicet tempore antichristi, maxima erit tribulatio ipsius. Vnde tunc implebitur illud Iob 40. Stringet caudam suã quasi cedrum quod

quod dicitur de Behemoth, cùm cauda stringitur eleuatur. Cauda ergo Behemoth stringetur, cùm in fine mundi antichristus eleuabitur. Calcaneo etiã diabolus insidiatur: quia in fine vniusquiusque maximè conatur hominem vincere: sciens quia si tunc hominem non vicerit, nunquam postea ab eo vincetur. Gregor. Sciendum q̃ plerunque eis quos ceperit, tunc grauiores culpas ingerit, quum præsentis vitæ termino illos propinquare cognoscit. Fini etiam actionis insidiatur diabolus. Grego. Diabolus aliquando nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat: sed opus bonum in fine actionis illaqueat. ¶ Item diabolus calcaneo, id est, infimæ parti insidiatur, carni scilicet. Iob 40. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius. Et in eodem: Fœnum quasi bos comedet. Fœnum vocat homines carnales. Omnis enim caro fœnum. Esa.40. Habac.1. Incrassata est pars eius. Diabolus portis sensuum insidiatur. 1. Iudic.9. Approquans Abimelech ostio, ignẽ supponere nitebatur. Item diabolus ex illa parte ex qua homo sibi minus cauet impugnat: & sic calcaneo insidiatur. Ipse circuit, si fortè inueniat quem deuorare possit. Iob 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. 1. Pet.5. Tanquam leo rugiens circuit &c. Diabolus otiosos & securos percutit. Ezech.38. Ascendam ad terram sine muro, veniam ad quiescentes habitantésque securè. Iob 40. dicitur de Behemoth: Circundabunt eum salices torrentis. Salices torrẽtis sunt homines infructuosi in aquis deliciarum plantati, qui circa diabolum sunt, & diabolus quasi spatiatur cum eis. Iudic.18. Nullus erit labor, intrabimus ad securos. Item diabolus semina bonorum rapit, sciens illud Bernardi, Modica sementis detractio, non modicum est messis detrimentum. Mat.13. Quædam ceciderunt secus viã, & venerunt volucres cæli, & comederunt illa. Ipse in negligentibus zizaniam seminat. Mat.13. Quum dormirẽt homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici. In Vitis patrum dicebat quidam senex quòd tres sunt virtutes sathanę quæ præcedunt vniuersa peccata. Prima obliuionis, secunda negligentiæ, tertia concupiscentiæ. Prima generat secundam, secunda tertiam, & sic corruit homo. ¶ Itẽ diabolus vnanimes dispergit, & sic vincit. Mat.12. Qui non colligit mecum, dispergit. Item tortuose incedit, & ideo valde difficile est prægnoscere quò tendit. Prou.30. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Et vnum illorum trium est via colubri super petram. Glossi. Viam colubri vocat venenati hostis astutiam, quæ indiari non desinit quos in petra fundatos esse conspicit. Item

diabolus quod delectabile est præponit, quod molestum supponit: primo quasi vngit,& postea pungit. Eccles. 9. Sicut pisces capiuntur hamo,& sicut aues laqueo, sic homines capiuntur tempore malo, scilicet tempore tentationis. Pisces capiuntur esca hamo superposita. Item circa impugnationem diaboli, attendenda est impugnationum varietas, impugnandi continuitas, impugnationis vniuersitas. Diabolus variis impugnationibus impugnat: vt quem non superat vna, superet alia: vt patet Matth. 4. in tentationibus domini. Continue etiam impugnat, vt quasi tædio victus homo succumbat. Grego. Diabolus assidua tentatione nos tentat, vt saltem tædio vincat. Dan. 3. Non cessabant ministri regis succendere fornacem. Vniuersalis etiam est eius impugnatio. Impugnat enim & diuites & pauperes, & iuuenes & senes: vnde dicitur vti sagena, quæ est rete totam aquam occupans. Habac. 1. Totum in hamo subleuauit, & traxit illud in sagena sua. Itē in eodē: Expandit sagenam suā, & semper interficere gentes non cessat. Et licet omnes impugnet, magis tamen eos qui ad Deum conuertuntur. August. in sermonibus: Quotidianis discimus experimentis eos qui conuerti deliberant, tentari acrius à concupiscentia carnis, & vrgeri grauius in operibus luti & lateris, qui Ægyptum egredi, Pharaonem effugere moliuntur. Ideo accedenti ad seruitutem Dei dicitur Eccles. 2. Præpara animā tuam, ad tentationem. Iob 19. Obsederunt in gyro tabernaculum meū. in Psalm. Circundederunt me sicut apes. Eccles. 9. Extruxit munitiones per gyrum. Gregor. de diabolo: Illos pulsare negligit, quos iure quieto possidere se sentit. Hiero. Appropinquante salute appropinquat & tentatio. Gregor. in Moral. Lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis. Idem in eod. Post lucem æstus sequitur, quia post illuminationē diuini numinis, tētationis certamē augetur. In Psal. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Sicut aliquis dum est captus in carcere vnicū habet custodē vel duos, si verò euaserit, omnes eum insequuntur: sic dum quis captus est à diabolo, nō tātum eum dæmones persequuntur quàm quum euasit. Vnde quidam eremita vidit vnum solū diabolū sedentē in porta ciuitatis, & vidit abbatiam in qua vnicuique monacho assistebat diabolus. Quum verò quæreret ab angelo ductore quare hoc esset. Respondit: quia in ciuitate illa omnes faciunt voluntatem diaboli, sufficit ibi vnus diabolus: sed quū in hac abbatia omnes sint boni, necesse est vt vnicuique vnus assistat. ¶ Item magis impugnat diabolus eos qui præsunt, quàm ceteros. 1. Reg. 31. Totum pondus prælij versum est in Saul. Item impu

impugnat etiam hominē secundum complexionem, vel mores, vel statum ipsius. Vnde in Psal. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Diabolus eos qui sunt in deserto paupertatis incitat ad irā vel impatientiam. Vnde tentatio eius talibus est ventus vrens. Deu. 8. dicitur de solitudine in qua fuerunt filij Israël, quòd in ea erat serpens flatu adurens, & scorpio, & dipsas, & nullæ omnino aquæ. Ier. 3. Ventus vrens in viis quæ sunt in deserto. Exo. 10. Vētus vrēs leuauit locustas. Et subditur: Et nihil omnino virens relictum est in terra. Locustæ sunt motus superbiæ, qui postquā in homine religioso inualuerint, nihil viride in eo remanet. Ezech. 17. Nónne quum tetigerit eam ventus vrens siccabitur? Ionæ 4. Præcepit dominus vento calido & vrenti, & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat. His verò qui sunt in prosperitate, suadet diabolus pigritiam. Et talibus est tentatio diaboli vt ventus aquilo. Eccl. 43. Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Quandoque vero diabolus Deo permittente hoc ad probationem & profectum amicorum suorum suscitat, quasi ventum vehementem, vt videatur omnia cōcutere. Iob 1. Vētus vehemens irruit à regione deserti & concussit quatuor angulos domus. Et Ionæ 1. Misit dominus ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna. Et Matth. 8. Motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. ¶ Item diabolus quandoque impugnat aggerem comportando, vt quum bonorum pauperum procurat ditationem, vt sic mali efficiantur. Habac. 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam. Ipse de potentibus triumphat adiutus potētia eorum contra ipsos, dum ea abutuntur, contra animas suas ea vtentes. Habac. 1. Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. Tyranni sunt similæ diaboli, dum in subditos sibi desæuiunt, sicut & diabolus seruientes sibi torquebit. ¶ Item diabolus immisericorditer impugnat, vt patet in Iob, cui abstulit sua & suos, afflixítque ipsum in propria persona. Et si in aliquo videtur parcere, in eo intendit impugnare: vt patet in vxore Iob, quam ei reliquit, per quam postea eum impugnauit. Vnde dixit illi vxor sua, quum ipse amisisset & sua & suos, & percussus esset hulcere pessimo, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Iob 2. Irrisio est: id est, si perseueraueris in benedictione tua, morieris. Eccles. 7. Iustus perit in iustitia sua. Malach. 3. Vanus est qui seruit Deo. Gregor. Duobus modis diabolus impugnat homines, tribulatione vt frangat, persuasione vt molliat. Victus ergo de tribulatione recurrit ad

artem qua Adam vicit. Prou. 7. Multos vulneratos deiecit. Dicitur de muliere. ¶ Item diabolus illos quos videt feruentes ad bonum, incitat ad hoc quòd excedant vt de alto possit eos præcipitare, quod valde periculosum est. Bern. super Cant. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendū de corde dilectionē, quā si efficere possit vt in ea incautè & non cū ratione ambuletur. Ephes. 5. Videte fratres quomodo cautè ambuletis. 1. Pet. 4. Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationē vobis fit.

¶ *De modo repugnandi diabolo.*

SEQVITVR de modo repugnandi diabolo. ¶ Et notandum quòd modus conuenientissimus repugnandi serpenti infernali, est contritio capitis eius. Quem modum docet dominus Genes. 3. loquens ad serpentem de muliere, quæ figuram tenet ecclesiæ. Ipsa conteret caput tuum. Serpens caput præ cæteris membris custodit. Et nō est caput nequius super caput colubri. Ecc. 25. Ideo conari debet homo ad eius contritionē. Caput verò eius potest intelligi superbia, vel principiū tentationis, vel peccatum cordis antequam extrà exierit. Contritio capitis, scilicet superbiæ, multum valet ad repugnandum ei. Et hanc facit humilitas, quæ multum valet ad triumphandū de diabolo. Humilitas enim ad modum astuti luctatoris dum videtur se deiicere, hostem facit corruere. Ipsa est quæ euadit laqueos diaboli. Inde beatus Antonius retulit se vidisse omnes laqueos diaboli super terram extentos. Et quum suspirans dixisset, Quis hos poterit transire? audiuit vocem dicentem, Humilitas sola, ô Antoni, pertransit. Humilitas gloriam victoriæ totam Deo attribuit, & propter hoc totum pondus prælij eidem imponit. Cuius enim est victoriæ gloria eiusdem est pugna. Humiles Deus iuuat, sicut e contrario superbis resistit. Iac. 3. & 1. Pet. 5. Ideo nō est mirum si ipsi triumphent. Humilitas Deum quodammodo vincit. Greg. in Moral. Quotidie tela tentationum eius accipimus: sed & nos contra illum iacula mittimus, si confessi tribulationibus humilia respondemus. Prouerb. 15. Responsio mollis frangit iram. ¶ Caput etiam serpentis est conterendum, quia in principio tentationis est resistendum. Ouid. Principiis obsta, sero medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras. Greg. in Moralibus: Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, hac eadē qua nutritur mora roboratur. In Psal. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Diabolus quasi paruulus est in principio tentationis, vnde tunc facilius potest occidi. In morte primogenitorum liberati sunt filij Israel de seruitute Pharaonis. Exod. 12. Prim

Primogenita Pharaonis infernalis sunt principia tentationum: quibus si viriliter resistatur, liberatur homo cito à diabolo. Item caput serpentis conterendum est: quia peccatum destruendum est, quum in corde est, antequam extrà per locutionem vel operationem processerit. Si cogitatio mala cor intret, tum citò pugnandum est contra eam, & specialiter orando. Grego. in homi: Quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur: tantò orationi debemus insistere ardentius. Non simus eradicatores cogitationum, sed luctatores contra eas: vt dixit quidam senex de antiquis patribus, vt legitur in Vitis patrum. In eodem: Dixit quidam abbas, Si cogitationem non habes spem non habes: quoniam si cogitationes habes, opera habes. In eodem: Interrogatus abbas Pastor de immundis cogitationibus: respondit, Nūquid gloriabitur securis sine eo qui incidit in ipsā? Tu ergo non eis porrigas manus, & otiosæ erunt. Idem cuidam abbati: Sicut capsa plena vestibus si dimissa fuerit longo tempore, putrefiunt vestes in ea: ita sunt & cogitationes in cordibus nostris, si non fecerimus eas corporaliter tempore longo, exterminantur & putrefiunt. Idem ad abbatem Ioseph: Sicut si quis claudat serpentem vel scorpionem in vase & obturet illud, procedente tempore serpens moritur: ita malignæ cogitationes quæ studio dæmonum pullulant, patientia eius cui immittūtur paulatim deficiunt. In eodē: Quidam frater dixit abbati suo: Quarē nō recedunt à me tērationes? & dixit ei senex, Quia vasa earundem passionū intra te sunt. Hæc vasa intelligi possunt ipsæ concupiscentiæ, secundum quas cogitationes in corde oriuntur: vbi enim amor, ibi oculus. Quidam frater interrogauit senem quēdam, Quid faciam quia multæ cogitationes solicitant me, & nescio quomodo repugnem eis? Qui respondit, non repugnes cōtra omnes, sed contra vnam quæ caput est aliarum. Contra immundas cogitationes valet confessio, quæ eas sanctis patribus manifestat. Vnde quidam seniorum cuidam impugnato à spiritu fornicationis dixit: Fili, ne abscondas cogitationes tuas: ita enim confusus immundus spiritus discedit à te. Nihil enim ita confundit, & allidit virtutē dæmonum, quomodo si quis secreta immundarum cogitationum reuelauerit sanctis ac beatissimis patribus. Specialiter expedit ne cogitationes iracundiæ ad verba procedāt. Vnde quidam frater requisiuit abbatem Isaac, quare dæmones eum ita timerent: qui respondit, Ideo me timēt dæmones, quia ex quo factus sum monachus statui apud me ne iracundia mea extra guttur meum procederet. ¶ Itē notādum quòd

ad repugnandum diabolo multum valet sapientia, cùm ipse astutia maximè impugnet. Vnde dominus diabolum tentantem cũ paucis verbis sacræ scripturæ confusum repulit. Matt. & Luc. 4. Sapient. 5. Melior est sapientia quàm vires. Eiusdem 8. Sapientiam non vincit malitia. Eccles. 9. Melior est sapientia, quàm arma bellica. Esa. 11. Non occident, & non nocebunt in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia domini. Error principium est tentationum difficilium: ideo multum necessaria est sapientia militi Christi, vt ab errore caueat. 1 Io. 4. Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sint. Ad repugnandum diabolo multum valet fides. Ephes. vlt. In omnibus sumentes scutum fidei. Et 1. Petr. 5. Cui resistite fortes in fide. Fides ostendit militibus Christi sanguinem eius, vt sic in prælio exacuantur & vincant. 1. Machab. 6. Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium. Apoc. 12. Ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni. Fides etiã eis ostendit pœnam paratam si victi fuerint. Greg. in Mora. Soleter inuigilandũ est, vt cùm culpa blandiri inchoat, ad quantum interitum mens trahatur agnoscat. Item ostendit eis coronam paratam si vicerint. Apocal. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ. In eodem: Vincenti dabo manna absconditum. ¶ Item ad triũphandum de diabolo multum valet fiducia de Deo. Exo. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Nume. 14. Dominus nobiscum est, nolite timere. 2. Paralipo. 20. Non est vestra pugna, sed Dei. In eodem: Tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium domini super vos. Esa. 41. Ne timeas, quia ego tecum sum. Et 43. simile Iere. 20. Dominus mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent, & infirmi erunt. Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ad repugnandum etiam diabolo multum valet oratio. Matth. 27. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Ad idem etiam multum valet misericordia. 2. Petr. 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere. Et super illud Psal. Misericordia mea & refugium meum, dicit Gl. De nulla re ita vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Eccl. 29. dicitur de eleemosyna: Super scutum & super lanceã potentis pugnabit pro te aduersus inimicũ tuũ. Homines etiã incõpatientes & indignantes peccatoribus permittit Deus corruere in peccatum. ¶ Item ad superandum diabolum, multũ valet timor domini. Eccl. 32. In tentatione Deus timentẽ se seruabit, & liberabit à malis. In Vitis patrum abbas Amõ dixit cuidam fratri interroganti ab eo aliquem sermonẽ: Vade, & fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt iniqui qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, vbi est iudex, & quando veniet, & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic & monachus debet animam suam obiurgare, dicens: Væ mihi, quomodo astare habeo ante tribunal Christi, & actuũ meorũ reddere rationem? Si sic semper meditatus fueris, poteris saluus esse. Timor Dei negligentiam expellit, quæ multos facit corruere. Eccl. 7. Qui timet Deum, nihil negligit. Timor Dei etiã solicitũ hominem reddit, & quasi paratum ad prælium. 1. Mach. 12. Præcepit Ionathas suis vigilare & esse in armis paratos ad pugnã. Item timor Dei offensam cauet: quod multũ valet ad hoc, q̃ Deus hominẽ iuuet, & sic de hoste triumphet. Deut. 23. Quãdo egressus fueris aduersus hostes tuos ad pugnam, custodies te ab omni re mala. 1. Cor. 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Item timor occasiones peccandi cauet, vt est familiaritas eorum, qui mala suggerũt, qui sunt quasi halitus diaboli. Iob 41. Halitus eius prunas ardere facit. Item occasio mali est aspectus rei delectabilis. Gen. 3. Vidit mulier lignum, q̃ esset bonum, & ad vescendum suaue &c. ¶ Amor etiam mundi occasio est, vt cuis à diabolo superetur. Non est mirum, si à diabolo capitur qui voluntariè pedes suos in rete eius mittit. Retia diaboli sunt temporalia ista. Iob 28. Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Sap. 14. Creaturæ Dei factæ sunt in odiũ, & in tẽptationem animæ hominũ, & muscipulam pedibus insipientium. Item ad superandũ diabolũ multum valet cõstantia. Eph. 3. Notite locũ dare diabolo. Iac. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Item ad hoc valet spiritualis lætitia. 1. Mach. 3. Prælabatur Israel prælio cum lætitia. Antonius: Vnica ratio vincendi inimicũ, est lætitia spiritualis. 1. Reg. 4. dicunt Philisthini figuram tenẽtes lætitiæ monum, Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Et notandum, q̃ quandoque diabolus nos impugnat molestiis, quandoque deliciis. Cùm impugnat molestiis, non est fugiendum. Bonæ enim sunt & vtiles, & fugientes magis gratant. Iosue 7. Mi domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Sen. Quemadmodum pernicios or est hostis fugientibus: sic omne fortuitum incõmodũ magis insequẽti & aduerso. Sallustius: Fugiẽtes sæpius videas capi aut occidi: Fortissimũ quenque tutissimũ. Ber. in epistolis: Sola causa perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo poteris illam amittere, moriendo non potes: & beatus si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Væ autem tibi, si declinando,

pugnam perdis & victoriam simul & coronam. Idem in epistolis: O verè tuta pro Christo & cū Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec cōculcatus, nec millies si fieri possit occisus fraudaberis à victoria, tantum ne fugias. Idem: Libētius insequitur aduersarius fugientem, quàm sustineat repugnātem. ¶ Impugnatio verò, quæ fit deliciis, vincitur fugiendo. 1. Cor. 6. Fugite fornicationem. Impugnatio per molestias vincitur patiendo. Illa quæ fit per delicias, percutiendo virga disciplinæ. Prou. 23. Si percusseris eum virga, non morietur. Senec. in epistolis: Vir bonus quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Scit enim hoc accidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedūt. Idem: Voluptates inter res vilissimas præcipuè extirpa, quæ latronum more in hoc nos amplectuntur vt strangulent. ¶ Et notandum, quòd quum habeamus bellum cōtra astutiores & fortiores nobis, necessarium est nobis adiutorium. Et enumerantur octo adiutoria. Primum est, cælestis doctrina. In Psal. Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Prou. 24. Vir doctus robustus & validus. Sap. 8. Per sapientiam in multitudine bonus videbor, & in bello fortis. Secundum est, diuina confortatio, quæ multum valet ad fortitudinem, & ad hoc, quòd aliquis vincat: sicut disconfortatio multum facit ad hoc, quòd aliquis vincatur. Daniel. 10. Corroborare, & confortare. Iosuæ 1. Confortare, & esto robustus. Tertium est, refrænatio hostium ne tantum nos impugnent quantum vellent: vt patet in Iob, quē sathan non poterat ad voluntatem suam impugnare donec à Deo fuit ei hoc concessum. 1. Corint. 10. Fidelis est Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis. Quartum est, mira Dei protectio, quæ promittitur Esaiæ 53. Quum transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te. Sic protecti sunt tres pueri in fornace Babylonica, Dan. 3. Quintum est, mira hostium impugnatio. Exo. 14. Fugiamus Israëlem: Deus enim pugnat pro eis contra nos. Sextum est, miræ virtutis collatio, vt Moysi, Exod. 34. & Eliæ 4. Reg. 19. data est virtus ieiunandi 40 diebus: sicut mira virtus corporalis data fuit Sampsoni. Septimum est, armatura mirabilis, quæ habenti nihil nocere possit. Quale armatura est patientia quæ data fuit beato Vincentio & Laurentio. Octauum est, angelorum custodia, quam vocat dominus sepem. Esa. 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Angeli sancti dæmones compescunt. Tob. 8. Raphaël religauit dæmonium in deserto. & 4. Reg. 6. dixit Eliseus ad ministrum suum: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. De

De aliis diuisionibus Patientiæ. CAP. VI.

COnsequenter ponendæ sunt aliæ diuisiones pertinentes ad patientiā. Et sumitur diuisio prima secundum ea à quibus patimur. Quædam enim patimur ab extraneis: quædā verò à notis, tamen inimicis. Quædam verò ab amicis, quæ molestius sustinemus. Psal. Si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem vtique. Alia sumitur secundum ea quæ patimur, quæ sunt cōtumeliæ verborum, molestiæ corporum, & damna rerum. Contumeliæ verborum patienter tolerandæ sunt. Sunt enim velut aurum & argentum quibus ditamur. ad Heb. 11. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Ad contumelias debet homo se habere vt surdus. In Psalm. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus &c. Debet etiā homo immobilis permanere. 2. Reg. 14. Sicut angelus Dei, sic est dominus meus rex, vt nec benedictione vel maledictione moueatur. Ille qui maledicit, reputandus est vt nuntius à Deo missus, vt scilicet abstergat maculas eius cui maledicit. Grego. Idcirco dominus linguas detractorū in electos laxat, vt si quid in eis elationis surrexerit, lingua detractoris tradat. Multum vilipendit Deus malos, quando de lingua eorum facit abstersorium sordium bonis. Prouerb. 11. Qui stultus est, seruiet sapienti. 2. Reg. 16. Dixit Dauid quum Semei ei malediceret: Dimittite eū vt maledicat iuxta præceptū domini, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Et dicit gloss. Grego. Qui verborum contumeliis pressus virtutem patiētiæ seruare non sufficit, factum Dauid ad memoriā reuocet: quē quum Semei conuitiis vrgeret, & armati proceres vlcisci contenderent, ait: Quid mihi & vobis filij Saruiæ &c. dimittite eum vt maledicat &c. Quibus verbis indicat, quòd pro peccato Bersabeæ insurgentem contra se filiū fugiens, reduxit ad animū malum quod fecit: & cōtumeliosa verba, non tam conuitia quàm adiutoria esse creditit, quibus se purgari sibíque misereri posse iudicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, quum in secreto mētis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur, quòd iniuria percutimur, dum conspicimus, quòd peius meruimus: sicque fit vt cōtumeliis gratia magis quàm ira debeatur, quarum interuentu Deo iudice pœna grauior declinatur. Dicenti verba contumeliæ cōpati debemus quasi insano verba extranea loquenti. Senec. Dicis, male de te loquuntur: mouerer si hoc iudicio facerent, nunc morbo faciunt. Hieron. Apud Christianos non est miser qui pati-

tur contumeliam, sed qui facit: beatum debet se reputare cui maledicunt. Matth. 5. Beati estis quum maledixerint vobis homines. 1. Pet. 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. Exemplum huius patientiæ habemus in Christo, Esa. 53. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Matth. 27. Quum accusaretur à principibus sacerdotum, nihil respondit. De patientia ad molestiam corporum habetur Matth. 5. Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram. De patientia ad damna rerum, habetur ibidem: Qui vult contendere tecum in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & palliu. De hac patientia commendat quosdam Apostolus ad Hebræos 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. ¶ Alia diuisio sumitur secundum causas propter quas patimur. Quandoque enim quis patitur ex culpa sua. In quo casu magis patienter sustinet. Quandoque verò sine culpa sua: & tunc magis molestè sustinet, dicens: Si meruissem, non sustinerem molestè: nunc verò non est mirum, si molestè sustineam, quum hoc non meruerim. Cui dicendum est, q̃ ipse secundum hoc potius vult esse similis latronibus quàm sanctis. Latrones enim propter culpam sustinentur ea quæ sustinent: sancti verò sine culpa. 1. Pet. 2. Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiés iniustè. In eodem: Quæ est gratia, si peccantes & colaphizati sufferetis? Sed si benefacientes patienter suffertis, hæc gratia est apud Deum. Eiusdem 3. Si quid patimini propter iustitiã, beati. In eodem: Melius est benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm malefaciẽtes. Eiusdem 4. Nemo vestrũ patiatur, quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem vt Christianus, non erubescat. ¶ Alia diuisio patientiæ est talis. Est patientia culpę, & est patientia naturę & consuetudinis longæ & gratiæ. Prima triplex est. Quædam est remissionis: vt quũ quis sustinet nõ sustinenda, vt scilicet se redigi in seruitutẽ diaboli. 2. ad Cor. 11. Sustinetis si quis vos in seruitutem redigit. Prou. 12. Manus quæ remissa est, tributis seruiet. Hæc patientia est quasi asinina. Asinus non discernit quid sibi imponatur, vtrũ aurum vel lutum. Alia est seruilis timoris: vt quum aliquis timore disciplinæ, vel quia erubescit exire de claustro, sustinet aspe-
ritatem religionis, & non amore Dei. Et talis patientia solet esse cum murmure propter defectum vnctionis gratiæ, sicut rota murmurat si vncta non fuerit. Eccl. 33. Præcordia fatui quasi ro-

ta currus. ¶ Tertia est patiẽtia hypocritarũ, figurata in patiẽtia latronis mali, q̃ cũ Domino passus est. Patiẽtia verò naturæ est quã habet aliquis ex strẽnuitate naturali, vt sunt multi milites, q̃ licet nõ habeãt charitatẽ, tamẽ prius sustinerẽt mortẽ, quã fidẽ negarẽt patiẽtia naturali. Patiẽtia laboris inuenit Alexãder exercitũ suũ quũ eũ probaret, ducẽs illũ sub torrida zona per diẽtã sine potu, vsque ad fluuiũ quẽdã. De patiẽtia cõsuetudinis lõgę dixit quidam: Quod male fers, assuesce, feres. Tullius: Optima forma eligenda est viuendi, quam iucundam reddet assuetudo. ¶ Patientia verò gratię triplex est: Quędam est incipientium: quædam proficientium: & quędam perfectorum. Incipientium est sustinere mala quæ eis inferuntur patienter. Proficientium verò est sustinere ea non solum patienter, sed etiam libenter. Perfectorum verò nõ solum libenter, sed etiam lætanter. Hos tres gradus patiẽtiæ possumus agnoscere in Paulo. Primus habetur 2. ad Cor. 4. Tribulationem patimur, sed non angustiamur, scilicet per impatientiam. Secundus eiusdem 12. Ego libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Tertius ad Gal. vlt. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Et notandum quòd qui habet perfectam patientiam, cùm mala ei inferuntur, lætatur: inferenti compatitur, & beneficium largitur, & Deo regratiatur. De primo habes Act. 5. ibant apostoli gaudentes. &c. 1. Pet. 3. Communicantes Christi passionibus gaudete. De secundo 2. Pet. 1. In patientia pietatem. Gregor. in homil. Patientia vera est, quæ & ipsum amat quem portat. Nam tolerare & odisse, nõ est virtus mansuetudinis, sed velamẽ furoris. De tertio Luc. 6. Benedicite maledicentibus &c. 1. ad Cor. 4. Maledicimur & benedicimus, blasphemamur & obsecramus. De quarto exẽplũ habemus in Tobia, cap. 2. quòd immobilis in Dei timore permansit: gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ. Et beatus Laurentius: Gratias ago tibi Domine Iesu, quia hostia tua effici merui. Qui ad ignem tribulationis Deo gratias agunt, similes sunt altilibus, quæ cùm ad ignem assantur, pinguedine sua se super fundunt. Et sicut pinguedo assata gratioris est saporis quàm elixa: sic gratiarum actio gratior est Deo quando personat in his q̃ sunt in tribulatione, q̃ si psonat in his q̃ sunt in pspitata.

De constantia. PARS. VII.

Constantia est stabilitas animi firma, & in proposito perseuerans. Et notandum quòd est constantia generalis, quæ attenditur in perseuerantia propositi, quæ omnem virtutẽ circuit: & est constantia specialis, quæ attẽditur circa res terribiles, & ad sustin

sustinendum difficiles, quæ lædunt naturam. Et hæc constantiæ pertinet ad fortitudinem. Item notandum, quòd constantia est seruare medium inter mutabilitatem seu leuitatem & pertinaciam, quorum vtrunque reprehensibile est. 2. ad Cor. 1. Nunquid leuitate vsus sum? Numer. 19. legitur de filiis Israël, quòd ad imperium domini proficiscebantur, & ad imperium eius figebant tabernaculum. Sic à proposito recedendum est, quum creditur Deo displicere, & in eo perseuerandum est, quum creditur placere. ¶ Item notandum, quòd sex videntur pertinere ad constantiam. ¶ Primum est, stabilitas intellectus quæ variatur secundum diuersas species cognitionum. Quædam enim stabilitas est in his quæ sunt fidei. Ad quam monemur 1. ad Cor. vltimo. Vigilate, & state in fide. ad Eph. 4. Non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ. Tobiæ 2. Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab illo. ¶ Secundum est, grauitas seu æquanimitas in vtraque fortuna. Tullius: Præclara est æqualitas in omni vita, idemque semper vultus, eademque frons, vt de Socrate accepimus. E contrario cor stultorum dissimile erit. Prouer. 15. ¶ Tertium est, stabilitas circa ea quæ desiderantur. Sen. in epist. Ante omnia hæc cura, vt constes tibi. Quoties experiri voles an aliquid actum sit, obserua an eadē velis quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animū nutare atque alibi apparere prout tulit ventus. Non vagarur quod fixum atque fundatum est. Quidā adeò sunt incōstantes, vt cōstantia eorum hæc esse dicatur, scilicet esse instabiles. Poëta: Quod petiit, spernit: repetit quod nuper omisit. Item: Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. ¶ Quartum est, stabilitas loci, quæ multum facit ad stabilitatem animi. Bernard. ad fratres de monte Dei: Impossibile est, hominem fideliter figere in vno animum suum, qui non prius alicui loco perseueranter affixerit corpus suum. Nam qui ægritudinē animi migrando de loco ad locum effugere nititur: sic est sicut qui fugit vmbrā corporis sui, seipsum fugit, seipsum circunfert, locū mutat non animū, eūdē vbique se inuenit: nisi quòd deteriorē ipsa facit mobilitas: sicut lædere solet ægrū qui circunferendo concutit. Senec. in epistolis: Animū debes mutare, non cælum. Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cùm te circunferas? Premit te eadem causa quę expulit. Onus animi tui deponendū est. Non antè vllus tibi placebit locus. Vadis huc atque illuc, vt excutias instidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius sit, sicut in nauibus omnia immota minus vrgent, inæqualiter conuoluta citius eam

eam partem in qua incubuerunt demergunt. Motu ipso noces tibi. Ægrum enim concutis. At cùm istud exemeris malum, tunc omnis mutatio loci iucunda est. Magis quis venerit, quàm quò interest. Idem: Primū argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari: lapis quadratus stabilis est: sic homo bene ordinatus est stabilis. Et econtrario male ordinatus, instabilis: Poëta: Romæ Tybur amo, ventosus Tybure Romam, In culpa est animus qui se non effugit vnquam. Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt. Seneca: Non conualescit planta quæ sæpe transfertur. Ad loci stabilitatem multum monet scriptura. Ecclesia. 10. Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris. Eccle. 11. Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile enim est in oculis Dei subito honestare pauperem. Lucæ 9. In quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Eiusdem 10. Nolite transire de domo in domum. 1. ad Cor. 15. Fratres stabiles estote & immobiles. 1. ad Thessa. 4. Rogamus vos fratres vt operā detis vt quieti sitis. 2. ad Thess. 3. Scitis quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos. Instabilitatem reprehendit Paulus in quibusdam mulieribus. 1. ad Tim. 5. Otiosæ, inquit, discunt circuire domos &c. Instabilitas quantum ad locum, Deo displicet: homini verò est damnosa & periculosa. Iere. 14. Dilexit mouere pedes suos: & non quieuit, & Domino nō placuit. Prouerb. 27. Sicut auis transmigrans de nino suo: sic vir qui relinquit locum suum. Sicut auis transmigrans de nido suo damnificatur in pullis suis, & homo locum suum relinquens in bonis suis. Dina egressa vt videret mulieres regionis illius, corrupta fuit. Gen. 33. Et Semei egrediens de Ierusalem fuit occisus. 3. R. eg. 2. ¶ Quintum est, firmitas contra ventos tentationum. De qua cō mendatur Ioannes Matthæi 11. & Lucæ 7. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? In Psalm. Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis &c. Ecclesiast. 5. Non ventiles te in omnem ventum. ¶ Sextum est, stabilitas in occupatione seu operatione. Sen. Melius est vt proposita custodias, quàm vt honesta proponas. ¶ Item notandum quòd constantia seu stabilitas est valde admirabilis in statu præsentis vitæ, quæ ita instabilis est. Iob. 14. Nunquam in eodē statu permanet. Difficile est foliū arboris stabile esse, dum flatu venti percutitur. Gregor. in Moralib. Humana anima quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Idem in eodem: Qui arbor fuit in cōditione, foliū à semetipso factus est in tentatione: sed pòst stipula apparebit

bit in deiectione. Stabilitas etiã quædam imago est æternitatis. Ipsa ponit hominem quasi in statu angelico. 2. Regum 14. Sicut Dominus meus rex sicut angelus Dei, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. Itẽ notandum quòd sex videntur facere ad instabilitatem. ¶ Primum est stultitia. Eccles. 27. Stultus vt luna mutatur. Seneca in epist. Quid est sapientia? Semper idem velle atque nolle. Non potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum. Nesciunt homines quid velint: variatur quotidie i diciũ ac plerisque agitur vita per iusum. Idem: Quid colluctatur animo nostro, nec permittit nos quicquã velle? Nihil liberè volumus, nihil semper. Stultitia est, cui nihil cõstat, nihil diu placet. ¶ Secundum est peccatum. Genes. 4. dictum est Cain post homicidiũ: Vagus & profugus eris super terrã. In eodẽ: Ecce eiicis me hodie à facie tua, & ero vagus & profugus in terra. Esa. 57. Cor impij quasi mare feruẽs, quod quiescere non potest. Thren. 1. Peccatum peccauit Ierusalẽ: propterea instabilis facta est. Iob 11. Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, tunc lanare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis. In Psalm. Non dabis in æternum fluctuationem iusto. ¶ Tertium est impatientia. Boët. in lib. Consolationum: Quis est ille tam felix, qui cùm dederit impatientiæ manus, statum suum mutare nõ optet? Quartum defectus timoris. Timor animum stabilem reddit, sicut lapides superpositi asseribus eos custodiunt ne à vento moueantur, vel sicut anchora nauem stare facit. Eccle 25. Timor Domini super omnia se superposuit. Greg. Anchora mentis pondus timoris. ¶ Quintum est defectus dilectionis boni. Amor boni animum stabilem reddit, sicut radix profunda arborem. Eccl. 34. Qui implantatus est, abundabit nequitia. Senec. Non vagatur quòd fixum atque fundatũ est. ¶ Sextũ est duplicitas animi. Iac. 1. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Vir duplex est animo, qui vult hic gaudere cum mundo, & in futuro cum Domino. Hieron. Deceptus es charissime, si & hic vis gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Et notandum, quòd homo instabilis, quasi lunaticus est. Matth. 17. Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est. Et est similis homini errranti, qui quandoque vadit huc, quandoque illuc. Cano. 1. Iudę: Sydera errantia quibus caligo tenebrarum reseruata est in æternum. Secundum glo. Sydera errantia, sunt apostatæ.

De Perseuerantia. PARS VIII.

BReuiter hic agetur de Perseuerãtia, quia aliqua de ea dicentur in tractatu de Accidia, capit. de vitio Imperseuerãtię, & re-

ẽ post Cõstãtiã. Est enim Perseuerãtia, permanẽtia, sicut & cõstãtia: vnde cõmunicat cũ cõstãtia. Tamẽ in hoc differt: quia cõstãtia est permanẽtia in proposito: perseuerãtia verò permanẽtia in bono, siue cõtinuatio boni. Cõstãtia cauet leuem transitum à proposito vno in aliud: perseuerantia verò cauet discontinuationem vel imperfectionem seu defectum debiti finis. Et describitur sic perseuerantia magistraliter: Perseuerantia est permanẽtia in bono, diuturna vel finalis. Tull. verò in 1. Rhetoric. sic eam describit: Perseuerantia est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio. Et notandum quòd est perseuerantia generalis & specialis. Generalis attenditur in continuatione boni, & circuit omnem virtutem. Specialis verò attenditur circa terribilia & difficilia, ad sustinendũ quæ lædũt naturam, quæ pertinet ad fortitudinem, ad quam monemur Hæbreorum 12. In disciplina vero, inquit, perseuerate. Item notandum, quòd quędam est perseuerantia finalis, quędam est nõ finalis. Nõ finalis est, quãdo aliquis longo tempore perseuerat in bono, tamen postea cadit per mortale. Finalis verò perseuerantia dupliciter dicitur. Vel finalis proposito, vel finalis actu. Finalis verò proposito fit finalis actu, in his quę permanent in bono. De perseuerantia finali actu, dicit Augustinus quòd multi eam habere possunt, nullus amittere: incipit enim esse finalis actu in termino vitæ. Et notandum quòd perseuerantia regulariter datur homini per bona merita. Vnde gloss. super illud Psal. Retribuet mihi secũdum iustitiam meam. dicit, Pro fide, & spe, & aliis bonis operibus reddet Deus perseuerantiam. Ideo autẽ dictum est regulariter: quia virtutes communiter primo dantur in aliqua quantitate, secundo per bona opera merentur augeri, tandẽ perfici: tamen alicui, vt Christo, datæ sunt virtutes in statu perfectionis, quę neque augentur nec intendũtur. ¶ Ad cõmendationẽ perseuerantiæ, Prigmõ valere potest frequens admonitio quam scriptura facit ad perseuerandum. Iudi. 18. Nolite negligere, nolite cessare. 1. Cor. 7. Vnusquisque sicut vocauit Deus, ita ambulet. Ineodẽ: Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Eiusdem 9. Sic currite vt comprehẽdatis. Gal. 5. State, & nolite iugo iterum seruituus contineri. 1. Io. 2. Vnctionem quam accepistis à Deo, maneat in vobis. Apocaly. 2. Id quod habetis, tenete donec veniam. ¶ Secundo promissio quæ fit perseuerantibus. Apocaly. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ro. 11. Vide in te bonitatem Dei, si perseueraueris in bonitate. Matth. 10. & 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.

Bern.

Bernard.in epistolis:Scias diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari,quam solam virtutum nouit coronari. Idem in eodem: Studete perseuerantiæ, quæ sola coronatur. ¶ Tertia commi-natio quæ fit non perseuerantibus,scilicet ablatio coronæ.Apo-cap.3.Tene quod habes,& nemo accipiat coronam tuã.¶ Quar-to exempla. Primo exempla Dei.Genes.2. Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat.Deuteron.33.Dei perfecta sunt opera. Secundo exemplum Christi hominis. Ioann.17. Opus consummaui,quod dedisti mihi vt faciam.Tertio exempla san-ctorum. Iob 27. Iustificationem meam quam cepi tenere, non deseram.2.Timo.4.Bonum certamen certaui, cursum consum-maui.Actuum 20. Nõ facio animam meam pretiosiorem quàm me,dummodo consummem cursum meum.¶ Quinto comme-dabilis est perseuerantia à suo effectu multiplici. Primus est, quòd à Deo impetrat quod vult. Lucæ 11. Si perseuerauerit pul-sans,etsi non dabit ei eò quòd amicus eius sit: propter improbi-tatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessa-rios.Eiusdem 17.de iudice iniquo, qui licet Deum non timeret, nec homines reuereretur: tamen fecit quod vidua voluit, pro-pter eius improbitatem.Matth.16.Misereor turbæ,quia iam tri-duo perseverat mecum.Gre.Quæsiuit Maria Magdalena prius, & minime inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde contigit vt inueniret.Idem:Sic quippe quod popposcerat obtinere Anna me-ruit, quia se post lacrymas in eodem mentis rigore seruauit. Tobiæ 3. Sara in oratione persistens, & cum lachrymis Deum depreçans, exaudita est. Et Apostoli perseuerantes in oratione, Spiritum sanctum acceperunt. Act.1. Hi omnes erant vnanimi-ter in oratione perseuerantes &c. ¶ Secundus est,quòd perseue-rantia bona acquisita custodit, sicut imperseuerantia destruit. Prouerbio.19. Qui mollis est & dissolutus, frater est operis sui dissipantis.Augustꝰ.Perseuerantia magnum donum Dei est,quo dona cætera conseruantur.¶ Tertius est,quòd difficilia & aspe-ra,facilia & suauia facit. Bernar.in epistolis: Subito procedenti de vmbra ad solem,de otio ad laborẽ,graue cernitur omne quod incipit:sed postquam ab his dissuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit, vsus tollit difficultatem, inuenitque facile esse quod impossibile ante putauit. ¶ Quartus est, quòd nihil imperfectum relinquit. Senec. Non despero in durato:nihil est quod non impugnet pertinax opera ei intenta ac diligens cura. Videmus debiles mulieres senilis ætatis, perseuerando pere-grinationes longas perficere. Item videmus naturam continuè oper

operando, ex modica nuce additione imperceptibili magnam arborem efficere:& aquam quæ adeò molli est,lapidem adeò du-rum perseueranti percussione excauare.¶ Quintus est,quòd per-seuerantia virtutem operanti ministrat.Sen.Perseuerandũ est,& assiduo labore robur addendum est. ¶ Sextus, quòd meretur ap-prehendere præmium.1.ad Corin. 9. Vnus accipit brauium, sci-licet perseuerans.Bern. Perseuerantia est singularis filia summi regis, virtutum finis & consummatio. Chry. Tolle perseueran-tiam,nec obsequium mercedem habet,nec beneficiũ gratias,nec laudem fortitudo. Deniq; non qui incœperit, sed qui perseuera-uerit,saluus erit.Idem:Incipere multorum est, finire paucorum: semper in principio delectatio est,in fine probatio. Idẽ:Assueue-runt multi in initio feruentes esse,in fine remitti & dissoluiꝛquæ vtilitas est seminum florentium, & postea rabescentiũ? Greg.in Moral.Incassum bonum agitur, si ante terminũ vitæ deseratur: quia etiã frustra velociter currit qui priusquã ad metas veniat de-ficit.& super illud Matt.10. Qui perseuerauerit &c.dicit glo. Nõ cœpisse vel fecisse, virtutis est: sed perficere. Vnde cauda hostiæ iubetur offerri Leu.3.Ornatus virtutum,est vestis vsq; ad talos, si perseuerantia fuerit.Sine ea vestis est inhonestè decurtata. Vlti-mus dies perseuerantis plus videtur ei valere, quàm quicunque præcesserunt.Si enim illa die defecisset,præcedentia perdidisset.

De Magnanimitate. PARS IX.

MAgnanimitas quãdoque sumitur pro fortitudine.Et atten-ditur non solum in aggrediendo terribilia, sed etiam in su-stinendo.Et pertinet ad eam nõ solum aggressio arduorum, sed etiam processus & consummatio eorum. Sene.in lib.de quatuor virtutibus: Magnanimitas,quæ & fortitudo dicitur, si insit ani-mo tuo, cum magna fiducia viues. Quandoque magnanimitas dicitur terribilium spontanea & rationabilis aggressio: sic acci-pitur à Macrobio.¶ Item notandũ quòd homo magnanimus ter-ribilia seu difficilia aggreditur propter cõmunem vtilitatem,vel propter honestatem,non propter cupiditatẽ vel glorię vanitatem: nõ enim decet vt cupiditate vincatur,qui metu nõ frãgitur.Tul-lius:Nihil tam angusti animi est,támq; parui,quàm amare diui-tias.Macrobius:Virtutis fructũ sapiens in conscientia ponit, mi-nus perfectus in gloria. Item ad magnanimum pertinet cauere non solum timiditatẽ,sed etiam temeritatem. Non enim debet homo absque causa offerre se periculis. In adeundis periculis imitari debemus medicorum consuetudinem. Illi enim leuiter ægrotantes leuiter curant: grauioribus autem morbis ancipites

curationes adhibere coguntur. In tranquillo tempestatē optare dementis est, tempestati autem cum euenerit subuenire, sapientis. Poëta: Vis consilij expers, mole ruit sua. Senec. in lib. de quatuor virtutibus: Eris magnanimus, si pericula nō appetas vt temerarius, nec formides vt timidus. Tullius: Turpis fuga mortis, omni morte peior. Ad magnanimitatem pertinet, ardua opera appetere, & magnitudinem boni vel mali transitorij superare. Primū innuit Tullius: Te, inquit, animo excelsum natura creauit. Audita de magnanimitate, tibi statim insedit oratio: id est, intimè sedit vel placuit. Magnitudo boni transitorij superatur contemnendo: magnitudo vero mali transitorij non timendo. Sen. in epistolis: Animus nunquā maior est, quàm vbi aliena seposuit & fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi diuitias nihil concupiscendo. Idem in epistolis. Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia vitaliáq; sunt, hæc eo quo superfluū nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur. Sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idē animis quoq; euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantū in aliorū iniuriam, sed etiā in suam vtūtur. Idem in eodē: Magnus ille est qui fictilibus vtitur, quemadmodum argento. Nec minor est quidē qui sic argento vtitur, quemadmodū fictilibus. Idem in eodem: Scitote tam bene homines culmo, quàm auro tegi: contemnite omnia quæ superuacuus labor velut ornamentū aut decus posuit: mementote præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnū. Idem in li. de Naturalib. quæstionibus: Magna ista, quia parui sumus, credimus multis rebus: nō ex sua natura, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Idem in lib. de Clementia: Magni animi est, iniurias in summa patientia pati. Ad magnanimitatē pertinet iniurias receptas vilipendere, & inimico cùm est in potestate hominis parcere & fraudes & dolos vitare. Sen. in lib. de quatuor Virt. Si magnanimus fueris, nunquā iudicabis tibi iniuriā fieri. De inimico dices, Non nocuit mihi, sed animū nocendi habuit. Cùm illā in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse, Scitō enim magnum & honestū vindictæ esse genus, ignoscere. Palam aggredere, nō geres conflictū nisi indixeris. Nam fraudes & doli imbecillū decent. Magnanimitas videtur posse distingui in tres partes: scilicet in cordis altitudinem, latitudinē & longitudinem. Cor altum est, quod in aduersis non deiicitur, sed eleuatur. Cuius exemplum habes in gallis, quorū cristæ eleuantur cùm ira eos ad pugnandū accendit. Sen. in epistolis: Non est mirum in tranquilitate

tate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur: ibi stare, vbi omnes iacent. Vel cor altū est, cor honores transitorios despiciens. Cor vero latū, est cor despiciens magnitudinē diuitiarū. Sen. in epist. Ille ingentis animi est, qui diuitias circunfusas sibi multū diúque miratus quòd ad se venerint, ridet: suásq; magis audit esse, quàm sentit. Cordis longitudo est per quam vincitur tædiū longæ expectationis, vel longitudo molestiæ & laboris. Quidā sunt breues animo statim volentes quod fieri desiderant, statimq; volentes transire quod molestum sustinent: similes agricolis qui iactato semine, statim metere vellent.

De fiducia & Magnificentia, de descriptione vtriusque, & de officijs magnificentiæ tam in pace quàm in bello. PARS X.

SEquitur de Fiducia & Magnificentia. Fiducia est certa spes animi producendi ad finem rem inchoatam. De fiducia bona vel mala, require in tractatu de Spe. Magnificentia vero quandoque dicitur negotiorum difficilium & præclarorum consummatio. Et sic sumitur à Macrobio. Quandoque verò sic sumitur magnificentia, quòd ad eam pertinet, nō solū consummatio præclarorum negotiorū, sed etiam inchoatio eorundem. Et sic sumitur à Tullio in 1. Rhet. Vnde sic describit eam: Magnificentia est rerum magnarū & excelsarū cum animi ampla quadā & splendidissima propositione, cognitio atque administratio. Nec loquitur de magnanimitate, imò sub magnificentia comprehendit eam.

¶ *De officijs Magnificentiæ.*

DISTINGVVNTVR verò officia magnificentiæ tam in pace quàm in bello. In pace, secundum Platonem tria ad eam pertinent quantum ad prælatos. Primum est, vt sic vtilitatem ciuium tueantur, vt quæcunq; agunt, ad eā referant cōmodorum suorum obliti. Secundum est, totum corpus ciuitatis curent, ne dum partem aliquā tueantur, reliquam deserant. Vt enim tutela, sic procuratio reipublicæ ad vtilitatem eorū qui cōmissi sunt, nō eorum quibus cōmissa est, gerenda est. Hęc duo documenta Platonis recitat Tull. in li. de Offi. Qui parti vrbis cōsulunt, partē deserunt, pernicio sissimam seditionem in ciuitatē inducunt. Tertiū est, vt contentionem caueāt. Dicit enim Plato similiter facere eos qui inter se contendunt quinam potius ciuitatem administrent, vt si nautæ certarent tempore tempestatis, quis eorum potissimum gubernaret. ¶ Officia verò magnificentiæ in bello, nouem assignantur. Primū est, ea intētione suscipere bella, vt sine iniuria in pace viuatur. Aug. in lib. de Ciuitate Dei: constat pacem belli esse optabilem finem. Idem ad Bonifacium. Pacem debet habere vo-

Iuntas,bellũ necessitas. Idem ad eundem: Bellum geritur vt pax acquiratur. Esto ergo in bello pacificus,vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Secundum est,ante aggressionem belli diligentem adhibere præparationem in clientulis, municipiis,sumptu & armis.Sen.Longa belli preparatio celerem affert victoriam.Omnia autẽ prius experiri,quàm armis certare sapientem decet,iuxta verbum Philosophi.Tullius in lib.de officiis: Cum sint duo genera decertandi: vnũ per disceptionem,alterum per vim:illud propriũ hominis,hoc belluarum:cõfugiendum est ad posterius,si superiore vti nõ licet. Tertium est,ne temerè desperes propter ignauiam,aut propter cupiditatem nimis confidas: in periculum enim ducit immoderatus amor habendi. Quartum est, plus turpitudinẽ quàm mortẽ horrere:plus ad honestatem quàm ad salutẽ temporalem & alia cõmoda spectare. Quintũ est,copias suas crebris laboribus exercere.Poëta:Variam semper dant otia mentẽ.Sextum est,postquã ad bellandum ventum est,hortãdo bonã indolem erigere, modò laudibus animos afficere, modò admonitionibus desidiam discutere. 2.Mach.vlt. Exhortati inde sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi iuuenum confortati statuerunt dimicare & confligere fortiter.Septimũ est, in concursu ad primos impetus accurrere,inclinatis opem ferre, labentes fulcire. Octauum est habita victoria seruare eos qui nõ crudeles fuerunt. Nonum est,fœdera & promissa hostibus seruare:exemplo Reguli,qui captus præstito iuramento quòd rediret, missus est Romã pro captiuis cõmutandis: qui vt venit, videns captiuos nõ esse reddendos,cùm retineretur ab amicis,ad supplicium redire maluit,quàm fidem hosti datam fallere,vt narrat Tullius in lib.de Offic.

TERTIÆ partis principalis de quatuor virtutibus cardinalibus, Tractatus V. De Iustitia.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Iustitia. PARS I.

PRIMO ponentur diuersæ acceptiones huius nominis Iustitia.Secundò,diuersæ eius descriptiones. Tertiò,eius commendationes.Quartò,ipsius,diuisiones. Quintò, tãgetur de oppositio ipsius. ¶ Circa primum notandum quòd Iustitia quandoque valde largè sumitur, scilicet pro bonitate: secundum hoc dicit Aug.duas partes esse iustitiæ,scilicet declinare à malo,& facere bonũ.Et super illud Heb.1. Dilexisti iustitiam.dicit Gl.Omne bonum.Sic sumitur Matth.6. Quæritæ primum regnum Dei,& iustitiam eius.Gl.Iustitia regni est omnia quæ Christus docuit obseruare.Eiusdem 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Sic etiam sumitur quum dicimus impiũ iustificari. Quandoque etiã sumitur nomen iustitiæ minus largè, scilicet pro virtute reddente vnicuique quod suũ est,& sic sub iustitia pietas videtur cõtineri.Quandoque autem sumitus strictius, prout attenditur in inflictione pœnarũ.Sic videtur iustitia esse oppositia pietati vel misericordiæ. Sic sumit hoc nomen iustitia Ber.dicens: Nullum nomen Dei est quod non sonet aut iustitiam aut pietatem. Et notãdum quòd iustitia etiam prout est virtus cardinalis, quodammodo generalis est,sicut & prudẽtia generalis est quo ad directionem. Dirigit enim opera cæterarum virtutum. Iustitia verò generalis est quo ad imperium. Potest enim imperare opera ceterarum virtutum:non sufficit tamen ad exequendum ea vel ad eligendum sine cæteris virtutibus.

De descriptionibus Iustitiæ. PARS II.

CIrca secundũ,notandũ qꝑ Tullius in 1. Rhetori. sic describit Iustitiam:Iustitia est habitus animi communi vtilitate seruata,suam vnicuiq; tribuens dignitatem. Iustitia multũ attendit cõmunem vtilitatẽ.Vnde quãdoq; punit hominẽ plusquam meruit propter publicam vtilitatẽ. Tullius:Primũ fundamentũ iustitiæ est,ne cui noceatur,deinde vt communi vtilitati seruiatur. Ambr.in lib.de paradiso: Iustitia magis aliis quã sibi prodest,& vtilitates suas negligit,cõmunia emolumenta præponẽs. Iustitia etiã cuiq; suã dignitatem tribuit,quia vnicuique tribuit, quod dignũ ei est tribui,siue qꝺ ei debetur. Illud autẽ debitum quandoq; est fœdere naturali, quandoq; etiã ratione officij vel prælationis,vt obedientia debetur prælatis:quãdoq; verò ratione meriti,vt cùm pœna vel premiũ redditur his qui meruerunt. Macrobius dicit,quòd iustitiæ est,vnicuique seruare quod suum est.Aug.verò in lib.de lib.arbi.dicit:Iustitiam quid dicã esse,nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur?Et super illud Matt. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã,dicit Glo.Iustitia est:sua cuique tribuere,sibi & proximo & Deo.Sene.in lib.de 4.Virtutib.dicit: Quid est iustitia, nisi naturæ tacita conuentio in adiutorium multorum inuentã?Idẽ in eodẽ:Iustitia diuina lex est,& vinculum societatis humanæ.Isidor. sic describit eam:Iustitia est ordo & æquitas,qua homo cum vnaquaque re bene ordinatur.ordo dicitur conueniens rei collocatio, vel secundum Anselmum sic describitur:Iustitia est rectitudo voluntatis propter se

seruata. Voluntatis dicitur, quia lapis quum descendit, rectè agit faciendo quod debet: tamen non dicitur iustus esse, quia hoc non facit voluntariè. Rectitudo verò quæ est iustitia, non est cuiuscunque appetitus, sed appetitus rationabilis qui est cum discretione. Si enim aliquis impediat ab ingressu domus aliquem volentem intrare, vt innocentem ibi occidat, ignorans tamen quid ille ibi acturus sit, non reputatur ipse in hoc iustus. Non dicitur etiam aliquis iustus propter rectitudinem intellectus, vel operis, si desit rectitudo voluntatis. Item si aliquis coactus reddat pecuniam quam abstulit, vel causa inanis gloriæ non est propter hoc iustus, sed si amore iustitiæ hoc faciat. Ideo ergo benedictum est, quòd iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata. ¶ Et notandum quòd quum rectum sit in quo medium non exit ab extremis, vbi est rectitudo iustitiæ, aliquid est vt medium, & aliqua vt extrema. In iudicio verò hoc manifestum est, vbi iudex medius est inter partes, qui non debet declinare ad dexteram vel ad sinistram. Generaliter vero tria considerari possunt vbi est iustitia, scilicet quod redditur, cui redditur, & per quod redditur. Per quod redditur est vt medium, alia duo sunt vt extrema. ¶ Describitur etiam iustitia sic: Iustitia est virtus cõseruatrix humanæ societatis, & vitæ communitatis. Societatem, id est, cohabitationem hominum sic seruat iustitia, dum homines cohabitant: obtinet vnus agros vel alias possessiones quibus eget alius, ideo concitaretur inuidia & seditio, nisi iustitia adesset, quæ vnicuique ius suum redderet. Vitæ autem communitatem custodit, dum eundem modum viuendi plures sectantur: vt mercaturam, vel militiam, quæstus vnius minuit alterius lucrum, quæ res liuorem moueret, nisi iustitia adesset. Item iustitia sic describitur ab Augu. in lib. de moribus ecclesiæ: Iustitia est amor soli amato seruiens, & propterea recte dominans. Item 19. lib. de Ciuitate Dei: Qui fundum aufert ei à quo emptus est, & tradit ei qui nihil habet in eo iuris, iniustus est: & qui semetipsum aufert dominanti Deo à quo factus est, & seruit malignis spiritibus, iniustus est. Bern. in lib. de diligendo Deo: Infidelem ratio vrget & iustitia naturalis, totum se tradere illi à quo totum se habet. ¶ Et notandum quòd secundum Augu. 4. lib. de doct. Christ. Sicut ratio rotunditatis eadem est in magno disco & in cumulo exiguo, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur: ita vbi aliquis parua iustè gerit, non minuitur iustitiæ magnitudo.

De commendatione Iustitiæ. PARS III.

NOtandum ergo quòd iustitiam commendat natura, commendat & scriptura. ¶ Natura tripliciter. Primò, quia rectitudo quam dedit corpori humano monet ad rectitudinem iustitiæ. Eccl. 7. Hoc inueni, quòd fecerit Deus hominẽ rectum. Ber. super Can. Rectus dominus Deus noster, & nõ est iniquitas in eo. Rectus itaq; dominus hominem rectum fecit. Idẽ: Staturã dedit Deus homini rectam, forsitã vt ista corporea rectitudo exterioris viliorisque figmẽti, hominẽ illũ interiorem qui ad imaginem Dei factus est spiritualis, suæ seruãdę rectitudinis admoneret, decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius quàm curuum recto corpore gerere animũ? ¶ Secundo, quia ea quæ sunt institię pro magna parte naturaliter in corde hominis scripta sunt. Aug. in lib. Confes. Furtũ certè punit lex tua domine, & lex scripta in corde hominum, quã nec ipsa quidem delet iniquitas. quis enim fur æquo animo furem patitur? Tullius in 1. Rheto. Iustitiæ initium est à natura profectũ, deinde quædã in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerũt, postea res & à natura profectas, & à cõsuetudine probatas legũ metus & religio sanxit. Naturæ ius est, quod nõ opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit: vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Seneca in epistolis: Hæc societas diligenter & sanctè nobis obseruanda est, quæ nos omnes omnibus miscet, & iudicat aliquod esse commune ius generis humani. ¶ Tertio, quia natura docet etiam bruta animalia multa eorum quæ ad iustitiam pertinent, vt innocentiam, concordiam, pietatem ad animalia sui generis. ¶ Scriptura etiam multis modis iustitiam nobis cõmẽdat. Primo, multũ ad eam monendo. In Ps. Sacrificate sacrificium iustitiæ. Sap. 1. Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Eccl. 3. Vsq; ad mortẽ certa pro iustitia. Eiusdem 3. Ante obitum operare iustitiam. Idem 18. Ante iudicium para iustitiam. Ezech. 45. Rapinas intermittite, & iudicium, & iustitiam facite. 1. Timo. 6. Homo Dei sectare iustitiam. ¶ Secundo ostendendo eos esse beatos qui iustitiã esuriunt. Matt. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã. ¶ Tertio, beatos ostendendo qui aliquid pro iustitia patiuntur. Mat. 5. Beati qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiã &c. Et 1. Pe. 3. Si quid patimini, propter iustitiam, beati. ¶ Item ad cõmẽdationem iustitiæ hoc facit, quod hęc virtus multum Deo est grata, & homini multũ necessaria. Primum in multis locis ostendit scriptura. In Ps. Iustus dominus, & iustitias dilexit. Item acceptabis sacrificium iustitiæ. Prou. 15. Qui sequitur iustitiã, diligetur à domino. Eiusdem 16. Initium vitæ bonæ facere iustitiam: accepta au-

tem apud Deum magis quàm immolare hostias. Act.10. In omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Ecõtrario iniustitia multũ displicet ei, vnde Deute. 25. post illud, Non habebis in sacco diuersa pondera &c. subditur, Abominatur eum dominus qui facit hæc, & aduersatur omnẽ iniustitiam. Iustitia expresse nominatur inter illa quatuor, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Sap. 8. Ipsa adeò necessaria est, vt nec etiã latrones omnino ea carere possint. Tullius in li. de offi. Tanta est vis instítiæ, vt nec illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur, sine vlla iustitiæ particula viuere possint. Iustitia adeò vtilis est, vt nihil vtile reputetur, quo ipsa amittitur. Vnde super illud Psal. Rapinas nolite concupiscere, dicit Gl. O lucra damnosa, inuenis pecuniã, perdis iustitiã. Iustitia adeò vtilis est, vt cũ ea vtilia sint quæ maximè noxia videtur, vt mors. Nume. 23. Moriatur anima mea morte iustorum. Iustitia nõ solùm est homini necessaria in vita, sed etiam in morte: nec solũ in præsenti, sed etiam in futuro. Iustitia in præsenti, vita à malo pœnæ custodit. Dan. 6. Cõclusit ora leonũ, & non nocuerũt mihi: quia corã eo iustitia inuenta est in me. Temporalia bona tribuit. Prou. 13. Iustitia eleuat agẽtem. Eccl. 20. Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur. Econtrario dicitur in Psal. de quibusdã propter iustitias enim suas humiliati sunt. Et Ecc. 10. Regnũ à gente transfertur in gentem propter iniustitias &c. Itẽ à malo culpæ defendit, propter qđ lorica dicitur. ad Ephe. 6. State, inquit, induti loricam iustitiæ. Item appetitum boni transitorij restringit, ideo vocatur zona. Eccl. 45. Circuncinxit Aaron zona iustitiæ. Et Esa. 11. Et erit iustitia cingulum lumborum eius. Item iustitia homini pacẽ dat: & sic Deo in homine locum præparat. In pace enim factus est locus eius. In Psal. Iustitia & pax osculatæ sunt. Esa. 32. Erit opus iustitiæ pax. In Psal. Iustitia ante eum ambulabit. Item: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia necessaria est in morte: quia virum iniustũ mala capient in interitu, vt dicitur in Psalm. Econtrario vero sperat iustus in morte sua. Pro. 14. Iustitia in futuro necessaria est, & maximè in illo districto iudicio in quo iustitia Dei iudicabit, quæ iustitiam condemnare non poterit. Gen. 30. Respondebit mihi cras iustitia mea. Prouer. 10. Nihil proderunt thesauri impietatis: iustitia verò liberabit à morte. Difficile erit homini habẽti iustitiam, imò intolerabile, apparere tunc coram Dei iustitia. Psal. Ego in iustitia apparebo in conspectu tuo. Idem: Non permanebunt iniusti ante oculos tuos. Item: Iniusti punientur. Item: Iniusti autem

autem disperibunt. ¶ Ad commendationem iustitiæ etiam valere potest præeminentia, quam ipsa habet respectu aliarum cardinalium virtutum. In ipsa, vt ait Tullius, maximus est splendor honestatis. Et Plato dicit de ea, quòd si ipsa conspiceretur, miros spectantibus sapientiæ excitaret amores. Iustitia finis videtur esse aliarum cardinalium virtutum. Vnde propinquior videtur esse mercedi, saluti, & coronę quæ specialiter ei in scriptura sacra attribuũtur. In Psal. Retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam. Item: Tu benedices iusto. Prou. 10. Benedictio domini super caput iusti. Eiusdẽ 11. Seminanti iustitiam merces fidelis. Item 12. In semita iustitiæ vita. Sap. 1. Iustitia perpetua est & immortalis: iniustitia autem mortis acquisitio. Eccle. 30. Salus animæ in sanctitate iustitiæ. 2. ad Timo. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ.

De diuisionibus Iustitiæ. PARS IIII.

NOtandum, quòd secundum quosdam iustitia diuiditur in seueritatẽ & liberalitatem. Seueritas virtus est debito supplicio coërcens iniuriam. Liberalitas verò est virtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatem, & pro effectu beneficientiam vocant. Et consistit hæc virtus tota tribuendo & retribuendo. Benignitatem verò diuidunt in septem partes: scilicet religionem, pietatẽ, innocentiã, amicitiam, reuerentiã, concordiam, misericordiam. Secundum Macrobium ad iustitiã pertinẽt innocẽtia, amicitia, cõcordia, pietas, religio, affectus, humanitas. Secũdũ Tull. verò in 1. Rhetori. ad iustitiã pertinent religio, pietas, gratia, vindicatio, obseruantia, veritas. Quidã verò iustitiam diuidunt in quinq; partes, scilicet in obedientiam quæ est respectu superioris, & disciplinam quę est respectu inferioris, & æquitatẽ quæ est respectu paris, & veritatem & fidẽ quæ pertinent ad omnes. Gl. verò super illud Luc. 6. Si diligitis eos qui vos diligunt &c. aliã innuit diuisionẽ iustitiæ: dicens: Philosophi in tres partes diuidunt iustitiã. Vnam in Deum, quæ pietas dicitur. Alteram in parentes vel reliquum humanum genus. Tertiam in mortuos, vt his exequiarum iura soluantur. Sed dominus legis oraculum & Philosophiæ fastigiũ supergressus in eos quos qui læserint pietatis porrexit officium. Secundũ Senec. verò in libr. de quatuor virtutibus, duo pertinent ad iustitiam, scilicet velle omnibus prodesse, & nulli nocere. Amabis, inquit, Deum, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse, & nulli nocere: tunc te virum iustum appellabunt omnes. Et hæc duo videntur concordare duobus præceptis iuris na-

turalis,quorum alterum habes Tob.4.Quod ab alio oderis tibi fieri,vide ne tu aliquãdo alteri facias.Reliquum Mat.7. Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.Sed quia nulla prædictarũ diuisionum perfectè tangere videtur ea quæ ad iustitiam pertinent,generalior videtur ponenda esse diuisio iustitiæ.Et quia virtute iustitię reddimus vnicuique quod debemus, diuidetur iustitia secundum ea quæ debemus & quibus debemus. ¶ Notandum ergo,quòd quædam debemus omnibus,vt dilectionem,veritatẽ,& fidẽ: quædam verò non omnibus,& inter ea aliquid debemus superiori, aliquid inferiori, aliquid pari. Item aliquid speciale debemus nobis specialiter coniunctis,vt parentibus,& patriæ, beneuolis, quod debitum soluit pietas, prout Macrobius & Tullius de ea loquuntur. Item debemus aliquid his qui beneficia conferunt: scilicet gratiam, de qua loquitur Tullius. Et aliquid his qui mala inferunt: scilicet vindicationem, de qua idem loquitur. Et aliquid etiã his qui mala ferunt vel sustinent, scilicet misericordiam.

De Latria & religione, prout Tullius religionẽ sumit, & de vtriusque descriptione, & latriæ commendatione, & diuisione, de partibus eius, ac quadruplici officio religionis. PARS V.

INter ea verò quę superiori debentur, aliquid est quod soli Deo debetur,& aliquid quod nõ soli Deo.Soli Deo debetur latria. Vnde Glo.super illud Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis,& illi soli seruies: Græcè latria dicitur, seruitus Latinè.Seruitus communis Deo & homini & cuicunque Græcè dicitur dulia.Illa verò quæ soli Deo debetur,latria distinctè: vnde idololatra,qui quod soli Deo debet, idôlo dat. ¶Primò inter partes iustitiæ de latria prosequemur. Quod autem latria Græcè dicitur, videtur à Tullio religio vocari. Quam ipse sic describit: Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant,curam ceremoniámque affert. In hoc quòd dicit curam, innuit cultum interiorem. In hoc, quòd dicit ceremoniam,exteriorem cultum, qui signum est interioris.Isid.8.libr. etymol.dicit,q religio appellata est quia per eam vni Deo religamus animas nostras ad cultũ diuinũ vinculo seruiẽdi.Hęc religatio sit in principio vniuscuiusque religionis:vt in baptismo, vbi initiatur Christiana religio:vel in specialibus,religionibus, cùm quis obligat se ad ea quæ religionis sunt.Secundum Aug. verò 10.lib.de Ciuit. Dei: Religio dicta perhibetur à religendo Deum, quem amiseramus negligentes. Et secundũ hoc religio respicere videtur statum peccati, & non statum innocentiæ.

Deut

Deuter.26.Dominum elegisti hodie vt sit tibi Deus.Latria verò sic describitur: Latria est cultus Deo debitus & exhibitus. Vel sic: Latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Adorationem latriæ commendat nobis multiplex exhortatio quam scriptura sacra facit de ea. In Psalm. Venite adoremus,& procidamus ante Deum. Item: Adorate dominum in atrio sancto eius. Item: Adorate dominum omnes angeli eius.Matth.4.Dominum Deum tuum adorabis. Ad idem valent exempla sanctorum, vt exẽplum Christi, de quo Luc.22. Positis genibus orabat, dicens &c. Et Matt.vlti. dicitur de vndecim discipulis, quòd videntes Iesum adorauerunt. Apocal.4. legitur de viginti quatuor senioribus, quòd procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum. Item eiusdem 15. Viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt &c. Et eiusd. 7. Omnes angeli stabant in circuitu throni &c.& adorauerunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio est claritas. ¶De adoratione etiam vigintiquatuor seniorum,habetur eiusdem 11. Item legitur de Beato Bartholomæo, quòd centies flexis genibus exorabat Deum per diem, & centies per noctem. Et de Iacobo minore, quòd tantùm iacebat super genua sua orans,quòd genua habebat vt calcaneum, similem duritiam habens in eis duritiei camelorum. Gloria adorationis est quam sibi Deus specialiter retinere voluit. De hac dicitur Esa.42. Gloriam meam alteri non dabo. Eccles.25. Bono animo gloriam redde Deo,& non minuas primitias manuum tuarum. Gloria ista significata est per thymiama de quo Exod. 30. Sanctum sanctorum vobis erit thymiama. Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum domino est. Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur,peribit de populis suis. Obsequium istud multum placet Deo. Eccle. 35. Qui adorat Deum in oblectatione,suscipietur: & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. Et notandum, quòd licet adoratio latriæ soli Deo sit exhibenda: tamen dicitur exhiberi illi homini qui est filius Dei,sed quasi per accidens.Non enim exhibetur ei inquantum est homo, sed inquantum est filius Dei: sicut dicitur de homine illo, quòd creauit stellas, quas tamen non creauit inquantum homo, sed inquantum Deus. ¶Et notandum quòd triplex est cultus Deo debitus. Primus est, cordis. Secundus est, oris. Tertius, operis. Cultum cordis specialiter vocat Gl.cultum,super illud Exod.20. Non adorabis,neque coles. Aliud est,inquit colere,aliud est adorare. Potest quis inuitus adorare, vel adulando regibus idololatris,

tris, vel tormentis victus quum sciat quia idôlum nihil est. Colere verò est toto his affectu & studio mancipari. De cultu interiori dicit Isid. 8. libr. Etymol. Tria sunt quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur: fides, spes, charitas. August. in Enchirid. Fide, spe, & charitate colimus Deum. Item Augustin. loquens de theosebia siue pietate, quæ est cultus Dei, dicit quòd consistit in cognitione Dei & dilectione, quum debita subiectione. Et super illud 1. Corinth. 12. Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ. dicit glosa. loquens de illo verbo Iob secundum vnam literam 28. Ecce pietas est sapientia. vbi litera nostra habet, Timor domini ipse est sapientia. Pietatem, inquit, hoc loco posuit Dei cultum, quæ Græcè dicitur theosebia: & quis cultus est, nisi amor & cognitio eius? Cultus interior Deo debitus in duobus videtur consistere, scilicet in cognitione & affectione. Cognitio verò ad cultum Dei pertinens est, vt credulitas, qua creditur Deo sicut Deo credendum est, scilicet propter se & super omnia: sicut enim primæ veritati credendum est. Item credulitas qua credimus de Deo digna Deo: vt summam potentiam, summam sapiẽtiam, summam bonitatem, & consequentia ad hęc, vt quòd ipse est omnium bonorum creator & conseruator, mundi gubernator, hominis recreator, seruientium sibi liberalissimus retributor: eorum verò qui pertinaciter rebelles ei sunt zelantissimus vltor. Inter affectiones verò pertinentes ad cultum Dei, Prima videtur esse timor, & non qualiscunque timor, sed talis timor quali timendus est ille, cuius potentiæ nullus potest resistere, cùm sit summa: cuius sapientiæ nihil potest abscondi, cùm sit summa: & cuius bonitas cum summa sit, summè odit malitiam, & sine fine puniet eam in eis quos pertinaces in ea inuenerit: Timendus est ergo super omnia. ¶ Secunda est spes non qualiscunque, sed talis qualis ponenda est in eo cuius potentiæ facillimũ est liberare ab omni miseria, cuius sapientiæ notissima est miseria nostra. Abyssus enim miseriæ non inuocat abyssum misericordiæ, nisi agnoscatur, & cuius bonitati proprium est misereri semper & parcere, quæ etiam propter liberalitatem suam fecit, quæcunque fecit, quia omnia fecit ad dandum in ipso: ergo super omnia sperandum est. ¶ Tertia amor, & non qualiscunque amor, sed talis quali amandus est qui optimus est in se, & ideo amore dignissimus, qui etiã fons est omnium bonorum, à quo suscepimus omnia bona quæ habemus vel habuimus, & à quo susceпturos nos speramus quicquid boni susceпturi sumus. De timore & amore dicit Sen. in li. de

de quatuor Virtutibus: Quisquis iustitiam sectari desideras, time Deum prius, & ama, vt ameris à Deo. De spe dicitur in Psal. Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum. Nomen domini agnoscunt qui serui eius esse volunt, à quibus spes specialiter requiritur. ¶ Cultus oris est vocalis professio maiestatis diuinæ, quam fideles faciunt frequenter Deum orando, laudando, benedicendo, gratias ei agendo. Cultus operis est, vt quum aliquis opere recognoscit singulare dominium Dei, quod ecclesia ore recognoscit, Christo dicẽs: Tu solus Dominus. Dominium istud quantum ad personas nostras recognoscimus Deo, genuflexione & prostratione. Esa. 45. Mihi curuabitur omne genu. Mich. 6. Curuabo genu Deo excelso. Quantum ad nostra verò, oblatione alicuius partis bonorum illorum quæ ab eo accepimus. Deut. 26. Profiteor hodie corã Domino &c. tradidit nobis terram lacte & melle manantem, & idcirco offero nunc tibi primitias frugum terræ, quam dominus dedit mihi. Ad cultum operis pertinebant sacrificia veteris legis, quæ fiebant de animalibus quorum immolatione sacrificantes ostendebant plenissimè Deo se esse subiectos, etiam ad occidendum. Morte enim animalium ostendebant Deum eos occidere posse, & eos mortem meruisse, & sperabant misericordia Dei mortem propriam quam meruerant in mortem animalium commutare. Et notandum quòd sacrificium soli Deo debetur. vnde Augu. 10. lib. de Ciuita. Dei: Sacrificium certe nullus hominũ est qui audeat dicere deberi, nisi Deo multa denique de cultu diuino vsurpata sunt quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines habentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum cẽsuit nisi ei, quem Deum aut fiẽri, aut putauit, aut finxit? Et subdit: Sacrificium visibile sacrificij inuisibilis sacrum signum est. ¶ Et tangit sex species sacrificij spiritualis. Primum sacrificium est cordis contritio. In Psal. si voluisses sacrificium dedissem: vtique holocaustis nõ delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus &c. Augu. Intueamur quemadmodum vbi deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostẽdit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium cõtriti cordis. ¶ Secundum sacrificiũ est cordis igne diuini amoris inflammati. De quo Aug. Deo suauissimum incensum adolemus, quum in eius cõspectu pio sanctóque amore flagramus. Tertiũ sacrificium corporis propter Deum mortificati. Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis

beatis corpora vestra hostiam viuentem &c. ¶ Quartum est, sacrificium corporis pro Deo proprio sanguine cruentati. August. Deo cruentas victimas cedimus, quando vsque ad sanguinē pro eius veritate certamus. ¶ Quintum est, sacrificium laudis de quo in Psal. Nunquid manducabo carnes taurorū, aut sanguinē hircorum potabo? Immola Deo sacrificiū laudis. ¶ Sextū est, sacrificium misericordiæ, quo miseriæ proximi volumus subuenire. Heb. 6. Beneficētiæ & cōmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Itē Aug. eodē lib. dicit, quòd sacrificium res diuina est. Et videtur velle quòd verū sacrificiū opus sit misericordiæ. Verū sacrificiū est opus quod fit propter Deū, vt homo à miseria releuetur, & Deo adhærendo beatus efficiatur. Vnde dicit, Verū sacrificiū est, omne opus quo agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, relatū ad illū finē quo veraciter beati esse possumus. Et subdit: Vera sacrificia opera sunt misericordiæ: siue in nosipsos, siue in proximos, quæ referuntur ad Deum. Opera verò misericordiæ non ob aliud fiunt, nisi vt à, miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus: quod non fit nisi bono illo, de quo dictum est, Mihi adhærere Deo bonū est. Idem in eodē, Ipsa misericordia qua homini subuenitur, si non propter Deū fit, non est sacrificium. Ad cultū etiam operis pertinet thurificatio, quæ ostendit affectum nostrū integrè in Deum esse dirigendū, quasi in omne bonum, sicut totus fumus thuris tendit sursum. Exo. 33. Ego ostendam omne bonū tibi. Et notandum quòd religionis, quā Tullius ponit partem iustitiæ, quę idem videtur esse quod latria, secundū quosdam, quadruplex est officiū. ¶ Primum est perpetrati sceleris pœnitere. Hoc videtur esse primum sacrificium Deo acceptum post mortale peccatū. In Psal. Sacrificiū Deo spiritus &c. ¶ Secundum est temporalium mutabilitatem paruipendere. Postquam enim anima Deo æterno se religauit religione fidei, spei, & dilectionis, spe æternorum despicit transitoria. Senec. Nemo dignus Deo qui opes non cōtempserit. ¶ Tertium est vitam nostrā Deo committere. Qui enim agnoscit per fidē se habere vitā suā à Deo vult illā ei offerre, & oratione, & obsequiis impetrat eam à Deo dirigi. Tob. 4. Omni tempore benedic dominum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Quartū est, veritatē dicere de his quæ ad religionē pertinē. Fidelis primo debet habere pœnitentiā de his quæ agnoscit se fecisse contra Deum & contra se. Secundo, despicere ea quæ agnoscit esse infrà se. Tertio, Deo committere se. Quarto, his quæ sunt iuxta se veritatem dicere, quam accepit de religione sua. De

De Dulia, PARS VI. *Quæ habet tria capitula.*

De ordine dicendorum de Dulia, & nominis dulię distinctione ac descriptione. CAP. I.

DIcto de cultu Latriæ qui soli Deo debetur, dicendum est de his quæ aliis superioribus debentur. Et inter ea aliquid est quod soli debetur creaturę, vt est reuerentia seu honor dulię. Aliquid verò quod debetur & creatori & creaturæ, vt obedientia. Et primo dicetur de honore seu reuerentia dulię. De qua hoc ordine agetur. Primo ostendetur quid sit reuerentia seu honor dulię. Secundo tangetur de diuersis speciebus dulię. Tertio de errore illorum qui ecclesiam dicunt idololatrare, adorando diuersos sanctos & imagines sanctorum. ¶ Circa primū verò est notādum quòd hoc nomen dulia quandoque cōmuniter sumitur pro seruitute quæ exhibetur Deo vel creaturæ. Vnde dulia Græcè, seruitus Latinè dicitur: & dulos dicitur seruus. Gl. super illud Matt. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Seruitus cōmunis Deo & homini & cuicūque, Græcè dicitur dulia. Quandoque autem nomen dulię restringitur ad honorem creaturæ debitum: & secundū hoc sic describitur: Dulia est cultus vel honor creaturæ debitus & exhibitus. Dulia videtur esse idem vel in toto vel in parte cū reuerentia, prout sumitur in prima diuisione iustitiæ prius posita, quæ sic describitur: Reuerētia est virtus personis grauibus vel aliqua prælatione sublimatis, debitæ honorificationis cultū exibens. ¶ Et notandum quòd reuereri tripliciter accipitur. Vno modo dicit motū qui est fugiēdo seu resiliendo ab altitudine alicuius rei in propriā paruitatē. Et vocatur iste motus timor reuerētiæ. Et huic motui interiori respondet exterius elōgatio vel fuga qua humiles personæ elōgant se ab his qui sunt in dignitate positi, nō audētes eis appropinquare. Quandoque verò reuereri dicit honorē quem aliquis exhibet alij gratia dignitatis ad ostendendū quòd ei subiectus sit & paratus voluntatē eius sequi vt est assurgere venienti, assistere sedenti, inclinare transeunti, precedentē sequi, & genuflexio. Quandoque cōprehendit motū timoris reuerentiæ, & honorem. Et sic sumitur super illud Heb. 12. Patres carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Gl. Reuereri est cū timore honorē impendere. Tullius in secūda diuisione prius posita, in parte honorē dulię cōprehendit sub illa parte iustitiæ quæ dicitur obseruātia, quā sic describit: Obseruātia est per quā homines aliqua dignitate antecedentes cultum & honorē dignantur. ¶ Itē notandū quòd hoc nomen Honor, multipliciter sumitur. Quādoque pro dignitate. Heb. 5. Nec quisquā

sumit

sumit sibi honorē: sed qui vocatur à Deo tanquā Aaron. Quādoq; vero honor dicitur quòd exhibetur alicui gratia superioritatis, ad ostensionē subiectionis, vel propter prioritatē, vel naturæ dignitatem, vel excellētiā in aliqua gratia propter superioritatem. vt Ro.13. Cui honorem, honorem. 1. Petr. 1. Regem honorificate. Propter prioritatem tēporis: vt Leuit. 19. Coram cano capite cōsurge, & honora personam senis. Propter dignitatem naturæ: vt Exo. 20. Honora patrem tuum & matrem tuam. & Mala. 1. Si ergo pater, vbi honor meus? Propter excellentiam in aliqua gratia honor exhibendus est omnibus, quia debemus credere quòd omnes nos excedant in aliena gratia. 1. Petr. 2. Omnes honorate. Rom. 12. Honore inuicem præuenientes. Gl. Aliter non est fraternus amor, nisi in mutuis se præueniant obsequiis. Ephe. 5. Subiecti inuicem in timore Christi. Phil. 2. In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Gl. Aug. Non hoc ita debemus arbitrari, vt nos æstimare fingamus: sed vere æstimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrū quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

De speciebus Duliæ. CAP. II.

SEquitur de speciebus duliæ. Notandum ergo quòd dignissima species duliæ est honor qui debetur humanæ naturæ, quā filius Dei assumpsit. Specialiter verò honoranda est humana natura in Christo propter inhonorationem quam in cruce sustinuit: secundū illud Phil. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortē autē crucis. Propter quod & Deus exaltauit illū &c. Propter hoc ex institutione ecclesiæ fit adoratio crucis, in qua id cui exibetur honor ille est, Christus passus. ignominia verò est causa illius honorationis. ¶ De adoratione humanæ naturæ à filio Dei assumptæ, dicit gl. Aug. super illud psal. Adorate scabellū pedum eius, quoniā sanctū est. Sciendū quia in Christo terra est, id est, caro quæ sine impietate adoratur. Hæc species duliæ, hyperdulia vocatur, quæ soli humanitati Christi exhibetur. Vnde gl. super illud Ps. Adorate scabellū pedū eius &c. Dulia adoratio est, quę etiā creaturæ exhibetur. Quæ duas species habet: vnā quę indifferenter omnibus, alterā quæ soli humanitati Christi exhibetur. ¶ Post naturā humanā à filio Dei assumptam, exhibēdus est honor beatæ Virgini, in qua & ex qua filius Dei carnem assumpsit. Damas. Dei genitricis imaginis nō materiā, sed figuram adoramus. Figurā hic intellige figuratū siue significatum per imaginē. Et subdit Damas. Honor enim qui est ad ipsam, ad eum qui ex ipsa incarnatus est reducitur. Hoc ideo dicit, quia propter filiū adoratur mater. ¶ Tertio exhibendus est honor beatis angelis, & sanctis qui sunt in statu gloriæ, ab his qui sunt in statu miseriæ. Status enim miseriæ inferior est statu gloriæ. Matthæ. 11. Inter natos mulierū nō surrexit maior Ioāne Baptistā: qui autem minor est in regno cælorū, maior est illo. ¶ Quarto exhibēdus est honor his qui præsunt in ecclesia militante: qui scilicet sunt in gradu superiori, ab his qui sunt in gradu inferiori. Qui enim præsunt, loco Dei sunt: & ideo honor vel cultus eis exhibendus est. Vnde & Dij vocantur. Exod. 23. Diis non detrahes: & principi populi tui non maledices. Præcipuè verò honor exhibendus est his qui præsunt ad spiritualia. 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè hi qui laborant in verbo & doctrina. ¶ Quinto exhibendus est honor amicis Dei, etiam in statu vitæ qui sunt notæ sanctitatis. Vnde qui se reputant peccatores, cum genuflexione suffragia solēt petere à talibus. Status enim eorum secundum suam reputationē inferior est statu aliorū: sicuti status serui à statu filij vel domini. Filius domini à seruis dominus solet vocari. Mat. 15. Non est bonū sumere panē filiorū, & dare canibus. Canes vocat peccatores: filios iustos. Et subditur: Etiā domine; nā & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorū. Intellige illos dominos qui prius vocati sunt filij. De hoc honore dicitur Esa. 49. ad ecclesiam: Vultu in terra demisso adorabūt te. Itē notandū ꝙ honor quandoque exhibetur creaturæ absolutè: quandoque Deo absolutè: quandoque verò honor respicit relationem seu comparationem creaturæ ad Deum. Et de illo honore scien-

dum est, ꝙ potest exhiberi Deo in creatura: vt in imagine eius, vel in ministro eius, vel in templo materiali, vel spirituali, vel in altari, vel in aliis rebus quæ ad cultum Dei pertinēt: & est honor latriæ. Et Deus est, id cui propriè exhibetur honor ille: creatura verò est mediū, vel occasio aliqua cogitandi de Deo, & afficiēdi in eum, & signo exteriori iudicandi affectū illum. Si verò honor ille exhibeatur creaturæ comparatione Dei: honor duliæ est, & Deus est, vt causa illius honoris: creatura enim siue consideretur absolutè, siue inquātum imago Dei, vel ministrās ei, vel associata ei in vna persona, non fuit sic ab æterno, sed incœpit esse: vnde non videtur ei exhibenda reuerentia latriæ. ¶ Et notandum quòd reuerentia quæ debetur rebus Deo dedicatis, vt loco sacro, scilicet templo vel cœmiterio, vel his quæ pertinent ad ornatū templi, vel sacro tempori, videtur esse quidā timor, quo timemus intrare tēplū illoti, vel nō sanctificati, vel appropinqua-

re altari, vel aliis rebus sacris, vel cõtrectare res sacras, vel inquinare nos in loco, vel tẽpore sacro, vel violentiam inferre sacro loco, vel communia opera ibi exercere: de hoc timore legitur Genes.28. Quàm terribilis est locus iste? nõ est hic aliud, nisi domus Dei, &c. Malach.2. Leui à facie nominis mei pauebat. Cùm dominus sanctus sit, in sanctitate vult appropinquari ad eius ministerium. Exod.28. Aarõ sanctificatus minister mihi. Qui verò Deum nõ ostẽdit sanctum ad ministerium eius in sanctitate appropinquando, ipse ostendet eum nõ sanctum pro immunditia sua à Deo prænã recipiẽdo. Leui.10. Arreptis Nadab, & Abiu filij Aarõ thuribulis imposuerunt ignem, & incẽsum desuper, offerẽtes coram domino ignem alienum, quòd eis præceptum nõ erat. egressusque ignis à domino, deuorauit eos. Dixítque Moyses: Hoc est, quod locutus est dominus, Sanctificabor in his qui appropinquant mihi. Nõ legitur Christum in Euãgelio in vita illa tãtam iram per zelum ostẽdisse, quãtam ostẽdit cùm vidit, quòd templo nõ exhibebatur debita reuerentia. Ioan.2. & Matthæ.22. Tunc impletum est illud, Zelus domus tuæ comedit me. Marci 10. legitur, q̃ nõ sinebat, vt quisquam transferret vas per tẽplum. 1.Cor.3. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illũ Deus. Traditur de Põpeio, quòd postquam illi qui cum eo erant prophanauerunt tẽplũ & stabulauerunt equos in porticu tẽpli, nũquã pòst pugnauit quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortunatissimus, & Heliodorus volens templum spoliare, diuinitus flagellatus est. 2. Machab.3.

De errore illorum qui dicunt ecclesiam idololatrare circa Sanctos, & imagines Sanctorum. CAP. III.

SEquitur de errore illorum qui dicunt ecclesiam idololatrare, quia ponit in ecclesiis imagines, & adorat diuersos sanctos. Qui error occasionẽ potuit habere ex illo verbo Exod.20. Nõ facies tibi sculptile, neque omnẽ similitudinẽ, &c. Nõ adorabit ea, neque coles. Item in Psal. Cõfundantur omnes qui adorant sculptilia. Esther.3. legitur de Mardochęo, quòd solus nõ flectebat genua, nec adorabat Amã, cùm omnes serui regis, qui in foribus palatij morabantur hoc facerẽt: sic enim eis præceperat imperator. & Dan.3. Tres pueri noluerunt adorare statuam Nabuchodonosor. Item Apoca.vlt. dixit angelus Ioan. cùm cecidisset ad pedes eius, vt eum adoraret, Vide ne feceris: cõseruus tuus sum, & cõfratrum tuorum. ¶ Sed cõtrarium manifestè ostenditur ex hoc, q̃ dominus imagines Cherubin præcepit fieri, Exo.25. Esaias etiã vidit dominũ sedentem super solium excelsum. Esa.6. Seraphin stabant super illud. & Ezech. vidit imagines quatuor animalium. Ezech.1. & Apocalyp.4. Quas figuras sicut sancti minutis literis scripserũt, quantum ad illos qui legẽ sciunt: sic picturis, vel sculpturis quasi grossis literis scribi potuit, quantum ad laicos qui legem nesciũt. Sicut enim scripturæ literæ sunt clericorum: ita picturæ vel sculpturæ literæ laicorum. Licet ergo ecclesiæ habere imagines: nec est hæc reuocatio idololatriæ, sed potius reuocatio ab idololatria. Et sicut dominus voluit sibi sacrificia fieri, vt filios Israël reuocaret à sacrificiis, quæ idõlis fiebant: ita imagines solebant fieri diis, qui colebantur, volens ecclesia homines ab hoc reuocare, voluit imagines fieri in ecclesia, ad rememorandum facta memoria digna. Damas. Quia non omnes nouerunt literas nec lectioni vacant, patres excogitauerunt velut quosdam triumphos imaginibus scribere. Prohibuit autem Moyses fieri sculptile, vel similitudinem falsorum deorum, ad adorandum vel colendum. Vnde subdidit: Non adorabis ea, neque coles. Nec fuit intentio sua prohibere omnino, vt nulla similitudo fieret, vel nullum sculptile, cùm ipsemet contrarium fecerit, vt in Cherubin. Exod.15. Adoratio verò quam Moyses prohibuit fieri creaturæ, adoratio latriæ fuit, non adoratio dulæ. Ad illud verò, quod dixit Angelus Ioanni, Vide ne feceris: dicendum est, quòd hoc dixit, vt daret exemplum humilitatis, exemplũ scilicet refugiendi honorem huius, cùm alicui exhibent: vel ad ostẽdendum sublimitatẽ humanæ naturæ in Christo sublimatæ. Gre. Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam. Vel quia periculosa est talis adoratio propter facilem declinationem in idololatriam. Vnde Augustinus loquens de angelis venientibus ad Abraham: Duplici, inquit, de causa aliquis est arcẽdus à bono: vel propter maius bonum aggrediendum, vt Deus reuocauit volentem sepelire patrẽ suum. Matth.8. Vel propter facilem declinationem in malum. Et notandum quòd spirituales substantiæ, licet corporeæ non sint, tamen figurari possunt corporeis imaginibus illarum rerum, in quibus quandoque se iuntur apparuisse: vt angeli qui apparuerunt Loth & Abrahã, assumptis corporibus humanis in figura humana depinguntur. Item notandum quòd propter hoc quia angelus sathanæ transfigurat se in angelum lucis, vel in speciem Christi, si appareat aliquis alicui in specie angeli vel Christi, & non cõstet cui apparet, an sit angelus vel Christus, adorare potest Christum simpliciter, vbicunque ipse sit recognoscẽdo eum filiũ Dei æternum, omnipotentem: non tamen debet adorare eum in eo

qui ei apparet, nisi sub conditione, scilicet si ipse est Christus. Mat.24.Si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus vel illic, nolite credere. Itē exhibere potest debitam reuerentiam omnibus beatis angelis Dei vbicunque sint:illi verò qui apparet non simpliciter,sed sub conditione,scilicet si est de beatis angelis Dei.

De oratione. PARS VII. *quæ habet decem capitula.*

De ordine dicendorum de oratione. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Oratio. CAP. I.

POst latriā & duliam tractabitur de oratione.Ab eō enim cui cultum latriæ,vel duliæ impendimus oratione beneficiū impetramus.Et honor latriæ vel duliæ efficacem reddit orationem: secundum illud Ecc.35.Qui adorat Deum in oblectatione,susci-pietur:& deprecatio illius vsque ad nubes appropinquabit. Præterea oratione quodammodo Dei maiestatem profitemur:dum pro defectibus nostris supplendis,ad eum quasi ad fontem bonitatis orādo recurrimus.Item cùm ab eō postulāmus ea quæ soli potentiæ diuinæ possibilia sunt, & soli liberalitati diuinæ congruūt,vt est collatio regni cælestis. ¶ De oratione verò hoc modo tractabitur.& primo ponētur diuersæ acceptiones huius nominis oratio.Secūdo,eius descriptiones.Tertio,cōmendationes. Quarto,agetur de præparatione orationis. Quinto,de impedimētis eius.Sexto,ostendetur quādo sit orandū.Septimo,vbi orādum.Octauo,quomodo orandū. Nono,quid orandū. Decimo, agetur de speciebus orationis. ¶ Circa primū notādum,q̄ oratio quandoque dicitur esse opus bonum.Vnde super illud 1.Thessal. vlt.Sine intermissione orate,dicit Gloss.Semper orat,qui semper bene agit.Quandoque verò dicitur iustitia seu bonitas hominis, quæ apparens Deo in filiis eius quasi quædam imago Dei,habet quasi vim orationis apud Deum: sicut & apparitio filij Dei coram patre suo, est quasi oratio pro nobis.Hebr.9. Iesus introiuit in cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sic sumitur Orate,in Gloss.super illud 1. Thessal.vlt.Sine intermissione orate,&c.Iustus nunquam desinit orare,nisi desinat iustus esse. Bernardus ad fratres de monte Dei, specialiter dicit de charitate Dei,à qua maxime est bonitas in anima,quòd ipsa est oratio nūquam deficiens. Charitas,inquit,quæ nunquam deficit, ipsa est sine intermissione oratio.Et subdit:Est enim quædam iugis bonitas mentis,& bene compositi animi,& ad patrem Deum in filiis Dei bonitatis quædam similitudo. Quādoque oratio dicitur petitio boni,siue dirigatur ad Deū, siue ad angelos, siue ad Sanctos:sic litania oratio est,vel orationes. Quādoque verò strictius sumi

sumitur,vt dicatur oratio petitio boni, quæ ad Deum dirigitur: & sic maximè à magistris sumitur,vt inferius patebit.Quandoque verò amplius restringitur,scilicet ad petitionem quæ est pro adipiscendis bonis.Vnde Gl.super illud Psal.Exaudiuit dominus deprecationem meam,dominus orationem,&c. Deprecatio est pro remouendis malis,oratio pro adipiscendis bonis.

De descriptionibus Orationis. CAP. II.

CIrca secundum notādum,quòd oratio sic describitur à Ioāne Damasc.Oratio est ascensus intellectus ad Deū. Intellectum verò hic accipias prout comprehendit duas vires, quæ sunt propriè animæ rationalis, quarum vna est apprehensiua, altera motiua.Apprehensiua dicitur intellectus speculatiuus:motiua intellectus practicus.Ad Deum ascendit,cùm hac consideratione humanorum defectuum, ad considerationem boni sufficientissimi,& potentissimi supplere defectus illos transit. Et innuitur in hoc modus quo debet procedere qui vult orare.Primo enim debet defectus suos considerare, deinde ascendere ad eius liberalitatem;qui hoc potest supplere.Vnde 3.Reg.8.Dixit Salomon templo ædificato: Si quis cognouerit plagam cordis sui,& extenderit manus suas in domo hac:tu exaudies in cælo,&c. Intellectus practicus ad Deum ascēdit desiderio & spe,à liberalitate eius sperando impleri desiderium suum.Item oratio describitur sic à Ioanne Damasc. Oratio est petitio decentium à Deo. Non decet Dei filios omnia indifferenter petere.Nec Deum decet omnia indifferenter dare. Non sunt petenda à Deo, nisi honesta.Sen.in epistolis:Quanta,inquit,dementia est hominum? turpissima vota Deo insusurrant:ita vt si quis aurem admouerit, cōticescant,& quod scire hominem nolunt,Deo narrant.Sic vive cum hominibus,tanquam Deus videat:sic loquere cum Deo, tanquam homines videāt.Nō decet filios Dei petere vilia:vt sensibilia ista quæ sunt transitoria, & corruptibilia. Seneca in epistolis:Maior sum,& ad maiora natus, quàm vt mancipium sim sensuum meorum.Item non decet viros virtutis petere-puerilia. 1.Corint.13.Quando factus sum vir,euacuaui quæ erant paruuli. Item oratio sic describitur:Oratio est pius mētis affectus in Deū directus.Iste affectus desiderium est.Vnde super illud 1.Thes.vlt. Sine intermissione orate, dicit Gl.Ipsum desiderium bonū oratio est:& si cōtinuum est desiderium,cōtinua est oratio.Pietas,à qua pius est affectus quę est oratio,est theosebia,siue cultus Deo debitus,qui cūprehendit fidem,spem,& charitatem. Vnde Aug. de orando Deo,ad Probam: Ipsa fide,spe,& charitate continua-

to desiderio semper oramus. Idem in eodem: Ora in spe, ōra fideliter & amanter. Affectus qui est in Deū dicitur dirigi ad modum nuntij. Est enim velut nūtius ab homine ad Deum missus. Vnde super illud Psalm. Intret oratio mea in conspectu tuo. dicit Gl. Virtus magna puræ orationis hic notatur, qui quasi persona quædam ad Deum intrat, & mandatum peragit, quò caro peruenire nequit. Item in lib. de Spiritu & anima, sic describitur: Oratio est mentis conuersio in Deum per pium, & humilem affectum. Gre. verò in sexta parte Moral. dicit, quòd veraciter orare est amatos compunctionis gemitus, & non compositā verba resonare. Item oratio magistraliter sic describitur: Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei à quo impetrare speramus, id quod desideramus.

De commendatione Orationis. CAP. III.

AD commendationem Orationis, Primò valere potest frequens admonitio, quam sacra scriptura facit ad orandum. Eccl. 18. Nō impediaris orare semper. Iere. 33. Clama ad me, & exaudiam te. 1. Mach. 5. Et nunc clamemus in cælum. Luc. 11. Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Aug. Nō tamen hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari. Itē Luc. 22. & Matt. 26. Vigilate & orate ne intretis in tentationē. ad Ro. 12. Orationi instantes. Idem ad Col. 4. 1. ad Thess. 1. vlt. Sine intermissione orate. Iac. 1. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, &c. Eiusdem 1. Tristatur aliquis vestrum, &c. 1. Pet. 4. Vigilate in orationibus. ¶ Secundò exempla, & inter ea est efficacissimum exemplum Christi, qui licet oratione nō indigeret, cùm per se omnia posset: tamē vt daret nobis exemplum orandi, toties orabat. De eius oratione habes Mat. 14. Dimissā turba ascēdit in mōtem solus orare. Item eiusdem 26. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem: progressus pusillum procidit in faciē suam, orans & dicens: Pater mi, &c. Et paulò pōst: Iterum secundò abiit, & orauit dicens: Pater mi, &c. Et subditur: Et orauit tertiò eūdem sermonem dicens. Idē Marc. 1. Diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locū, ibique orabat. Item Luc. 4. Iesu baptizato & orante, apertum est cælum. Et eiusdē 6. Factum est in diebus illis, exiit in mōtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Itē eiusdem 9. Facta est species eius altera dum oraret. Itē 11. Factum est cùm esset in loco quodam orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare. Itē eiusdem 22. Et factus

factus in agonia prolixius orabat. Eiusdē 23. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Ioannis 12. Pater, saluifica me ex hac hora. Item eiusdem 17. habes multum de oratione eius. ¶ Ad cōmendationem etiam orationis valere possunt exempla alia: & causa breuitatis pauca de illis tanganus. Legitur Lucę 2. de Anna, quòd non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et Act. 1. Erant omnes perseuerantes in oratione vnanimiter cū mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius. Et eiusdem 10. Ascendit Petrus in superiora domus vt oraret. Et de beato Martino legitur, quòd etiam moriens inuictum ab oratione spiritum nō relaxabat. Et de Paulo primo eremita legitur, quòd mortuus quasi orabat: vnde habuit signum orantis, ore & manibus in cælum erectis, cùm inueniretur sanctum cadauer eius appodiatum arbori à beato Antonio, qui de eo ait: Patet quàm assiduè, quantùmque oraret Deum viuus, qui nō desinit orare mortuus. Et Iacobus Alphęi ex vtero matris sanctificatus, ex assiduitate orandi cōtraxerat in genibus suis duritiem camelorum. Et Bartholomæus cēties in die & cēties in nocte ante Deū genua flectebat. ¶ Tertiò, quòd filius Dei adeò diligenter nos voluit instruere ad orandum. Vix enim est aliquod opus ad quod ita diligenter instruxerit. Ipse enim docuit quid orandum, & vbi, & quādo, & quomodo orandum, & quo fine, & qua necessitate, vt in sequentibus patere poterit. Noluit nos negligenter addiscere, quod adeò voluit diligenter docere. Verecundum est discipulis Christi ignorare quod magister eorum diligentissimè docuit. Item verecūdum est eis rarò facere, quod magister eorum tantum frequentauit. ¶ Quartò, dignitas angelorum orationes nostras Deo offerentium. Tob. 12. dixit angelus Tobiæ: Quādo orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino. Non debet homini esse onerosum xeniū illud Deo mittere, quod angelus non dedignatur ei deferre: imò quod plus est, ipse Christus qui inquātum homo est, summus sacerdos, illud offert Deo patri. Quod figuratur in hoc, q̄ diaconus thuribulū tradit sacerdoti, & sacerdos thurificat Deo. Sic Christus orationes occlesię Deo patri præsentat, quæ præsentatio multum facit eas valere. Quomodo enim à Deo contemneretur quod à tanto mediatore ei præsentatur? ¶ Quintò, præeminentia quam oratio habet respectu aliorum operum. Oratio præmium respectu lectionis. Isidorus: Orationibus mundamur, lectionibus instruimur, vtrunque bonum est, si liceat: si non liceat, melius est orare quàm legere. Itē præemi-

nentia quam videtur habere respectu ieiunij & eleemosynæ. Primò in hoc, quòd oratio est respectu eius quod supra nos est, scilicet respectu Dei: eleemosyna verò & ieiunium respectu eius quod iuxta nos vel infra nos. Vnde quum oratio ad dignioremordinet, in hoc videtur esse dignior. Præterea ieiunium & eleemosyna videntur seruire orationi. Sunt enim velut duæ alæ de quibus dicit Isidorus: Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Tob. 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Oratio columbæ est, auis scilicet Spiritussancti quæ ramum oliuæ apportat, dum pacē hominibus impetrat. Ideo dicimus esse auem Spiritussancti: quia deuota oratio à Spiritusancto est. Roman. 8. Spiritussanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Bernard. Tepida est omnis oratio, nisi eam præcedat inspiratio. ¶ Sextò, facilitas huius operis. Si dicatur alicui, quòd det eleemosynam, potest excusare se, quum non semper habeat homo argentum in bursa. Si dicatur ei quòd ieiunet, potest excusare se, quū multi propter debilitatem capitis ieiunare non possint. Sed ab oratione nullus potest excusare se. Quilibet enim potest habere orationem saltem mentalem, etiam si sit mutus. Vnde Psal. Apud me oratio. Et super illud, Iustus autem misereatur, &c. dicit Glo. Semper est aliquid iusto quod det, saltem orationem. Chrysost. Solam orationē quasi spirituale tributum anima offert de suis viscеribus. ¶ Septimò, quod opus hoc est honorabile. Multa sunt officia, quæ aliquibus cederent ad dedecus: sicut arare, vel fodere: sed orare Deum, nulli quantumcunque nobili cedit ad dedecus: quia quum oramus, ipsi cum Domino loquimur, quod sine dubio magnus honor est. Isidor. Qui vult cum Deo esse, frequenter oret & legat: nam quum oramus, ipsi cum Deo loquimur: quum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. ¶ Octauò, quòd officium istud valde lucrosum est. Quod primo potest ostendi ex hoc, quòd nihil est ad quod oratio valere non possit. Vnde 2. Parali. 20. Quum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos ad te dirigamus, hoc est officium quo potest homo lucrari omni tempore, in hyeme, & in æstate, in sereno & in pluuiali tempore, de die & de nocte, festiuis diebus & ferialibus, in infirmitate & sanitate, in iuuentute & senectute, stando & eundo, in domo & extra domum. Quandoque vna ora plus lucratur homo orando, quā valeat ciuitas vna: quia modica oratione deuota acquirit homo regnum cælorum. ¶ Nonò, orandi necessitas, quam in præsenti habemus. Tria

solent

solent esse occasio clamandi hominibus: ignis, aqua, hostes. Bernardus, Hæc tria quasi singulis diebus incitare debēt nos, vt ad Deum in oratione clamemus. Vix enim est dies in quo domus conscientiæ nostræ non succendatur igne infernali: scilicet igne concupiscentiæ pravæ. Vnde necesse habemus clamare ad aquā diuinæ gratiæ, & ad aquā lacrymarum recurrere. Ignis iste aliquando ex vna parte extinguitur, & ex alia parte accenditur. Ex ipsa enim aqua lacrymarum vnde debuit extinqui, quādoque vires sumit: vt quum aliquis vanè gloriatur de hoc quòd peccata sua plorat. Item vix est dies in quo homo non sentiat fluctus malarum cogitationum super caput cordis sui, vt necesse habeamus frequenter clamare illud Matthæi 8. Domine, salua nos, perimus. Item vix est dies in quo hostes suos non videat ad portas castri sui: vt quum verba mala in ore habet, vel fatuam mulierem aspicit. Oratio multum competit loco in quo sumus. Sumus enim in valle miseriæ: ideo necesse habemus ad Dei misericordiam frequenter orando clamare. Pugnam habemus cum eo de quo scriptum est Iob 41. Non est potestas in terra quę ei valeat comparari. Ideo necessario habemus frequenter auxilium Dei inuocare. In futuro cessabit hæc pugna: ideo non erit ibi oratio necessaria. Augustinus de orando Deo: In vita æterna non erit vlla tentatio, itaque nec oratio: non enim erit ibi boni promissi expectatio, sed redditi contemplatio. ¶ Decimò, commendabilis est oratio à multiplici suo effectu. Notandum ergo quòd oratio infirmitatem corporis sanat. Ecclesiast. 38. Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum: sed ora ad Dominum, & curabit te. Iacob. vlt. Oratio fidei sanabit infirmum. Item vitam prolongat. Esaiæ 38. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos. Item ab opprobrio liberat, vt Saram filiam Raguelis. Tobiæ 3. Liberat etiam à mortis periculo, vt Susannam. Danielis 12. Item à principe iniquo. Baruch 4. Clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum. Actuum 12. Liberatur Petrus de carcere, ecclesia sine intermissione orante pro eo. Item Ionas orans, de ventre ceti liberatus est. Ionę 2. Item oratio sanat morbos spirituales. Iacob. vltim. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent, &c. & si in peccatis sit, dimittentur ei. Hieron. in. Ieiunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Item oratio etiam in bello corporali triumphat. Exod. 17. Quum leuaret manus Moyses, vincebat Israel. Iudic. 4. Memores estote Moysi serui Dei, qui Amalech

(non ferro pugnando, sed precibus sanctis) deiecit. Gloss. super Numer. Plus valet vnus sanctus orando, quàm innumeri peccatores præliando. Oratio sancti cælum penetrat: quomodo hostes in terris non vincat? Plus vetula vna acquirit de cælo vna hora orando, quàm mille milites armati acquirunt de terra longo tempore præliando. Item de hostibus spiritualibus triumphat. Isidorus: Hoc est remedium eius qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem subdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Dicebat magnus cantor Parisiensis: Qui molestatur luxuria, vel huiusmodi, certum numerum genuflectionum cum litania sibi constituat. Item oratio dæmones fugat. Matth. 17. & Marc. 9. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per ieiunium, & orationem. Item dæmones cruciat. Vnde clamabat quidam dæmonio plenus, Bartholomæe apostole Dei, incendunt me orationes tuæ. Item oratio hominem illuminat. Vnde super illud Actuum decimo, Erat Petrus in Ioppe orans, dicit Augustinus: Oratione melius soluuntur dubia, quàm inquisitione alia. Item ad amorem Dei inflammat. Vnde 4. Reg. 1. Descendit ignis de cælo ad orationem Eliæ. Item mundat. Isidorus: Orationibus mundamur. Item confortat. Luc. 22. Positis genibus orabat dicens, Pater &c. Et subditur: Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum. Bernardus ad fratres de monte Dei: Amorem Dei oratio illuminat & confortat. Maximæ consolationes ab amicis Dei in orationem recipiuntur. Ecc. 15. Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur. Luc. 9. Ascendit Iesus in montem, vt oraret: & facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus illius albus refulgens. Item oratio etiam ad tranquillitatem valet. 1. Timot. 1. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, &c. vt quietem & tranquillam vitam agamus. Iob 8. Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & paratum reddet habitaculum tuum. Nec solum oratio operatur in terra, sed etiam in cælo. August. Magna virtus orationis, quæ effusa in terra operatur in cælo. Ipsa cælum aperit. Luc. 4. Iesu baptizato & orante, apertum est cælum. Ipsa etiam cælum claudit, vt patet in oratione Eliæ, 3. Reg. 18. Iac. vltim. Multum valet deprecatio iusti assidua. Elias, homo erat similis nobis, passibilis, & oratione orauit &c. Oratio etiam Deũ mitigat. Vnde super illud Tob. 3. vbi dicitur, quòd tribus diebus & tribus noctibus non manduauit neque bibit: sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum. dicit Glos. Oratio Deum lenit, lacryma cogit, hęc vngit, illa pungit. Oratio velut quoddam scutum ab ira Dei protegit. Vnde Sapientiæ capitu. 18. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationẽ, & per incensum deprecationem allegans, retistit iræ. Oratio quodammodo, tenet Deum, & habet in potestate sua. Exod. 32. Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos. Gregorius: Quid est dicere seruo. Dimitte me. nisi deprecandi autem præbere? quasi diceret, Pensa quantum ad me valeas, & cognosce quia obtinere poteris quicquid pro populo oras. Esaiæ 44. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Ieremiæ 7. Noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi. Item oratio cælestẽ curiã quasi quadam redolentia delectat. Apoc. 5. Habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quę sunt orationes sanctorũ. Oratione sancti impetrãt apud Deũ quod volunt, secundum promissiones à Christo factas. Matt. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Eiusdem 21. Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et Luc. 11. Petite, & dabitur vobis, &c. Item Io. 16. Petite, & accipietis.

De præparatione Orationis. CAP. IIII.

AD præparationẽ orationis monemur Eccl. 18. Ante orationẽ prępara animã tuam, & noli esse quasi homo qui tẽtat Deũ. Oras tũc Deũ tẽtare videtur, quũ illud pro quo orat, nec impetrare desiderat, nec se accepturum sperat. Prępara multũ valet ad hoc vt oratio exaudiatur. Ps. Prępara tionẽ cordis eorũ audiuit auris tua. Huius præparationis figura est, præparatio quã facit sacerdos celebraturus induẽdo se sacris vestibus. Itẽ hanc præparationem nobis commendat templi ędificatio, & ornatus ipsius. Prius ædificauit Salomon templum, deinde ad Deum orauit. 3. Reg. 8. Et notandũ quòd duplex est præparatio ad orandũ: quædã propinqua, quædã remota. Ad remotam prępara tionem pertinet, primò quòd homo bene viuat. Gregor. super Iob: Sunt nonnulli in tra ecclesiam, qui prolixas ad Deũ preces habẽt, sed vitam deprecantium nõ habent. Item in Dialog. Quid mirũ si postulantes tardè à Domino exaudimur, qui præcipientem Dominum tardè aut etiam nullo modo audimus? Idem in Moralibus: Clamorem angustiæ tempore Dominus nõ audit, quia tranquillitatis tẽpore præceptis suis ipse clamantem dominum nõ audiuit. Isid. Nõ potest habere precum certam fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei

Dei pigritat,& quem peccandi recordatio delectat. Quia precepti Dei auertitur,quod in oratione postulat non meretur: nec impetrat ab illo bonum quod poscit,cuius legi non obedit.Idem: Si id quod Deus præcepit facimus, id quod petimus sine dubio obtinemus.1.Io.3.Si cor nostrum nõ reprehẽderit nos,fiduciã habemus ad Deũ,quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mãdata eius custodimus.Aug.in lib.de opere monach.Citius exauditur vna obedientis oratio,quàm decem millia contẽptorũ.Psal.Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorũ.Secundũ Isidor.necessarium est vt oratione operatio, & opere fulciatur oratio.Moyses oratione pugnans contra Amalech manus habebat ad Deum leuatas.Exod.17. Thren.3.Leuemus corda nostra cũ manibus ad Dominũ. Isidor.Cor tuũ manibus leuat,qui orationẽ cum opere subleuat.In Psalm.Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinũ.Quod sacrificiũ erat dignius.1.Timoth. 2.Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus. Item ad præparationem remotam specialiter videntur pertinere ieiunium & eleemosyna,quæ specialiter iuuãt orationẽ.Vnde cũ thure, in quo significatur orationis deuotio, offerunt Magi aurum, in quo significatur eleemosyna: & myrrham, in qua significatur carnis maceratio,quæ est per ieiunium. Mathæi 2.Hæ sunt duæ animæ orationis, de quibus loquitur Isidor. Tob.12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Qui ieiunio corpus suum macerat,dum misericordiam assumit, Dei misericordiam prouocat,& sic orationem iuuat. Daniel. 9. Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiunio, sacco & cinere. Qui verò eleemosynam dat, dum misericors proximo existit,Deum sibi misericordem inuitat.Matt.5. Beati misericordes,quoniã ipsi misericordiã consequentur.Esa.58.Frange esuẽti panem tuum,&c.Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet,Ecce adsum. quia misericors sum Dominus Deus tuus.Qui vult aliquid ab aliquo impetrare, præmittit munera vt facilius impetret.Eccles.aſt.39. Cõclude eleemosynam in sinu pauperis,& hæc exorabit pro te. ¶Item ad præparationem remotam videtur pertinere confessio homini facta. Iaco. vltim. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate, &c. Et sacerdos celebraturus missam facit generalem confessionem. ¶Ad propinquam verò præparationem ,Primò videtur pertinere reuocatio cordis ab exterioribus ad interiora cũ retentione eius. Matt.6.Tu autem quum oraueris,intra in cubiculũ tuũ, & claso ostio ora Patrem tuum , &c.Ingressus in cubiculum , est cordis

dis reuocatio.Clausio ostij,est cordis retentio.Fatuum est Deum innocare vt ad se veniat,& gratiæ eleemosynam conferat, si homo eum non expectat.Bernard. Omnes nobis plangimus deesse gratiam:sed iustius ipsa gratia conqueritur nonnullos deesse sibi.Idem: Sic pauperes cum multis clamoribus inuocatus fuerit distributor eleemosynarum,diuerticula captãt.Isido.Purgandus est primũ animus,atque à temporaliũ rerum cogitationibus segregandus,vt pura acies cordis ad Deũ verè & simpliciter dirigatur.Idem:Pura est oratio quã in suo tempore seculi non interueniunt curę.Longe autẽ à Deo est animus qui in oratione cogitationibus seculi fuerit occupatus.¶Secundò,pertinet ad propinquam præparationem considerationis suiipsius.Bernar. ad fratres de monte Dei:Debemus nosmetipsos corã Deo cõstituere,quasi facie ad faciẽ,& in lumine eius prospicere tribulationem de nobisipsis nobis venientem. Isidor. Quum Deo assistimus, gemere & flere debemus,reminiscentes quàm grauia sunt quæ commisimus,quàm dura inferni supplicia quæ timemus. Dicebat quidã, quòd latrones & tyranni docuerant eum orare.Latro attendens quid feceris,& quod tormentũ sibi præparatum sit, inter hæc duo cum multis lachrymis misericordiã petit.Tyranni verò ea quæ sunt miserabiliora in eis improbissimè ostendunt, & quæ sana sunt abscondunt,vt magnitudo misericordiæ ad misericordiam excitet.3.Reg.8.Si quis cognouerit plagam cordis sui, & extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo.Ex consideratione peccatorũ prouenit luctus,qui multum valet in oratione,vt inferius ostendetur.Isido.Peccatorũ recordatio mœrorẽ gignit: luctus verò mentem puriorẽ reddit.quod sic valet ad hoc vt oratio exaudiatur.Augu.Munda tantum cubiculum cordis,intus est qui exaudiet.Et super illud Psalm.Iniquitatem si aspexi in corde meo,non exaudiet Dominus: dicit gl. Puritas orationis auditur. Libanus Hebræa lingua candor interpretatur.Lingua verò Græca thus.Cãdor enim putitatis,& deuotio orationis quæ in thure designatur,congruè sibi iungũtur.Item ex cõsideratione peccatorũ humilitas prouenit,quæ multu iuuat orationẽ.Eccl.35.Oratio humiliãtis se nubes penetrabit.Item consideratio status periculosi multum valet ad augmẽtum desiderij.Magnitudo verò desiderij multum iuuat orationẽ ad hoc vt exaudiatur:vt inferius patebit.¶Tertiò,pertinet ad præparationem propinquã, vt attendatur ad eum cui sacrificiũ orationis offert. in Psalm. Vacate & videte,quoniam ego sum Deus. Multũ deberet nos reddere attentos in oratione hoc,quòd cũ Domino maiestatis loquimur.

Gen.

Gen.18.dicit Abrahã: Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Bern. loquês de proficiente: Admonendus est, inquis quãta potest puritate cordis intendere in eum, cui sacrificium orationis offert, seipsum intendere qui offert, intelligere quid offert. Quantum enim videt vel intelligit illũ cui offert, tantũ est ei in affectu. Sicut secundũ ligna syluæ exardescit ignis. Eccl.28. Sic secundum diuersas meditationes de Deo, sequuntur diuersæ affectiones. Meditationem iustitiæ diuinæ sequitur affectio zelo: meditationem misericordiæ, affectio spei: meditationẽ sapientiæ omnia videntis, affectio erubescentiæ: meditationem bonitatis vel beneficentiæ, affectio gratitudinis vel amoris: meditationẽ suauitatis diuinæ, affectio quæ potest dici sanctæ esuries. Secundũ verò affectũ mentis sequitur affectus orationis. Augustinus de orando Deo, ad Probam: Dignior, inquit, sequetur effectus quẽ feruẽtior præcedit affectus. Affectio spei specialiter valet ad impetrandũ. Bern. Quatenus in bonis Domini pedẽ fiduciæ porrexeris, eatenus possidebis. Idem: Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. Voluit Christus orantes specialiter attendere, quòd Deus pater, Deus deorũ est, vt fiduciam haberent impetrandi quod peterent. Naturale enim dinoscitur esse patris, filiis vtilia prouidere. Vnde cum dixissent discipuli ei: Domine, doce nos orare: Respondit, Cum oratis, dicite: Pater noster. Lu.11. Et in eodem: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis, dabit spiritum bonum petentibus se? Et Ioã.16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

De impedimentis Orationis. CAP. V.

DIxit abbas Euagrius: Magnum est quidem sine impedimento orare, maius etiã est psallere, sine impedimento. Dicebat abbas Agathon: Nullũ laborẽ tantum esse in religione, quantum orare Deũ. Diabolus enim nullũ opus tantũ conatur interrũpere, quãtum orationẽ deuotã. Aliud enim opus quousque perficiatur habet aliquam requiem, oratio autem nullam. Et possunt enumerari duodecim impedimenta orationis. ¶ Primum est, peccatũ orantis. Esa.1. Quum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiã: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. In Psal. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Esa.59. Peccata vestra absconderũt faciem eius à vobis ne exaudiret. Ierem.5. Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis. Thren.3. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco inexorabilis

lis es. In eodem: Opposuisti tibi nubem, ne tranſiret oratio. Io.9. Scimus quia Deus peccatores non audit, &c. ¶ Secundum est orantis dubietas. Iac.1. Postulet in fide, nihil hæsitans. Et subditur de hæsitante: Non estimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Bernard. Indignus cælesti benedictione esse conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu. ¶ Tertium est, quòd non petitur quod petẽdum est: quia scilicet vile est quod petitur vel non expediens petenti. Io.16. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Glo. quod aliquid sit comparatione rei permanentis. Matt.20. Nescitis quid petat s. dictum est filiis Zebedæi petentibus honorem. Et Paulo petenti amotionem stimuli quæ sibi non expediebat, dictum est: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ideò frequenter ecclesia nõ exaudituir petendo amotionem tribulationum. Esaiæ 26. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Iac.4. Petitis, & non accipitis eo quòd male petatis. Isidor. Multi orantes non exaudiuntur: prouidet enim Deus illis meliora quàm petunt. Sicut contingere solet paruulis, qui ne in scholis vapulent, Deum exorant: sed non datur illis postulationis effectus, quia impedit talis exauditio ad profectũ. ¶ Quartum est, indignitas eius pro quo oratur. Ierem.7. & 11. Noli orare pro populo isto, neque assumas pro eis laudem & rationem: quia non exaudiam. Eiusdem 15. Si steterint Moyses & Samuel corã me, non est anima mea ad populum istum. ¶ In vitis patrum quidam frater patiebatur molestiam à spiritu fornicationis, & abiit sæpe ad seniorem vt pro se oraret. Cúmque frequens oratio senioris cum nõ iuuaret, Dominus nocte seniori ostendit negligentiã fratris esse in causa quare non exaudiretur. Vidit enim senior monachum sedentem, & spiritum fornicationis in diuersis formis mulierum ludentem apud ipsum, & ipsum cum eis delectari. Vidit etiam angelũ Domini astantem & indignantem grauiter contra eundem fratrem, quia nõ surgebat nec prosternebat se in orationibus ante Deum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis: cognouit ergo senior culpã fratris esse quòd ipse non exaudiebatur pro eo, & dixit fratri: Impossibile est discedere à te spiritum fornicationis, aliis pro te orantibus, nisi tu ipse laborem assumas in ieiuniis & orationibus, & vigiliis, rogas Dominum cum gemitu. Audiens frater verba senioris, compunctus est corde, & per afflictionem corporis meruit misericordiã. ¶ Quintum est, cogitationum malarũ multitudo. Eccl.10. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Genes.15. Abigebat Abraham volucres à sacrificio. 1. Machab. 2. Templum eius

sicut

sicut homo ignobilis. Templum spirituale est vt homo ignobilis, cùm immundis cogitationibus occupatur. ¶Sextum est coremptus diuinę legis. Prou.28. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, eius oratio erit execrabilis. Prou.1. Inuocabunt me, & nõ exaudiam, &c. eò quòd exosam habuerũt disciplinã. ¶Septimũ est, durities. Quæ duplex est: quædam in pauperes, de qua Prouer.21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse, & non exaudietur. Alia est ad eos qui offenderunt: quum aliquis non vult eis remittere. Eccles.28. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. In eodem: Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. Marc.11. Cũ stabitis ad orandũ, dimittite si quid habetis aduersus aliquẽ, & Pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. Quòd si nõ dimiseritis, nec Pater vester cęlestis dimittet vobis peccata vestra. ¶Octauũ est, peccati additio. Eccl. 34. Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocẽ exaudiet Dominus? Opus malum orationi additum est quasi quædam maledictio vel mali imprecatio, quæ orationi aduersatur. Qui peccatũ addit, quasi elongat se à Deo: & ideo difficilius à Deo exauditur. Psal. Qui elongãt se à Deo, peribũt. Item: Prolongauerunt iniquitatem suam. Esa.55. Inuocate eum dum prope est. Iaco. 4. Appropinquate Domino, & appropinquabit vobis. Deo appropinquat, qui à malo opere cessat. De hoc impedimento & præcędẽti, tangit Isidorus, dicens: Duobus modis oratio impeditur ne impetrare quisquam valeat postulata: hoc est, si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit. Idem: Sicut nullũ proficit in vulnere medicamẽtũ, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolor in mente vel odium manet in pectore. ¶Nonum est, diaboli suggestio, quę multos ab oratione retrahit. Vnde Greg. in dialogis quidam abbatia Pompeiani abbatis, quidam monachus nõ potuerat stare in oratorio in oratione, sed semper exiuit, qui sæpe correptus noluit se emendare. Sed cum quadam die beatus Benedictus venisset ad eum corripiendũ, vidit quendã nigrũ puerulum tenentẽ eum per fimbriam vestimenti. Cũmque orassent per biduum Benedictus, Pompeianus & Maurus, illi tres viderũt puerũ illum, & beatus Benedictus monachum verbere corripuit, & dæmon recessit, acsi ipse esset verberatus. ¶Decimum est, prædæmon recessit, acsi ipse esset verberatus. ¶Decimum est, prãuitas desiderij. August. Seruat tibi Deus quod non vult tibi cìtò dare, vt discas magna magnè desiderare. Greg. in Moralibus: Æternam vitã si ore petimus, nec tamen corde desideramus clamantes tacemus. Psa. Tatui dum clamarẽ tota die. ¶Vndecimũ est, perentis impatiẽtia. 1. Reg. 28. Cõsulit Saul dominũ, qui nõ respondit ei. Et sequitur: Dixítq; Saul: Quærite mulierẽ habentẽ pythonem. Iud. 9. Humiliũ & mansuetorũ semper tibi placuit deprecatio. ¶Duodecimũ est defectus perseuerantiæ in orando. Luc. 11. Si perseuerauerit pulsans, &c. Psal. Benedictus Deus, qui non, &c. Aug. Si nõ est amota oratio, securus esto, quòd nec misericordia.

Quando sit orandum. CAP. VI.

TEmpus orandi Dominus determinat Luc. 18. dicens: Oportet semper orare, & non deficere. Et eiusdem 21. Vigilate, inquit, omni tempore, &c. Non debet miles Christi scutum orationis mouere dum bellum durat. Bellum autem durat, quum durat vita præsens: militia enim est vita hominis super terram. Iob 7. Sap. 18. Homo sine querela proferens suæ seruitutis scutum orationem, resistit iræ. 1. Thess. 5. Sine intermissione orate. Pericula nunquam desunt, ideò continuè indigemus Dei adiutorio. Nunquam deest miseria, ideò continuè indigemus Dei misericordia. Ideo si fieri posset, semper esset orandum. Sed quia alia negotia hoc non permittunt, præmittenda est oratio operibus nostris, & etiam intermiscenda. Hieronymus ad Paulam: In principio cuiuslibet operis præmitte dominicam orationẽ, & signum crucis in fronte. Idem: Sicut militem sine armis ad bellum exire non conuenit: ita homini Christiano procedere non licet quolibet sine oratione. Bernard. Hauriendus est, sæpe lectionis serie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat. Hiero. Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Oratio & gratiarum actio deberent magnam partem vitæ nostræ occupare. Oratio opera nostra deberet precedere, gratiarũ actio sequi. Cùm videmus mala vel in nobis, vel in aliis, orandũ esset. Cùm videmus bona in nobis, vel in aliis gratiarũ actioni esset instandum. 1. Thessal. 5. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Bern. ad fratres de monte Dei: Charitas tot modis in oratione, vel gratiarum actione in Deum se iugiter refundit, quot in suis, vel necessitatibus, vel consolationibus, in proximi etiam, vel compassionibus, vel congratulationibus causales in hoc materias inuenit pius affectus. Orationi verò præcipuè intendendum est, vel cùm maior est necessitas, vel maior temporis opportunitas. Maior necessitas orandi est, vt cùm aliquã gratiam à Deo recepimus. Tunc enim instandum est apud eum, qui dedit eam, vt nobis cõseruet: quia vt ait Greg. citò bonum amittitur, nisi à lar-

giente custo liatur. Poëta: Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. ¶ Quanto aliquis plus habet quod possit amittere, tanto diligentior & magis solicitus debet esse de conservatione. Ideo dominus sacramento baptismi susceptо, orationi se dedit. Luc. 3. Item necessitas orandi est, cùm aliqua ardua opera facturi sumus. Ideo dominus electurus apostolos orationem præsumit. Luc. 6. Item necessitas orandi est, cùm imminet tribulatio, vel sibi, vel proximo. Vnde dominus imminente passione sua, ter orauit. Matth. 26. Et orationē suam multū protendit. Luc. 22. Factus in agonia prolixius orabat. Et Matth. 13. legitur quòd ascendit in montē orare: & innuitur causa illius orationis, quum subditur: Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. De temporis verò opportunitate notandum, quòd Ber. ostendit tres horas diei multū opportunas esse orationi, dicens fratribus de monte Dei: Extra illas horas de quibus dicit propheta, Septies in die laudem dixi tibi: matutinum aut vespertinum, aut mediæ noctis sacrificium maximè obseruandum est. Non enim ait Propheta frustrà, Mane astabo tibi, & videbo, sed quia tunc à curis exterioribus adhuc sumus ieiuni. Et dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum: quia tunc ab huiusmodi impedimentis inueniimur digesti, qui etiam in nocturnis vigiliis nostris, quibus media nocte surgimus ad confitendum nomini domini, confessionis eundem ordinem contexens: In die, inquit, tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis in nocte contra eum. Et alibi in Psa. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. ¶ Ad orandum mane mouemur exemplo Christi, Mar. 1. Diluculo valde surgēs Iesus, egressus abiit in desertum locum: ibique orabat. ¶ Ad orandum vespere, Matth. 14. vbi sic legitur: Dimissa turba, ascendit in montem solus orare: vespere autem facto, solus erat ibi. ¶ Ad orandum nocturno tempore, Luc. 6. Vbi legitur quòd erat pernoctans in oratione. Efficaciam matutinæ orationis ostendit Iob 8. Vbi dicitur: Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te. Et filij Israël mane colligebant manna. Exo. 16. Dulcedo enim Spiritus sancti tali hora impetranda est. Sap. 16. Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam. Consueuerūt diuites eleemosynam dare pauperi, qui mane eis primo occurrit. Item tēpus opportunū ad orandum est dies Parasceues, in qua Dominus adeò largus fuit, quòd matrem suam dedit Ioanni, regnum latroni, corpus & animam in redemptionē humano generi. Ideo ecclesia illo die pro omnibus orat

orat, Iudæis, paganis, schismaticis, hæreticis. Item tempus opportunum est ad orandū ante Ascensionem domini, quando aduocatus ecclesiæ, secundū repræsentationem nostram, vadit ad curiam cælestē: tunc enim formandæ sunt petitiones. Item tempus opportunū ad orandum, est tempore medio inter Ascensionem & Pentecostē. Consueuerunt enim filij regū dare larga munera suscepto regno. In Psal. Scitote quoniā mirificauit dominus sanctum suum, Dominus exaūdiet me, cùm clamauero ad eum. Item tempus idoneum ad orandū est, in magnis solennitatibus. Consueuerunt enim principes in festis magnis magna munera dare.

Vbi sit orandum. CAP. VII.

NOtandum, quòd vbiq; orandum est, cùm vbiq; sint pericula, & vbique Dei auxilio indigeamus. 1. ad Timot. 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus. Sap. 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationē animæ hominū, & in muscipulam pedibus insipientiū. Specialiter locus idoneus ad orandum, est locus secretus. Isid. de Summo bono: Oratio priuatis locis opportunius funditur. Matth. 6. Tu autē cùm oraueris intra in cubiculū tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Eiusdē 14. Christus dimissa turba ascendit in montem solus orare. Et Mar. 1. dicitur quòd abiit in desertū locum, ibiq; orabat. Et Luc. 22. Aunlus est à discipulis suis quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat. Item locus idoneus ad orandum est templum materiale Deo dedicatū. Matt. 21. Domus mea domus orationis vocabitur. 3. Reg. 9. Exaudiui orationē tuā, &c. sanctificaui domū istam, &c. & erunt ibi oculi mei, & cor meū cunctis diebus. 2. Para. 7. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationē eius, qui oranerit in loco isto. Et subditur: Elegi, & sanctificaui locum istum: vt sit nomen meum ibi in sempiternū, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. In eodem: Quum complesset Salomon fundens preces: ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas domini repleuit domum. Exo. vlt. Postquàm cuncta perfecta sunt operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria domini impleuit illud. Christus multū frequentabat templū materiale. Luc. 19. Erat quotidie docēs in templo. Et eiusdem 21. Erat cunctis diebus docens in templo. In templo inuentus est à matre sua. Luc. 2. & ait: Nesciebatis quia in his quæ sunt Patris mei oportet me esse? Eiusdem 19. Intrauit Iesus in templum. Chrys. Proprium erat boni filij, vt veniens primùm ad domum curreret patris. Tu autem imitator Christi factus, intrans ciuitatē, primum ante omnes actus ad ecclesiā curras. & su-

per Matth.22. Dicit Glo. Ingressus vrbem primò templum adiit, dans formam religonis, vt quocunq; imus, domũ orationis, si ibi est, primum adeamus, & per orationes Deo commendati ad agenda negotia secedamus. Item locus idoneus ad orandum est templum spirituale, scilicet cor mundum & purum. Cor carnale vel malignum, stabulum, vel spelunca latronum potius esse videtur, quàm templum. 1. ad Corint. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Psal. Domum tuam decet sanctitudo. 3. Reg. 6. Nihil erat in templo quod non auro tegeretur. 1. ad Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Ioan. 4. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. 1. ad Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente.

Quo modo sit orandum. CAP. VIII.

ATtente orandum est. Vnde super illud 1. Pet. vlt. Vigilate in orationibus. dicit Glos. Non animus cogitet aliquid praeter id solum quod precatur. Indiscretè orare videtur, qui Deum precatur, vt ei intendat: ipse verò nec sibi, nec Deo intendit, sed quod deterius est, immunda in corde versando fœtorem horribilem aspectu Dei ingerit. Reuocare debet cor suum, qui vult orare. 2. Reg. 7. ait Dauid: Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te. Potius orandũ est corde, quàm ore. 1. Reg. 1. Anna loquebatur in corde suo, & vox illius penitus nõ audiebatur. Matth. 6. Orantes autem nolite multũ loqui. Aug. Diu orare cùm vacat, non est improbum neque inutile: neque enim hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur: aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso domino scriptum est, quòd pernoctauerit in oratione. Luc. 6. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui in orando, est rem necessariã superfluis agere verbis. Multum autẽ precari est ad Deũ quem precamur diuturna, & pia cordis excitatione pulsare: quod plerunq; plus gemitibus, quàm sermonibus agitur. Item orandum est cum magnitudine desiderij. Deut. 4. Cùm quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris. Iere. 19. Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. Magnitudo desiderij clamor est quem Deus exaudit. De quo clamore. Exod. 14. Quid clamas ad me? dicit dominus ad Moysen. Et Dan. 13. Exclamauit voce magna Susanna. Dilatatio desiderij est quasi præparatio cordis, vt sit capax eius quod petitur. Aug. Cur petere, quærere, pulsare nos cõpellit, qui nouit quid nobis sit necessarium priusquam petamus: nisi quia voluit exerceri nostrum desiderium in orationibus, quo possimus capere, quod præparat dare? Item Augu. *Si aliquando* dominus tardius dat, cõmendat dona non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, vt tu discas magna magnè desiderare. Item orandũ est cum gemitu, & lacrymis. Exod. 2. Audiuit gemitum eorum. 1. Reg. 1. Cùm esset Anna amaro animo, orauit ad dominum flens largiter. In Ps. Auribus percipe lacrymas meas. Gl. Quæ lacrymæ violentæ sunt in precibus. Ecc. 35. Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus. Et eodem subditur de lacrymis viduæ: A maxilla vsque ad cælum ascendũt. Esa. 37. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Osee 12. dicitur de Iacob luctante cum angelo: Fleuit & rogauit eum. Et Iudith 8. Indulgẽtiam illius fusis lacrymis postulemus. Heb. 1. Preces supplicationésque cũ clamore valido, & lacrymis offerẽs, exauditus est pro suo reuerentia. ¶ Item orandũ est humiliter. Psal. Respexit in orationem humilium, & nõ spreuit preces eorũ. Eccl. 35. Oratio humiliãtis se, nubes penetrabit. Iudith 9. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Humilitate obtinuit Chananæa à Christo quod voluit, catello se cõparãs, cùm Christus eam cani comparasset. Mat. 15. & Marc. 7. habetur quòd Christus ei dixerit, Propter hunc sermonem vade, exiuit dæmoniũ de filia tua. Mat. 8. Post illud verbũ humile Cẽturionis, Domine nõ sum dignus, vt intres sub tectũ meũ: dictũ est ei à Christo, Sicut credidisti, fiat tibi. Et Luc. 15. Postquã filius pro dignus dixit, Nõ sum dignus vocari filius tuus: pater accurrẽs cecidit super collũ eius. ¶ Itẽ orandum est confidenter sicut orabat Dauid: Miserere, inquit, mei, quoniam in te confidit anima mea. Item orandũ est perseueranter, vt ostendit dominus Luc. 11. exẽplo amici qui panes necessarios accõmodauit, improbitate amici deprecãtis diuictus. Et exemplo iudicis iniqui Deũ nõ timentis, & homines nõ reuerẽtis, qui improbitate viduę victus, vindictã fecit ei de aduersario ipsius. Lucæ 8. Apostoli perseuerando in oratione, Spiritum sanctum accipere meruerunt. Act. 1.

Quid in oratione sit petendum. CAP. IX.

IN oratione petenda sunt, gloria & gratia: siue regnũ & iustitia regni. Mat. 6. Primũ quærite regnũ Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Non monet dominus, vt temporalia quærãtur. ¶ Primò, quia nõ sunt digna peti. Bona infima sunt, & incuruantur, qui amant, & quærunt ea. Quæ incuruatio demonibus placet. Esa. 51. Incuruare, vt transeamus. Bern. Noli acquiescere dicẽti, Incuruare, vt transeamus: non enim est transiturus,

sed te grauiter oppressurus. In Psal. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.ad Col.3. Quæ sursum sunt quærite,non quæ super terram. ¶ Secundo quia tẽporalia debentur his qui habent iustitiã regni. Iustitia enim regni filios facit.Filiis verò debetur prouisio. Vnde super illud,Et hęc omnia adiicientur vobis, dicit glos. Quia omnia sunt filiorum, & ideo hæc omnia adiicientur etiam nõ quærentibus, quibus si subtrahuntur, ad probationem est, si dantur ad gratiarũ actionem. ¶ Tertio,quia nescit homo vtrum sibi expediat temporalia habere,cùm vt frequentius possessoribus suis noceant. Prouer.1. Vsquequo stulti ea quæ sunt noxia cupient? Et super illud 2.ad Corin.13. Virtus in infirmitate perficitur.Dicit gl. Augustꝰ.Cum ea quæ Deus laudat & promittit petitis, ab illo securi petite:illa enim propitio Deo conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite,& cum timore illi committite:vt si prosint det:si scit obesse,non det. Quid enim obsit vel prosit medicus nouit, non ægrotus. Item notandum,quòd super illud Matth.26.Et orauit tertiò eundem sermonem dicens. tangit glo. tria à nobis petenda. Tribus vicibus, inquit,orauit, vt & nos à præteritis peccatis veniam, à præsentibus malis tutelam,& à futuris periculis cautelam oremus. De primo Eccle.38. Fili,in infirmitate tua ne despicias teipsum:sed ora dominum,& ipse curabit te. De secundo,Matt.26. Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. De tertio,Luc.3. Vigilate in omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere quæ ventura sunt. Item notandum quòd in oratione petere possumus vt Deus custodiat nos ab occasione peccandi. Exemplo Salomonis dicentis Prouerb.30.Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi,sed tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè illiciar ad negandum, & dicam, Quis est dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen domini mei. Item possumus in oratione petere id quod dat nobis occasionem salutis: vt eos qui nos rectè instruant,secundum admonitionem Christi. Matth.9. Rogate dominum messis,vt mittat operarios in messem suam.

De speciebus Orationis. CAP. X.

ORatio potest diuidi in orationem fructuosam & infructuosam.Fructuosa oratio multas habet species. Quædam enim fit verecundo,& humili affectu. Qualis fuit oratio publicani,qui non audebat oculos suos in cælum leuare. Luc.18. Item talis fuit oratio filij prodigi,qui ait ad patrem suũ:Pater peccaui in cœlũ & coram te,iam nõ sum dignus vocari filius tuus.Lu.15. Verecundia multum placet Deo in pœnitente,sicut impudentia displicet ei in peccato

peccatore.Ber.Quantũ displicet Deo impudẽtia peccatoris,tantum placet ei erubescentia pœnitẽtis.Similiter humilitas orantis multum placet ei.Ber.Citius placas Deũ,si mensuram tuam seruaueris, & altiora te ne quæsieris. Quædã oratio fit in puro affectu.sic orauit Susanna,Dan.13.dicens: Domine Deus,tu scis quia hæc isti malitiosè composuerũt aduersum me.¶ Alia species orationis fit lato affectu.Sic orauit Moyses Exod.32.dicens: Aut dimitte eis hanc noxam:aut si nõ facis,dele me de libro tuo quem scripsisti.Alia oratio fit grato affectu. Sic monet Apostolus orare ad Col.4.Orationi instantes,vigilantes in ea gratiarum actione.Oratio infructuosa similiter multas habet species.Quædam enim est simiatica,quæ solis labiis fit.De qua Matt.15. Populus hic me labiis honorat:cor autẽ eorum longe est à me.Esa.29.sic habetur:A propinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me:cor autem eius longè est à me Aug. Sicut vox sine modulatione quasi vox picarũ: sic oratio sine deuotione quasi mugitus boum.Idem Aug. Quid prodest strepitus labiorum,si mutũ est cor? Qualis differentia inter paleam,&granum,&inter similam & furfur,& inter pellem animalis & ipsum animal:talis est differentia inter sonum vocalis orationis, & deuotionẽ cordis. Praui pastores pro animali solam pellem reddunt:quibus similes sunt qui malè orant,tantum exteriorem sonum vocalis orationis habentes.Et notandum quòd deuotio sic describitur: Deuotio est teneritudo cordis,qua quis de facili in lacrymas resoluitur.Vel sic,Deuotio est feruor bonæ voluntatis,quem mẽs cohibere non valens certis manifestat indiciis. Deuotio est medulla holocaustorum.Sine ipsa holocausta sunt arida.Psal. Holocausta medullata offeram tibi.¶ Alia species infructuosæ orationis est oratio præter opera:qualis fuit oratio Eliæ, cùm petiit animæ suæ vt moreretur.3.Reg.19. ¶ Tertia species est saluti cõtraria.Qualis fuit oratio Pauli petentis à se stimulũ amoueri.2. ad Corint.12. ¶ Quarta species est oratio præsumtuosa. Qualis fuit oratio filiorũ Zebedæi, qui volebant peruenire ad regnũ, nõ per calicis potũ:quibus dictũ est, Nescitis quid petatis.Mat.20.¶ Quinta species est oratio ridiculosa.Qualis est oratio hypocritarũ,qui elati de multitudine operũ suorũ, Deũ quasi irridẽt,dũ manibus plenis eleemosinã gratiæ ab eo petunt.Talis fuit oratio superbi Pharisæi, dicentis:Ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quæ possideo. Luc.18. Vacuas oportet esse manus hominis per humilitatẽ, ad hoc vt eleemosyna gratiæ ei à Deo detur.Itẽ oratio hypocritarũ ridiculosa est,qui manus ten-

dunt ad terram, cùm eleemosynam petunt ab eo qui est in cęlis: terrenam enim mercedem quærunt in operibus suis. ¶ Item potest diuidi oratio in postulationem & obsecrationem, & orationē strictè sumptam. Et sumitur hæc diuisio ex illo verbo 1. ad Timo. 2. Obsecro ergo primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones. Membra verò ista notificat Bern. in epistola ad fratres de mōte Dei, his verbis: Postulatio, inquit, est circa obtinenda tēporalia & necessaria vitæ huius; in qua Deus postulantis quidem approbans bonam voluntatem, facit tamen quod ipse melius iudicat & dat libenter sequi postulantē. Ad postulationē pertinet petere tranquillitatem pacis, sanitatē corporis, tēperiem aëris. Obsecratio est in exercitiis spiritualibus anxia ad Deum instantia. Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædā & pia allocutio. Gratiarum actio est in intellectu & cognitione gratiæ Dei bonę voluntatis indeficiēs & interflexa intētio. In postulationibus, piè ac fideliter est orandum, sed non est illis pertinaciter inhærendum, quia nos nescimus, sed Pater noster qui est in cęlis, quid in tēporalibus istis necesse est nobis. Obsecrationibus insistendū est, sed in omni humilitate & patiētia, quia nō afferunt fructū nisi in patiētia. Nonnunquam enim cùm celerius gratia non subuenit, sit obsecrāti cælum æneū, & terra sua ferrea. Et cùm relicta sibi humani cordis duritia, ad votū exaudiri nō meretur: anxietas defide rātis negari sibi existimat quicquid differtur. Cúmq; sicut Chananæa illa præteriri se aut despici gemiscit, quasi in immūditia carnis præterita sibi peccata imputari vel improperari imaginatur. Nonnūquā verò sine labore petens accipit, quærens inuenit, & pulsanti aperitur, & consolationes ac suauitates orationis inuenire tādem meretur labor obsecrationis. Nonnūquam etiam puræ orationis affectus & bona illa affectionis suauitas non inuenitur, sed quasi inuenit eū non petentem, & quasi nescientem gratia pręuenit, & tanquā genus seruorum suscipitur in mēsa filiorū, & rudis adhuc & insipiens animus in eum orandi assumit affectum qui pro merito sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cùm fit, agitur vt vel in iudiciū suum negligendi, nō liceat nescire, quid negligat: vel vt prouocatio charitatis amorē in eo vltro se proferentis accendat. In quo, proh dolor, multi falluntur: quia cùm pane pascuntur filiorū, iam se filios esse arbitrantur: & deficientes vnde proficere debebant, ex visitante gratia euanescunt à conscientia sua, se esse aliquid arbitrantes, cùm nihil sint. ¶ Item oratio sic potest diuidi. Est oratio quam aliquis

aliquis pro se ad Deum dirigit, & est oratio qua aliquis pro alio intercedit, quæ suffragium dicitur, quod suffragium humiliter petendum est, & maximè à sanctis qui iā beati sunt. Iob. 5. Ad aliquem sanctorum conuertere. Populus atiam humiliter debet suffragium petere à ministris ecclesiæ. Leuiti. 3. Rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus: Item habetur eiusdem 5. & Num. 16. Deprecatus est Aaron pro populo, & plaga cessauit. Ministri etiam ecclesiæ suffragium humiliter debent petere à populo, exemplo Pauli ad Rom. 15. Obsecro, inquit, vos fratres per Dominum nostrū Iesum Christum, & per charitatem Sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. ¶ Item petendum est suffragiū ab his qui creduntur esse speciales Dei amici. Iob 42. Iob seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam. Illi verò qui in Christo decedit, dicendū est illud Genes. 40. Memento mei cùm bene tibi fuerit. Libenter debet orare vnus pro alio. Iac. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini. Et 1. Io. 5. Qui scit fratrē suum peccare peccatum nō ad mortem, petat, & dabitur ei &c. Multum etiam sperandū est de suffragiis sanctorum. ad Philip. 1. Scio quod hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem. Idem ad Philemonem: Spero per orationes vestras donari me vobis. De commendatione, & expositione Dominicæ orationis, require in sermone illo epistolarum: Omnes vnanimes in oratione estote. Isidor. de sum mo bono: Fidei symbolum & dominica oratio pro tota lege paruulis ecclesiæ ad cælorum regna sufficit capessenda: omnis enim latitudo scripturarum, in eadem oratione Dominica & Symboli breuitate concluditur.

De laude Dei, & de necessariis intendēti laudi diuinæ. PARS VIII.

NVne tangendū est de laude Dei & gratiarum actione, quæ orationibus suis consueuit ecclesia admiscere. Et primò de laude Dei. Ad quam multum incitat nos Sacra scriptura. Dauid: Immola Deo sacrificium laudis. Idem: Psallite Deo nostro, psallite &c. Eccles. 39. In omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini. Hebr. 13. Offeramus hostiā laudis semper Deo. Apoc. 19. Laudē dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis Deū pusilli & magni. Ad laudandū Deum maximè incitat scriptura Psalmorum in tertia quinquagena, quæ in laude terminatur: Omnis spiritus laudet dominum: & in qua sunt tot psalmi incipientes vel à verbo laudandi, vel confitendi, vel cantandi. ¶ Item ad laudādum Deū incitat omnis creatura. Gregor. Mirum est, cp homo semper Deū non laudat: quia quælibet crea-

tura ad eum laudandum semper inuitat. Opera laudabilia artificem laudabilem ostẽdunt. Eccl. 9. In manu artificum opera laudabuntur. Prouerb. vlti. Laudent eam in portis opera eius. Aug. 4. libr. Confes. Si placent opera domini, ex his l.uda: & in artificem eorum retorque amorẽ ne in his quæ tibi placent, tu displiceas. Idẽ intellige de aliis operibus Dei. Laudatio Dei est valde nobilis operatio, cùm angeli & animæ iam beatæ huic operationi intendant. In Psal. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Aug. in lib. de Ciuit. Dei: Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Laudationem ponit vltimã operationẽ: ideo pallio comparatur. Esa. 61. Palliũ laudis pro spiritu mœroris. Palliũ superponitur aliis vestibus. Ber. loquens de cælesti ciuitate, dicit q̃ eius operatio est assidua Dei laudatio. multum gaudere deberet, qui in terris admittitur ad hanc cælestem operationẽ exercendam. August. in lib. de doctrin. Christ. Deus cùm de illo nihil digni dici possit, admisit tamen humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua nos gaudere voluit. Bernar. super Cant. Nigil ita propriè in terris repræsentat quendam cælestis habitationis statũ, sicut alacritas laudantium Deum. Qui beati sunt perfectè Deum laudant: sed qui sunt in præsenti vita, imperfectè. Vnde iubilant. Iob 38. Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarẽt omnes filij Dei. Greg. Iubilatio dicitur, cùm cordis lætitia oris efficacia non impletur. L udant angeli, qui iã tantæ claritatis latitudinẽ in sublimibus vident. Iubilant verò homines, qui adhuc in inferioribus oris sui angustias sustinent. Bern. Semiuiuus in terra relictus semilaudare possum: vbi totus vixero ibo totus in laudem. ¶ Loquela homini data est ad laudandũ Deum: & qui Deum non laudat, quasi mutus reputãdus est. Aug. in libro Conf. Væ tacentibus de te, quoniã loquaces muti sunt. Felix esset qui semper posset laudi diuinę insistere. Hieron. Felix lingua quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonẽ. In ps. Semper laus eius in ore meo. Eccle. vlt. L udabo nomẽ tuũ assiduè. Esa. 62. Tota die & tota nocte nõ tacebũt, operatio ista valde est Deo gloriosa. In Psal. Sacrificiũ laudis honorificabit me. Tob. 12. Opera Dei reuelare & confiteri honorificũ est. Itẽ operatio ista homini valde est vtilis. Ipsa malignum spiritũ fugat. 1. Reg. 16. Ecce spiritus domini malus exagitat te. Iubeat dominus noster rex, & serui tui qui coram te sunt quærant hominẽ scientem psallere in cithara: vt quãdo arripuerit te spiritus domini malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et subditur in hoc capitu. Dauid

Dauid tollebat citharam, &c. & leuius habebat Saül: recedebat enim ab eo spiritus malus. In Psal. Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Item Spirituisancto viam pręparat. Greg. super Ezec. Cùm vox psalmodiæ per intentionem cordis agitur, omnipotenti Deo iter ad cor paratur. 4. Reg. 1. Cùm caneret psaltes, facta est super Eliseum manus domini. Item hominem lætificat. In Psal. Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi. Iacob. 5. Tristatur quis in vobis? oret æquo animo, & psallat. Glo. Crebra psalmodiæ dulcedine nociuam tristitiæ pestem de corde expellat. Item ad Deum cor eleuat. Bern. Cùm à corde fobris missa fuerit omnis immunditia, oculos cordis attollunt meditatio admirabilis essentię Dei, & castæ veritatis inspectio, oratio munda & valida, iubilus laudis, & desiderium ardens in Deũ. ¶ Et notandum, quòd homines maximè debent instare laudi diuinæ ex quo sunt redempti. Vnde nato Saluatore, facta est multitudo militię cælestis laudantiũ Deum. Luc. 2. ad prouocandum homines ad Dei laudem. Dauid: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Et subditur causa: Terra dedit fructum suum. Terra dicitur beata Virgo, quæ dedit fructũ sufficientem & hominibus & angelis ad æternam refectionem. Esa. 52. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem: quia consolatus est dominus populum suum, redemit Ierusalem. Fecit Salomon duo Cherubin in lateribus arcæ, habentes pedes obliquatos, & quasi ad iubilandum eleuatos, vt in tripudiis habent mulieres saltando iubilantes. Area figurat Dominicum corpus. Duo Cherubin quasi iubilantes iuxta arcam, sunt clerici & religiosi, filium Dei assumendo humanam naturam humiliatũ laudantes & glorificantes. Item legitur Luc. vlti. de discipulis, quòd post ascensionem domini reuersi sunt in Ierusalem, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. ¶ Item notandũ, quòd operatio ista discretè est exercenda. In Psal. Quoniã rex omnis terrę Deus, Psallite sapienter. Item Bern. Psallite ei in vociferatione. Vociferatio est desiderij magnitudo. Vnde super illud Exod. 14. Quid clamas ad me? Dicit gl. Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. ¶ Et qui vult laudi Dei insistere, primò prouidenda est mũditia. Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. In Psal. Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confessio, inquam, laudis. Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Denique sex sunt necessaria, quæ tangit Bern. super Cant. 13. sermone, his verbis: Immolantes hostiã laudis, & reddentes vota nostra de die in diem,

cure

curemus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, gratuitatem exultationi, humilitatē gratuitati, libertatem humilitati, quo interdū liberis purgatæ mētis passibus procedamus, & excedamus per inusitatas quasdam affectiones, speciales lætitias, in iubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritusancto. Sensus iungendus est vsui: id est, Psalmorū intelligentia cum attētione prolationi vocis. Vnde super illud Psal. Psallite sapienter. dicit gl. Nemo sapienter facit quod non intelligit. Bern. Cibus in ore, psalmus in corde, non negligat anima illū terrere dentibus intelligentiæ suæ: ne si fortè integrum glutiat, frustretur palatū sapore dulciori super mel & fauum. ¶Item iungendus est affectus sensui. Ber. Nunquā intelliges Dauid, donec ipsa experientia ipsos Psalmorum induaris affectus. Dauid intelligit in illo Psalmo, Domine ne in furore qui affectum timoris induit, vt ad intuitum illius furoris quem Deus exercebit in die illa contremiscat. Hier. Quoties illam diē cogito, toto corpore contremisco. Dauid intelligit in illo Psalm. Deus iudicium tuum regi da: qui districtionem extremi iudicij timet, & ad Christum timorem habet. Duplici enim affectu incitabatur Psalmista, quum illud peteret. Item exultatio iungenda est affectui. Vnde Hier. Malo psalmū vnū cū hilaritate mētis decantare, quàm totum psalterium cum torpore, fastidio, & acedia. Item quia leuitas solet comitari exultationem, iungenda est grauitas exultationi. Dauid: In populo graui laudabo te. Item: Exultate ei cum tremore, & quia homines graues solent contemnere homines leues, vel fauorē vanæ gloriæ de grauitate sua quærere, ideo humilitas iungenda est grauitati. Bern. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu virtus non solùm virtus non sit, sed etiam in superbiam erumpit. Item quia humilitatem quandoque sequitur pusillanimitas, iungenda est etiam humilitati libertas quæ est quum cor dilatum est abundantia gratiæ, vt merè voluntariè faciat quod pro Deo facit. 2. ad Cor. 3. Vbi Spiritus domini, ibi libertas. Tullius: Libertas est potestas viuendi vt velis. ¶Item notandum quòd non solum laudandus est Deus sermone, sed etiam bene viuendo. Laus enim bonæ vitæ magis connua est. Aug. Qui Deum lingua laudat, non semper laudare potest: qui Deum moribus laudat, semper potest. 1. ad Cor. 10. Sine manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Aug. Si quod manducas & bibis, ad refectionē corporis sumis reparationémque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali ac fragili ista supplementorum solatia, cibus

tuus & potus laudat Deum. ¶Item notandum quòd gratior est Deo laus quæ exhibetur in aduersitate, quàm quæ in prosperitate. Gre. in Moral. Despecta vox confessionis est quam format iucunditas prosperitatis. Et intelligas hoc de confessione laudis. Idem: Sola confessio habet meritum magni pōderis, quam à veritate rectitudinis non sperat vis doloris in Psalm. Rectos decet collaudatio. Gl. Recti sunt qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei, quæ est regula, & proponunt voluntatem meliorisuæ voluntati: id est, voluntatem omnipotentis voluntati infirmi. Curuus laudat Deum, quando sibi bene est: blasphemat, quando male: rectus verò semper, id est, in prosperis & in aduersis: vt dici glo. ibidem.

De his quæ possunt hominem incitare ad gratiarum actionem. Et de beneficijs pro quibus homo regratiari debet Deo. PARS IX.

OCto sunt quæ possunt hominem incitare ad gratiarū actionem. ¶Primum est, admonitio sanctarum scripturarum. Ber. Discе in referendo gratiam non esse tardus aut segnis. Discе ad singula dona gratias agere: diligenter considera quæ tibi apponuntur, vt nulla Dei dona debita gratiarum actione frustrentur. Tob. 3. Omni tēpore benedic Deum. ad Col. 3. Omne quodcūque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostrei Iesu Christi facite, gratias agētes Deo & patri. Eiusd. 4. Orationi iustantes vigilantes in ea in gratiarum actione. Ad Ephe. 5. Gratias agentes semper. 1. ad Thes. 5. In omnibus gratias agite. ¶Secundum est, admonitio creaturarum quę incessanter nos inuitant ad gratiarum actionem. Beneficium enim datum alicui inuitat eum vt danti gratias agat. Ergo quum omnia quæ videmus homini data fuerint, secundum illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli & bestiis terræ, vniuersæque creaturæ: omnia quæ videmus ad gratiarum actionem nos inuitant. ¶Tertium est, ipsum tempus in quo sumus, scilicet tēpus gratiæ: qui nulla operatio magis congruere videtur quàm gratiarum actio. Ideo valde bonum videtur gratiarū actioni instare. Pro. 15. Sermo opportunus optimus est. Aug. ad sanctū Aurelium: Quid melius animo geramus, & ore probem⁹, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc enim nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grādius, nec agi frustuosius potest. ¶Quartum est, quòd gratiarum actio operatio est quæ exercetur in paradiso. in Psal. Misericordias domini in æternum cantabo. Hoc canticum erit gratiarū actio, de hoc quod fuerimus misericorditer à periculis

culis liberati. Esa.51. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Vnde bonum est assuescere huic operationi, quã in futuro exercebimus. Bonum est addiscere officium quod tãdiu facere oportebit. ¶ Quintũ est, vtilitas multiplex quæ ex hoc opere sequitur. Prima est, quòd ipsa hominẽ in tribulatione custodit, Deũ ei adesse faciẽs. quod figuratũ est Dan. 3. in pueris qui in fornace positi gratias agentes Deo, ab igne læsi nõ fuerunt, & quartus apparuit ei similis filio Dei. Secũda est, quòd diuinã largitatem prouocat ad dandũ. Pro. 11. Anima quę benedicit, impinguabitur. Ad locũ vnde exeũt flumina gratiarũ reuertũtur, vt iterum fluant. Eccl. 42. Benedicentes dominũ, exaltate illum quantũ potestis: exaltantes autẽ replebimini virtute. ¶ Sextũ est, quòd hæc operatio multum placet Deo. Gratiarũ actio adeps est spiritualis. de quo Leuit. 3. Omnis adeps domini erit iure perpetuo. Item vnguentum est quo caput ecclesiæ vngitur. Mat. 26. & Marc. 14. Ber. Bonum est vnguentũ contritionis quod peccatorũ recordatione conficitur: melius deuotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei. ¶ Septimũ, quòd ingratitudo, quæ gratiarum actioni contraria est, rusticitas est magna. Si magna est rusticitas ei cui mittitur vasculum vini gratis non agere: quãta rusticitas est ei gratias non agere, qui incessanter nobis tribuit bona sua? Gre. Dignum est semper gratias agere, quia Deus nunquam cessat benefacere. ¶ Vltimum est, multiplex malum, quod prouenit ex ingratitudine. ¶ Primum est, quòd bona iam à Deo accepta, auferri facit. Vnde super illud ad Ro. 1. Qui quum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. dicit Aug. Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis. Secundum est, quòd impedit ab his quæ darentur homini, nisi fuisset, ingratus. Gre. Non est dignus dandis qui non agit grates de datis. Ber. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Tertiũ est, quòd non solum priuat hominem bonis, imò etiam pœnam addit. Vnde Ezechias punitus est de ingratitudine. Cũ enim Dominus dedisset ei triumphum incredibilẽ, & percussisset CLXXXV. millia in castris Senacherib: licet secundum Iosephũ cum populo hostias Deo immolasset, non tamen dignè gratias egit, & canticum non cantauit sicut in huiusmodi patres consueuerant facere, & ideò ægrotauit ad mortem. Esa. 38. ¶ Item notãdum quòd gratias agere debemus Deo, & de beneficiis generalibus, & de specialibus, & de singularibus. Generalia tangit Ber. dicẽs: Agamus fratres gratias factori nostro, benefactori nostro, redemptori nostro, remuneratori

ratori nostro. Primum, quòd nobis præstitit quòd nos ipsi sumus. Adiecit etiam vnde subsisteres, qui iam eras: Faciamus, inquit, hominem, &c. Quid verò postea? Et præsit piscibus, &c. Iam tertiũ opus tuæ redemptionis attende. Idẽ: Fecit te Deus tuus: fecit tam multa propter te, factus est ipse tecum caro vna, te quoque faciet secundum spiritum vnum. Beneficia specialia sunt tria. Primum est, beneficiũ expectationis quo Deus peccatores patienter expectat ad pœnitentiam. Secundum est, iustificationis quando diu expectatos conuertit, infundendo gratiã suam. Tertiũ conseruationis, quando conuersos in statu bono conseruat. ¶ Et notandũ, quòd circa vnumquodque horũ beneficiorũ quinque attendẽda sunt, vt agnoscamus magnitudinẽ eorum. Circa primum debet homo cogitare quoties meruerit vt tẽpus pœnitentiæ sibi auferretur. Quoties enim mortaliter peccauit, hoc meruit. Peccator enim indignus est vita, quia ingratus est authori vitę. Iob 30. Qui ipsa vita putabantur indigni. Secundo debet cogitare quã proximus fuerit quandoque amissioni misericordiæ. Tanto enim misericordia gratior est, quãto pœna proximior est, à qua parcitur. Vt si aliquis suspendẽdus iam laqueũ haberet in collo, vel si mutilandus membro, iam mẽbrum haberet supra lignum vbi mutilari deberet, maius beneficium reputaret, si tunc liberaretur. Vnde debet homo cogitare si quandoque fuit in periculo mortis dũ in statu erat damnationis, & quò iuisset si in illo statu decessisset, & quid promeruerit apud Deum, vt tũc Deus ei pepercerit. Tertio debet cogitare quã pretiosam rem Deus ei contulerit, quãdo tempus pœnitentiæ ei dedit. ¶ Pretiositas tẽporis ex duobus perpenditur. Primò ex hoc, quòd in momento temporis potest homo lucrari regnũ æternum. Secũdò ex hoc, quòd illis qui sunt in inferno plus valeret momentum temporis, in quo pœnitentiam agerent, quã tanta massa auri, quãta est totus mundus. Ber. Nihil pretiosius tẽpore. Sed heu hodie nihil vilius reputatur. Valde ingratus est peccator qui nõ vult conuerti, quum quęlibet hora tẽporis quam dat dominus ei, plus valeat, quàm centum marcę auri. Quartò debet cogitare, quam male meruisset vt res tam pretiosa ei conferretur, qui magnum tempus sibi prius datum in contumeliã Dei expẽderat. Quintò debet cogitare qualiter sciuit Deus eum esse vsurũ tanto beneficio. In hoc enim est cumulus diuinæ misericordię, quòd licet Deus sciuerit eum vsurũ tanto beneficio pro magna parte in contumeliam sui: tamen nõ distulit propter hoc dare illi. ¶ Circa secũdũ beneficiũ debet homo cogitare primò à quibus vinculis Deus liberauerit eum. Tot vinculis

culis est peccator ligatus quot peccatis irretitus: iuxta illud Pro. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorũ quisque constringitur. Et sunt ideo fortia vincula ista, quòd nec etiã per mortẽ quãdoque soluũtur. Vnde nõ parũ debet esse gratus Deo, quẽ Deus ab his vinculis liberauit. Secũdò, debet cogitare quot & quanta ei Deus dimisit: pro quolibet enim mortali ei dimisso, reus erat mortis æternæ. Si quis esset reus mortis temporalis quæ momentanea est, pro dimissione illius paratus esset illi seruire tota vita sua. Quid ergo faciendum est pro dimissione mortis æternæ, quæ etiã vni soli mortali debetur? Aug. Cui dictũ est, Nauiga, ne moriaris, & distulit: cui dictũ est, Labora, ne moriaris, & piger fuit. Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Tertiò, debet cogitare ad quantã dignitatẽ Deus eũ elegit quãdo eum iustificauit. Elegit enim eũ ad regnum æternum. Quartò, debet cogitare in quali statu Deus eum elegerit. Hostis enim Dei erat, & indignus etiã pane quo vescebatur. Peccator enim secundum Augu. indignus est pane quo vescitur. Quintò, debet cogitare quod Deus reliquit quibus tale beneficium nõ prẽstitit, imò in peccatis suis eos perire permisit. ¶ Circa beneficium verò cõseruationis, Primò attendenda est difficultas stãdi, quæ apparet specialiter in tribus personis, scilicet in Lucifero, qui cũ esset maxima arbor paradisi, ad modicũ ventũ siue flatũ superbiæ cecidit. Et in Adam, qui cũ esset sine corruptione naturalium, tamen propter cohabitationẽ vnius mulieris paradisum amisit. Hie. Memento semper quòd paradisi colonũ de possessione sua mulier eiecerit. Si potuit mulier ejicere eum qui iam erat in paradiso, nõ est mirũ, si iam eos impediat qui nondũ in paradisum peruenerũt. Difficultas etiã stãdi patet in Iuda, qui cum esset sub tanto pastore & inter tales fratres, tamẽ occasione modicæ administrationis cecidit, & nõ adiecit vt resurgeret. Secundò, debet attẽdere pugnæ cõtinuitatem in qua sumus. Diabolus enim nos impugnare nõ cessat vt saltẽ tædio vincat. Mirãtur aliqui cùm audiunt aliquẽ bonũ cecidisse: sed non est mirũ, si quandoq; cadat qui continuè est in pugna, imò potius mirũ est si aliquando nõ cadat. Legitur in Vitis patrũ, quòd quidã venit ad abbatẽ Theodorum, dicens ei: Ecce quidã frater reuersus est ad seculum. Respondit abbas Theodorus: In hoc non admireris: sed si audieris quòd præualuit quis effugere de ore inimici, hoc admirare. Tertiò, debet attendere propriã infirmitatẽ: tantæ enim infirmitatis est homo, vt ad sibilũ vnius verbi deiiciatur. Quartò, hostis impugnantis potestatem cum astutia & crudelitate. De

De potestate, Iob 42. Nõ est potestas super terram quæ ei cõparetur. De astutia, Gen. 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. De crudelitate. Gregorius: Nihil se fecisse æstimat, quum animas non sauciat. Incessanter sitit diabolus sanguinem nostrum. Vnde sanguisuga vocatur. Prouer. 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer. Quinto debet attendere periculorum varietatem. Tot enim sunt pericula, quòd quando aliquis vult cauere ab vno, incidit in aliud. Vnde Esa. 24. Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui se explicuerit de fouea, tenebitur laqueo. Formido est peccatum auaritiæ, quod homines formidare facit. Vnde de auaro legitur Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & quum sit pax, ille semper insidias suspicatur. Fouea est peccatum luxuriæ: fouea enim profunda est meretrix, vt legitur Prou. 23. Laqueus verò peccatũ superbiæ, quo volatilia huius mundi, scilicet nobiles capiũtur. Singularia beneficia sunt quę vnicuique singulariter sunt exhibita. Pro quibus etiam Deo gratiæ agendæ sunt, secundum illud Bernar. prius positum, Discе ad singula dona gratias agere.

De Obedientia. PARS X. *quæ habet septem capitula.*

De ordine dicendorum de Obedientia, & de descriptione eiusdem.

CAPVT I.

OBedientia debetur & creatori & creaturæ. De qua hoc modo dicetur. Primo ponentur descriptiones ipsius. Secundo eius cõmendationes. Tertiò tangetur de his quæ possunt iuuare obedientiam. Quartò de gradibus obedientiæ. Quintò, de partibus ipsius. Sextò, de his quæ obedientiæ aduersantur. Septimò, tãgetur de errore illorum qui dicunt soli Deo obediendum esse, & non homini. ¶ Obedientia sic describitur: Obedientia est volũtas faciẽdi præceptum vel mãdatum superioris. Et intelligas mãdatum quod sit mediatè per nũtium vel literas: Præceptũ verò quod sit immediatè. Vel mandatum intelligas voluntatem indicandi, quæ est sine coactione imperij: Præceptum verò quando est imperij coactio. Item sic potest describi: Obedientia est obtemperatio secundum regulam sacræ scripturæ maioribus quibuscunque debita. Et intellige sacrã scripturam largè, etiam pro statutis canonicis & legalibus, in quibus agitur de iurisdictione superiorum. Item sic describitur obedientia: Obedientia est spontaneũ & rationale propriæ voluntatis sacrificium. Vel sic: Obedientia est pio studio propriæ voluntatis abnegatio. Et notandum quòd propria voluntas dupliciter accipitur. Vno enim modo dicitur propria voluntas quæ non est Deo subiecta: & secundum hoc

abnegatio propriæ voluntatis fit, quum voluntas nostra diuinæ voluntati subiicitur. Alio verò modo dicitur propria voluntas, voluntas quæ non est subiecta homini. Et secundum hoc propria voluntas abnegatur in eo qui voto se obligans homini voluntatem suam subdit voluntati humanæ. Et sic abnegatio propriæ voluntatis specialiter videtur pertinere ad religiosos. Pio studio dicitur, ad differentiam illorum qui volûtatem suam humanæ voluntati subdunt timore seruili, vel pro lucro terreno. Et intellige hic pium studium vehementé animi applicationem ad cultum Dei, vt pium hic dicatur à pietate, quæ dicitur theosebi a. ¶ Et notandum q̃ alicui visum est q̃ obediẽtia prout est virtus specialis, attenderetur respectu eorum quæ sunt indifferentia. Et ad confirmandum hoc, vsus est illo verbo Augu. in lib. de vera religione: Peccatum est non solum malum, sed etiam vetitũ facere: inferens à simili, q̃ opus virtutis est nõ solum bonum, sed etiam præceptũ facere. Ad quod videtur facere q̃ dominus obediẽtiam Adæ experiri voluit in eo quod secũdum se erat indifferẽs, scilicet in comestione fructus ligni scientiæ boni & mali. Alicui etiam visum est q̃ obediẽtia secundum q̃ est specialis virtus, attẽdatur non respectu cuiuscũque superioris, sed solũ respectu hominis, cui aliquis se spõte obligauit. Et subdidit: Sed potest aliter dici, q̃ sicut prudẽtia virtus est quodammodo generalis, scilicet quo ad directionem. Dirigit enim opera cæterarum virtutum. Et de iustitia dictũ est q̃ est generalis quantũ ad imperiũ. Imperare enim potest opera cæterarũ virtutum, etsi nõ sufficiat ad exequẽdum ea sine cæteris virtutibus. Sic obediẽtia quodammodo generalis est; mouere enim potest ad opera omnium virtutum. Omne enim opus virtutis iuberi potest à superiore, vel Deo, vel homine. Vnde si aliquis velit exire in opus virtutis, quia iussum est à superiore, voluntas illa erit obediẽtiæ. Vnde volũtas faciẽdi iussum superioris quia iussum est, specialis actus est obediẽtiæ. Itẽ notandum q̃ cùm subdere se alteri sit humilitatis & obediẽtiæ, differunt tamẽ hæ subiectiones. Subdere enim se alicui secundum reputationẽ humilitatis est. Hoc enim proprium electorum esse solet, vt de se sentiant infrà quàm sint, iuxta verbũ Greg. Itẽ cũ superbia sit appetitus propriæ excellẽtiæ, humilitas est contẽptus propriæ excellẽtiæ: iuxta Bernar. in epist. Ad humilitatẽ etiam pertinet [illegible] inferioritatis vel vtilitatis, secundũ illud Bern. super Cãt. Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari. Et Luc. 13. Cùm inuitatus fueris, vade & recũbe in nouissimo loco. Itẽ subiectio aliqua ad obediẽtiã pertinet: sed hæc subiectio

iectio est voluntatis respectu alienæ voluntatis. Subiectio humilitatis respicit personã secundũ se, subiectio verò obediẽtiæ respicit eã personã cui aliquis subditur inquantũ est præcipiẽs, & personam quæ subditur inquãtum est agẽs. Exẽplum harũ duarum subiectionum inuenire possumus, vt videtur in Christo & Ioan. Mat. 4. Subiectione obediẽtiæ subiecit se Ioannes Christo, quãdo consensit vt baptizaret Christũ prout Christus volebat. Vnde dicit ibi Gl. Vera est humilitas quam nõ deserit ibi comes obediẽtia. Christus verò subdidit se Ioanni subiectione humilitatis volẽs à Ioanne baptizari. Superioris enim est baptizare, & inferioris baptizari. Act. 20. Beatius est dare, quàm accipere.

De commendatione Obedientiæ. CAP II.

AD commendationem obediẽtiæ primo valere possunt admonitiones quæ fiunt in scriptura sacra ad obediẽdum. Ro. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Eph. 6. Filij obedite parẽtibus vestris in domino. Col. 3. Filij obedite parẽtibus vestris per omnia. Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationẽ pro animabus vestris reddituri. ¶ Secundò, admonitio quam nobis facit etiam creatura insensibilis quæ obediens est vniuersaliter creatori suo. in Psal. Præceptum posuit, & non præteribit. Et Baruch 3. Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, Assumus. Itẽ in Psal. Terminum posuisti quẽ nõ transgrediẽtur. Et Matt. 8. Quis est hic, quia & venti & mare obediunt ei? Ambro. in Hexameron: Non medioeris pudor est, imperio Dei insensibilia elemẽta parere, & homines nõ obedire, quibus sensus ab ipso tributus est authore. ¶ Tertiò, exẽpla quæ in sacra scriptura inueniuntur. Et interea specialiter notabilia sunt, exemplum Abrahæ, & exẽplum Christi. Cum homo per obediẽtiam à Deo recessisset, Deus volẽs formare sibi populum acceptum, secundum illud Esa. 43. Populum istum formaui mihi laudẽ meam narrabit. Abraham, ex quo populũ sibi formauit, voluit probare per obediẽtiam, & per illam placuit ei Abraham. Triplici autẽ præcepto probauit obediẽtiam eius. Primum fuit de patriæ desertione. Gen. 12. Egredere de terra &c. Secundũ fuit de circuncisione. Eiusdẽ 17. Tertium de filij immolatione. Eiusdẽ 17. Primo præcepto voluit separare Abrahã ab his à quibus ipse ortum duxerat. Vltimo verò ab eo quod duxerat originẽ ab ipso. Medio vero præcepto voluit eũ separare à seipso quantũ ad carnalia desideria: circuncisio enim facta in carne, monebat ad resecationem superfluorum desideriorum carnalium: ideo fiebat in membro illo quo maximè concupiscentia sæuiebat. ¶ Circa ter-

tiũ verò præceptũ quod fuit de immolatione filij attẽdere possumus xiiii.pertinẽtia ad difficultatẽ illius operis, in quo Abraham voluit obedire Deo præcipienti. ¶ Primũ est quòd Abraham voluit ad præceptum domini re sibi charissima carere. ¶ Secundum est, quòd ipse voluit amicissimum occidi. Posset esse quòd aliquis ad præceptum Dei vellet filio suo carere, ita vt nũquam eum de cætero videret, qui tamen nollet eum occidi. ¶ Tertium est, quòd voluit eum occidi coram se, imò ipsemet manu propria voluit hæc facere. Multi enim sustinerent, quòd filij eorum occiderentur: tamen non possunt hæc accipere vel propria manu facere. ¶ Quartum est, quòd filius ille erat vnigenitus. Nõ enim habebat alium filium ex libera vxore. ¶ Quintum est, quòd miraculosè habuerat eum, quia cũ vxore vetula & sterili, quã ipse iam esset senex. ¶ Sextũ est, q̃ magna promissio facta erat Abrahæ de ipso. ¶ Septimum est, q̃ ipse erat solatium matri suæ: quod notatur ibi cùm dicitur, Isaac: quod interpretatur risus. Dixit enim mater sua eo sibi dato: Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi. Gen. 21. Quid dixisset mater Isaac, si Abraham reuertẽs de eius immolatione, dixisset ei, Immolaui filium tuum? ¶ Octauum est, quòd voluit eum non solum occidi, sed etiam incendi. Vnde dicitur ibi, Offer eum in holocaustum: quod interpretatur totum incensum. Noluit ei parcere nec viuo nec mortuo. ¶ Nonum est, q̃ voluit eum ducere per triduum ad locum immolationis. Gl. Non est iussus Abraham statim occidere filium, sed per triduũ ducere ad immolationis locum, vt longitudine temporis tentatio augeretur, & crescentibus curis paterna viscera cruciarẽtur. ¶ Decimum est, q̃ non apparebat aliqua præcepti vtilitas. Quæ enim vtilitas innocentem occidere? damnum verò manifestum erat. ¶ Vndecimum est, q̃ non exequebatur eum authoritas præcipiẽtis, cùm nullus testis affuisset, nec crederetur ei, si diceret dominum hoc ei præcepisse. ¶ Duodecimum est, q̃ hoc erat rationi contrarium. ¶ Tertiumdecimum est, quia nõ præcesserat in sanctis patribus huiusmodi obedientiæ exemplũ. ¶ Quartũdecimũ est, q̃ omniũ ad quorũ notitiam hoc peruenisset, imminebat scandalum. Abraham verò accepto præcepto tam difficili nõ se excusauit, causam præcepti non interrogauit, sicut faciunt quidam imitatores diaboli, qui ait Gen. 3. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederitis &c. Item non procrastinauit mandatum exequi, nulli consilium communicauit. Si aliquid horum fecisset, forsitan meritum amisisset, quia dominus dixisset ei, Nolebam quòd taceres hoc, sed ad probandum re-

hoc dixi. Itẽ attendẽdũ est quã vtile sit, promptũ esse ad obedientiã. Abrahã enim filiũ non immolauit, & tamẽ tantũ meritũ habuit obediẽtia eius. Gen. 22. Quia nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicã tibi, & multiplicabo semẽ tuũ. In codẽ. In semine tuo benedicẽtur omnes gẽtes: quia obediisti voci meę. Homõ qui promptam habet voluntatem ad obediẽdum Deo, in omnibus placet Deo pro infinitis rebus quas vnquã facturus est. Greg. Non est manus vacua à munere, si arca cordis pletia fuerit bona volũtatẽ. Itẽ voluit Deus probare Christũ per obediẽtiam, in quo volebat sibi formare populũ nouũ. Christus nõ terram sicut Abraham, sed cælũ deseruit. Ipse matrẽ suã dilectissimã reliquit, quãdo gladius transiturus erat animam eius. Luc. 2. Ipse domum reliquit, quia nullã habere voluit. Mat. 8. Vulpes foueas habẽt & volucres cæli nidos: filius autẽ hominis nõ habet vbi caput reclinet. Ipse formam spiritualis circũcisionis dedit, quando volũtatem patris voluntati suæ præposuit. Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Et Marc. 14. Nõ quod ego volo, sed quod tu vis. Et Luc. 22. Non mea voluntas, sed tua fiat. Ipse mandato patris in holocaustũ seipsum obtulit. Ioan. 14. Sicut mãdatum dedit mihi Pater, sic facio. ¶ Quarto valere potest ad commendationẽ obedientiæ, quod legitur de Christo. Heb. 5. Et quidẽ cùm esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam. Didicit, inquam, per experientiam. Item didicit in corpore per ea quæ passus est in capite. Ipse fuit & discipulus & doctor obedientiæ. Si filius Dei obediẽtiam didicit tot laboribus & angustiis, non debet homini esse onerosum addiscere eam, & maximè his qui sunt in scholis ipsius, scilicet in claustro. Valde verecundum erit illis qui diu fuerunt in scholis his, si obedientiæ ignari inuenti fuerint. Adam inuentus est male se habuisse in obedientia, in qua Deus eũ probare voluit. Et quàm grauẽ disciplinam Deus ei dederit, omnes nouimus. Filij etiam Israël similiter in obediẽtia probati sunt & durissimè flagellati, cùm in ea male se habuerunt. Sic durissime flagellabũtur, qui inobedientes inuẽti fuerint. Inobediẽtia hominem de paradiso eiecit. Gen. 3. Obedientia vero eum in paradisum introducit. Luc. vlt. Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret eis, recessit ab illis, & ferebatur in cælum. Felix quem dominus eduxit in Bethaniam, scilicet in domum obedientiæ. Sperare potest quòd sit ascensurus in cælum. 1. Petr. 1. Sperate in eam quæ vobis affertur gratiam in reuelationem Iesu Christi, quasi filij obedientiæ. ¶ Obedientiam voluit Christus docere & in-

mundum istum veniens, & de mundo trāsiens, & in mundo manens. Primum ostenditur Iob 6. Descendi, inquit, de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Secundum Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Io. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Bern. Mementote fratres Christi, ne perderet obedientiam, voluit perdere vitam: in signum, quòd obediendo mandato Patris, mortem sustinebat, inclinato capite emisit spiritum. Io. 19. Tertium Io. 4. Meus, inquit, cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Eiusdē. Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Obedientia est imago cælestis hominis, sicut inobedientia est imago terrestris hominis. 1. Cor. 15. Sicut portauimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cælestis. Eph. 4. Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est: id est, opere diuino conceptus, nō opere humano more aliorum hominum. ¶ Quintò commendabilis est obedientia à suo multiplici effectu. Notandum ergo, quòd obedientia Dei seruum efficit, quod nō est modicum quid. Si enim seruus regis terreni dicitur esse par comiti, quantum est esse seruum regis æterni? Obedientia in hoc quòd efficit hominē Dei seruum, efficit etiam Deum hominis dominum. Non verè reputat inobediens Deum dominum suum: etsi ore vocet eum dominum. Lucæ 6. Quid vocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico. Inobedientes ostendet dominus non fuisse seruos suos, cùm regni cælorum ianuam eis claudet. Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Magna securitas est habere dominum omnipotentem. Amb. Mori nō timeo, quia bonum dominum habeo. Beatus est, qui habet hunc dominum. In Psalm. Beatus populus, cuius dominus Deus eius. Item: Beata gens cuius est dominus Deus eius. Item obedientia hominem Christi fratrem efficit, imò quasi omni genere attinentiæ attinētem. Eccl. 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima: quasi fratrem sic tracta illum. Mat. 12. Quicunque fecerit voluntatē Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Simile Marc. 3. Itē obedientia Deo præstat obsequium acceptissimum. 1. Reg. 15. Nunquid vult dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci domini? Melior est obedientia quàm victimæ. Ecclesia. 4. Multo melior est obedientia, quàm stultorum victimæ. Licet Deus nos non exaudiat quandoque ad voluntatem, vt exaudiat nos ad vtilitatem; eò quòd ipse scit quid nobis expediat, nos verò hoc nescimus, ipse tamen vult vt seruiamus ei ad eius voluntatem, non ad eam vtilitatem, cùm ipse bonorum nostrorum non egeat, vt quum voluntas eius semper recta sit. Ecc. 35. Salutare sacrificium est, attendere mandatis. Deut. 12. Quæ præcipio tibi, hoc tantùm facias: non addas quicquam, nec minuas. ¶ Item obedientia in homine habitaculum Deo quasi excidit, expellēdo à corde hominis sensum proprium & propriam voluntatem. Vnde dominus in domo Simonis leprosi discubuit. Luc. 7. sed non in domo Simonis Cyrenei, qui crucē domini fert in angaria, vbi vnctio deest Spiritussancti, & ideo murmur est ibi. Eccl. 33. Præcordia fatui, quasi rota carri. Rota carri si vncta non fuerit, murmurat. Bethaniæ, quod interpretatur domus obedientiæ, Christus vngitur. Ioan. 12. Ipse illos diligit qui ibi habitant. Io. 11. Diligebat Iesus Marthā, & sororem eius & Lazarum. Cùm deest ei hospitiū, venit Bethaniam vt ibi hospitetur. Marc. 11. Circunspectis omnibus, quum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Gl. Vt quod in vrbe nō inueniebat, in agro paruulo apud Lazarum & sorores eius haberet hospitium. Tunc in hospitio veteri virginalis filius Dei receptus est, quum Maria verbo angeli obediuit. Luc. 1. Fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum. Item obedientia hominem super se leuat. Thren. 3. Leuabit se super se. Nisi corpus esset sociatum spiritui vt sensu eius & imperio regeretur, non ascenderet ad hoc vt remunerationē æterna mereretur. Sic vir simplex per obedientiam ascendit ad sanctam pietiam, & mores maiorum à quibus regitur, imò quodammodo vsque ad Deū. ascendit dū seipsum exuit, & Deū quodāmodo induit. ad Gal. 2. Viuo ego: ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Sic quodāmodo deificatur homo, secundum illud: Ego dixi, Dij estis. Et non solum deificatur quo ad sensum & voluntatē Dei quæ assūmitur, sed quodammodo quo ad potestatem. Facit enim diuina & mira: vt patet in Petro, qui obediens Christo iubenti, ambulauit super aquas. Mat. 14. Et Greg. refert in dialo. ℣ cùm placidus puer in flumine post vas suū demersus esset. cùm vellet aquam haurire, beatus Benedictus in cella existens & hoc intelligēs, dixit Mauro, Frater Maure, curre, quia puer ille in lacū cecidit, & cū iam longius trahit vnda. Maurus autē existimās se currere super terrā, cucurrit super aquā, & eductū per capillum extraxit. Qui postea reuersus ad se attribuit hoc sanctitati Benedicti. Sed beatus Benedictus attribuit hoc bono obedientiæ. ¶ Obedientia ponit hominem in excellentissimo statu, &

in præsenti & in futuro. Primum ostenditur Deut. 27. Si audieris vocem domini Dei tui, faciet te dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gẽtibus. Secundum ostensum est cuidã patrum in extasi posito, qui vidit quatuor ordines ante Deum. Primus erat hominum infirmantiũ & gratias Deo agentium. Secundus, eorum qui fuerant hospitales. Tertius, eorum qui solitudinem sectantur, & non vidẽt homines. Quartus, eorum qui propter Deum & obediẽtiam solicitè sunt subiecti patribus. Erat autem hic ordo superior illis tribus, & maiorẽ gloriam præ cæteris habebat, vtens torque aurea. Et quum quæreret senex, quare hoc? Respẽsum est ei, Quoniã omnes alij habẽt requiem adimplendo proprias voluntates, quãuis in bonis operibus: hic autem omnes voluntates suas relinquens, totus pendet in voluntate patris iubentis. Meritò qui hic nullã habent requiẽ, in futuro summam habẽbunt. ad Phil. 3. dicitur de Christo, Factus obediẽs vsque ad mortẽ &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomẽ. ¶ Itẽ obedientia Deũ glorificat. Esa. 58. Si glorificaueris eũ dum non facis vias tuas, & nõ inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem, tũc delectaberis super dominum, sustollam te super altitudinem terræ &c. Multũ glorificat Deũ verè obediens qui facit beneplacitũ Dei, cùm Deus etiam hoc mandat ei per vilem personam, & tanto maior est Dei gloria, quanto persona vilior. Ideo verè obediens meritò à Deo glorificatur. 1. Reg. 2. Quicunque honorificauerit mẽ, glorificabo eum. Ecc. 10. Semen hominum honorabitur hoc, q; timet Deũ: semen autẽ hoc exhonorabitur, quòd præterit mandatũ domini. ¶ Item obediẽtia, quod vult à Deo impetrat. Greg. Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris. Augu. in lib. de opere monachorum: Citius exauditur vna oratio obedientis, quàm decẽ millia contemptoris. 1. Io. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ, q; quicquid petierimus ab eo, accipiemus, quia mãdata eius custodimus. Et post illud ad Heb. 5. Exauditus est pro sua reuerentia, subditur tanquam causã illius exauditionis: Et quidẽ cũ esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Obedientia est quæ dicit illud Can. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi. Deus enim facit acsi esset tòtaliter cum obedientia: quia obediẽtia est totaliter cũm illo. Verè obedientes dicunt illud ad Ro. 14. Nemo nostrum sibi viuit. Item obedientia à periculoso mari huius mundi liberat. Obediens nauẽ pertrãsit huius mundi. Sap. 14. Exiguo ligno credunt homines ánimas suas, & transeuntes mare per ratem

tem liberati sunt. Exiguum lignum est humilis obedientia. Facta est quasi nouis institoris. Prouerb. vlt. Qui in naui est, etiam quiescens & comedẽs vel bibẽs procedit, quia alieno motu mouetur. Sic obediens qui in religione est, etiam quiescẽdo, comedendo & bibẽdo meretur. ¶ Itẽ obedientia hominem ditat. Nec mirum, cũ de suo nihil extẽdat, quia nihil suum reputat: & cũ in cunctis quæ agit voluntatem alterius facere intendat, ideo pro omnibus quæ agit meritò remunerationem expectat. Multæ filiæ cõgregauerunt diuitias. Pro. vlt. Obediẽtia verò supergressa est vniuersas. Quis est qui quandoque nõ faciet multa specialiter pro se, de quibus nõ expectat remunerationẽ nisi ille qui sub obedientia viuit? Item obedientia quasi equus in paradisum vadit, alieno sensui & alienæ voluntati quasi pedibus alienis innitendo. Ideo velocius vadit, quia pedes quibus innititur velociores sunt propriis. Multi in religione valde surgunt mane, & frequenter ieiunant, qui si essent in seculo minus secum agerent. Propter eandem causam obedientia nõ maculatur. Prou. 3. Viæ eius viæ pulchræ. Propter eandem causam legitur: Siquidem enim culpæ vel periculi est in eo quod ei iniungitur, superioris est qui portat, cuius sensui & voluntati ipse innititur, nisi manifestum peccatũ sit illud quod ei iubetur. De ea videtur scriptũ esse illud Psal. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedẽ tuum. Itẽ obediẽtia hominem expedit & exoneratũ reddit, cũ obediens à seipso alleuiatus sit. Alij enim incũbit solicitudo pro ipso & temporaliter & spiritualiter. Ideo non solum potest currere, sed etiam volare. Si tamẽ obediẽtia habeat duas alas sibi cõiunctas, scilicet voluntariam paupertatẽ & castitatẽ. Apoc. 12. Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnę vt volaret in desertum. Ber. Magna penna paupertas, qua tam cito volatur in cælũ. Nam in aliis virtutibus quæ sequũtur, promissio futuro tẽpore iudicatur: paupertati verò non tã promittitur, quàm datur. Castitas etiam magna penna est quæ hominẽ expedit ab illa delectatione qua difficilimum est hominẽ bene vti, & fortissima occasione peccandi, scilicet à muliere per quã diabolus Adã decepit. Gen. 3. Et quã Iob reliquit, vt per eam eum deiiceret. Iob. 2. dixit illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? ¶ Item obedientia facit hominẽ triumphare. Prou. 21. Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. Testis mendax est qui professus est obediẽtiã, & eã nõ seruat qui in præsenti perit, cũ in bello spirituali succũbit: & in futuro peribit, quia æternaliter dãnabitur. Exemplum habemus de hoc in populo Iudaico qui pro-

misit se seruaturum legem. Exo.19. Omnia quæ locutus est dominus, faciemus. Itē Iosue 1. Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus. Cū verò transgrediebatur legem, vincebatur. Iosue 7. Anathema in medio tui Israël est, nō poteris stare corā hostibus tuis. Adam similiter factus inobediens suo superiori, habuit repugnās suum inferius. Gene.3. Qui comedit, & aperti sunt oculi eius. Glo. Anguſt. Anima rationalis motus bestiales in carne sua erubuit. Et subditur: Motus iste de transgressione veniebat. Et 3. Reg. 11. legitur de Salomone: Fecit Salomon, quod non placuerat coram domino. Et subditur: Et suscitauit dominus aduersarium Salomoni. Sic accidit ei qui in religione est, qui obedientiam non seruat ei cui promisit, q̄ dominus permittit eū impugnari & vincī: & sic perit qui propriā voluntatē in religione vult sequi, tanquam filius perditionis. Iob 17. Nemo periit ex eis, nisi filius perditionis. Verè filius perditionis est qui volūtariē laqueū sibi iniecit quo periturus erat. Pro.6. Illaqueatus ex verbis oris tui. Vtè filius perditionis est qui de loco salutis facit sibi locum dānationis: & quū esset liberatus de mari huius mūdi, & iam ingressus nauē religionis, vbi etiā periclitatur. Act.28. Vtique homicida est, qui cū euasit de mari, vltio diuina nō permittit eū viuere. Vir obediens potest loqui victoriam, quia habet nobilissimum genus triūphi: sicut antiqui patres habita victoria solebāt cantare canticum laudis & gratiarū actiones. Nobilissimū genus triumphi est seipsum vincere; quod facit vir obediens. Vnde super illud, Melior est obediētia &c. Dicit gl. Greg. Vir obediēs loquitur victorias. Dū enim alienę voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Pro.17. Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbiū. Multi vrbes & regna sibi subiugauerunt, qui tamē ad hūc triūphum nobilē nō peruenerūt. Hic triūphus proprius est hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia, sed seipsum vincere non potest. Sen. Qui seipsum vincit, cōtra omnia fortis est. Obediens Deo subiectus est: & ideo merito cætera ei sunt subiecta, & nihil ei repugnat. Deus in obedientia pugnat, ideo non est mirū, si ipse triūphat. Leui.26. Si in præceptis meis ambulaueritis &c. persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. ¶ Itē obediētia animā ornat. Vnde inauris est aurea quā cælestis sponsus dat animæ. Pro.25. Inauris aurea, & margaritū fulgens, qui arguit sapientē & aurē obedientē. Margaritū fulgēs inauri aureæ decenter iungitur, & doctrina mentem illuminans auri obedienti vtiliter proponitur. Dat Eliezer Rebeccæ inaures aureas. Geneſi. 24. Et amici Iob dant

dant ei inaurem & ouem. Iob vlt. Item obedientia ecclesiam lætificat. Eccle.3. Qui obedit patri, refrigerabit matrem. Hominem glorificat, ad Roma. vlti. Vestra obediētia in omnē locum diuulgata est. Itē hominem castificat à libidine propriæ voluntatis. 1. Pet.1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis. Item obedientia conseruat animā. Prouerb.19. Qui custodit mandatū, custodit animā suā. Obediētem meritò custodit Deus tanquam suū. Prou.29. Verbū custodiens filius, extra perditionē erit. Eccle. 8. Qui custodit præceptum, non experietur quicquā mali. In Vitis patrum cuidam seni cùm deessent necessaria vitæ, præcepit discipulo suo, vt iret in vicum ad ministrum qui solebat ei necessaria deferre. Et ille licet timeret ire propter scandalum: tamen dixit se iturum propter bonum obedientiæ. Cui senex: Vade, confide in Domino, & proteget te ab omni tentatione. Cùm autē venisset frater ad ostium ministri senis, aperto ostio inuenit ibi filiam ministri solā, quæ amplexata eum cœpit eum allicere ad cō mistionē carnis, amplexans eum. Et cùm vrgerēt eum cogitationes, clamauit ad Dominum, dicens: Domine, propter orationem eius qui me misit salua me ex hac hora: & statim inuentus est ad flumen iuxta monasterium suum, & reuersus est ad patrē sine macula. Item obedienti obediunt omnia, & creator & creaturæ. De creatore, habetur Iosue 10. Non fuit postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. De creaturis verò multa habes exempla in Vitis patrū. Quidam de senioribus misit discipulum suum ad hauriendam aquam, & erat puteus remotus à cella. Discipulus verò oblitus funem venit ad puteum, & præ longitudine viæ non audens reuerti pro fune, ne forte contristaret seniorem, prostrauit se in oratione, & surgens de oratione, clamauit, O putee putee, misit me seruus Iesu Christi abbas meus vt hauriam aquā, & statim ascendit aqua ad os putei, & impleuit frater lagenam, glorificans potentiam Saluatoris. Aqua autem putei reuersa est ad locum suum. Item in Vitis patrum Abbas Paulus præcepit discipulo suo Ioāni vt afferret ei simum boū, qui erat ei necessarius ad vtensilia. At ille ait: In loco vbi simus est habitat leena. Cui abbas, Si venerit super te, alliga eam, & duces eam tecum. Iuit Ioannes & inuenit leenam irruentem super eū, qui voluit eam tenere, sed ipsa aufugit. Ioannes verò sequebatur eā, dicens, Abbas meus præcepit vt alligatam ducam te ad eum: & statim bestia substitit, & tenens eam reuertebatur ad monasterium. Quod cùm vidisset Abbas, ne fortè discipulus inde extolleretur, dixit ei: Sicut tu insensibilis es, ita insensibilem best

bestiam adduxisti: solue, & dimitte eam vt pergat ad locũ suum. Item obedientia homini pacem dat. Prouerb. 12. Qui timet præcepta, in pace versabitur. 1. Macha. 14. Siluit terra Iuda omnibus diebus Simonis. Siluit: id est, quieuit, vel pacem habuit. Esa. 48. Vtinam attendisses ad mandata mea, fuisset quasi flumen pax tua. Item obedientia hominem benedici facit. Deut. 11. Propono vobis benedictionem, si obedieritis mandatis Domini. Eiusdem 28. Venient super te omnes benedictiones istę, & apprehendent te, si tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate &c. Item facit hominem beatum. Matth. 16. Beatus es Simon. &c. Prou. 19. Qui custodit legem, beatus est. Obedientia in præsenti hominem dignum prælatione efficit. Vnde Simonẽ præfecit Dominus cæteris apostolis. Matth. 16. 1. Machab. 2. Simon frater vester scio quòd vir consilij est: ipsum audite semper: & ipse erit vobis pater. In vita beati Philiberti dicitur: Præesse non audeat, qui subesse non didicerit. Nec obedientiam à subiectis imploret, qui eam prælatis exhibere non nouit. Obedientia etiam ad regnum introducit. Matth. 18. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Inobedientia clauem paradisi amisit, sed obedientia eam recuperauit. Vnde Simoni Petro dictum est Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Obedientia vitam hominis feliciter consummat. Iob. 36. Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium. ¶ Sexto valere possunt ad commendationem obedientiæ verba sanctorũ quę videtur ostedere pręeminentiã huius virtutis ad alias virtutes. Simonẽ pręfecit Dominus cæteris apostolis. Matthæi 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et obedientia secũdum verba sanctorum pręeminere videtur cæteris virtutibus. Greg. in Moralib. Sola obedientia virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertásque custodit. Solent inseri arbori agresti duo ramunculi alicuius nobilis arboris, deinde arbor quæ prius erat agrestis, producit flores, fructus, & folia secundum naturam arboris nobilis à qua ramunculi sunt assumpti. Sic obedientia alienum sensum & alienam voluntatem assumit, & cordi eius qui promittit obedientiam inseruntur, & iam cor illud secundum sensum & voluntatem sui superioris operatur. Item dicit Grego. quòd obedientia non tam est virtus, quàm mater virtutem. Quod ideo potest intelligi esse dictum, quia obedientia producere potest motus omnium virtutum. Omnes enim possunt iuberi: & si aliquis producat motus illos, quia iussus est, obedientiæ sunt. Itẽ super illud Gen. 2. Lignúmque scię-

tiæ boni & mali. dicit gl. Augu. Obedientia sola verissima est virtus, creaturæ rationali sub Dei potestate degenti. Quod potest intelligi dictũ esse, Primo, quia obedictia perficit hominẽ ex parte illa qua habet cõparationẽ ad Deũ sub quo est, & respectu actus qui est nobilissimus tãquã finis hominis. Fini enim optimum in vnoquoque. Hic actus est obseruatio mandati diuini. Eccles. vlt. Deũ time, & mãdata eius obserua: hoc est omnis homo. Hoc innuit Augu. in hoc quòd post illud, Obedictia sola est verissima virtus, subdit: rationali creaturę sub Dei potestate degẽti. Secũdo potest hoc intelligi dictũ propter meritũ, ad quod valet multũ obedictia. Vnde super illud Gen. 2. Lignúmque scientię, dicit Aug. Oportebat vt homo sub dominio positus ab aliquo prohiberetur, vt esset ei virtus meredi obedictia. Dũ aliquis intẽdit facere voluntatẽ propriam, nec videtur mereri apud semetipsum. Ab illo enim merces expectatur cui seruitur, vel cuius voluntas fit. Non mereatur ergo apud aliũ, nisi qui vult facere eius propriã volũtatẽ, quod est obedictię. Gregor. Sola est obedictia quę meritũ fidei possidet. Tertia, propter maiorẽ difficultatẽ. Virtus enim est circa difficile, iuxta Sapiẽtẽ: & nomẽ virtutis à vi videtur esse dictũ. Difficilimum autem videtur esse agere contra se, quod facit obediens, quod sonat nomen obedientię. Obedire est contrà audire, scilicet cõtra proprium sensum & propriam volũtatẽ. Greg. super 1. Regum 15. Melior est obedictia quam victimæ, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria caro mactatur. Obedientia quasi quoddam martyriũ est. Greg. Tãto Deum quisque citius placat, quãto repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat. Obediens quasi proprium caput sibi amputat pro Christo, & caput sibi Christum constituit, vel eum qui loco eius est. Qui martyrium pro Christo sustinet, vnam voluntatem sibi amputat: scilicet voluntatem viuendi, sed iste omnẽ voluntatem. Obedientia maximè voluntati propriæ detrahit, & ideo virtuti maxime addit. Sapiens: Hoc solum virtuti adiicies, quòd propriæ voluntati detraxeris. Poeta: Est virtus, placitis abstinuisse bonis. Propterea quæ dicta sunt, amanda est obedientia à fidelibus tanquam mater eorum. 1. Pet. 1. Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelationem Iesu Christi, quasi filij obedientiæ.

De his quæ possunt iuuare Obedientiam. CAP. III.

SEquitur de his quę possũt iuuare obedictiã. ¶ Et notãdũ quòd quinque sunt quę valere solẽt ad hoc quòd aliquid sit magis tractabile vel flexibile, & similia his possunt valere ad hoc ꝙ cor alicuius sit inobedics. ¶ Primũ est exilitas. Vt patet in virga quæ

pro

propter exilitatē flexibilis est. Etiam ferrum si sit exile vel tenuis flecti potest. Sic exilitas humilitatis valet ad obedientiam. Vnde cantor magnus Parisiensis humilitatem posuit matrē obediē tiæ. Et apostolus ad Philip. 2. loquens de obedientia Christi, præmittit de eius humilitate. Humiliauit, inquit, semetipsum, factus obediens &c. Aug. 14. lib. de Ciuit. Dei. Obedientia nisi humilū esse nō potest. Cūm humilitas sit sensus proprij vacuitas, humilis habet vbi sensum alienum recipiat, quasi vacuus à suo: & qui sensum alienū recipit, nisi sit apertē malus, recipit alienam voluntatē, & sic fit obediēs. Superb. prius exibit de sensu suo, quā recipiat sensum alienū vel alienam voluntatē, & fiat verè obediens. Prou. 26. Vidisti hominem sapientē sibi videri: magis spem illo habebit insipiens. Cibus in quo nimis est de sale, quasi perditus est. Facilius sal cibo additur, quàm subtrahatur. Sic qui ad religionem venit, si sal proprij sensus in eo nimium abundet, non est aptus religionis. Facilius homo simplex religionis efficietur, quàm ipse. Bern. ad fratres de monte Dei: Superbia quamuis prudens sibi videatur, dimittenda ea sibi & abigenda. Si enim admittitur superbus, prima die qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimiū vero stultus discere non potest quas inuenit. Eccles. 19. Melior est qui minuitur sapientia, & indiget sensū in timore Domini, quàm qui transgreditur legem Altissimi. Timor qui æstimat etiā pericula quæ non sunt, & defectus suos scrutatur, inuenit se sensu indigere: & sic timor humilitatē introducit. Humilitas verò videns sensum suū sibi non sufficere, alieno sensui acquiescit, nec vult habere ducē illū qui in tot foueas eum præcipitauit, scilicet sensum propriū. ¶ Secundum est assuefactio. Vnde equus assuescit circunuolutionibus, vt facilius ad voluntatem sessoris flecti possit. Prouer. 25. Equus paratur ad diē belli, Dominus autem salutem tribuet. Equus est religiosus cui frenum obedientiæ impositū est. Zachar. 10. Posuit eos equū gloriæ in bello. Operatur Deus in viro religioso gloriosa, & ideo equus gloriæ potest dici. Hic per assuefactionem parandus est ad obedientiam, vt nunc ad dexteram prosperitatis, nunc ad sinistrā aduersitatis verseturtaliter in die belli succumbet, quādo scilicet aliquid graue ei iniungetur. Religiosus qui in sua voluntate nutritur, destruitur. In Vitis patrū beatus Antonius præcepit Paulo simplici eremitæ sucre & dissuere vestimēta, texere & frangere sportulas: sic volebat voluntatem eius flexibilem & obedientem efficere. ¶ Tertiū est ignis: vt patet in cera, quæ calefacta de facili flectitur: & in metallis, quæ ad ignem liquefiunt, & sic de facili formā rei cui infundū

tur accipiūt. Sic valere potest ad hoc quòd cor per obedientiam magis flexibile fiat, ignis diuini amoris: scilicet si ostendatur qualiter Deus dilexit nos. Lucæ 12. habetur de hoc igne. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Frequenter cogitandus esset amor ille, ex quo Altissimus obedire voluit pro nobis vsque ad mortem crucis, vt confunderemur male obedientes esse ad leuia quæ nobis ex parte eius iniunguntur. ¶ Quartum est separatio rei ab aliquo minus flexibili cui adhærebat: vt patet in corio adhærenti ligno, quod flecti non potest nisi à ligno separetur. Sic expediret ei qui perfectè obedire vellet, quòd voluntatē suā ab omni re temporali separaret & eā recolligeret, vt haberet paratā quando mādatū superioris veniret. In Psal. Paratus sum, & non tum turbatus. Itē: Paratū cor meum Deus, paratū cor meū. Bern. Paratum ad sublimia, paratū ad vniuersa quæcunque præceperis. Augu. Verus obediens mandatum non prouidet natū, sed parat aures audituī, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & se totum intra se colligit vt mandatum peragat imperatis. ¶ Quintum est, alicuius liquoris admistio. Vt pellis dura vngitur vt sit tractabilior, & terræ durę aqua miscetur: Similiter vnctio gratiæ necessaria est vt cor magis obediens fiat. Ideo qui in religione est frequenter in oratione, Deo supplicare debet, vt gratiam obediendi sibi tribuat, & prælato beneplacitum suum de eo inspiret. Augu. 10. lib. Conf. Domine, continentiam iubes: da quod iubes, & iube quod vis. A simili debet religiosus dicere Deo: Obedientiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis. Potest etiam valere ad obedientiam modestia imperantis. Senec. Remissius imperanti melius paretur. Greg. Qui ab vnoquoque bono subiectos vetat, necessarium est vt multa concedat, ne obedientis animus funditus intereat, si à bonis omnibus repulsa ieiunat. Vnde Deus Adæ vnicam arborem prohibuit, omnes alias concessit. Gen. 2. & 3. Reg. 12. Populus inobediens factus fui propter graue imperium Roboam.

De gradibus Obedientiæ. CAP. IIII.

BErnardus sæpē gradus obedientię tāgit, quorū primus est libē ter obedire. Quē gradū, vt ipse ait, nō potest ascēdere qui voluntatē præcipientis suam non fecerit. Libenter obediebat qui dicebat, Meus cibus est vt faciam volūtatē eius qui misit me. Ioan. 4. Aug. 10. lib. Conf. Optimus minister tuus est, qui non magis inquirit hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit. Bernardus: Quisquis occultè satagit, vt quod iubet ipse, hoc ei prælatus iniungat, ipse se seducit, si fortè

sibi quasi de obedientia blandiatur. Nec enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Paratum ad Domini voluntatem se ostendit Paulus dicens Act. 9. Domine, quid me vis facere? Bern. in sermonibus: Nec dubium est quin ampliorē gratiā mereatur, qui paratum se exhibet ante mādatum, quàm qui obedire satagit post mādatum. requirit Dominus oblationes voluntarias. Exod. 35. Iste est sermo quē præcepit Deus, Omnis voluntarius prono animo offerat primitias Domino. Dauid: Voluntariè sacrificabo tibi. Coacta sacrificia Deo non placēt. Sed quidā sunt similes rusticis, qui dominis suis nullū seruitiū volunt facere nisi coacti. Et notandum quòd libenter obedire præcipuè laudabile est, cùm grauia iniunguntur. Vnde super illud 1. Reg. 15. Melior est obediētia &c. dicit gl. Greg. Sciēdum quòd obediētia aliquando si de suo aliquid habet, nulla est: aliquādo minima est, si suum aliquid nō habet. Cùm enim locus superior imperatur, obedientiæ virtutem euacuat sibi, qui ad hunc proprio desiderio anhelat. Cùm verò probra & cōtumeliæ imperantur, nisi hoc ex semetipso animus appetat, obediētię sibi meritū minuit, qui ad hāc inuitus descēdit. Hinc Moyses principatū populi humiliter recusat. Paulus autem audacter dicit, Ego nō solū ligari in Ierusalē, sed & mori paratus sum. Et notādū q̄ obediētia in difficilioribus gratior est, quā inobediētia grauior. Inobediētia verò in facilioribus multū Deo displicet. Ber. de præcepto & dispensatione: In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, vt in difficilioribus quibuscunque agendis obeditio gratior quàm præuaricatio grauior iudicetur, & in facilioribus minúsque onerosis contemptus dānabilior, quā actus laudabilior æstimetur. Aug. 14. lib. de Ciuit. Dei: In paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto illud quod præceptū est nullius difficultatis fuit. Vbi enim magna est inobediētiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnā satis explicet quātū malū sit nō obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio & tāto terrenti supplicio? ¶ Secundus gradus est obtemperare simpliciter. Multos enim videmus secundū verbū Bern. post præcipientis imperium multas facere quęstionis, quare sępius ingeminare, vnde hoc venerit, quis hoc inuenit consiliū, inde murmuratio, excusatio, simulatio, impossibilitates, aduocatio amicorum. In Psal. In auditu auris obediuit mihi, vt oltēderet vno eodémque momēto processisse & imperātis imperiū, & obsequium obsequentis. Ad simplicitatē obediētiæ pertinet, non iudicare quid vel quare præcipiatur. Bern. in lib. de consideratione: Omnibus nobis in conuersionis initio nulla magis virtus est necessaria, quàm simplicitas humilis, & grauitas verecunda. Ber. ad fratres de monte Dei: perfecta obedientia maximè in incipiente est indiscreta: hoc est, non discernere quid vel quare præcipiatur: sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur. Idem loquens de nouitio: Stultus fiat, vt sit sapiens: & hoc omnis eius sit discretio, vt in hoc nulla ei sit discretio: hæc omnis eius sapientia sit, vt in hac parte nulla sit ei. Idem in sermonibus: Rara auis in terris discretio: ideo discretionis locum fratres in vobis suppleat virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit faciatis. Deut. 12. Quæ præcipio tibi, hæc tantū facias: nec addas quicquam, nec minuas. Cùm Iulius Cæsar in perdomandis hostibus quinq; annorum spatium sibi permissum transisset, licet gloriosē triumphasset, honor tamen debitus sibi denegatus est: nec vrbem ingredi permissus est, eò quòd vltra terminū sibi prætirum morā contraxisset. Deut. 12. Non facietis ibi quod nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectū videtur. Bern. super Cant. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? Perfectè obediens debet se habere vt iumentum. Dauid: Vt iumentū factus sum apud te. Item: Deduxisti sicut oues populum tuum. Et iterum: Qui deducis velut ouem Ioseph. Simplicitatē obedientię multū amabāt antiqui patres in discipulis suis: ideo in principio nō præcipiebant eis recta. Vnde in Vitis patrum, dixit quidā abbati Pastori: Patres seniores nō loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta: & si viderint quia ea quæ torta sunt faciunt, iam eis non loquuntur nisi quod expedit, cognoscentes quoniā in omnibus obedientes sunt. Debent inferiores audire mandata superiorū, quasi à Deo dicerentur. Mat. 10. Qui vos audit, me audit. Vnde sicuti nō discernerent, si aliquid à Deo eis præciperetur, sed humiliter illud implerent: sic nō debent disceptare de mandatis prælati. Bern. Non te moueat magister imperitus, indiscreta potestas: sed memento, quia non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Ad Colos. 3. Serui obedite per omnia dominis &c. Et subditur: Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut domino, & non hominibus. ¶ Tertius gradus est hilariter obedire. Hilarē enim datorem diligit Deus. 2. Corin. 9. secundum verbum Bern. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorāt obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio & facies tenebris tristitiæ obfuscata deuotionem ab animo recessisse significat. Quis enim libenter imperat homini tristitiam efflanti. Ad

Ephe.6. Omnia facite sine murmurationibus. Eccle.35. In omni dato hilarem fac vultũ tuum. Qui cum murmure obediunt, eum praua salsa Deũ pascere volũt. In Psa. Dederũt in escam meã fel. Obedientia taliũ est quasi obedientia dæmonum. Ad præceptum enim Christi exibant dæmonia à multis, clamantia. Qui sic obediunt, nõ verè sunt obedientes, etsi dicantur esse. Matth.27. Inuenerunt hominẽ Cyrenæũ, nomine Simonẽ. Tales sunt vt magni lapides qui moueri nõ possunt sine afflictione mouentis. Eccl.10. Qui transfert lapides, affligetur in eis. Tales sunt vt rotæ carri non solũ in hoc quòd præ defectu vnctionis murmurãt, sed quia vnus alterũ præcedere non vult: non faciam hoc dicit vnus, nisi ille idem fecerit. Eccle.33. Præcordia fatui quasi rota carri. Tales sunt sicut imagines in ædificiis quæ sustinent columnas quæ in facie tristitiam ostendunt. Prælatus cuius subditi cum tristitia & murmure obediũt, similis est illi qui haberet omnia membra infirma, quæ necesse haberet mouere, & nullũ monere posset sine dolore, qui esset in magna miseria. Prælatus talis imperat isti, & ille affligitur, & contristatur, & ipse cum eo. Similiter imperat alij, & ille contristatur, & ipse cum eo, & sic qui obsequi debuerunt, offendunt. ad Hebr.13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationẽ pro animalibus vestris reddituri, vt hoc faciant cum gaudio, & non gementes: hoc enim nõ expedit vobis. Sen. in lib. de beneficiis: Ita à natura comparatũ est: vt altius iniuriæ quàm merita descendant: illa citò defluant, has tenax memoria custodiat. Quid expectat qui offendit dum obligat? Satis aduersus eũ gratus est, qui beneficio eius ignoscit. A simili possumus dicere, quòd satisfacit Deus pro obedientia aliquorum, si affectionem quam ipsi faciunt superioribus suis eis ignoscit. ¶ Quartus gradus est, velociter obedire. Luc.19. dictum est Zachæo, Festinans descende. Et subditur remuneratio: Hodie, inquit, salus huic domui facta est. Matth.4. dicitur de Petro & Andrea à domino vocatis: Et illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et similiter subditur de Iacobo & Ioanne: Illi statim relictis retibus & patre secuti sunt eum. Hiero. Perfecta obedientia est sua imperfecta relinquere. Cantic.5. Manus eius tornatiles. In Vitis patrum, Abbas Syluanus habebat duodecim discipulos, vni eorũ nomen Marcus, quem præ cæteris diligebat propter bonũ obedientiæ, quod erat in eo. Cùmq; quidã dicerent ei, quòd alij discipuli cõtristarentur ex hoc, ipse pulsauit ad ostiũ vniuscuiusq; vocans eum, & nullus exire voluit. Tandem vocauit Marcũ ad eius ostium, qui statim exiuit, & Syluanus in quaterno quem

quem ille scribebat tẽpore vocationis, literã vltimam imperfectam inuenit, quam post vocationem propter bonũ obedientiæ implere noluit. Tunc illi iudicauerunt eum magis esse diligendum, eò quòd Deus magis diligeret eum propter bonũ obedientiæ. Item quidam Abbas seniori suo abbati debuit præparare piscem, & apposuit cultellum & incidebat eum, & vocatus ab abbate suo reliquit piscem semiscissum propter bonum obedientiæ. Valde gratũ solet esse principibus quum præcepta eorum velociter adimplentur. Prou.22. Vidisti hominem velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. ¶ Quintus gradus est, viriliter adimplere mandatum. Bern. Manum tuam insiste ad fortia, agendum est instanter, & constanter obediendum. Nec inter asperitatem verberum tam regalis est semita relinquenda. Et loquitur de semita obedientiæ. Christus hanc semitam etiam pro morte ignominiosissima relinquere noluit. Ad Phil.2. Factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Bernar. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Idem: Putas obedientiæ fructũ, quum subditus auditur obedientiam quam multis expetierat votis, quum ei præcipitur quod redoleat dignitatem? Econtrario meritum assigna illi obedientiæ quæ terret animum audientis, grauis ad audiendum, grauior ad implendum, grauissima ad tenendum. ¶ Sextus gradus est, humiliter obedire. Et subdit Bern. Magna virtus humilitatis, sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solum virtus non sit, sed etiam in superbiam erumpit. Luc.17. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite, serui inutiles sumus: quod facere debuimus, fecimus. ¶ Septimus gradus est, indesinenter obedire. Et subdit Bern. Perseuerantia singularis est filia summi regis. Idem: Quid currere prodest, & ante cursus metam deficere? Sic currite vt comprehendatis. 1. ad Corin.11. Hi sunt septem gradus scalæ quam vidit Iacob. Gen.28. Hanc visionem vidit Iacob dormiens in itinere, lapide suppositio capiti. Gloss. Caput ponit in lapide qui Christo inhæret mente. Et secundum August. in itinere dormire, est in via huius seculi ab impedimento secularium actionum quiescere. Beatus Benedictus & August. & alij sancti qui religiones instituerunt, quum Christo corde adhæsissent, & curis huius seculi quiescerent, spiritualiter viderunt visionem illam. Scala ista obedientia est, cuius duo latera possunt intelligi, paupertas voluntaria & continentia, vel abrenuntiatio proprij sensus & propriæ voluntatis. ¶ Attendenda verò sunt quatuor circa de hac scala dicuntur. ¶ Primum est, quòd erat stans super

terram. In quo notatur rectitudo intentionis quæ debet esse in his qui viam obedientiæ aggrediuntur. Et excluditur per hoc macula intentionis terrenæ eorum qui habent terrenam intentionem in religione. Scala eorum non stat, sed potius iacet super terram: vel potius directa est ad infernum. Eccles. 4. Custodi pedem tuum ingrediens domum domini. Pedem, inquam, intentionis. ¶ Secundũ est, quòd cacumen eius tangebat cælũ. In quo figuratum est, quòd conuersatio religiosorum in cælis debet esse, vel quòd immediatus transitus est in morte à via perfectæ obedientiæ in cælum. Parum enim vel nihil morantur perfectè obedientes in purgatorio. Et quia magni lucri est obedientia, vt prius ostensum est, & ideo sufficit hic soluere debita. Et quia in vero obediente Christus viuit & operatur. ad Gal. 2. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Nec est verisimile, quòd Deus sit in futuro eorum vltor, quorum hic est actor. ¶ Tertium est, quòd Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes per scalam illam. In quo insinuatur, quòd via obedientiæ vita angelica est. Siue enim descendant verè obedientes fratribus suis ministrando, siue ascendant Deo assistendo in oratione, lectione, meditatione, ad modum angelorum voluntatem Dei peragunt. Vnde quantum ad illos impletur orationis dominicæ petitio, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Matth. 6. ¶ Quartũ est, quòd dominus erat innixus scalæ. In quo insinuatur quòd perfecta obedientia se habet immediatè ad Deum. Nullum enim interuallum vel modicum est inter mortem verè obedientis & diuinam visionem. In Psa. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate mea deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Esa. 58. Si auerteris à sabbatho pedem tuum &c. sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Multum deberent incitare eos qui sunt in scala obedientiæ ad ascendendum viriliter, spes & desiderium videndi dominũ innixum scalæ. Sicut quum acclamatum est in obsidione alicuius castri, illum habiturum centum libras qui primò intrauerit: spes & desiderium tanti lucri facit aliquos per scalam ascendere, tenentes clypeos supra se, licet lapidibus desuper percutiantur. Sic spes & desiderium, de quibus iam diximus, deberent facere vt homines per scalam obedientiæ ascenderent: omnes aduersitates quæ occurrunt superando. Matth. 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Item insinuatur in hoc quòd dominus erat innixus scalæ, quòd ipse paratus est iuuare & conseruare eos, qui viam obedientiæ aggressi sunt, quasi suos. Perfectè obedien

obediens è proximo sequitur dominum. Vnde dominus quasi fidelis socius vbi deuentum est ad locum difficilẽ ad transeundum porrigit ei manum iuuans eum. In Psalm. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Attendendum etiam est quod sequitur: Verè dominus est in loco isto, dicit Iacob. Deus dominum se exhibet verè obedienti, eum iuuando, conseruando, & ei prouidendo: & meritò, cum ille se exhibeat seruũ Dei, voluntatem eius adimplendo. Item attendendum est quod Iacob postea dixit, Quàm terribilis est locus iste? Terribilis est locus sanctus scilicet locus religionis, propter domini præsentiam. Solicitè enim debẽt se habere qui sunt in religione, propter hoc quòd dominus præsens est. Hoc est vnum illorum quæ Deus requirit ab homine: scilicet solicitè ambulare cum Deo suo. Michææ 6. Terrorem incutere deberet his qui peccant in locis sanctis, pœna illorũ qui in locis sanctis peccauerunt: vt pœna Luciferi & Adam. Sequitur: Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Domus Dei, dicitur religio: quia in verè obedientibus Deus habet dominiũ. Porta verò cæli est propter propinquitatẽ quã habet perfecta obedientia ad Dei visionẽ. Væ illis qui de porta cæli faciũt portã inferni: & de domo Dei, spelũcã latronem: vt qui simoniacè intrant religionem aliquam, vel proprietarij sunt ibi. Matthæi 21. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam speluncam latronum. Item: Væ illis religiosis qui de scala regni cælestis scalam faciunt confusionis. quorum peccata tanto amplius fœtent hominibus, quanto ipsi sunt in gradu altiori.

De partibus Obedientiæ. CAP. V.

Est obediẽtia reprehensibilis, & est obediẽtia cõmendabilis. ¶ Obediẽtia reprehẽsibilis est triplex. ¶ Prima est quum aliquis obedit creaturæ inferiori homine: vt pecuniæ. Ecc. 10. Pecuniæ obediũt omnia. ¶ Secũda est, cũ ex remissione superioris & cerui cõsitate inferioris accidit q; ille obedit qui debet imperare, & ille imperat qui debet obedire: cũ scilicet ille est suprà qui deberet esse infrà, & mẽbrũ super verticẽ se extollit. Pro. 30. Per tria mouetur terra, & quartũ q; nõ potest sustinere, per seruum cum regnauerit &c. ¶ Tertia est, cũ aliqu s suo superiori in malo obedit. Gr. in Moral. Nunquã per obedientiã malũ fieri. Aliquãdo autẽ debet bonũ, q; agitur, per obedientiã intermitti. Ber. in epistolis: Facere malũ quolibet etiã iubẽte domino, cõstat nõ esse obediẽtiã, sed potius inobedientiã. Gre. Caueãt subditi ne plusquã expedit sint subiecti, ne dũ plusquã expedit studeant subiici,

superiorum cõpellantur vitia venerari. Aug. Sic modus obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo nõ consentias, nec malis in bono non contradicas. ¶ Obedientia verò cõmendabilis quædã est necessaria, quædã abundans vel perfecta. Necessaria est, vt quum aliquis obedit in his in quibus tenetur obedire. Abundans verò est, quum obediat etiam in his in quibus non tenetur obedire. Bern. Subiectus huiusmodi, obedientiam quæ finibus cohibetur nouerit imperfectam: nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neq; contenta angustiis professionis, largiori voluntate ferrur in latitudinem charitatis. Item ad perfectionem obedientiæ pertinet, nõ solum facere quod iubetur, sed etiam sicut iubetur. Ber. Illum optimũ dixerim obedientiæ gradum, cùm eo animo opus iniunctum recipit quo & præcipitur. Gen. 17. dicitur de Abraham. Et circuncidit carnem præputij eorum statim ipsa die, sicut præcepit ei Deus. Matth. 1. Exurgens Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus. Io. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. ¶ Item notandũ, quòd est obedientia quæ debetur ex natura: vt illa quæ debetur Deo. Act. 5. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et illa quæ debetur parentibus carnalibus. Ad Ephe. 6. Filij obedite parentibus vestris in domino, hoc enim iustum. Item ad Colosſ. 3. Filij, obedite parentibus vestris, per omnia: hoc enim beneplacitũ est domino. Item est obedientia quæ nõ debetur ex natura, sed habuit voluntatem principium sui, vel voluntatem liberam, vel nõ liberam. Voluntatem nõ liberam sui principium habuit obedientia, quam debet seruus domino. ad Colosſ. 3. Serui, obedite per omnia dominis vestris. Voluntatem verò liberam sui principium habuit obedientia quam vxor debet viro, vel quam debet subditus prælato. ad Ephe. 5. Mulieres subditæ sint viris suis in omnibus. Gen. 3. mulieri dicitur: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. ad Heb. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

De his quæ aduersantur obedientiæ. Et de duodecim malis quæ propria voluntas homini facit. CAP VI.

OBedientiæ primo aduersatur proprius sensus, deinde propria voluntas. Sicut equus videns nõ est idoneus circumire ad molam: sic qui habet propriũ sensum, nõ est aptus volubiliari obedientiæ. Deut. 12. Non facietis ibi quod nos facimus hic hodie singuli quod sibi rectum videtur. Iudic. 17. In diebus illis non erat rex in Israël: sed vnusquisq; quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat. Exemplum relinquendi proprium sensum, dedit Christus à matre sua in templo inuentus. Luc. 2. Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Ber. Quis nõ erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suũ sapientia ipsa deseruit? Proprius sensus, oculus est veteris hominis qui inimicus est Deo, & ideo eruendus est. ¶ De propria voluntate, notãdum est, quòd ipsa Deo multum displicet, diabolo multũ placet, homini multũ nocet. Nec mirũ si Deo multum displiceat. Ipsa enim est, quæ Deo primo iniuriatur. Ipsa sola Deo aufert dominiũ suum, & dat illud diabolo. Sicut enim obedientia efficit hominẽ seruum Dei: sic propria voluntas efficit eum seruum diaboli: ideo multum placet diabolo. Ecc. 18. Post cõcupiscentias tuas nõ eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te in gaudiũ inimicis tuis. ¶ Propria volũtas homini multipliciter nocet. ¶ primo aufert ei Deum. Bern. super Cant. Non dabit inobedienti copiam sui tantus obediẽtię amator, vt mori quàm non obedire maluerit. ¶ Secundo beneficia Dei homini subtrahit. Greg. Dignum est, vt ab eius beneficiis sit quilibet extraneus, qui eius nimirum iussionibus nõ vult esse subiectus. ¶ Tertio, meritũ euacuat. Esaiæ 58. Quare ieiunauimus, & nõ aspexisti? Et subditur: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Ber. super Cantic. Grãde malũ propria voluntas, qua fit vt bona tua tibi bona non sint. ¶ Quarto, hominem excommunicat. 2. ad Thes. 3. Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo. ¶ Quinto, hominem furem efficit. Ille enim qui in religione est propriæ voluntatis, contractat rem alienã, scilicet seipsum domino inuito. Matth. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Luc. 14. Omnis ex vobis qui nõ renunciauerit omnibus, quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. ¶ Sexto, reddit hominem maledictũ. Deut. 28. Si audire nolueris vocem domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mãdata eius, veniẽt super te omnes maledictiones istæ, & apprehẽdẽt te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreũ tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus vẽtris tui, & fructus terræ tuæ. ¶ Septimo, idololatrã efficit. 1. Reg. 15. Quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Gl. Sola est obedientia, quę fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisq; cõuincitur. Inobediens negat Deum inquantum Deus est. Greg. in Moralib. Contra cõditorẽ superbire, est præcepta eius peccando transcẽdere: quia quasi à se iugum domina tionis eius excutit, cui per inobedientiam subesse contemnit. ¶ Octauo, hominem à dignitate deiicit vt patet in Saul, cui dicit

Samuel 1.Reg. 15.Quia proiecisti sermonem domini, proiecit te dominus ne sis rex super Israël. ¶Nono aduersarium homini suscitat. 3. Reg. 11. Fecit Salomon, quod nõ placuerat corã domino, & suscitauit dominus aduersarium Salomoni. ¶Decimo,hominem confundit.Osee 10.Confundetur Israël in voluntate sua.Esa. 45. Confundentur omnes qui repugnant ei.In hoc confunditur qui propriã voluntatem in religione sequitur, quia contrariũ accidit ei illius,quod intendit.Quærit alicubi consolationem,& ex hoc postea habet maiorem desolationẽ,vel in remorsione cõscientiæ, vel in punitione pœnitentiæ, vel in infirmitate quæ quandoque ex hoc sequitur. Qui plus vult facere voluntatẽ suam in religione, plus cogitur facere cõtra eã. Quũ enim talis nõ habeat gratiam illam apud Deum vel homines quã habet verus obediens, multa non conceduntur sibi,quę conceduntur vero obedienti. Ionas effugere voluit vt Dei voluntatem non impleret : impleuit tamen eam inuitus.Greg.Ecce Ionam fugitiuum Dei tempestas inuenit,sors ligat, mare suscipit: & quia authoris voci obedire renititur,ad locum quò missus fuerat suo reus carcere portatur. ¶ Vndecimo hominem affligit. Vnde Saul inobedientem malignus spiritus exagitat. 1. Reg.16. Homo propriæ voluntatis in religione animum habet inordinatum,& ideo affligitur.Augu.in lib. cõfessionũ:Iussisti domine,& sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus. ¶Duodecimo , hominem morte temporali & æterna dignum efficit. Deu.17.Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio,morietur.Eiusdẽ 21.Si genuerit homo filium contumacem,qui non audierit patris aut matris imperium , & coërcitus obedire contempserit, lapidibus eũ obruet populus. Iosue 1. Qui contradixerit ori tuo,& non obedierit cũctis sermonibus tuis quos præceperis ei,moriatur.2. Reg. 13. Vir Dei qui inobediens fuit ori domini percussus est à leone. Ber. Quid odit Deus , aut quid punit præter voluntatem propriam ? Cesset enim propria voluntas,& infernus non erit.

De errore illorũ qui dicunt soli Deo obediendum esse, & non homini. CAP. VII.

FAlsitas huius erroris facilè manifestari potest his, qui vetus testamentum recipiunt:quũ in veteri lege præcipiantur occidi,qui imperio sacerdotis,vel principis, vel parentum inobedientes sunt.De primo habetur Deute.17. Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio,morietur.De secũdo Ios.1. Qui cõtradixerit ori tuo &c.De tertio Deut. 21.Si genuerit homo filium

lium contumacem &c. Testimoniis etiã Noui testamenti falsitas dicti erroris manifestè potest ostẽdi,ad Rom.14. Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit.Nõ enim est potestas nisi à Deo:quæ autẽ sunt,à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:qui autẽ resistũt , sibiipsi dãnationẽ acquirunt.ad Eph.6.Filij obedite parentib.vestris in domino: hoc enim iustũ est.In eodẽ:Serui obedite dominis vestris carnalibus,cum timore & tremore,in simplicitate cordis vestri , sicut Christo.ad Col.3.Filij obedite parentibus vestris:hoc enim bene placitũ est domino.In eodẽ : Serui obedite per omnia dominis carnalibus.ad Titũ 3.Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.ad Heb.13. Obedite præpositis vestris , & subiacete eis.1.Pet. 3. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ,siue regi quasi præcellẽti, siue ducibus quasi ab eo missis.In eodẽ:Serui subditi estote in omni timore dominis, nõ tantũ bonis & modestis,sed etiã discolis.Præterea cõstat,q; Christus voluit apostolos esse loco sui,& vicẽ eius gerere:secundũ illud Mat. 10.Qui vos audit,me audit:& qui vos spernit, me spernit. Et eiusdẽ.16.dictũ est Petro:Tibi dabo claues regni cælorũ,& quodcunq; ligaueris super terrã,erit legatũ & in cælis: & quodcunq; solueris super terrã,erit solutũ & in cælis. Itẽ eiusdẽ 18. Amẽ dico vobis,quæcũq; alligaueritis super terrã,erunt ligata & in cælo &c.Et.Io.20.Accipite Spiritum sanctũ:quorũ remiseritis peccata,remittuntur eis:quorũ retinueritis,,rerenta sunt.Obediendũ ergo fuit apostolis sicut Christo,tanquã eius vicariis.A similiergo successoribus eorũ obediẽdũ est tanquã Christi vicariis. ¶Si quis verò dicat,q; obediendũ fuit apostolis tanquã Christo, sed nõ eorũ successoribus:Ergo Christ⁹ recessurus ab ecclesia nõ sufficienter ordinauit de ea, si non ordinauit de ea , nisi quãdiu apostoli viuerent.Si rex Frãciæ iturus esset in peregrinationẽ,& poneret aliquem loco sui vsq; ad certum tempus infra quod sciret se non esse rediturum , ipse non sufficienter ordinaret de regno:ergo quũ Christus ascensurus in cælum sciret se non esse rediturum ad ecclesiam ante mortem apostolorum, si ipse solum ordinauit qui essent loco eius dum apostoli viuerẽt,ipse nõ sufficienter prouidit ecclesiæ suæ. Relinquitur ergo q; successori bus eorum obediendum sit,sicut & ipsis obediendũ fuit. Si quis verò dicat hominibus esse obediendum , sed tantum bonis non malis,patet primo hoc esse falsum ex verbis Christi , Matth. 23. Super cathedrã,inquit,Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi : omnia ergo quæcunque dixerint vobis,seruate & facite, secundum

verò opera eorum nolite facere. 1. Petri 2. Serui Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Præterea si tantum bonis esset obediendum, iurisdictio ecclesiæ nihil haberet certitudinis: nescitur enim quis sit bonus vel malus. Eccl. 9. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrũ amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Item iurisdictio ecclesiæ nihil haberet stabilitatis. Ille enim qui est bonus in momento, potest fieri malus, & iam non ei est obediendum. Præterea sicut pictor fœdus depingit statuam pulchram, nec vitium pictoris statuam deturpat, sic & prælatus malus potest facere præceptum bonum: nec est periculum his qui subiecti sunt, si obediant prælato malo in eis in quibus obedirẽt prælato bono. Ex quo prælatus malus habet potestatem. Omnis enim potestas à Deo est: & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. ad Roma. 13. Si vero prælatus malus præcipiat malum: tunc planè non est obediendum ei. August. super illud ad Roma. 13. Qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Si ille iubeat quod non debes facere, hic sanè contemne potestatẽ timendo potestatem maiorem. Ipsos humanarum rerum gradus aduerte. Si quid iusserit curator, nunquid tibi faciendum est, si contra proconsulem iubeat? Rursus si quid proconsul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur contempto illo illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator & aliud Deus iubeat, contempto illo obtemperandum est Deo.

De Disciplina. PARS XI. *Quæ habet septem Capitula.*

De ordine dicendorum de Disciplina. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Disciplina. CAP. I.

DIcto de Obedientia qua redditur qđ debetur superiori, dicendũ est de Disciplina, qua redditur qđ debetur inferiori. de qua hoc modo dicetur. ¶ Primo ponẽtur diuersæ acceptiones huius nominis Disciplina. ¶ Secũdo, tãgetur de his quæ possunt incitare ad faciendũ correptionẽ. ¶ Tertio, de his quę possunt eã impedire. ¶ Quarto de modo corripiẽdi, vel corrigendi. ¶ Quinto, de his quæ incitare possunt ad libenter recipiẽdũ correptionẽ. ¶ Sexto, de diuersis partibus disciplinæ. ¶ Septimo, de erroribus circa disciplinam. ¶ Circa primum notandũ, quòd disciplina quandoq; dicitur desideriũ corrigendi inferiores, & sic videtur esse pars iustitiæ. Quãdoq; autẽ dicitur disciplina id quod adhibetur ad correptionẽ aliquorũ. Sic sumitur ad Heb. 12. Fili mi, noli negligere disciplinã. In codẽ: In disciplina perseuerate. Item: Si

si extra disciplinam estis &c. Quandoque autem disciplina dicitur effectus disciplinæ sumptæ secundo modo. Et sic videtur eam describere Cyprianus, dicens: Disciplina est morum ordinata correptio, & maiorum præcedentium patrum regularum obseruatio. Item magister Hugo de sancto Victore: Disciplina, inquit, est conuersatio bona & honesta, cui parum est non malum facere, sed studet in his quæ bene agit per cuncta irreprehensibilis apparere. Ber. in epistolis: Disciplina ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguã, gulam frænat: iram sedat, format incessum. Item magister Hugo de Sancto Victore. Disciplina est membrorum omniũ motus ordinatus & dispositio decens in omni habitũ & actione. Disciplina sumpta primo modo poterit videri alicui idem esse quod zelus. Ad zelum primo videtur pertinere dolor de Dei contumelia, qui est quasi quædam scissura cordis, quam interdum indicat vestium scissura. Secundo tabescentia, quæ est quum dolor vehementior aut diuturnior fuerit. Dauid: Super inimicos tuos tabescebam. Tertio ita per zelum, quæ est appetitus vlciscendi Dei offensam: quæ ira si inueterata fuerit, efficitur odium. De quo in Psal. Nónne qui oderunt te Domine oderam? Idem: Perfecto odio oderam illos. Perfectum odium ex quo inimicos Dei vsque ad dilectionem vel perfectionem persequimur, non habentes pacem cum eis quandiu sunt Dei inimici. Vel perfectum odium dicitur odium virorum perfectorum, quo peccata hominum, non homines odio habentur. Ambros. Qui habent zelum, omnes inimicos suos putant qui sunt hostes Dei, quamuis patrem, sororem. de omnibus dicunt inimici facti sunt mihi. Idem: Nemo grauior hostis omnium, quàm qui omnium lædit authorem. Aug. Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedit. Non enim magis est domus tua quàm illa vbi habes salutem æternam. Si ergo in domo tua ne quid peruersum fiat satagis, in domo Dei vbi salus est proposita & requies sine fine, non debes pati, quantum in te est, si quid peruersum fortè videris. Et notandum quòd non videtur omnino idem esse zelus & ira per zelum. Bonus zelus est, vt ait gl. Augu. super illud Ioan. 2. Zelus domus tuæ. Feruor animi quo mens abiecto timore humano pro defensione veritatis attenditur, eo comeditur, quo quælibet praua quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat & gemit. Ira verò per zelum est ira iusta. De qua gloss. super illud Matth. 5. Omnis qui irascitur &c. Iusta ira est mater disciplinæ. Et super illud Iob 5. Virum stultum interficit iracundia, dicit

Greg.

Greg. Est ira per zelum, qua irasci sicut nostris, proximorum erroribus debemus. De hac ira etiam dicit glo. super illud Eccle. 7. Melior est ira risu. Hæc est ira qua vitiis irascimur. Item notandum, quòd super illud Ezech. 4. Sume tibi sartaginem ferream. dicit glo. Greg. Nullum maius sacrificium Deo est, quàm zelus animarum. Zelus Dei gloriam in hoc mundo defendit: zelus carbo est quem de Seraphin accepit de altari cælesti, & tetigit labia Esaiæ. Esa. 6. Nam nõ sunt digna prædicare verbũ Dei labia illa quæ hic carbo non tetigerit. In Psal. Mors in labiis eorum, vbi litera communis habet, Gladius in labiis eorum. In labiis quorundam verbum Dei quod deberet esse spiritus & vita, mors est. Propter enim defectum zeli, verbum Dei ita frigidè, annuntiant aliqui, quòd auditores eorum inde potius frigescunt quàm accendantur. Propter ignem istum dictum est de Elia, Eccle. 48. Surrexit Elias propheta, quasi ignis. Zach. 2. Ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis.

De his quæ possunt incitare ad faciendam correptionem.

CAPVT II.

AD correptionem faciendam, notandum, quòd ad hoc primò incitare potest frequens admonitio sacræ scripturæ. Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. ad Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi. 1. ad Thes. 4. Rogamus vos fratres, corripite inquietos. Prou. 24. Noli subtrahere a puero disciplinam. Eccles. 7. Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Eiusdem 30. Tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret & non credat tibi. In eodem: Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudine illius offendas. ad Ephes. 6. Educate filios vestros in disciplina & correptione domini. ¶Secundo exempla, & maximè exemplum Christi. De cuius zelo habes Matth. 21. & Ioan. 2. Et in Psalm. Zelus domus tuæ comedit me. Esa. 59. Opertus est dominus pallio zeli. Et Cãt. 2. En ipse stat post parietem: ad modum scilicet zelantis & auscultãtis. Exemplum zeli habes Exo. 32. in Moyse & Leuitis vindictam sumentibus de idololatria Iudaici populi. Item Numer. 25. in Phinees, qui interfecit virum Israëlitem coëuntem cum Madianitide: de quo dominus ait ad Moysen, Phinees filius Eleazari auertit iram à filiis Israël: quia zelo meo commotus est cõtra eos. Item 3. Reg. 10. in Iesu qui interfecit propheras Baal. Item 1. Machab. 2. in Matathia qui trucidauit Iudæum sacrificantem idolis. ¶Tertio vtilitas ex correptione proueniens virga correptionis fructifera est. Vnde significata est per virgam illam quæ protulit flores & amygdala. Num. 17. Vtilitatem correptionis in multis locis insinuat sacra scriptura. Prou. 17. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Et in eodem: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula. Eiusd. 28. Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm qui per linguæ blandimenta decipit. Eiusd. 29. Virga atque correptio tribuit sapientiam. Eccles. 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Eiusdem 30. Qui diligit filium, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo. Item in eodem: Qui docet filium suum, laudabitur in eo. Aug. ad Vincẽtium: Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Melius est cũ seueritate diligere, quàm cũ lenitate decipere: Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo iustitiam securus negligebat, quam esurienti panis frangitur, vt in iustitiæ seductus acquiescat. Et qui phreneticũ ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat. Quis nos potest amplius amare quã Deus? & tamẽ nos non solùm docere suauiter, verumetiam salubriter terrere non cessat. ¶Quarto, malum proueniens ex defectu correptionis. Quod in multi locis sacræ scripturæ nobis insinuatur. 1. Regum 3. Suscitabo aduersus Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos. Et 3. Regum 1. Adonias eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Et infra: Nec corripuit eum pater suus aliquando, quem occasione regni postea Salomon fecit occidi. Prou. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit, instanter erudit. Eiusdem 29. Puer qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Eccle. 22. Confusio patris est de filio indisciplinato. Eiusdem 41. De patre impio querũtur filij, quoniam propter eum sunt in opprobrium vel tormentum. Esa. 14. Præparate eius filios occisioni in iniquitate patrum eorum.

De impedimentis correptionis. CAP. III.

OCto sunt quæ solent impedire ne correptio debito modo fiat. Primum est, indiscreta humilitas. Aug. loquens prælatis: Cùm necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Eccle. 13. Noli esse humilis in sapientia tua. ad Tit. 2. Hęc loquere & exhortare, & argue cum omni

omni imperio. ¶Secundum est, timor scandali. Veritas vitæ, doctrinæ vel iudicij propter scandalum dimittenda non est. ad Gal.2.dicit Paulus: Quum venisset Petrus Antiochiam, in faciem restiti ei: quia reprehensibilis erat. Matt.15.quum diceretur Christo, Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? Ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur. Sinite eos, cæci sunt & duces cæcorũ. ¶Tertium est, timor mundanus vel humanus. Contra quod legitur de Elia Eccl.48. Non pertimuit principem, nec superauit eum verbum aliquod. Et 3.Reg.18. Dixit Elias ad Achab: Non conturbo ego Israël, sed tu & domus patris tui. ¶Quartũ est, remissio. De qua exemplum habetur in Heli. 1. Reg. 1. qui remisse arguebat filios suos, dicens: Quare facitis res huiusce modi quas ego audio? ¶Quintum & sextum sunt austeritas & indiscretio. Contra quæ duo fuerũt in arca testamenti, virga, manna, & tabulę testamẽti. In virga intelligitur correptio. In tabulis, discretio. In manna, mãsuetudo. Contra austeritatem dicitur ad Gal.6. Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Contra indiscretionem dicitur Prou.14. In ore stulti virga superbiæ. ¶Septimum, est ira vel odium. Pro.19. Spiritum ad iracundum facilem quis poterit sustinere? Eccle.19. Est correptio mendax in ira contumelioſi. Videtur esse correptio, quod potius est corruptio vel conuitiatio. ¶Octauum est, amor terrenorum. Vnde Gen.4. dixit Cain: Nunquid custos fratris mei sum ego? Cain interpretatur possessio. Amator possessionum custodiam fratrum negligit, non attendens illud Eccle.29. Perde pecuniam propter fratrem.

De modo faciendi correptionem. CAP. IIII.

COrreptio procedere debet ex amore. Apocalyp.4. Ego quos amo arguo & castigo. Sed sunt aliqui qui illos maximè volunt corrigere quos videntur non amare, quorum correptio ab iis quibus adhibetur, non reputatur correptio, sed hostilis persecutio. Esa. 11. Egredietur virga de radice Iesse. Iesse interpretatur incendium. De incendio amoris egredi debet virga correptionis. 2.ad Thes.vlti. Nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite vt fratrem. ¶Item correptio debet fieri cum cõpassione. Grego. Nequaquam iacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. August. Duo sunt nomina, homo, peccator: quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere. In Psal. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, sicut dicit gloss. super illud Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Iustitiæ lumen est misericordia. Iustitia sine mi-

sericordia, cæcus furor est. Zelus absque misericordia, est vt cæcus sagittarius qui intendens occidere feram, occidit hominem: sicut Lamech qui intendens sagittare feram, sagittauit Cain, & occidit eum iuxta traditionem Hebræorum. Ignis zeli ardere debet in oleo misericordiæ. Gregor. super Ezech. Zeli sancti districtio de virtute misericordiæ necesse est vt ardeat. Ideo necesse est eum qui habet alios corrigere, iugiter meditari propriã infirmitatem, vt in seipso discat quod alij portare possint. In Psal. Sciant gentes quoniam homines sunt. Ad Gal.6. Considerans temetipsum ne & tu tenteris. Eccl.31. Intellige quę sunt proximi ex teipso. Gre. Omnipotens Deus ideireo principem Apostolorum permisit cadere, vt in culpa sua disceret qualiter aliis misereri deberet. Et de Christo legitur Esa.53. Virum dolorum & scientem infirmitatem. Qui non didicit pati disciplinam, nescit eam in alios exercere. Quidã religiosi habentes abbatem tortorem crudelissimũ, inexpertum disciplinę quã in alios voluit exercere, coëgerunt eum sedere per mensem inter fratres, & agere se tanquã simplicem fratrem: quę quotidie proclamãtes, & egregiè verberantes, tandem restituerunt eum sedi suæ, dicentes, Ecce per mẽsem fuisti in scholis disciplinæ; & non solùm audisti doctrinam disciplinæ, sed etiam sensisti: non erat mirum si nescibas quod non didiceras: sis memor eorum quæ didicisti, alioquin tibi rememorationem faciemus ipsorum. Qui didicit ex his quæ passus est disciplinam. Sunt multi qui alios durè volunt corrigere, sed tamen nolentes corrigi, quorum morbus est Noli me tangere, solo Deo curabilis, cùm omnem tactum humanum fugiat. Item correptio fieri debet in mãsuetudine. In Psalm. Superuenit mansuetudo, & corripiemur. Sen. Vitia animi sicut vitia corporis leniter sunt tractanda. Amb. super Lucam: Plus proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. ad Gal.6. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Zelus sedet quasi in fornace vel iuxta fornacem, scilicet vim irascibilem: vnde de facili emicãt scintillæ iræ quibus turbatur oculus mẽtis. Cato: Impedit ira animũ, ne possit cernere verum. Et super illud Iob 5. Virum stultũ interficit iracundia. dicit Greg. Ira per zelum turbat. Ipse nanque zelus rectitudinis dum aciem mentis agitat, turbat. Sed viri sancti iram sentientes supersedere volunt correptioni, donec ira cessauerit & tranquillitas in mẽte facta sit, imitari volentes illum cui dicitur Sap.12. Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas. Iac.1. Ira viri, iustitiã Dei non operatur. Diogenes

nes cùm esset iratus seruo suo, ait: Iam te, nisi iratus essem, verberibus enecassem. In hominibus iracundis non exilit scintilla de fornace vis irascibilis, sed flamma totum vorans: & quod zelo sancto cœperant, furore consummant. In eis opus sanctum quod zelus sanctus tenebat, ira rapit & sibi vendicat. Scintilla verò iræ etsi aliquid turbationis oculo mentis ingerat, non tamen opus sancto zelo inceptum sibi vendicat. Simile inuenitur in viro qui ex iustitia vult reddere debitum vxori cuius operi dupliciter potest se ingerere voluptas: vel sic vt opus iustitiæ non auferatur: vel ita vt id totum sibi rapiat: vt scilicet solo voluptatis amore consummetur. ad Galat. 3. Sic stulti estis, vt cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Simile etiam accidit in illo qui ex charitate incipit dare eleemosynam, cui vana gloria duplex potest se ingerere. Simile etiam accidit in eo qui ex deuotione inchoat iter Ierosolymitanum, & intrat in cor eius cogitatio de negotiatione ibi exercenda, quæ cogitatio dupliciter potest se ingerere vt prius. Item correptio secretò facienda est, si culpa sit occulta. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si verò culpa sit manifesta, manifestè facienda est. 1. ad Timoth. 5. Peccantes corã omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Isid. Manifesta peccata non sunt occulta purgatione purganda: palàm enim arguẽdi sunt, qui palàm nocẽt, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Dũ vnus corripitur, plurimi emendãtur, necesse est vt pro multorũ saluatione vnus cõdemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Ita erga delinquentem sermo est proferendus, sicut eius qui corripitur expostulat salus. Item in correptione attendendus est status personarum quæ corriguntur, quia non sanat oculũ quod sanat calcaneũ. Cũ vererano parcius agendum est: vt ait Sen. 1. ad Tim. 5. Seniorẽ ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. In correptione etiam seruanda est modestia. Tenendum est enim mediũ inter remissionem & indiscretum zelum. 2. ad Tim. 2. Seruum Domini oportet esse patientem, cũ modestia corripientem: qui non possunt cum benignitate corrigi, terrore sunt corrigendi. Aug. ad Bonifacium: Quidam dixit pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quã metu. Et subdit Augustinus: Hoc quidẽ verũ est. Sed sicut meliores sunt quos dirigit amor: ita plures sunt quos corrigit timor. Isi. Qui blãdo verbo castigatur, & nõ corrigitur, acrius necesse est vt arguatur. Cũ dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non

possunt. Qualis debeat esse zelus, ostendit Bernar. super Cantic. Zelum, inquit, tu ũ inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia, sit feruidus, sit inuictus, sit circunspectus. Idẽ: Quo zelus feruidior, vehementior spiritus, prouisiórque charitas, cò vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum tẽperet, ordinet charitatem. Sunt qui zelũ habẽt non secundum scientiam, ad Roma. 10. qui vulgariter vocantur homines sine capite, belluina rabie fœuientes in peccatores, conuitiis eos dehonestãtes, non medicos, sed hostes se exhibentes, quantum in eis est iudicium Dei euacuantes, dum omnia hic vindicare volũt. Si enim hic omnia vindicarentur, vt ait Augu. locum diuina iudicia non haberent. Ipsi officium dæmonum, quod est torquere, diligenter facerent, si potestatem haberent. In ore eorum personant hæ voces diabolicæ, crucifigatur, confundatur, deponatur, & eiiciatur. Potestas eorum est, vt gladius in manu furibundi: vix ab ore eorum auditur, corrigatur. Ipsi solum vrere norunt, & secare: omni ægritudini ignem, & ferrum adhibere volunt, ignorantes quòd omnium medicamentorum saluberrimum est sapientia. Sap. 9. Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi ab initio, Domine. Eiusdem 16. Nec herba, nec malagma sanauit eos: sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Peccatores (vt ait Dionysius) tãquam cæci manuducẽdi sunt. Tullius: Vndique fulciendi sunt qui ruunt, erigendi sunt, qui ceciderunt, & sanandi qui vulnerati sunt, non nouo vulnere transigendi. Qui zelum indiscretum habent, similes sunt illis, qui reficiunt veteres patellas, qui foramen vnum volentes obstruere, vno ictu mallei multa faciũt, vel illud augent, vel patellam omnino confringunt. Videntur tales credere, quòd omnia vasa sint malleabilia, cùm tamẽ fictilia, vel vitrea malleatione potius confringantur. Correptio est vasorum spiritualium confractorum refectio. Eccl. 21. Cor fatui quasi vas confractum. 2. ad Timot. 2. In domo magna sunt vasa, non solùm aurea & argẽtea, sed etiam lignea & fictilia. Hi correptionẽ hominum facilè desperant, ad male sentiendum de hominibus faciles, ad bene sentiendum difficiles. Hi peruersum ianitorẽ cordibus suis præfecerunt, qui mala fratrum tam facile permittit intrare, bona verò vix vel rarò. Opinionem malam semel de aliquo conceptam vix aut rarò deponunt, contra muscas, vel pulices gladio magno impugnare volunt, similes cuidam, qui dum musculam, quam videbat super caput alterius volitantem securi figere et percutere, excerebrauit eum. Multoties dum tales linguã peccatorum intẽdunt cædere, fugit securis manum eorum,

ferrúmque lapsum de manubrio proximum occidit. Deutero. 19. Glossa: Spiritualiter ligna succidimus cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Securis manum fugit, cùm increpatio in asperitatẽ sese pertrahit: ferrum de manubrio prosilit, cùm de correptione sermo durior exit. Tales zelatores pro medicina venenum propinant. Iob 20. Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum. Tales similes sunt cuidam fatuo qui rectissimè volens procedere sine ruina domorum, non poterat per ciuitatem incedere. Tales spiritualiter multos corruere faciunt. In tempestate & turbine sunt viæ eorum. Naum 1. Prou. 10. Quasi tempestas transiens non erit impius. Ipsi similes sunt pugilibus qui incedentes per medium pressuræ, alios impellunt, alios conculcant, alios impediunt à gressu, & maledictionem multitudinis post se relinquunt. Sic in quacunque congregatione tales conuersati fuerint post recessum, vel decessum, quærelas vel maledictiones relinquunt. Hi periculosè ambulant inter ventres prægnantium. Quis enim aborsus enarret factorum propositorum quos faciunt, & suffocationes tenerorum partuum? Tales in principe dæmoniorum eiiciunt dæmonia, & in satana satanam expellunt: si tamen expellunt, & non potius introducunt. Interdum enim credentes se expellere spiritum luxuriæ, non expellunt eum, sed latêre cogunt, introducentes cum eo spiritum mendacij, & simulationis, & iræ, & odij. Vnde opportunitate inuenta exeunt vitia, vt bestiæ de cauernis cum multitudine nouorum vitiorum. Et est error nouissimus peior priore. Et procurantur quandoque depositiones habentium zelum indiscretum, vel etiam mors eorum multum attendenda esset, in correctionibus infirmitates corrigendorum, & potestas correptoris, & an stragem multorum operetur correptio, vel saluté paucorum. Erubescenda est medicis spiritualibus timoratio medicorum corporalium, qui adeo solicitè cauent, ne medicina eorum alicui sit mortis occasio. Deridenda est quorundam iustitia, qui ne amittant de iure suo valens denarium, parati sunt centum marcas expendere. Timendum est, ne zelum aliquorum inanis gloria concitet, vt accidit cuidam, qui vt iustus iudex appareret, proprium filium pro leui delicto decollauit. mercator iniquissimus, qui morte filij sui vanam laudem iustitiæ comparauit. Zelus iste indiscretus procedere solet ex inexperientia disciplinæ in seipsis, & ex ignorantia propriæ infirmitatis & alienæ, & amore inanis gloriæ. Talibus non est danda potestas: esset enim, vt gladius in manibus furibundi. Ipsi ad instar dæmonum quocunque introëunt, incendium post se dimittunt. Qui verò habent zelum discretum, medicos corporũ imitantur morbos spirituales persequentes, salutem verò ægrorum quærentes. Non irascuntur medici corporum patientibus, imò consolantur eos, & ad tollendum horrorem medicinæ prius eam degustant. Item dicit Augustinus de Saluatore: Calicem, inquit, passionis bibit medicus prius, ne illum abhorreret ægrotus. Non puniunt qui habent zelum discretum homines, secundum merita, hoc Deo relinquunt: sufficit eis, vt faciant eos pœnitere: puniunt, vt emendent, vt qui peccauerunt humiliter, misericordiæ toraliter se tradant. Tales officium tortoris diabolo & angelis eius relinquunt: tales sic secant putrida, vt sana illæsaque relinquant. Sic herbas pestiferas euellunt, vt salutares non lædant. Sic zizaniam extirpant, vt tritico læsionem non inferant. Quidam habẽtes zelum, non secundum scientiam, sic hortos abbatiarum suarum nobilium purgauerunt ab arboribus infructiferis, vt ferè ibi nullam relinquerent. ¶ Et notandum, quòd cùm parcere & punire sint contraria, & cõtrariorum eadem sit disciplina, qui nescit parcere, nescit punire. ¶ Et notandum quòd sicuti zelus indiscretus reprehensibilis est, ita & remissio est reprehensibilis. Bernar. in epistolis: Non irasci vbi irascendum est, nolle emendare peccatum est. Plus verò irasci, quàm irascẽdum est, peccatum peccato addere est. Remissio ipsi est, vt somnolẽtis in rectore nauis. Prouer. 23. Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Isidorus prælatum negligentem dormienti assimulat, de cuius manu baculus cadit pastoralis. Et pictores pingunt ipsum accumbentem in cathedra super cubitum, somno grauatum, & cadentem de manu eius baculum pastoralem. Item remissio pigritiæ in agricola assimilatur. Prouerbiorum 24. Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ. Remissio est velut defectus latratus in cane gregem seruante. Esa. 56. Canes muti non valẽtes latrare. Item defectus gladij in custode. Esa. 62. Super muros tuos Ierusalẽ constitui custodes. Cantico 3. Inuenerunt me custodes ciuitatis. Item est defectus buccinæ in speculatore. Ezech. 33. Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non custodierit se, venerítque gladius, & tulerit de his animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Sunt qui remissionem misericordiam reputant, cùm tamen potius sit cru-

delitas. Misericorditer agitur cum phrenetico, cùm ligatur,& à desideriis suis nociuis compescitur: & cum eo qui in igne est, cū per capillos inde extrahitur,si aliter extrahi non potest. De ore lupi infernalis violenter extrahēdi sunt homines. Amos 3. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ:sic eruentur filij Israël. Iob 29. Conterebam malas iniqui, & de dentibus illius eripiebam prædam. Malæ diaboli sunt vitia & peccata. Eadem dentes etiam possunt dici. Eccl. 21. Dentes leonis, dentes illius. Item extrahendi sunt homines ab aquis deliciarum,etiam inuiti antequam ibi submergantur. ¶ Et notandū, quòd qui habet correptionem facere, non de se,sed de Deo, debet considere,& orationi debet instare,cùm solius Dei sit hominem corrigere. Eccles. 7. Considera opera Dei,quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit. Cōsidera,&c. id est, discerne quæ opera sint propria Dei, & soli virtuti eius possibilia, & inter ea inuenies illud,quod nemo possit,&c.

De his quæ possunt incitare ad libenter recipiendum correptionem vel disciplinam. CAP. V.

SEquitur de his quæ incitare possunt ad libenter recipiendum correptionem vel disciplinam. ¶ Ad quod potest valere, Primò multiplex admonitio Sacræ scripturæ. In Psal. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur dominus. Prou. 3. Disciplinam domini,fili mi,ne abiicias. Et eiusdem 4. Tene disciplinam, & ne dimittas eam. ad Heb. 13. Noli negligere disciplinam. Item: In disciplina perseuerate. ¶ Secundo vtilitas ex disciplina, vel correptione proueniens. Prou. 29. Virga atque correptio tribuit sapientiam. Et eiusdem 12. Qui diligit disciplinam, diligit scientiā: qui autem odit increpationes,insipiens est. Disciplina vel correptio placet sapientibus,& in eis proficit: insipientibus verò displicet, nec proficit in eis. Eccles. 10. Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus. Prouer. 9. Argue sapientem,& diliget te. Et eiusdem 25. Non amat pestilens eum qui se corripit. Et eiusdē 9. Qui arguit impium,sibi maculam generat. Eccl. 1. Peruersi difficile corriguntur. Peruersus est,qui intellectu & affectu à bonitate auersus est. Eccl. 32. Homo peccator vitabit correptionem, & ad voluntatem suam inueniet comparationem. Prou. 17. Plus proficit correptio apud prudentē,quàm centū plagæ apud stultū. Eiusdē 32. Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas desuper feriēte pilo,nō auferetur stultitia eius. ¶ Tertio malū proueniēs ex eo, quòd disciplina vel correptio abiicitur. Virga enim correptionis in colubrum vertitur. Qui enim hic non corrigitur,in futuro à serpētibus infernalibus punietur. Exo. 4. Proiecit Moyses virgam,& versa est in colubrum. Prou. 15. Qui increpationes odit,morietur. Et eiusdē 29. Viro qui corripientem se dura cervice contēnit, repentinus superueniet interitus. Eccl. 19. Qui odit correptionē, minuetur vita. Vita inquam triplici,scilicet naturę, gratiæ,& gloriæ. Homo qui est sine disciplina, terrenis adhæret & æternis nō curans. Iob 17. Cor eorum longè fecisti à disciplina, propterea non exaltabuntur. Glo. Qui per disciplinam minimè custodire vitam student,semper per desideria in imis iacent. Qui sine disciplina est,in periculo est. Prou. 15. Qui abiicit disciplinam,despicit animam suam. Sicut carnem despicit,qui eam non vult sale condire. Putrescit enim qui cōtemnit disciplinam, & per consequens abiicit omne bonum. Sap. 3. Sapientiam & disciplinam qui abiicit,infelix est. Fugiunt enim eum omnia bona. Talis diabolo multum assimilatur,qui incorrigibilis est. Eccl. 21. Qui odit correptionem,vestigium est peccatoris. Diabolus peccator dicitur antonomasicè. Cui multū assimilatur qui odit correptionem: vt vestigium valde simile est pedi. Et notādum quòd laudabilius est correptionem libenter accipere, quàm audacter facere. Augu. ad Hiero. Cùm satius sit à tenendo itinere in nullo quā in aliquo declinare: multò tamē est mirabilius & laudabilius libēter accipere corrigentē, quā audacter corrigere deuiantem.

De partibus disciplinæ. Et primò de Ieiunio, & eius commendatione: de speciebus eius, & de his quæ debent ipsum comitari.

CAPVT VI.

ESt disciplina ad omnes pertinens, scilicet disciplina proprij corporis. Et est disciplina pertinens ad eos, qui præsunt cæteris hominibus. ¶ Prima multiplex est, vt ieiunium, asperitas vestium, duritiēs lectorum, peregrinatio, vigiliæ, disciplina verborum. Secunda verò duplex est. Quædam spiritualis, cùm scilicet delinquentes feriuntur gladio spirituali, quæ specialiter pertinet ad prælatos ecclesiæ. Quædam verò materialis, cùm scilicet delinquentes feriuntur gladio materiali, quæ maximè pertinet ad principes terrenos. Omissis aliis partibus disciplinæ prosequemur de Ieiunio. De quo scriptura sacra multum loquitur, & quòd magnæ efficaciæ est. Ieiunium, vt ait Isidorus in libr. Etymolog. est parsimonia victus, abstinentiáque cibo rum. De illo hoc modo dicemus. Primò commendationi eius insistemus. Secundo, agemus de speciebus eius. Tertiò, tangemus de his quæ debent concomitari ieiunium. ¶ Circa primum notandum quòd ieiunium multipliciter est commen-

dabile. ¶ Primò exẽplis. Specialiter exemplo Moysi qui ieiunauit X L.diebus & X L.noctibus.Exo.34.Item exemplo Eliæ,qui similiter ieiunauit X L.diebus,& X L.noctibus.3.Reg.19.Iré exẽplo Christi,de quo Mat.4.Et cùm ieiunasset X L.diebus,& X L. noctibus,postea esurit. ¶ Secũdò ob hoc quod dicitur esse fundamentum virtutum.Hieron.Ieiunium non est perfecta virtus, sed est cæterarum virtutum fundamentum. ¶ Tertiò, à multiplici suo effectu.Ieiunium rectè factum Dei misericordiam impetrat.Vndæ Ionæ 3.Facto ieiunio misertus est Dominus Niniuitis.Item gratiã Dei cõseruat.Esa.30.Dabit tibi Dominus panẽ arctum,& aquam breuem:& non faciet à te auolare doctorẽ tuũ. Item ad intelligentiam & sapientiam iuuat. Daniel.1. Tollebat Malasar cibaria,& vinum potus eorum,dabátque eis legumina. Pueris autẽ his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia. Danieli autẽ intelligẽtiam omnium somniorũ & visionum.Exo.34.Moyses X L.diebus ieiunãs,legem susceperit. Et Dan.10.post ieiuniũ audiuit ab angelo, Tu ergo animaduerte visionem sermonis,& intellige.Esaiæ 28. Quẽ docebit scientiam,& quem intelligere faciet auditũ? Ablactatos à lacte: à lacte scilicet temporalis consolationis. Item ieiunium cõsolationem Dei & angelorũ meretur.Vnde post ieiunium Domini,accesserunt angeli,& ministrabant ei.Mat.4. Cornelio ieiunanti & oranti apparuit angelus.Act. 10.Et 3.Reg.19. legitur de Elia, quòd ieiunauit X L. diebus & X L. noctibus, & venit ad montem Dei Horeb,vbi Deus cũ eo locutus est.Item meretur quandoque materialem refectionem à Deo.Sicut enim testatur Hie. Paulus primus eremita semper ieiunauit, quousque sibi panis de cœlo mitteretur,qui duplicatus est cùm ad eũ venisset Antonius. Cui ille:Eia frater comedamus,duplicata est nobis annona. Ieiunio carnẽ vincit, quę est hostis familiaris.Hier. super Marcũ Ieiunio passiones corporis, oratione sanãdæ sunt pestes mentis. Marc.9.Hoc genus dæmonũ in nullo potest eiici & exire,nisi in oratione & ieiunio.Sicut ait quidã diabolus:Plus cõfidit in adiutorio carnis,quàm in alio:quia plus nocet domesticus hostis. Ipse baculo nostro nos cædit, & manus proprio cingulo ligat,vt caro quæ data est nobis in adiutoriũ,sit nobis in iniuriam & in scandalum.Ber.Grauis lucta est & grande periculũ aduersus domesticum hostem pugnare,maximè quũ nos aduenæ sumus, & ille ciuis.Hostem istum fugere nõ possumus,nec fugare: cireẽ ferre necesse est,quoniam alligatus est mihi:perimere nõ licet, sustentare cogor hostem meum,aduersus me nutritio. Et notandum

dum est dignos irrisione illos esse qui dicunt se carnem non posse vincere, quum homo posset ei ieiunando vincula subtrahere.Nõ est castrum adeò forte quod nõ possit expugnari,si possint ei victualia subtrahi. Nec est pugil adeò fortis qui etiã à debili vinci non possit, si fortis necesse habet tenere diætam quam debilis voluerit: nec est ignis edeò magnus, quod non deficiat si ligna subtracta fuerint. Prouerbiorum 26. Quũ defecerint ligna, extinguetur ignis. Ille qui per impatientiam se excusat de hoc, quòd à carne sua vincitur, potest Dominus dicere illud, quod dixit Abraham Saræ conquerenti de ancilla sua, Genes. 16.Ecce,inquit,ancilla tua in manu tua est:vtere ea vt libet.Item ieiunium diabolum ab homine expellit,sicut fames cogit lupum exire à nemore.Ieiunium ponit diabolum in arido,vbi requiem non habet. Matth.12. Cùm immundus spiritus exierit ab homine,ambulat per loca arida,quærens requiem,& nõ inuenit.Diabolus ad modum piscis habitat in locis humentibus.Iob 40.Isid: Immundi spiritus ibi se magis immittunt, vbi plus viderint escã & potum.Sed per ieiunium diabolus poni debet in loco sicco, vt ibi interficiatur: secundum consilium Raphaëlis, Tob.6.dicentis ad Tobiam minorem de pisce magno,qui stabat ad deuorandum eum,vt extraheret eum de aqua: quo facto, cœpit palpitare ante pedes eius,& qui prius stabat ad deuorandum, tũc de facili est occisus.Sic diabolus de facili occiditur in hominibus per ieiuniũ.Ambrosius: Vides quanta est vis ieiunij, vt ieiunus homo sputo suo terrenũ serpẽtẽ interficiat:multo fortius ergo spiritualem serpentem. Iudith 13. Post ieiunium amputauit caput Holofernis. Et filij Israël post ieiunium & fletum vicerunt illos de tribu Beniamin.Iudic.12.Item ieiunium de corpore nostro sacrificium Deo facit in odorem suauitatis.Rom.12. Obsecro vos per misericordiam Dei,vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem,sanctam &c.Eccles. 24.Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.Suauis odor myrrhę est ieiunij placẽtia.Valet etiã ieiunium ad corporis sanitatem.Vnde dicitur in medicina,q; abstinentia est summa medicina.Eccle.37. Qui abstinens est,adiicet ad vitam.Item valet contra aduersitates.1.Esdræ 8.Ieiunauimus,& rogauimus Dominum,& euenit nobis prosperè. Quantum ieiunium placeat Deo,figuratum est Gene.21.Vbi Abraham fecit grande conuiuium in ablactatione Isaac. Ieiuniũ mensa Christi hominem dignum efficit. Bernardus in sermonibus: Non est magnum si ieiunet in Christo, qui sessurus est ad mensam patris cum eo.Lucæ 6.Beati qui nunc esuritis, quoniam sa-

turabimini. ¶Sequitur de ſpeciebus ieiunij. Notandum eſt ergò quòd triplex eſt ieiunium, ſcilicet ieiunium à peccato, ieiuniũ à cibo, & à temporali gandio. De primo dicit Hieronym. Tunc præclara eſt apud Deum abſtinentia corporis, quum animus ieiunat à vitiis. Quid enim prodeſt tenuari corpus abſtinentia, cuius animus intumeſcit ſuperbia? Iſidorus: Qui à cibis abſtinent & prauè agunt, dæmones imitantur, quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt. Eſa. 58. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? Et ſubditur reſponſio, Ecce in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, &c. ecce ad lites & contentiones ieiunatis. Gl. Homo interior veſcitur carnibus draconis, qui datur eſca populis Æthiopum. Et pòſt: Nunquid tale eſt ieiuniũ quod elegi? Nónne hoc eſt magis ieiuniũ quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis. ¶Ieiunium à cibo triplex eſt. Aliud enim eſt deteſtabile, aliud laudabile, aliud indifferens. Ieiunium indifferens eſt, quãdo homo ieiunat cauſa infirmitatis vel indigentię ſolum. Deteſtabile eſt, vt hypocritis, vel auaris, qui ieiunant vt parcãt burſæ: vel guloſis, qui ieiunant vt poſtea melius comedant. De ieiunio hypocritarum, dicitur Matth. 6. Quum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Chryſ. Si quis ieiunat, & triſtẽ ſe faciat, hypocrita eſt: quanto iniquior eſt qui non ieiunat, ſed in facie ſua argumentis quibuſdam pingit venalem pallorem. Qui ieiunant propter laudem humanam, multũ ſunt fatui. De hoc enim quod vni hoſti ſubtrahunt, ſcilicet carni, duos hoſtes paſcunt, mundũ ſcilicet, & diabolum. Ieiunant enim vt paſcant oculos hominũ. Puluere etiam vanæ gloriæ paſcunt diabolum. Eſa. 65. Serpenti puluis panis eius. Auari etiam fatui ſunt, qui proprio ori ſubtrahunt, quod in ore diaboli ponunt. Os diaboli eſt burſa auari. Hierony. Sit ieiuniũ non marſupij lucrum, ſed ſatietas animarũ. ¶Tertiò, ieiunio ieiunãt illi quorum Deus venter eſt, ad Philip. 3. qui imminente ſolennitate Dei ſui, ſcilicet ventris, faciunt ieiunium vigiliæ. Gre. in Paſtoral. Non Deo, ſed ſibi ieiunat, ſi ea quæ ad tempus ventri ſubtrahit, non inopibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit. ¶Ieiunium laudabile deſcribit Hieronymus, dicens: Sint pura, caſta, ſimplicia, & nõ ſuperſtitioſa ieiunia. Pura, vt homo ſit abſque mortali. ad Rom. 12. Obſecro vos per miſericordiã Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentẽ, ſanctã, &c. Qui in mortali ieiunat, corpus ſuum vult cadauer mortuũ Deo offert. Caſta, vt bona intentione fiant. Simplicia, vt nõ quærat homo delicias. Hierony. Qui Chriſtum deſiderat, non curat quàm pretioſis cibis ſtercus efficiat. Iſido. Sperne-

tur ieiunium, quòd in veſpere deliciis compenſatur. Sunt quidã qui delicatiora volunt habere quum ieiunant, etiam plus comedunt vna vice, quàm comederent duabus, ſi nõ ieiunarẽt. Qui talem gratiã videntur facere Deo, qualem facit ille qui dat alicui duos obolos pro denario. Tales videntur velle parum grauare ſuum hoſpitem, ſcilicet carnem, qui ſoluenda carni duobus terminis, ſoluunt termino vno tempore medio. Non debent etiam ieiunia eſſe ſuperſtitioſa. Hiero. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdã difficultatéſque aliorum quærere? ¶Ieiunium laudabile tres habet ſpecies, ſcilicet ieiunium bonum, melius & optimum. Ieiunium bonum eſt, quando cum charitate eſt, ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis. Ambroſius: Qui charitatem nõ habet, omne bonũ amittit quod habet. 1. ad Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ieiunium melius eſt quãdo aliquis ieiunat ad Dei honorem, & proximi vtilitatem, vt ſcilicet Dei contumeliã in ſuo corpore vindicet, vt pauperibus tribuat quod ſibi ſubtrahit. Ad tale ieiunium monet Dominus Matt. 6. dicens: Tu autem quum ieiunas, vnge caput tuum, &c. Glo. interlinearis: Deo ieiunat, qui pro eius amore ſe macerat, & quod ſibi ſubtrahit, alteri largitur. Optimum ieiuniũ eſt quando homo ex vna parte abſtinet, & ex altera parte bona agere nõ ceſſat. Iſidorus: Hoc eſt perfectũ & rationabile ieiuniũ, quando noſter homo exterior ieiunat, & interior orat. Sũt aliqui qui nihil boni poſſunt facere quũ ieiunãt, ſed ludũt ne ſint otioſi. Bernardus: Pro vitãdo otio otioſa ſectari, ridiculum eſt. Ieiunant à gaudio temporali viri contẽplatiui. Sic ieiunabat qui dicebat, Renuit conſolari anima mea. Tob. 3. dicebat Sara: Mundã ſeruaui animã meã ab omni cõcupiſcentia: nũquam cũ ludentibus me miſcui, neque cũ his qui in leuitate ambulant participem me præbui. ¶Sequitur de his quæ concomitari debent ieiunium, quæ ſunt tria, Oratio, eleemoſyna, & ſpiritualis lætitia. De primo, Tob. 12. Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere. De eleemoſyna dicit Aug. in quodam ſermone: Tale eſt ieiunium ſine eleemoſyna, qualis ſine oleo lucerna. Homo primum debet exiccari ab aquis deliciarum per ieiunium. Secũdò, neceſſarium eſt oleum pietatis quod pertinet ad eleemoſynam. Terciò, debet applicari Deo à quo debet illuminari, quod fit in oratione. In his tribus eſt iuſtitia hominis, vt dicit gl. ſuper illud Pſ. Apud me oratio Deo vitæ meæ. De lætitia dicit gloſſa ſuper illud, Tu autem quum ieiunas, vnge, &c. Caput, inquit, vngit, qui

spirituali lætitia intus pinguescit. 2. ad Cor. 9. Hilarem datorem diligit Deus.

De erroribus circa disciplinam. Et primò de errore illorum qui dicunt nullum esse excommunicandum. Et de errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos. CAP. VII.

PRimò tangitur de errore illorum qui dicunt nullum esse excommunicandum. Secundò de errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœna temporali. ¶ Primus error videtur posse inniti his testimoniis sacræ scripturę. Legitur Luc. 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Peccant ergo sacerdotes qui excommunicationis sententiam ferendo homines iudicant. Item ad Ro. 2. Inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium, te condemnas. Item ad Ro. 12. Benedicite & nolite maledicere. Peccant ergo sacerdotes qui hominibus maledicunt. 1. ad Cor. 6. Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Item 2. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo. Ad quod monemur exemplo Christi 1. Pet. 2. Cùm malediceretur, non maledicebat. Item Eccle. 21. Quum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Si diabolus maledicendus nō est, multo fortius homines non sunt maledicendi. ¶ Ad primum dicendum est, quòd est iudicium iustum, & est iudicium iniustum. Iudicium iniustum prohibitum est, iudicium verò iustum non est prohibitum: imò Christus monet ad illud Ioan. 7. Nolite, inquit Christus Iudæis, secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. De manifestis concessum est nobis iudicium, de occultis non. 1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. 2. ad Tim. 5. Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Quòd apostoli habuerint potestatem iudicandi, ostendi potest ex eo quod dictum est Petro, Matth. 16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Item eiusdem 18. Quęcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. 1. ad Corinth. 5. ostendit Apostolus se iudicasse Corinthium fornicatorem: Ego, inquit, absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Item eiusdē 6. An nescitis quoniā sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? Ad aliud dicendū est, quòd ecclesia non reddit malum pro malo, nec malum optat quum aliquem excommunicat. Excommunicatio enim medicinalis est: nec est mala, nisi malitia pœnę: sicut medicina amara dicitur mala, quum verò bona sit, eò quòd sit morbi expulsiua. Excommunicatio est ad hoc vt homines salubriter confundantur & conuertantur. Psalmographus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Augustinus. Quicquid facit vera & legitima mater ecclesia, etiam si asperum amarúmque sentiatur, non malū pro malo reddit, sed expellendum malum iniquitatis, bonum disciplinæ apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi. Item Augu. Melius tumor capitis dolet quum curatur, quoniam dum ei parcitur, non sanatur: Ad illud verò Ecclesiast. 21. Quum maledicit impius diabolum, &c. Dicendum est, quòd verbū illud intelligendum est quantū ad illos qui ad sui excusationē maledicunt diabolo, imputantes ei peccatum suum. Sicut Heua peccatū suum serpenti imputare voluit, & per consequens authorem serpentis latenter accusauit. ¶ Authoritatem excommunicandi vel maledicendi, habet ecclesia ex diuersis locis scripturę sacræ: vt ex Mat. 18. dicente domino: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et eiusdem 21. Maledixit dominus ficulneę fructum non ferenti. Et Act. 8. dicit Petrus Simoni Mago: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Et in 2. canonica Ioan. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite hunc recipere in domum, nec aue ei dixeritis. 1. ad Corint. 5. Si quis frater nominatur, & est inter vos fornicator, aut adulter, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut obriosus, aut rapax, cū huiusmodi nec cibum capere. In eodem: Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum. Itē: Auferte malū ex vobisipsis. Eiusdem vltim. Si quis non amat dominum Iesum Christum, sit anathema. Item ad Galat. 1. Si quis vobis euangelizauerit prćter id quod accepistis, anathema sit. Itē 1. ad Timothe. 1. Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blaphemare. Sicut ouis morbida à grege seperatur, ne grex ex ea inficiatur: & sicut membrum infirmum & corruptum abcinditur, ne cætera membra per illud corrumpantur: & sicut humore, praui à corpore educuntur, ne infirmitatem corpori inducant: sic homines pestilentes

ab

ab ecclesia per excommunicationem separandi sunt, ne cæteros corrumpãt. Aug. Mali Christiani sic sunt in corpore Christi, quo modo humores mali quando euomũtur. tunc releuatur corpus: sic & mali quando exeunt, tunc ecclesia releuatur, & dicit, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me.

¶ *De errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœna temporali.*

SEQVITVR de errore illorũ qui dicũt maleficos nõ esse puniendos pœna temporali, maximè morte. Qui error videtur posse inniti his testimoniis scripturę sacrę. Legitur Gẽ. 1. Quicũque effuderi sanguinẽ humanũ, fundetur sanguis illius. Nulli ergo licet effunderet sanguinẽ humanũ. Itẽ Exod. 20. Nõ occides: quod verbum assumit dominus Matt. 5. Deut. 32. Mea est vltio, &c. Eze ch. 18. Nolo mortẽ peccatoris. Itẽ Mat. 10. Ego dico vobis nõ resistere malo. In eodem: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Si nõ licet fratri irasci: ergo non licet eũ occidere. Item in eodẽ: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos. Et eiusdem 13. in parabola de zizaniis superseminatis dicũt serui: Vis imus & colligimus ea? Et ait paterfamiliàs: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticũ. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Item Luc. 6. Nolite condemnare, & non condẽnabimini. ad Rom. 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam. Et 1. Ioannis 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitã æternam in se manentem. Mat. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Item Ioan. 8. Dimisit dominus in pace mulierem deprehensam in adulterio. ¶ Ad primum dicẽdum, quòd illa sententia domini Genes. 9. Quicũque fuderit sanguinẽ humanum, fundetur sanguis illius, & illud Matt. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. potius ostendunt, si quis diligẽter inspiciat, aliquem quàm neminem debere occidi. Quum enim sententia domini indubitanter sit iusta: Quicunque sanguinem humanum iniustè fundet, iustum est vt sanguis eius effundatur: & qui gladium iniustè accipit, iustum est vt gladio pereat: ergo in aliquo casu sanguis humanus iustè effunditur, & homo iustè gladio perit. Et sicut quum paterfamiliàs prohibet ne quis accipiat de vino alicuius dolij sui, non est intentio sua vt non accipiat cui ipse de illo dederit, vel cui ipse hoc iusserit, sed ne hoc aliquis sua auctoritate accipiat. Sic quum dominus dixit, Non occides, non fuit intentio sua vt non occideret in casibus illis in quibus ipse hoc præcep

præciperet: sed ne aliquis occideret aliquem propria authoritate. Vnde post illud verbum, Non occides, dominus in eodem libro in multis casibus præcipit occidi. Illud autem Deuterono. Mea est vltio: verum est quum vltio sumitur de aliquo in præsentia authoritate enim Dei sumitur, & intentio sumentis debet esse, Dei contumeliam vel offensam vindicare. Illud autem Ezechiel. 18. Nolo mortem peccatoris, &c. de morte æterna potest poni. De morte etiam temporali, verum est quòd Deus non vult mortem quandoque peccatoris, quẽ præuidet corrigendũ esse, & misericorditer expectat ipsum ad pœnitentiam: mors verò illius peccatoris qui sibi nocet peccatum peccato addendo, & alios subuertendo & corrumpendo, de cuius correctione spes non habetur, indubitanter videtur sibi & ecclesiæ Dei inutilis esse. Ad illud verò Matth. 5. Ego dico vobis non resistere malo. & illud ad Rom. cap. 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi. dicendum est quòd loco & tempore potest aliquis & debet non resistere malo, & non defendere se, vt fiebat in primitiua ecclesia quando per miracula & passiones sanctorum ecclesia nouella plantanda erat. Loco etiam & tẽpore potest homo resistere malo, & se defendere: aliter enim nisi ecclesia defenderet se ab infidelibus, posset ab eis occidi: & sic periret honor & cultus diuinus. Luc. 22. ait dominus: Qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. quibus dominus, Satis est. Si nõ habet ecclesia gladiũ materialẽ, sed solum spiritualẽ, dicendum fuit, Nimis est: & non fuit dicendum, Satis est. Præterea Paulus voluit vt malo resisteretur, quum ipse voluit milites armatos se perducere ad Felicem præsidem. Actu. 23. Luc. verò 6. vbi dicitur, Nolite condemnare: prohibetur condemnatio inordinata: vt cum incerta est culpa eius qui condemnatur. Ad illud verò 1. Ioan. 1. Omnis homicida non habet vitam, &c. Dicendũ est quòd non reputatur homicida qui præcepto Dei hominem occidit: sed qui odio vel desiderio vindicandi se hominem vult occidere. Vnde Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c. Tunc ergo homicidiũ iudicandum est, quando ex corde & voluntate propria procedit. Ad illud verò Matt. 13. Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticũ. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. dicẽdum quòd dominus non dixit hoc nisi vt parceretur tritico: ergo noluit parci zizaniis in tritici detrimentum: ergo quando non potest eis parci sine tritici detrimento, noluit eis parci: vbi ergo crescunt zizaniæ & suffocant triticũ, noluit zizaniis parci.

ci. Et hoc etiam obseruant rustici in agris propriis. Vbi enim vident zizaniã vel alias herbas noxias quas possunt eradicare sine tritici damno, crescere in agris suis, & credunt nisi fuerint eradicatæ triticum suffocari, diligenter faciunt eas eradicari. In agro verò domini pertinaciter cõtendunt eradicationem in consimili casu nullo modo debere fieri. Nec mirum, cùm ipsi zizaniæ sint, & sententiam mortis timeant. Si quis verò dicat quòd hi qui sunt zizania possunt fieri triticum, hoc verum est: sed hoc est incertũ, an futuri sint triticũ: sed certum est quod triticũ suffocant, quia simplices subuertũt. Raram videmus hæreticorũ cõuersionem: sed frequentem bonorum subuersionem. Ideo bonum conuersionis rarum & valde incertum & valde difficile, non debet proponi damno magno & frequenter accidenti: ne dũ vana spe paucis parcitur, irreparabilis multitudo per eos perdatur. Hoc enim esset acsi paucis lupis in medio gregis existentibus, gregem lacerantibus, parceretur, quia forte Deus illos oues aut agnos faceret. Et paucos leprosos dimitteremus in medio populi corrumpentes eum, quia forsitan Deus illos sanabit. Facilius rabies lupina sæuit in gregem, quàm mansuetudo ouis transeat in lupos, & contagium lepræ facilius à leprosis deriuatur ad sanos, quàm à sanis sanitas ad leprosos. Quod autem sit licitum in aliquibus casibus hominem occidere, manifestè potest ostendi his testimoniis sacræ scripturæ quæ sequuntur. Lucæ 19. Inimicos meos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Matth. 22. Missis exercitibus perdidit homicidas illos. Romano. 14. de illo qui habet potestatem, Dei minister est, vindex in iram ei qui malum facit. Luc. 13. de ficulnea sterili terram occupante: Succide, inquit, illam: vt quid etiam terram occupat? Matt. 18. Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te. Ergo ecclesia abscindere debet membrum, quod corrumpit cætera membra. Tullius. Sicut quædam membra amputantur si languere & tanquam spiritu carere cœperint, nocéantque reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ à communi humanitate segreganda est. Iac. 2. Abraham pater vester nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Ergo Abraham placuit Deo, quia ad præceptũ eius voluit occidere filium suum: ergo qui præcepto domini hominem occidit, non peccat. Item 1. ad Timot. 2. Obsecro primũ omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũactiones pro omnibus hominibus, pro regibus, omnibus qui in sublimitate constituti

tuti sunt, vt quietè & trãquillam vitã agamus. Volebat ergo Paulus quòd oraretur pro principibus qui gladiũ habent materialem, quo defendunt ecclesiam, & seruant pacem in ea. Ergo nõ est matũ quòd ipsi vtantur gladio materiali. ad Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo. Et paulò pòst: Dei minister est tibi in bonũ. Si enim malum feceris, time: non enim sine causa gladiũ portat. Lucæ 3. Interrogabant milites Ioannem Baptistam, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis Neminem cõcutiatis, neque calumniã faciatis, & cõtenti estote stipẽdiis vestris. Non dixit, Militiã relinquite, stipẽdia eorum refutate. Ipse docuisset eos decipere duces, si stipendia eorũ reciperẽt, & cùm necessitas esset bellum non facerent: non enim debet stipendia recipere qui non vult militare. Vnde beatus Martinus imperatori rectè respondit: Donatiuum tuũ, inquit, militaturus accipiat. Item: Petrus occidit Ananiam & Saphiram Act. 5. ergo licitũ est occidere. Si quis dicat quòd occidit verbo, & non gladio, quævis est in hoc quomodocunque eos occiderit, ex quo occidit? ¶ Rationibus etiam multiplicitèr potest ostendi quòd liceat in casu hominem occidere. Primo sic. Aut paruuli sunt erudiendi & corripiendi saltem leuibus flagellis, aut non. Si non, ergo dimittendi sunt omnibus vitiis, & minus curandum est de eis quàm de equis & asinis. Si vero paruuli corripiendi sunt, multò magis adulti, cum malitia eorum magis sit noxia. Item constat quòd bruta de puteis vel cisternis extrahuntur si in illa ceciderint, secundum illud Luc. 14. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Multo fortius ergo homines etiam inuiti à periculis corporalibus extrahendi sunt. Si sic rarò occurrit mors corporalis: quanto magis occurrendum est morti spirituali? Item si furiosi sunt recludendi vel ligandi, ne sibi vel aliis corporaliter noceant: multo fortius mente insani cohibendi sunt, ne se spiritualiter occidant. Si verò homines pro leuibus culpis leuiter sunt puniendi, si culpa augeatur, augeri debet & pœna: ergo cum culpa augeri possit vsque ad homicidium, pœna etiam poterit vsque ad homicidium augeri: vt scilicet pro iniusto homicidio quod aliquis commisit iustè occidatur. Item aut mors corporis est pœna omni culpa maior, aut non. Si sic: ergo Deus male inflixit eã pro comestione pomi vetiti. Si nõ: ergo aliqua culpa punienda est morte corporali. Item si homicidium iustum est puniendum, aut erit puniendum morte temporali, aut pœna minore. Si morte temporali, ergo licet aliquem occidere. Si pœna minore, aut in infinitum minore, aut nõ. Si sic: ergo nullius

lius comparationis erit id quod patietur qui peccauit ad id quod intulit. Vnde talis erit iustitia, vt si quis dānificasset aliū in mille millibus librarum, & puniretur amissione vnius festucæ. Si verò pœna minori, sed non in infinitum, tale est acsi damnificasset proximum in tribus marcis, & puniretur in vna. Itē qui Deum impugnat beneficio ab eo recepto, meretur illud beneficium amittere: ergo qui vita sua à Deo accepta Deum impugnat, meretur vitam æternā amittere. Itē si mors æterna est infligēda pro aliqua culpa, quanto magis temporalis? Præterea nónne contra Dei inimicos est pugnandum quādiu rebellant, vel saltem repugnādum quādiu impugnāt? ergo si impugnent vsque ad mortem corporis, repugnādum erit eis vsque ad mortē. Vel si nō est repugnandum, fugere debet tota ecclesia, vel permittēdum est quòd tota occidatur, & quòd cultus Dei destruatur vt corporibus impiorū parcatur. Patet ergo quòd hæretici sub specie pietatis honorem Dei & religionē volūt destruere. Ipsi sunt pij in lupos, & crudeles ouibus & agnis. Matth. 7. Attēdite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ipsi pij sunt in fures & alios maleficos, crudeles verò in innocentes. Item si verbo contradicendū est hæreticis, nō est ratio aliqua quare manus potius debeat esse exempta, quàm lingua quin pro Deo pugnet. Item si bestiæ, vt lupi, leones & serpentes exterminandæ sunt pro salute corporū: quanto fortius spirituales bestiæ pro salute animarum? Et est conueniens similitudo, habito respectu ad venenum pseudoprædicatorum. Tullius: Quid interest, vtrum ex homine se conuertat quis in belluā, an sub hominis figura immanitatem gerat belluæ? Item hæreticus in ecclesia est vt ouis morbida in grege: vel vt mēbrum cācerosum cancro incurabili corpore: ergo quod faciendum est de oue pro grege, & de membro cancerosō pro corpore, hoc faciendum est de hæretico, pro ecclesia. ¶ Et notandum quòd de illis specialiter videtur facienda iustitia qui negant iustitiam faciendam, tāquam de manifestis hostibus iustitiæ. Secūdum eos enim iustitia humana, est iniustitia. ¶ Si quis verò dicat hæreticos esse occidendos à Deo, non ab ecclesia: ergo ecclesia exponenda est, & sine defensione dimittenda. Præterea dicit dominus Luc. 6. Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Magister verò noster Deus est. ergo si Deus hæreticos occidit, non est contra perfectionē bonitatis humanæ hominem occidere. Præterea qua de causa volunt tantū hæretici parci corporibus malorum à morte? Si propter spem correctionis. vbi non est spes correctionis, ibi debet

debet cessare hæc falsa pietas. Si verò propter pretiositatem vitæ corporis, propter maiorē pretiositatē animarū non erit eis parcendū. Præterea Manichæi, qui dicūt corpora esse à diabolo, non habent quid respondeāt. Destruenda enim erunt à filiis Dei, cùm sint opera diaboli. Qui sunt huius erroris, sub specie pietatis ipsis corporibus nocent. Reprobi enim qui amplius viuent amplius in futuro punientur. Addendo enim peccata peccatis, cumulant supplicia suppliciis, etiā quantū ad corpus, & quælibet pars supplicioru infernaliū maior videtur esse supplicio mortis corporalis. Item licet cōcupiscentia rei alienæ sit prohibita: tamē qui alienā rem iniustè vsurpat, iustè re sua priuatur. Ergo in simili licet homicidiū sit prohibitū, tamen qui iniustè occidit, iustè occiditur. Itē cùm nemo habēs mentē bene dispositam, dubitet in rebus cæteris ab homine corruptiua esse auferenda: quare hæretici in solis hominibus hoc non recipiunt? Ad quod potest dici, quòd fures & alij malefici nō libenter dant sententiā contra seipsos, & nullus credit eis, si asserāt maleficos nō esse puniendos. Ita hæretici non libenter dictant sententiā quam vident contra se esse: imò dicunt maleficos iniustè occidi. Sed non est fides eis in hoc adhibenda. Hier. super Esaiam: Nō est crudelis qui crudeles iugulat, sed crudelis patientibus esse videtur. Nā latro suspensus patibulo crudelē iudicē putat, Cùm hęretici sint intrinsecus lupi rapaces. Mat. 7. ipsi bene vellēt, quòd nō essent canes in grege domini, qui eos à grege arcerēt. Item si nō est distinguendū circa hoc præceptum, Nō occides, quia Euāgelium nō distinguit: ergo occidere semper est mortale peccatū: ergo mortaliter peccat, qui pulicem occidit.

De æquitate, & Pietate prout Tullius & Macrobius eam definiunt. PARS XII.

Dicto de Obedientia quæ est respectu superioris, & Disciplina, quæ est respectu inferioris, dicendum est de æquitate quæ est respectu paris. Et est æquitas amor æqualitatis in his in quibus debet esse æqualitas. Æqualitas virtus est valde rara. Ideò potest dici semita. Prou. 4. Ducam te per semitas æquitatis. Hanc semitam tenet vera sapientia. Pro. 8. Meum est cōsilium & æquitas. Et notandū quòd æquitas multū valet ad spiritualis ædificij firmitatem. Sicut ædificium corporale firmū est, si habeat lapides æqualiter dispositos: si verò sint lapides inæqualiter dispositi, minatur ruinam. Sic cōgregatio vbi æquitas seruatur, stabilis est: vbi verò deest æquitas, stare nō potest. In Psa. Mirabile tēplum tuum in æquitate. Itē æquitas facit ad corporis mystici decorem & sanitatē. Sicut in corpore humano inæqualitas membrorum

quæ debent esse æqualia facit deformitatẽ, & cùm mittuntur humores inæqualiter ad mẽbra ad quæ æqualiter debent mitti, inducunt infirmitatẽ. Ita in coogregatione inæqualitas magnã facit indecentiã, & in his qui abundant ea quibus alij indigent, generat superbiã quasi quoddam apostema, vel aliã infirmitatem. Virtus æquitatis valde necessaria est his qui sunt in aliqua societate. Si enim hæc virtus desit, volunt esse domini qui debuerunt esse socij, & super alios se exaltant volentes se præ cæteris honorari: vel se cum grauamine aliorum dilatant, volentes abundanter habere ea quibus alij indigent. Sene. in lib. de Beneficiis: Quidam cum illi ob virtutẽ, & rempublicam bene gestam, tantum agri sibi decerneretur, quantum arando vna die circumire posset, Non est, inquit, opus eo ciue, cui opus sit plus quàm vni ciui. Et subdit: Quanto maioris viri putas respuisse munus, quàm meruisse? Multi enim fines alij abstulerunt, sibi nemo constituit. De quibusdã congregationibus verum est illud Esa. 59. Æquitas non potuit ingredi. Et inuenitur in eis quod dicitur vulgariter, quòd licet omnes sint fratres, tamen nõ omnes scutellæ sunt sorores. Econtrario de filio Dei facto fratre nostro dicitur Heb. 3. quòd debuit per omnia assimilari fratribus, vt misericors fieret. Et notabiliter dicitur, Vt misericors fieret. Qui enim abundanter habent, nesciunt per experientiã quid sit indigentia, nec compariuntur sociis indigentibus. Item æquitas valde necessaria est dispensatoribus. Si enim desit hæc virtus, dant abundanter propinquis & familiaribus quod dandũ fuit indigentibus, & pascunt oculos diuitũ de his quæ subtrahunt necessitati pauperũ. Gen. 4. secundũ quandam literã: Nónne si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti? dispensatores etiam quando bonis dant, si propter gratiã vel consanguinitatẽ non recte diuidunt, peccant. Bet. Clamant nudi, clamant famelici, & cõqueruntur. Et ponit verba conquerentium: Nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria in perticis extensa, vel plicata in manticis? Nostrũ est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Idem loquens de ecclesia malignantium: De sumptibus, inquit, egenorũ seruit oculis diuitum: inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur. Item necessaria est valde virtus æquitatis mercatoribus, vt in ponderibus & mensuris nihil iniquum faciãt. Leuit. 19. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius æquúsq; sextarius. Pro. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. Item necessaria est valde iudicibus, vt sine acceptio

acceptione personæ inter partes contrarias æqualitatem seruent. Deut. 24. Æquum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit: quia ego dominus vester. Sicut Deus nõ est acceptor personarũ, Actu. 10. ita vult, quòd iudices qui iudicando vices eius agunt, nõ sint acceptores personarũ. Iac. 2. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi.

¶ *De Pietate.*

SEQVITVR de Pietate prout Tullius & Macrobius de hac loquuntur. Est autẽ pietas, vt ait Tullius, per quam sanguine coniunctis patriæq; beneuolis officiũ & diligens tribuitur cultus. Ad pietatem sic sumptã ipsa natura hominẽ incitat. De amore parentum, require in tractatu de Charitate. De honore verò parentibus exhibendo, require in tractatu de superbia, capit. de peccato irreuerentiæ. Et notandũ quòd cùm patria principiũ generationis dicatur esse, secundũ Philosophum quemadmodũ & pater, beneuoli patriæ amandi sunt, & honorandi: sic maleuoli patriæ odiosi sunt & detestãdi, vt legitur 2. Mach. 5. de Iasone, qui factus est omnibus odiosus, vt refuga legũ & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis.

De Gratia prout Tullius de ea loquitur: & quæ sint cauenda danti vel accipienti beneficia, & de vindicatione. PARS XIII.

GRatiam Tullius sic describit: Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur. Hæc virtus valde necessaria est. Nullũ enim officium in referenda gratia magis est necessarium. Ingratitudinem quæ est gratiæ contraria enumerat Apostolus 2. ad Tim. 3. inter magna mala quæ erunt nouissimis temporibus, dicens: Hoc scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati. ¶ Si volueris gratus esse, primo caue ne obliuiscaris beneficij. Senec. 3. lib. de beneficiis: Ingratus est, qui beneficium se accepisse negat, quod accepit: ingratus est qui dissimulat, ingratus est qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim si non soluunt, tamen debent, & extat apud illos vestigium meritorum intra conscientiam inclusorum. Et aliquando conuerti ad referendam gratiam aliqua causa possunt, si illos pudor admouerit, si facilis occasio inuaserit. Hic nunquam fieri gratus potest, cui beneficium totum elapsum est. Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio. Nunquam voluit esse gratus qui beneficium tam longè proiecit, vt extra conspectũ suum poneret. Quicquid frequẽs cogitatio exercet, aut reuocat memoriæ, nunquã subducitur,

quæ nihil perdit, nisi ad quod non sæpe respexit. Secundo caue ne ad beneficiũ impendendum per iniuriam accedas. Sen. 5. li. de beneficiis, Ingratis & repudiantibus beneficia, nõ quia nolũt, sed ne debeant, similes sunt ex diuerso nimis grati, qui aliquid incommodi præcari solẽt his quibus obligati sunt, vt probent affectum beneficiorum memorem: quorũ animus similis est prauo amore flagrantibus, qui amicæ suæ optant exilium, vt desertam fugientémq; comitentur: optant inopiam, vt magis desideranti donent: optant morbũ, vt assideãt: & quicquid inimicus optaret, amantes vouent. Ferè idem exitus est odij & amoris insani. Idem: Nequitia est, vt extrahas mergere, euertere vt suscites, vt emittas includere. Non est beneficiũ iniuriæ finis, nec vnquã id detraxisse meritum est, quod ipse qui detraxit, intulerat. Nõ vulneres me malo, quàm sanes. Potes inire gratiã, si quia vulneratus sum sanas, non si vulneres, vt sanãdus sim. ¶ Tertio, caue ne nimis festines ostendere te gratum. Sen. 5. lib. de Benefic. Ante omnia discamus beneficia debere. Nemo libenter reddit quod inuitus debet: & quod apud se esse non vult, onus iudicat esse, non munus. Idem in eodem: Pœnitet accepti beneficij: quem nondũ redditi piget. Non minoris est animi debere, quàm dare: eò ꝙ operosius hoc quàm illud, quo maiori diligentia custodiuntur quàm dantur accepta. Idem: Æquè delinquit qui ad referendũ gratiam suo cessat tempore, quàm qui alieno properat. Idem Sene. Reiiciendi signũ est protinus aliud munus remittere, & munus munere expugnare. Qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet: & qui inuitus debet, ingratus est. ¶ Quartò, caue ne clàm gratiã referas. Ingratus est enim qui remotis arbitris gratias agit, vt ait Sene. 2. lib. de beneficiis. Et notandũ quòd beneficiũ benignè accipiendum est, licet etiam sit modicũ. Si benignè accipis, retulisti gratiã, sed nõ solutum te putas. Sen. Qui beneficiũ dat, vult excipi gratè: habet quod voluit, si bene acceptũ est. Idem: Voluntati volũtate satisfacimus, rem rei debemus. Beneficium verò rei duplex est, scilicet pecuniæ & operæ. Beneficium operæ splendidius est: hoc enim ex virtute depromitur, alterũ verò ex arca. Cùm beneficium pecuniæ datur, materia exhauritur, vt quo in plures vsus sis, eo minus in multos vti possis: beneficiũ verò operæ, cõsuetudine beneficiendi parationes & exercitationes facit. Dum Macedonũ fauorem pecuniæ largitione captaret Alexander, scripsit ad eum pater hæc verba: Quis error in istam spem te induxit, vt eos tibi fideles putares, quos pecunia corrupisses? an tu id agis, vt Macedones nõ regem, sed ministrũ, & donatorem putent? Fit enim deterior qui accipit,

accipit, atq; ad idẽ semper expectãdũ paratior. Nõ tamẽ hoc genus benignitatis omninò repudiandũ est: nam sæpe idoneis hominibus indigẽtibus de re familiari, impartiendũ est, sed diligẽter & moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt, inconsultè largiendo. Nihil autẽ stultius est quàm curare, vt diutius facere non possis quod libenter facias. Sequuntur etiam largitores rapinæ: cùm enim dando egere cœperint alienis manus inferre coguntur, & maiora odia eorũ assequuntur quibus ademerũt, quàm fauores eorum quibus dederunt.

¶ Quæ sint cauenda danti beneficia.

Et notandũ ꝙ in dando beneficiũ, primo cauẽda est durities. Sene. Non quid detur, refert, aut quid fiat, sed qua mẽte. Regum æquauit opes animo, qui exiguũ tribuit, sed libẽter, qui paupertatis suæ oblitus est, dũ in eam respicit, qui nõ iuuandi tantum voluntatẽ habuit, sed cupiditatẽ, qui accipere se putauit cùm daret. Idem: Multò gratius venit quod facili, quàm qđ plena manu datur. Idẽ: Nemo libenter debet quod nõ accepit, sed quod expressit. ¶ Secũdo dilatio. Sene. in lib. de benefi. Errat si quis sperat respõsurũ sibi, quẽ dilatione lassauit, expectatione torsit. Eodẽ animo beneficiũ deberur quo datur. Idẽ: Qui tarde fecit, diu noluit. Cùm ita à natura cõparatũ sit vt altius iniuriæ, quàm merita defẽdant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat: quid expectat qui offendit dũ obligat? Satis aduersus illũ gratus est, si quis beneficio eius ignoscit. Idẽ 2. lib. Cùm homini probo ad rogandũ os suffunditur rubore, qui hoc tormentũ remittit, munus suũ multiplicat. Grauissimis viris nulla res carius cõstat, quàm quæ precibus empta est. Molestũ verbũ est, onerosum, & demisso vultu dicendũ, rogo. Nihil æquè amarũ, quàm diu in spe pendere. Æquiore animo quidã ferũt præcidi spem suã, quàm trahi. Idẽ: Verũ est tantũ te gratiæ demere, quantũ moræ adiicis. Idẽ: Quẽad modũ acerbissima crudelitas est quæ trahit pœnã, & misericordię genus est citò occidere: ita maioris est muneris gratia quo minus diu pepẽdit. Omnis benignitas properat, & propriũ est libẽter facientis citò facere. ¶ Tertio ne beneficiũ qđ das ei cui datur, vel alij obsit. Ea vtamur liberalitate quæ prosit amicis, noceat nemini. Seneca 2. li. de benefic. Quemad modũ pulcherrimũ est opus inuitos nolẽtésq; seruare: ita rogãtibus pestifera largiri blandũ & affabile odium est. Pecuniã nõ dabo, quam numeraturã adulteræ sciam, ne in societate turpis facti, aut cõsilij inueniar. Idẽ: Quid turpius, quàm (quod euenit frequentissimè) vt nihil interſit inter odium & beneficium? ¶ Quarto ne benefi-

cium maius sit facultate tua. Seneca: Cùm summæ amicitiæ sit, amicum sibi æquare, vtriq; simul consulendum est. Dabo egenti, sed vt ipse nõ egeam. Succurram perituro, sed vt ipse nõ peream. ¶ Quinto cauenda est exprobratio. Seneca: Hæc beneficij inter duos lex est: alter statim obliuisci debet dati, alter memor esse accepti. ¶ Sexto malitiosa astutia inficiendi. Dixit Antigonus Cynico petenti talentũ, Plus esse, quàm Cynicus debeat petere. Petenti verò nummũ, respondit, Minus esse, quàm regem oporteat dare. Ecce malitiosè negabat: nam posset dare talentũ, quia ipse rex erat: vel nummum, quia ille Cynicus. Econtrario Alexander nihil animo nisi grande cõcipiens, cuidam vrbẽ donabat: & cùm ille refugisset munus, dicẽs illud nõ conuenire suæ fortunæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. ¶ Septimo cauendũ de ingrato querelam facere. Meliorem facies ingratum ferendo, peiorem, cõquerendo. Nemo id esse quod iam videtur timet, deprehenso pudor emittitur. Sen. Ingratus est aduersus vnum beneficiũ, aduersus alterum nõ erit, duorum oblitus est, tertium in eorũ quæ exciderant memoriã reducet. Quæ ratio est exacerbare eũ in quem magna contuleris, vt ex amico fiat inimicus? Seneca: Si Deũ imitaris, da etiam ingratis: nam & sceleratis sol oritur. Idem: Ego beneficio meo, cùm darẽ, vsus sum: nec ideo pigrius dabo, sed diligẽtius: quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam, sed huic ipsi beneficiũ dabo. Beneficio igitur tanquam bonus agricola, cura cultúsque sterilitatem soli vincens. Non est magni animi beneficiũ dare & perdere, sed est magni animi perdere & dare. Idem 5. li. de Beneficiis: Propositũ est optimi viri & ingentis animi tandiu ferre ingratum, donec fecerit gratum.

¶ *De Vindicatione.*

SEQVITVR de Vindicatione, quã sic describit Tullius: Vindicatio est per quã vis, aut iniuria & omnino omne quod obfuturum est, defendendo & vlciscendo propulsatur. Hęc virtus maximè necessaria est habenti potestatẽ secularem. Rom. 13. Dei minister est, vindex in iram ei qui malũ facit. 1. Pet. 3. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum.

De misericordia PARS XIIII. *quæ subdiuiditur in septẽ capitula.*

De ordine dicendorum de Misericordia, & de descriptionibus eiusdem. CAP. I.

SEquitur de misericordia, de qua hoc modo dicetur. Primo ponentur eius descriptiones. Secundo, eius commendationes. Tertio quædam meditationes, quæ misericordiam iuuant, Quarto

Quartò, diuisiones pertinentes ad misericordiã. Quintò, dicetur de quo sit facienda eleemosyna. Septimò, quomodo facienda. ¶ Circa primũ notandũ, q̃ misericordia sic describitur: Misericordia est virtus per quã animus super calamitate afflictorũ mouetur. Damascenus verò dicit, q̃ misericordia est tristitia in alienis malis. Isid. 9. lib. Etymol. dicit q̃ misericors à cõpatiẽdo alienæ miseriæ vocabulum est sortitus: & hinc appellata est misericordia, quòd miserum cor faciat dolens de aliena miseria.

De commendatione Misericordiæ. CAP. II.

MIsericordiam commendat nobis & natura, & sacra scriptura. Natura multipliciter. ¶ Primò, naturali compassione quam habent membra vnius corporis adinuicẽ. 1. Corinthiorum 12. Si quid patitur vnum membrum, cõpatiuntur omnia membra. ¶ Secundò, naturali pietate quam videntur habere animalia eiusdem speciei adinuicem. Dicitur enim in lib. de natura animalium, q̃ nõ est auiũ vnius speciei vt se comedant. Itẽ quòd mortua equa pullum eius relictũ alia suscipit nutriendũ. ¶ Tertiò, pietas quæ videtur esse animalium etiam irrationabilium ad res alterius speciei. Dicũtur enim leones ad viam reducere aberrãtes, & parcere hominibus prostratis corã se, & animalibus infirmioribus quàm ipsi sint, nisi necessitas famis ad aliud eos coẽgerit. Item multis experimentis compertũ est, quod lupi vel lupæ parvulos derelictos & à matribus expositos ab aliis bestiis defendunt, & etiã nutriunt. ¶ Scriptura commendat nobis misericordiam multiplici admonitione. Deuter. 15. Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos. In eodem: Non contrahes manum, sed aperies eã pauperi. Item: Præcipio tibi vt aperias manũ tuam fratri tuo egeno & pauperi. Tob. 4. Noli auertere faciem tuã ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Ecc. 9. Oleũ de capite tuo nõ deficiat, id est, misericordia de corde. Eccl. 29. Fœnerare proximo tuo in tẽpore necessitatis illius. In eodem: Propter mandatum assume pauperẽ. Eiusdem 7. Pauperi porrige manũ tuam. In eodem: Exorare & facere eleemosynã ne despicias. Eiusdem 29. Pone thesaurũ tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis, quàm aurum. Zachar. 7. Misericordiam & miserationes facite vnusquisque cũ fratre suo. Mat. 19. Si vis perfectus esse &c. Lucæ 6. Estote misericordes. In eodẽ: Omni petenti te, tribue. Item: Date, & dabitur vobis. Eiusdem 11. Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia sunt munda vobis. Item 12. Vendite quę possidetis, & date eleemosynam. In eodem: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum in-

deficientem in cælis. Eiudem 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. 2. Corinthiorum 8. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Ephe. 4. Estote inuicem benigni, misericordes. 1. Petr. 3. Estote compatientes, fraternitatis amatores, misericordes. 2 Petr. 1. Ministrate in pietate fraternitatis amorẽ. Item misericordiam cõmendat & creator & creatura. Creator, dum exẽplo suo ad misericordiã nos monet, miserationes enim eius super omnia opera eius, vt dicitur in Psal. Item misericordia eius plena est terra. Ioël. 2. Benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Eius proprium est misereri semper, & parcere. Lucæ. 6. Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. Balaam: Maximã potestatem accipiens, datorem potestatis iuxta possibilitatem suam debet imitari. in hoc autẽ Deũ maximè imitabitur, si nihil iudicauerit quàm misereri pretiosius. Creatura commendat nobis misericordiam, dum viri sancti exẽplo suo ad eam nos monent. Inter exempla verò sanctorum maximè nos monet ad misericordiam exemplum Christi hominis: misericordia seu pietas crux aurea fuit quã Christus portauit, quę videtur fuisse acerbioris supplicij, quàm crux exterior, si magnitudo amoris quo nos diligebat attendatur. Sicut enim non fuit amor sicut amor eius: sic non videtur fuisse dolor sicut dolor eius. Dolor inquam compassionis. Thren. 1. Videte si est dolor sicut dolor meus: misericordia filium Dei de cælo deposuit, & corpore induit. iuxta verbum Augustin. Ipsa etiam pro redemptione pauperum eam vendidit. Augustin. Redemit venditus, viuificauit occisus, honorauit iniuriatus, misericordia eum vsque ad pedum nostrorũ ablutionem humiliauit. Item eum vt clypeum nobis opposuit, vt scilicet ictũ sustineret quẽ Deus pater humano generi minabatur. Tunc impletum est illud, Scapulis suis obumbrabit tibi: Et illud: Scuto circũdabit te veritas eius. Item illud Sapientiæ 5. Dextera tua teget eos. Dextera Dei patris, Filius est. Tunc exaudita est oratio illa, custodi nos domine vt pupillam oculi. Pupilla oculi manus oppositione custoditur, vt manus ictum suscipiat quem pupilla susceptura erat. Misericordia eum fideiussorem pro hominibus posuit morti adiudicatis. Eccles. 29. Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: animam enim suam posuit pro te. ¶ Ad commendationem etiam Misericordiæ facit quòd ipsa super omnia Deo placet, & Diabolo displicet, & homini prodest. Primum ostenditur diuersis testimoniis scripturæ, Augustinus: Non est quod ita faciat Deo amabiles, vt pietas. In Psal. Diligite misericordiam

cordiam & iudicium. Prouerb. 21. Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ. Osee 6. Misericordiam volui, & non sacrificium. Motth. 9. Discite quid est, Misericordiã volo, & non sacrificium. Ratio quare misericordia tantum Deo placet, hæc est, quia Deo maximè assimilatur, vt prius ostensum est. Ecclesia. 13. Omne animal diligit simile sibi. Misericordia vnguentum est quo vngitur Christus, & maximè quantũ ad membra illa quæ maximè vnctione indigent, scilicet quantum ad pedes. Quod figuratum est in hoc, quòd Magdalena vnxit pedes eius. Lucæ 7. Bernardus: Bonum est vnguentum contritionis quod de recordatione peccatorum conficitur: melius deuotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei. Portò vtrunque vincit vnctio pietatis. Misericordiam Christus specialiter consuluit. Matthæi 19. Si vis perfectus esse &c. Illã vltimum remedium posuit. Lucæ 11. Veruntamen quod superest, date eleemosynam, &c. Recessurus etiam ab apostolis suis, misericordiam illis commẽdare in pedum ablutione voluit. Ioann. 13. Sicut enim facto illo iuxta historiam commẽdauit nobis humilitatem: ita secũdum mysterium commendauit nobis pietatem. Aqua enim in pelui est pietas in corde. Ipse etiam in die iudicij de operibus misericordiæ specialiter disceptabit. Matthæi 25. Misericordia diabolo maximè displicet, cùm per eam maximè vincatur. Vnde super illud Psal. Misericordia mea & refugium meum, dicit gloss. De nullo sic vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Cùm diabolus in multis respectu hominis excellat: in hoc tamen, q̃ misericordiam non habet, homo ei prę cellit. Ipse crudelis est, & non miserebitur. Iere. 6. Misericordia homini maximè prodest. 1. Timot. 4. Exercitatio corporis ad modicũ vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est. Quàm vtilis sit pietas seu misericordia homini, manifestũ fiet si multiplicem effectũ eius ostẽdamus. ¶ Notandũ ergo quòd misericordia peccato obstat. Ecclesiast. 4. Ignẽ ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. In multa peccata caderet peccator, à quibus eleemosynæ quas facit eum custodiunt. Item spatiũ pœnitentiæ homini impetrat. Vnde dicitur promissionem habere vitæ quæ nunc est, & futuræ. 1. ad Timot. 4. vbi dicit gloss. Si quis misericordiã sequitur, si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. Quod non est intelligendum de illo qui propter fiduciam quam habet in eleemosynis quas facit peccat. Tali enim dicitur ad Ro. 2. An ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adduxit? Tu autem secundum duritiam tuam &

cor impœnitens thesaurizas tibi irã. Item bona temporalia multiplicat. Gregor. in dialog. Terrenæ substantiæ per hoc, quòd pauperibus distribuuntur, multiplicantur. Bonifacius duodecim aureos accepit de cista nepotis Constantini presbyteri, & dedit pauperibus, quos ille acceperat de equo suo vendito: qui cùm reuersus audisset cistam suam fractam, iratus est in episcopum. Et episcopus ingressus ecclesiam, rogauit vt Dominus daret ei aliquid quo mitigaret furorem presbyteri, & inuenit statim in sinu suo duodecim aureos fulgentes, quos dedit, & dixit ei: Scito quia post mortem meã episcopus non eris huius loci. Ille enim collegerat illos aureos pro acquirendo episcopatu post mortẽ eius. Idẽ Bonifacius cùm esset puer, omne triticũ matris suæ expendit in vsus pauperum, quod cùm mater horreum ingressa perpendisset, cœpit eũ increpare, & se ipsam pugno cædere in facie. Sed oratione facta à Bonifacio, statim horreũ plenũ inuentũ est. Quo viso mater cœpit eum vrgere vt daret, quia ita celeriter posset quæ petisset accipere. Lucæ 6. Date, & dabitur vobis. Prouerb. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Eiusdem 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecationem, sustinebit penuriam. 3. Reg. 18. Illi viduæ quæ Eliam pauit, farina & oleum non defecerunt. Ratio huius potest esse: quia homo misericors fideliter dispensat pauca bona sibi cõmissa, & ideo merito super multa constituitur. Mat. 15. Item Deum placat. Prouerbiorum 21. Munus absconditum extinguit iras: & donũ in sinu indignationem maximam. Gen. 32. Placabo eũ muneribus quæ præcedũt. Tob. 3. dicitur de eleemosyna quod ipsa est quæ purgat peccata. Esa. 58. Si effuderis esurienti animam tuam, & animã afflictã repleueris: orietur in tenebris lux tua. Lux, inquam, gratiæ. Misericordia à seruitute diaboli liberat. Esa. 10. Computrescet iugum à facie olei. Oleum dicitur misericordia: quia sicut oleum cæteris liquoribus supernatat, sic opus misericordiæ præcellit respectu aliorum operum. Misericordia à morte spirituali suscitari facit. Sicut Dorcas plena operibus bonis & eleemosynis quas faciebat meruit corporaliter suscitari. Act. 9. Misericordia meretur à Domino visitari. Sicut legitur de Cornelio, Actũ 10. Erat Cornelius eleemosynas multas faciens plebi, & ait angelus ei: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini. Contra peccata nihil tantũ videtur valere, quãtum misericordia. Vnde super Mat. 12. Extẽde manũ tuam, & extendit, & restituta est sanitati. dicit glos. Nihil plus valet

valet curationi quàm eleemosynarum largitas. Et subditur: Frustrà pro peccatis rogatutus manus ad Deum expendit, qui has ad pauperes pro posse non extendit. Item gratiã conseruat. Eccles. 29. Dicitur de eleemosyna: Gratiam eius quasi pupillam conseruabit. Item hostem impugnat. In eodem: Super scutum & super lanceam aduersus inimicum tuum pro te pugnabit. Item quę petit à Deo, impetrat. Ecclesiast. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc exorabit pro te. Esaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Et subditur: Tunc inuocabis, & dominus exaudiet: & clamabis, & dicet, Ecce adsum: quia misericors sum dominus Deus tuus. Misericordia multum potest erga Deum. Ipsa videtur Dei sententias reuocare, vt in Niniue. Ionæ 3. Et Achab 3. Reg. 21. Legitur etiam 10. Iudicum: Non Addam, inquit dominus, vt liberem vos. Et pòst legitur: Doluit dominus super miseriis eorum. Hæc luctatur cum domino, vt Iacob luctatus est cum angelo. Genes. 32. Et Sapi. 18. legitur de Aaron, quòd resistit iræ. Greg. Iræ Dei tunc resistitur, quando ipsemet qui irascitur opitulatur. Misericordia dicitur Deum vincere quodãmodo. Vnde dicit ecclesia, Quæ te vincit clementia, vt ferres nostra crimina. Dicitur etiam peccata nostra de eius memoria delere. In Psalm. Omnes iniquitates meas dele. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est &c. omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. Misericordia Deo fœneratur. Prouerb. 19. Fœneratur domino qui miseretur pauperis. Eiusdem 22. Qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis. Est ergo Deus quasi in potestate hominis perfectè misericordis, sicuti seruus in potestate domini, & ille qui mutuum accepit in potestate fœneratoris. Item misericordia non solum potest in terra, sed in cœlo. Ipsa cælum inclinauit. Ista inclinatio manifestata est ex hoc, quòd breuior est nunc via in cælum quàm esse solebat. Adam per multa millia annorum vix peruenit illuc, modò verò vna hora quandoque peruenitur. Item misericordia ostium cœli: Christum scilicet, qui dicit Ioã. 10. Ego sum ostium: fregit in die Parasceues, & fecit volare quasi in duo frusta: scilicet corpus & animam: & sic pauperibus cœlestem ingressum patefecit. Ipsa viam paradisi dilatat. Prou. 18. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit. Item misericordia hominẽ filium Dei efficit. Eccl. 4. Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri eorum: & eris tu velut filius Altissimi, filius obediens, & miserebitur tui magis quàm mater. Misericordia Deum suum efficit. Hebr. 13. Beneficentiæ & communionis nolite

nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Ipſa ſpecialiter honorat Deum, propter eum pauperibus ſua tribuendo. Prou. 14. Honorat dominum qui miſeretur pauperis: ideo merito in futuro à Deo honorabitur. Item miſericordia à pœna pro peccatis debita hominem abſoluit. Prouer. 13. Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ. Daniel. 4. Peccata tua eleemoſynis redime. 4. Reg. 4. Pauper mulier oleo ſibi multiplicato ſoluit creditori ſuo. Item miſericordia amicos & adiutores ſibi multiplicat. Ipſa pauperes facit ſtipendiarios ſuos. Grego. Pauperes non ſunt contemnendi vt egeni, ſed exorandi vt patroni. Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Prouer. 22. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera. Item miſericordia hominem in bono roborat. Eccl. 3. de dante eleemoſynam: In tempore caſus ſui inueniet firmamentum. Item miſericordia homini benedici facit. Vnde eleemoſyna vocatur benedictio. 2. ad Cor. 9. Homini miſericordi benedicit Deus. Deute. 15. Omnino indigens & mendicus non erit, inter vos, vt benedicat tibi Deus. Benedicit etiam ei populus. Prouerb. 19. Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. Deuterono. 33. Benedictus filius Aſer ſit placens fratribus, & tingat in oleo pedem ſuum. Hæc tria concomitantur ſe, tingere in oleo pedem affectus, eſſe benedictum & placentem hominibus. Ruth 2. Sit benedictus qui miſertus eſt tui. Miſericordi etiam benedicit pauper, qui ab eo recipit eleemoſynam. Iob cap. 29. Benedictio perituri ſuper me veniebat. Item miſericordia morienti ſocietatem facit. Ambroſius: Non ſunt bona hominis quæ ſecum ferre non poteſt: Sola miſericordia comes eſt defunctorum. Ipſa etiam animam in infernum ire nõ permittit. Tob. 12. dicitur de eleemoſyna, quòd à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebris. Ipſa etiam in iudicio liberat & regnum accipit. Tob. 12. dicitur de eleemoſyna, quòd facit inuenire vitam æternam. In Pſal. Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio. Ibi ſpecialiter fiet diſceptatio de operibus miſericordiæ. Matt. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite, &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Miſericordia filium Dei in mundum fecit deſcendere. Eadem homines in cælum facit aſcendere. Ad hoc ſignandum Chriſtus à mõte Oliueti in cælum aſcendit. In monte enim oliueti eminentia miſericordiæ deſignatur. Legitur etiam 3. Reg. 6. quòd in ingreſſu oraculi fecit Salomon duo oſtiola de lignis oliuarũ. Quæ duo oſtiola poſſunt intelligi duæ partes miſericordiæ. Vna eſt qua compatimur miſeriæ ſpirituali. Qui perfectè miſericors eſt, iam

iam beatus reputatur certa ſpe tandem beatus futurus in re. Miſericordes maximè de Dei miſericordia ſperare poſſunt. in Pſal. Ego ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei. In Pſal. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperẽ. Pro. 14. Qui miſeretur pauperi, beatus erit. Matth. 5. Beati miſericordes. Item miſericordia loca in regno cœlorum aſſignat, Eccleſi. 16. Omnis miſericordia faciet vnicuique locum ſecundum intellectum peregrinationis illius, & ſecundum meritum operum illius. Miſericordia eſt negotiatrix prudentiſſima. Matthæi 25. Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis. Qui verè prudens eſt, oleum pietatis vult habere in corde ſuo ſine quo non habetur ignis charitatis. 1. Ioan. 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Iac. 3. Sapientia quæ deſurſum eſt, plena eſt miſericordia. Negotiationem miſericordiæ ſpecialiter conſuluit filius Dei. Matt. 10. Vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus. Voluit Paulus vt Timothæus hanc negotiationem præciperet his quos habebat regere. 1. ad Timot. 6. Diuitibus huius ſeculi præcipe facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum. ¶ Miſericordia in negotiatione videtur Deum circumuenire, dum pro luto temporalium æternas diuitias recipit. Oſee 11. Circumuenit me in negotiatione Ephraim. Augu. Præbe tectum, & accipies cælum. ¶ Miſericordia calicem frigidæ aquæ proximo tribuit, & torrentem voluptatis æternę recipit. Ipſa terram in cælum commutat, hæc eſt commutatio dextræ excelſi. ¶ Miſericordia hominem periculoſe oneratum vtiliter exonerat, & proximum eius iuuat. Aug. in lib. de Diſciplina Chriſtiana, loquens ad diuitem: Da, inquit, aliquid fratri tuo. Da aliquid proximo tuo. Da aliquid comiti tuo. Vita iſta via eſt ſimul ambulãtis. Sed fortè dicis, Ego diues, ille pauper. Sarcinam tuam commemoras. Pondus tuum laudas. Et quod grauius eſt, conſtrinxiſti ad te ſarcinam tuam, iam non potes porrigere manum. Onera te, liga te, quid te iactas? quid te laudas? Solue vincula colli tui. Minue de ſarcina tua. Da comiti, & illum adiuuas & te releuas. ¶ Miſericordia vnde dare videtur potius accipit. Vnde Aug. Reminiſcere, inquit, non ſolum quid des, ſed quid accipias. Panis quem das, terra eſt, de terra in terram, vt fulciatur terra, vt reficiatur terra. Poterit itaque pauper dicere, Vide ne plus tibi præſtem accipiendo quàm tu dando. Si enim non eſſet qui à te acciperet, non erogares terram & emeres cælum: contemne me, ſi

nihil

nihil petis ab eo qui fecit me & te. Si enim petiturus es quia me exaudisti, tibi præstas vt exaudiaris. Age illi gratias qui rem tam pretiosam vili pretio te facit emere. Das quod in tempore perit, accipis quod manet in æternum, vnde sis socius angelorum, vnde nunquam siti m famémque patiaris. Et subdit: Nemo dicat, quia præstet pauperi: sibi enim plus præstat, quàm pauperi. ¶ Misericordia bona sua quæ dare videtur in saluo ponit, & inde thesaurum facit. Matt. 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo. Et beatus Laurentius: Facultates ecclesiæ quas requiris, manus pauperum in cælestes thesauros deportauerunt. Tob. 4. dicitur, da eleemosynam. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Augustinus: Considerate fratres, quàm multi subitò bona omnia perdiderunt, quæ studiosissimè recondebant, vel quum vno impetu hostili captiui ducti sunt, vel quum eis discedentibus flamma successit. O quomodo tales pœnituit: quia non audierunt domini consilium, scilicet, Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Audires amicum tuum consilium tibi dantem de thesauro tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo. Inuasit hostis domum, nunquid inuaderet cælum? Occidit seruum custodem, nunquid occideret dominum seruatorem? Qui sunt pauperes quibus damus, nisi delatores nostri? Delatori tuo das, in cælum portat quod das: an excidit tibi? Greg. Securius diuitiæ transferuntur de patria in patriam per manus pluriũ quã per manus vnius, secundũ Aug. Manus pauperum sunt gazophylaciũ Christi. Vnde quod in manu pauperis ponitur, in gazophylacio Christi mittitur, imò quod plus est, in manu Dei ponitur, & ideo iam auferri non potest ei qui dedit, quũ nõ sit qui de manu eius possit eruere. Misericordia bona terrena quę possessoribus suis solent esse noxia, vtiliter expendit. Isidor. Hoc tantũ habet bonum possessio prę sentium rerũ, si vitam reficiat miserorum. ¶ Et notandum quòd virtus misericordiæ non solum est valde vtilis, sed etiam valde mirabilis. Ipsa de malis aliorum melioratur, de sordibus aliorum sanatur, de paupertate ditatur, de infirmitatibus aliorum sanior efficitur, ipsa portat onera aliorum implens legem Christi. ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, &c. Et quanto plura bona portat, tanto velocius currit, quia ad beatitudinem festinantius tendit. Ipsa onera aliena frequenter furatur hominibus nescientibus, dum ipsis negligentibus peccata eorum assumit & portat dolendo, ludendo, orando, pro eis eleemosynam faciendo, disciplinis se affligendo. Misericordia quanto plura onera proximi portat, tanto oneribus propriis

propriorum peccatorum magis se exonerat. Misericordia de fœtore eorum qui spiritualiter sunt mortui non moritur, sed potius viuificatur. Ipsa est quæ colligit de spinis peccatorum vuas, & de tribulis ficus. Misericordia mala aliena in bona conuertuntur. Duæ virtutes sunt quæ omnia quæ proximi sunt acquirere videntur, scilicet charitas & pietas. Charitas bona proximi sua facit. Gregorius: Pensent inuidi quantum bonum est charitas quæ aliena bona sine labore nostro nostra facit: pietas verò aliena mala sua facit. Vnde hæ duæ virtutes venientes ad iudicium de nundinis huius mundi, ditissimæ, quantum ad meritum, inuenientur, & ideò abundantissimè remunerabuntur. Hæ duæ virtutes alæ sunt quibus fouentur proximi bona, & portantur eius onera. Vnde super illud, Sub vmbra alarum tuarum protege me. dicit Glossa: Misericordia & charitas sunt alæ patris quibus nos protegit. De his alis Matthæi 23. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? ¶ Item misericordia de vno obsequio duplicem habet mercedem. In præsenti enim remuneratur & in futuro, vt prius ostensum est. Ipsa de vna seminatione duplicem messem colligit. Ipsa seminat in terra, & metet in cælo: ipsa consilio domini agros aridissimos elegit ad seminandum. Lucæ 14. Quum facis prandium, voca pauperes, &c. Et hi vberius ei fructificant. ¶ Et notandum quòd opus misericordiæ semini comparatur. 2. ad Corinthios 9. Qui parcè seminat, parcè & metet, cò quòd semini in multis assimiletur. Semen absconditur, sic eleemosyna occultè danda est. Ecclesiastic. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis. Item semen perdi videtur, cùm seminando potius renouetur: sic eleemosyna quum datur, perdi videtur, sed sic melius seruatur. Ecclesiastic. 29. Perde pecuniam propter fratrem, & non absondas illam sub lapide in perditionem. Isidorus: Terrena omnia seruando amittimus, largiendo seruamus. Diu cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viuentes deserunt. Et super illud Matth. 16. Qui perdit animam suam propter me, inueniet eam. dicit gloss. Quasi dicatur agricolæ: Si frumentum seruas, perdis: si seminas, renouas: solas quas dederis, semper habebis opes. Item semen cum fœnore surgit: & qui dat eleemosynam, centuplum accipit. Vnde super illud Prouerbio. 19. Fœneratur domino qui miseretur pauperis. dicit interlin. Centuplum accepturus. Ecclesiastic. 35. Retribuens Deus est, & septies reddet tibi. Semen

pretio

pretiosius in vno anno seminatur, & in alio anno metitur: semẽ verò minus pretiosum vt hordeum, in eodem anno seminatur & metitur. Sic eleemosyna pretiosa est quæ seminatur in anno gratiæ, cuius messis expectatur in anno gloriæ. Itẽ semen gelu pressum & retardatum huberius fructificat: Sic elemosyna quæ aduersitate premitur, maiorem habitura est remunerationem: vt eleemosyna cui detrahitur, magis remunerãda est quàm quę laudatur. Item misericordia hic quasi omnia tormenta sustinet. 2. ad Cor. 12. Quis infirmatur, & ego nõ infirmor, &c. Ideo in futuro merito non ei à torméto parcetur. Ipsa est quæ exemplo Petri dicit domino: Tecum parata sum in mortẽ & in carcerem ire. Luc. 22. Ideò in futuro merito è carcere infernali immunis erit. Itẽ ad commendationẽ misericordiæ valere potest detestatio sui oppositi. ¶ Notandum ergo quòd non solùm immisericordia indigna est venia, imò quod plus est, homini immisericordi videntur peccata iam dimissa reuocari. Matth. 18. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne oportuit & te misereri, &c. Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. Misericordia verò literas remissionis habet in Euangelio etiam tria paria. Primò, Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Cum misericordia Dei fons sit, & misericordia nostra fluuius: quomodo esse posset quòd fluuius misericordiæ nostræ ad proximum flueret, & fons diuinæ misericordiæ nobis siccus esset? August. Fluit riuus, & fons siccabitur. Item quum omne animal diligat simile sibi, Eccle. 13. quomodo hoc esse posset quòd Dei misericordia hominem misericordem damnaret? Secundò, Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cęlestis delicta vestra. Tertiò, Luc. 6. Dimittite, & dimittetur vobis. Item vbi est misericordia, est peccatorum abundantia. Osee 4. Non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Et subditur: Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt. Item illi cui deest misericordia, fiet iudicium sine misericordia. Iaco. 2. Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam. Immisericordi aures Dei clausæ sunt & in præsenti & in futuro. Prou. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Exemplum habemus de hoc Luc. 16. in diuite epulone, qui panis micas Lazaro negauit, in tormentis positus guttam aque postulans non accepit. Item ad commendationem misericordiæ facit, si ostendatur eius præeminẽtia ad alias virtutes. ¶ Notãdum ergo, q̃ respectu abstinẽtiæ in hoc prę̃eminet, q̃ abstinẽtia Deo corpus immolat. Ad Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Misericordia verò immolat cor. Respectu verò charitatis in hoc præeminet misericordia, quòd charitas est fluuius bonitatis ripas suas non exiens. Pietas verò est fluuius bonitatis ripas suas exiens, & latè extrà inundans. Charitas enim vt charitas, tãtum sua communicat: pietas autẽ & hoc facit & aliud: mala enim aliorũ insuper sibi assumit. Parum est sua largiri, quòd facit charitas: sed cumulus charitatis est seipsum largiri ad compatiẽdum, quod facit pietas. Respectu autẽ iustitiæ, prout iustitia strictè sumitur, & est opposita misericordiæ, hanc habet præeminẽtiam quòd ipsa est summa iudiciaria potestatis. Misericordia enim super omnia opera eius. Iac. 2. Misericordia superexaltat iudicium. Vnde licet appellare à curia iustitiæ ad curiã misericordiæ. Vnde si vides tibi imminere grauamen à iustitia, imò quocunque modo contra te iudicet etiam iustè, aliter enim facere non potest, confidenter appella ad Dei misericordiam: quoniam iustitia necesse deferre habet appellationi tuæ. Forũ curiæ misericordiæ, est forũ pœnitẽtiale: hoc est solũ adiutorum refugium. In hoc foro feruntur sentẽtiæ absolutionis etiam confitentibus culpas suas. In aliis curiis si quis confitetur homicidium, dicitur à iudice, suspendatur: in hoc si cõfitetur, absoluitur. Itẽ respectu obedientiæ commendabilis est misericordia. Interdum enim obedientiæ & etiam cæteris virtutibus nititur cõtraire. Vnde narrat Greg. in lib. Dialogorum, q̃ Paulinus episcopus se in seruitutem posuit pro quodam captiuo redimendo, licet addictus esset curæ pastorali, & Deus qui miseretur omnibus aliis miserentibus, eum postea in plenitudinem officij & dignitatis restituit. Et quidam conuersus Carthusiensis profisciens ad nundinas, & quadraginta libras secum deferẽs vt eas expenderet in necessitatibus domus suæ, comitem habuit in via militem veteranum debilem & pauperem, quem quum agnouisset grauatum esse ære alieno & ire ad petendum inducias à creditore, conuersus dixit militi, q̃ iret secum: qui ingressi sunt domum creditoris, & cùm peterent inducias, denegauit eis creditor addẽs, quòd filium eius vinctum in carcerem poneret, nisi ea die redderet vniuersum debitum, & tota eius hæreditas ei appropriaretur. Pro quo quũ intercederet conuersus, creditor multa conuitia ei intulit. Ad quem conuersus, Hodie, inquit, liberatur iustus iste de carcere mortis, & proiiciens ante pedes x t.

libras, redemit filium militis de carcere, ipsúmque à debito liberauit. Qui rediés narrauit fratribus quæ gesta erãt. Illi verò quasi viri spirituales multum in hoc facto commendabant eum. Item quidam sanctus homo quendam pœnitentem ligatum à summo pontifice exonerauit tunica plumbea. Qui interrogatus qua authoritate hoc fecisset. Respondit, Authoritate illius qui ait, Beati misericordes, quoniam misericordiam consequẽtur. Mat. 5. Virtus misericordiæ maximè competit statui miseriæ in quo sumus. Hanc virtutem didicit Christus plus quã xxx. annis ad Hebr. 4. Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Bern. Multa voluit pati Christus, vt compati sciret.

De his quæ possunt iuuare misericordiam. CAP. III.

TAngẽdæ sunt aliquæ meditationes quæ possunt iuuare misericordiam. Quarum prima attẽditur circa naturæ cõformitatem. Alius enim moueri potest ad miserandum proximo, habito respectu ad naturæ conformitatẽ. Esa. 58. Cùm videris nudum, operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. ¶ Secunda attẽdit principij nostri vnitatẽ. Sumus enim omnes ex vno patre & vna matre. Aug. in lib. de disciplina Christiana: Si putamus non esse proximos nisi qui de eisdẽ parẽtibus nascuntur, Adam & Euam intẽdamus, & omnes fratres sumus. ¶ Tertia attẽditur circa miseriam propriam, vt homo intelligat quæ sunt proximi ex seipso. Prou. 19. Homo indigẽs, misericors est. Homo qui indigentiam magnam habuit, alienæ indigẽtiæ compati nouit. ¶ Quarta attendit spiritualem fraternitatem. Fratres enim sumus ex vno patre, scilicet Deo nati; & vna matre, scilicet ecclesia, eãdem habituri hæreditatem. 1. Io. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? ¶ Quinta attẽdit Dei in homines paternam charitatem. 1. Io. 3. Videte qualẽ charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur & simus. Secũdum hanc meditationem operatur qui dat pauperi, eò quòd credit eum filium Dei. ¶ Sexta attendit capitis ecclesiæ & membrorum vnitatẽ, quæ tanta est, quod caput reputat sibi fieri quod membris fit. Sicut caput corporis reputat sibi beneficiũ exhiberi quod pedibus exhibetur: sic beneficiũ pauperibus exhibitũ Christus sibi reputat exhiberi. ¶ Et notandum circa hanc meditationem, quòd quando pauper eleemosynam quærit ab aliquo, ille à quo petitur quatuor debet attẽdere. ¶ Primò, quis petat, quoniam Deus. Mat. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Hier. Quotiescunque manum pauperi extẽderis, Christum cogita. Aug. in lib. de disciplina Christiana: Christus petit, & non accipit, & offendis nomen pietatis crudelibus verbis, & dicis: Et quid seruo filiis meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit. Magna iniustitia vt habeas vnde luxurietur filius tuus, egeat Deus tuus. Cum enim legisti, Quod vni ex minimis meis fecistis, & mihi fecestis, & non timuisti: ecce quis eget & filios tuos numera: postremo numera filios tuos, adde vnum illum inter illos, dominum tuum numera: vnum habes, sit ille secundus: duos habes, sit tertius: tres habes, quartus sit. ¶ Secundo debet cogitare quid petit Deus, quoniam suum petit, non tuum. Vnde valde ingratus est qui de bonis Dei abundanter habet ad mensam suam, & tamen non vult dare modicum panis Deo petenti. Aug. Dicit tibi Christus, Da mihi de eo quod dedi tibi. De meo quæro, & mihi non donas: da, & reddo: habuisti me largitorem, facito debitorẽ. ¶ Tertio cogitare debet ad quid petat: non enim petit ad dandum, sed ad mutuandum & ad centuplas vsuras. Aug. Miser homo, quid fœneraris homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Mira ingratitudo hominũ qui nolũt accommodare Deo ad tales vsuras, ad quales accommodarẽt alicui Iudæo vel Saraceno. ¶ Quarto debet cogitare, q̃ ipse habet petere à Deo regnum æternum, qui modo petit ab eo modicum panis: & si negat Deo hoc modicum, negabit ei Deus regnum suũ. Prou. 21. Qui obturat aurẽ suam ad clamorẽ pauperis, et ipse clamabit & ipse, & non exaudietur. Sapiens: Ne dubites cum magna petas, impẽdere parua. ¶ Septima meditatio attẽdit liberalitatẽ quam habent homines ad membra diaboli. Si enim diuites mali declinẽt ad eos, importunissimè inuitantur, & quasi dilaniãtur, & pro illis magnæ expensæ fiunt. Christus verò in membris suis vix inuenire potest vnde sustentetur. ¶ Octaua attendit Dei pietatem quam nobis exhibuit in sua paupertate, quãdo seipsum pro nobis dedit, & pro nostra redemptione vendi voluit.

De diuisionibus pertinentibus ad misericordiam, & de operibus misericordiæ per ordinem: primo de spiritualibus, circa quæ tãguntur octo incitantia ad compatiendum Crucifixo pro nobis, deinde de corporalibus. CAP. IIII.

NOtandum quòd est misericordia commendabilis, & est misericordia detestabilis. Commẽdabilis est, quæ est respectu personæ: detestabilis, quæ est respectu culpæ. Gregor. in homil. Ad culpas quisque non debet compassionem exercere, sed zelum. Compassio quippe homini, & vitiis rectitudo debetur, vt in vno eodémque homine & diligamus bonum quod factum

est,& persequamur mala quæ fecit.Itē Grego.Sunt plerique qui compassionē proximo nō spiritualiter,sed carnaliter impēdunt, vt ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad culpas faueant. Qui carnaliter hominibus miserentur, potius sunt crudeles quā misericordes, licet misericordes vocentur. Prou.20.Multi misericordes vocantur:virum autem fidelem quis inueniet?Item notādum quòd quædam opera misericordiæ sunt spiritualia, quædā corporalia.Spiritualia sunt,vt cordis compassio,iniuriarū dimissio,peccātium correctio,ignorantiū instructio,de cōpassione dicit gl.Greg.super illud Iob 30. Cōpatiebatur anima mea pauperi.Plus est compassio,quàm datum,quia rē quālibet plerunque dat etiam qui nō cōpatitur:nūquàm qui verè compatitur, quod necessarium cōspicit proximo suo negat.Ibidē dicit interl. Plus est de seipso dare,quàm de suis.Item Greg.Exteriora largiens rē extra seipsum præbuit: qui autē fletum & compassionē proximo tribuit,ei etiam aliquid de seipso dedit. Compassio crux est interior,cuius brachium superius est compassio qua quis compatitur Christo pro nobis passo:brachiū inferius est compassio, qua quis compatitur his qui sunt in purgatorio. Sinistrum verò brachiū est compassio qua quis compatitur his qui sunt in hoc mundo quantū ad pœnalem miseriam. Dextrū brachiū est cōpassio qua quis compatitur animabus quæ pereūt in hoc mūdo. Aug.Sūtne in te viscera Christianæ compassionis, qui plangis corpus à quo recessit anima,& nō plāgis animā à qua recessit Deus? Eccl. 22.Luctus mortui, septē dies:fatui autē & impij, omnes dies vitæ illorū.¶Et notandum q̄ multa sunt propter quæ aliquis solet alij multū compati,quæ omnia circa Christū occurrūt. ¶Primū est doloris magnitudo.Hæc causa verè fuit in Christo.Thren.3. O vos omnes qui trāsitis per viam, attēdite & videte si est dolor sicut dolor meus.¶Secūdum est, amoris magnitudo. Hæc causa fuit in beata Virgine,cùm propter magnū amorē quem habebat ad filiū suū gladius pertrāsibat animā eius. Luc.2.De Dauid etiā legitur 2.Reg.18.q̄ dicebat,Fili mi Absalon,Absalō fili mi, quis mihi det vt ego pro te moriar?id est,vice tui. Videbatur reputare mortem filij sui grauiorem sibi propria morte. De bono patre dicitur Eccl.30.Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua & super omnē vocem turbabuntur viscera eius. Propter hanc causam filij qui tenerrimè amant matres suas, molestius sustinent quum eas vidēt percuti, quàm si ipsimet percuterentur.Sed quis dubitat Christū magis amandum esse à nobis,quā carnales matres?Quæ mater tot & tāta passa est pro filio suo,quāta Christus pro

pro nobis?Nónne matrem propriam reliquit pro nobis?Reliquit etiam synagogam matrē suam, & insuper animam suam morti exposuit pro nobis.Iere.12. Reliqui domū meam,dimisi hæreditatē meam, dedi dilectam animā meā in manus inimicorum eius.¶Tertiū est innocētia.Magis enim solemus compati ei qui innocēter patitur.Quæ causa verè fuit in Christo:ipse enim peccatum non fecit,nec inuētus est dolus in ore eius.1. Pet.2.Propter hoc ecclesia quæ lætatur in passionibus aliorū sanctorū, in die passionis Christi cōtristatur. ¶Quartū,quādo pro culpa nostra aliquis patitur: tunc enim homo qui habet nobilem animū dolorē illum suum reputat per compassionem, sicut suus est per occasionē.Sicut patet in Dauid,2.Reg.vlt.qui quū vidisset angelum populū occidētem,propter hoc q̄ ipse fecerat eū numerari, dixit ad dominum: Ego sum qui peccaui,ego iniquè egi:isti qui oues sunt,quid fecerūt?Vertatur obsecro ira tua contra me.Hæc causa bene fuit in Christo, iuxta illud Esa.53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Nostra est passio Christi per occasionem,etiam quantum ad vtilitatem: & ideo deberet esse nostra quantum ad compassionem. ¶Quintum est patientis nobilitas. Quæ causa vera fuit in Christo,qui fuit nobilissimus, tanquam Altissimi filius. Valde alienū erat tale opus ab eo:iuxta illud Esa.18. Alienum est opus eius vt operetur opus suum,peregrinū est opus eius ab eo. ¶Sextum est patientis benignitas.Hæc causa verè fuit in Christo.ad Tit.3.Apparuit benignitas &c. Matthæ.11. Discite à me,quia mitis sum. Quum homo benignus & mitis homini gratis cedat, quæ causa est eum gladio perforari?Itē quæ conuenientia est stipitis rigidi & duri ad hominem benignum & dulcem?Ideo ecclesia in illo dulci planctu qui in Dominica passione incipit cantari, specialiter plāgit hoc, quòd clauis & lancea mite corpus perforatur, & poscit vt arbor crucis ramos suos flectat,& naturalis rigor lētescat,vt superni mēbra regis miti tēdat stipite. ¶Septimū est,pietas ipsius patiētis.Magis enim aliquis compatitur ei quem nouit esse piū & compatientē,quàm ei quē nouit esse sine pietate. Ipse etiam Deus non miseretur hominibus duris, & sine misericordia.Iac.2.Iudiciū sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.Ber.Nemo duri cordis salutē vnquam adeptus est,nisi fortè quē miserans Deus abstulerit ab eo cor lapideū,& dederit cor carneū.Hæc causa bene fuit in Christo, qui ex compassione passus est ea quæ sustinuit in mundo isto.¶Octauum est,exemplum aliorum compatientium alicui.Hoc enim solet hominem inci-

tare ad similiter compatiendum. Quę causa bene inuenitur circa Christum, cui creaturæ insensibiles quasi compassæ fuerunt. Vnde sol radios suos abscondit quasi nuditati eius tenebras faciens. Petræ etiã scissæ sunt quasi compatientes. ¶ Ad iniuriarũ dimissionem monemur, Luc. 6. Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Matt. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cælestis delicta vestra. Eiusdẽ 18. Domine, quoties peccabit frater meus in me, & dimittã ei, vsque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagesies septies. Augustin. in Enchiridion: Multa sunt genera eleemosynarum, quæ cùm facimus adiuuamur vt nobis dimittantur peccata. Sed interea nihil est maius quã cũ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Idẽ in lib. de Rectitudine catholicæ cõuersationis: Quare nõ dimittat quis fratri parũ, vt ei dominus dignetur dimittere totũ? Nam & hoc eleemosynæ genus est, vt dimittat aliquis ex toto corde ei à quo læsus fuerit. Isid. Non solũ qui esurienti & sitienti & nudo beneficium largitatis impẽdit, sed & qui inimicum diligit, & qui lugenti affectum compassionis & consolationis impartitur, aut in quibuslibet necessitatibus aliis consiliũ adhibet, sine dubio eleemosynam facit. ¶ Ad corripiendum fratrem peccantem monet nos dominus Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum solum. ¶ Ad instructionem ignorantiũ monemur, ad Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. Dan. 12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Ecclesia. 38. Vir sapiens plebem suam erudit. & fructus illius fideles sunt. ¶ Opera misericordiæ corporalia sunt illa sex quæ tanguntur Matth. 25. Esuriui &c. Septimum est, quod tangitur Tobiæ 2. scilicet sepelire mortuos. Aliqua horum tanguntur Esa. 58. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne opus dirumpe. Hoc pertinet ad visitationem incarceratorum. Frange esurienti &c. Ibi tanguntur tria alia opera manifestè. Et carnem tuam ne despexeris, hoc pertinet ad visitationem infirmorum. ¶ Ad duo prima opera incitamur frequenti scripturæ admonitione. Neemiæ octauo. Mitte partes eis qui nõ præparauerunt sibi. Tob. 4. Panem tuum cum egenis & esurientibus comede. Prouer. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Eccles. 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum. ¶ Aquæ transeuntes sunt populi mortales. 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quasi

quasi aquæ dilabimur in terram, quæ nõ reuertuntur. Luc. 3. Qui habet escas, det non habenti. Item excitamur ad ea exemplis sanctorum patrum. Tob. 1. De facultatibus suis esurientes alebat. Iob. 31. Si comedi buccellã meam solus, & non comedit pupillus ex ea &c. Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachiũ meum cum suis ossibus conteratur. Item incitamur ad ea mercedis promissione. Ezech. 18. Si panem esurienti dederit, vita viuet. Matt. 10. Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Luc. 14. Quum facis conuiuium, voca pauperes, debiles & claudos, & cæcos, & beatus eris, quia nõ habẽt vnde retribuant tibi. Retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. Qui cibum sine potu ministrant pauperi, tale prandium dant domino, quale consueuit dari asino. Item qui de his quæ habent ad mensam suã nihil volunt dare pauperibus, in futuro nihil boni inuenient. Iob 20. Nõ remãsit de cibo eius, & propterea nihil remanebit de bonis illius. ¶ Sequitur de tertio opere misericordiæ, quod est cõlligere hospitem. ¶ Circa quod opus, primò tangetur de his quæ pertinent ad eius commẽdationem. ¶ Secundò, qui hospites sint maximè recipiendi. ¶ Tertiò, quomodo sint recipiendi. ¶ Circa primum notãdum, quòd hospitalitas ad susceptionem gratiæ præparat. Quod figuratum est in hoc, quòd duo discipuli Christum cognouerunt, cùm eũ ad hospitium inuitassent. Luc. vlt. quandoque diuina cognitio infunditur alicui occasione alicuius sancti viri in hospitio recepti. Item bona tẽporalia multiplicat: vt patet in illa vidua quæ Eliam in hospitio suo suscepit: cui farina & oleum non defecerunt. 3. Reg. 17. A malo etiam temporali seruat vt patet in Raab, quæ recepit nuntios filiorum Israël: & ideo à morte saluata est. Iosue 6. Sola Raab meretrix viuat &c. ad Hebræos 11. Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cũ pace. Itẽ Deum & angelos meretur recipere, qui hospitalitati deseruit. Reputatiuè semper Deum recipit, quum recipit aliquẽ nomine ipsius. Matt. 1. Qui recipit vos, me recipit. Eiusdem 10. Qui suscipit vnum talem paruulum in nomine meo, me suscipit. Item 25. Hospes erã, & collegistis me. Io. 13. Qui accipit si quem misero, me accipit. Personaliter etiam quandoque suscipit Deum. Vnde refert Gre. in homil. Euangelij quod legitur secundo die Paschæ, quidam paterfamilias multum fuit hospitalis. Quadam autem die cùm peregrinos suscepisset, & aquam daret manibus in humilitate: vnus fuit inter eos, in cuius manibus aquam fundere debuit. Et

quum reuersus vrceum accepisset, eum nō inuenit. Cúmque hoc factum apud se miraretur, eadē nocte ei dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in mēbris meis, hesterno autē die me in memetipso suscepisti. Itē Grego. in homilia illius Euangelij, Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam, dicēs: Quia &c. Quidā Martyrius nomine, vitæ valde honorabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud monasterium tēdebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque leprosum quēdam quē densis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via, volentem ad suum hospitiū redire & præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium quo idem Martyrius monachus ire festinat. Vir autem Dei eiusdem leprosi lassitudinem misertus, pallium quo vestiebatur in terram protinus proiecit, & expandit ac desuper leprosum posuit, eúmque suo pallio vndique constrictum super humerum leuauit, secúmque reuertēs detulit. Cúmque iam monasterij foribus appropinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis clamare vocibus cœpit, Currite, ac ianuas monasterij citius aperite: quia frater Martyrius venit, Dominum portans. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus essē putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens qua recognosci ab hominibus solet redemptor humani generis Deus & homo Iesus Christus ad cælum Martyrio aspiciente rediit, eíque ascendens dixit, Martyri, tu me non erubuisti super terram: ego te non erubescā super cælos. Qui sanctus vir mox vt esset monasterium ingressus, ei pater monasterij dixit, Fratēr Martyri, vbi est quem portabas? Cui ille respondens, dixit: Ego si sciuissem quis esset, pedes eius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cùm eum portasset, pondus eius minimè sensisset. Nec mirum: quomodo pondus eius sentire poterat, qui portantem portabat? Eccl. Species leprosi apparuit, & is qui est reuerendus super omnia, videri despectus infra omnia dedignatus nō est. Cur hoc, nisi vt nos sensu tardiores admoneret, quatenus quisquis ei qui in cælo est festinat assistere, humiliari in terra & compati abiectis & despicabilibus fratribus non recuset? Item Grego. in Homilia Euangelij quod legitur secunda die Paschæ, Pensate fratres quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, vt vos ab eo suscipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modo Christo peregrino hospitium, vt nos in iudicio nō quasi Peregrinos nesciat, sed vt proprios ad regnum recipiat. Angelos etiam mere-

meretur suscipere. Heb. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim quidam placuerunt angelis hospitio receptis: vt Abraham, Gen. 13. Et Loth, eiusdem 19. Origen. Domos hospitales ingressi sunt angeli, domos verò hospitibus clausas ignis & sulphur succēdit. Hiero. Abraham & Loth angelos susceperūt, quia hospites dilexerunt. Idem: Abraham crebro hospitalitatis officio dum non refutat homines, suscipere meruit dominū. Matt. 10. Quicunque nō receperit vos, nec audierit sermones vestros. Amen dico vobis, ꝙ tolerabilius erit terræ Sodomorū & Gomorrhæorū in die iudicij. ¶ Circa secundum notādū est, ꝙ maximè hospitio recipiendi essent boni viri. 4. Reg. 4. Animaduerto, ꝙ sanctus Dei est iste qui trānsit per nos frequenter: faciamus ei cœnaculū paruū, & ponamus in eo lectum & mensam, & sellam, & candelabrū. Et ecōtrario in aliquibus locis boni viri vel non recipiuntur, vel male recipiuntur. Serui vero diaboli cum magno gaudio recipiuntur. Iudic. 10. Vadimus ad domum Dei, & nullus sub tectū nos vult recipere. Similem querelam multi boni viri hodie possunt facere. Sapi. 19. Alij ignotos non recipiebant aduenas. Alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant. Matthæi 8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Lucæ 20. Non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Ioan. 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Itē peregrini potius recipiendi sunt, quàm indigenæ: quia magis indigent. Iob 31. Foris non mansit peregrinus, ostium meū viatori patuit. Esaiæ 58. Egenos vagósque induc in domum tuam. 3. Ioannis 1. Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ. ¶ Circa tertium notandū, ꝙ hospites suscipiendi sunt frequenter. ad Ro. 12. Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Sectari frequentatiuum est. Item hospites ad hospitium cogendi sunt. Vnde super illud Lucæ vlti. Et coegerunt eum. dicit gl. Quo exemplo docemur, quòd peregrini non solum sunt ad hospitium vocandi, sed etiam trahendi. Gen. 19. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum. ¶ Itē cum magna reuerentia sunt suscipiendi. Vnde quidam vir religiosus dicebat, fratres aduenientes debere adorari, cùm certum sit in aduentu eorum aduentum domini Iesu Christi haberi. Sic recipit Abraham tres viros. Gen. 18. Quos cùm vidisset Abrahā, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit pronus in terram. Item sic recipit Loth angelos. Gen. 19. Qui

cùm vidisset eos, surrexit, & init obuiam eis, adorauitque pronus in terram. Item recipiendi sunt hilariter, non cum murmure. 1. Petri 4. Hospitales inuicem sine murmuratione. Item ministrandum est eis abundanter. Iudic. 18. Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum quæso ne in platea maneas. Item seruiendum est eis diligenter. 4. Regum 5. Ecce sedulè in omnibus ministrasti nobis. Sunt aliqui qui de verbis multis solent seruire hospitibus suis. Vbi autem verba plurima, ibi frequenter egestas. Prouerbiorũ 13. Facit etiam ad hoc, quòd hospitalitas Deo sit gratior, si dominus domus in propria persona hospitibus suis seruierit. Vnde dicit Hieron. Loquens de Abraham qui tres viros susceperat. Gene. 17. Non seruis præcepit vt hominibus ministrarent, nec bonum quod exercebat per alium minuit, sed quasi prædã reperta cũ Sara humanitati solus incubuit. Ipse pedes lauit, ipse humeris suis vitulum de armento portauit, ipse vt seruus stetit peregrinis prandentibus & manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit. Item protegendi sunt qui hospitio recipiuntur à recipientibus. Gene. decimo nono. Abutimini filiabus meis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis. Iudi. 19. Nolite fratres malum hoc facere, quia ingressus est homo hospitium meum. ¶ Item incitandi sunt ad comedendũ verbo & exemplo. In dialogo legitur, q̃ abbas Cassianus venit ad quẽdam senem qui dedit ei manducare cum suis sociis vsque ad satietatem, & hortabatur eum plus comedere. Qui cùm diceret se esse satiatum, respondit: Ego diuersis fratribus hodie superuenientibus septies manducaui, & adhuc esurio. Tu verò semel manducans es satiatus. Et dixit ieiunium esse frangendum propter hospites: quia in hospite suscipitur Christus, & non possunt filij sponsi lugere quandiu sponsus est cum eis. Item quidam senex in Sicilia multum fuit hospitalis faciens manducare omnes ad se venientes. Venit autem ad eum quidam solitarius nolens refici, dicens se ieiunare. Cui senex: Eamus, & oremus sub arbore hac, & cui fuerit arbor inclinata, ipsum sequamur. Orante autem solitario arbor non est inclinata: orante autem illo sene hospitali, arbor inclinata est. ¶ Sequitur de quarto opere misericordiæ, quod est vestire nudos. Ad quod Sacra scriptura monet, Tobiæ 4. De vestimentis tuis nudos tege. Item Esaiæ 58. Cùm videris nudum, operi eum. Et Lucæ tertio: Qui habet duas tunicas, det non habenti. Hoc opus misericordiæ nobis multum commendant exempla sanctorum. Et primò exemplum Dei, qui Adam & vxori eius post-

quam ecciderant in statum miseriæ, fecit tunicas pelliceas. Genes. 3. Item exemplum Tobiæ qui nudis vestimenta præbebat. Tobiæ 1. Et exemplum Iob: Si despexi, inquit, prætereuntem, eò quòd non haberet indumentũ, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Iob 31. Hoc opere misericordiæ Dorcas digna fuit suscitari. Actuum. 9. Item huic operi misericordiæ promittitur vita æterna. Ezech. 19. Si nudum vestimento operuerit, vita viuet. Hoc opus misericordiæ videtur præcellere respectu præcedentium, in hoc quòd non vnam miseriam reuelat, sed multas. Primum opus repellit famem, secundum sitim: sed hoc opus expellit erubescentiam de nuditate, & molestiam frigoris. Itẽ vestis data pauperi memoriale est ei vt oret pro eo qui sibi eam dedit. Non transit hoc beneficiũ ita cito, sicut beneficiũ cibi vel potus. ¶ Sequitur de quinto opere misericordiæ, quod est visitare infirmos. Ad quod monemur Ecc. 7. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. Hoc opus misericordiæ valde placet Deo. Iac. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Valde etiam est vtile homini. Iob 5. Visitans speciem tuam, non peccabis. Qui huic operi misericordiæ insistit, peccatum facilius vincit. Et sicut miseria infirmitatis famẽ & sitim & frigus videtur excedere: sic hoc opus misericordiæ videtur præcellere respectu præcedentium. Vnde in vitis patrum, Frater quidã interrogauit quẽdã senem, dicens: duo fratres sunt, quorum vnus ieiunat sex diebus, & multum laborans, alius verò seruit ægrotantibus, cuius opus magis acceptum est Deo? Respondit senex: Si frater ille qui sex diebus laborans ieiunat, appendat se per nares, non potest esse æqualis illi qui infirmantibus deseruit. Hoc opus misericordiæ commendauit nobis filius Dei exemplo suo visitans genus humanum in infirmitate positum. Lucæ 1. Visitauit nos oriens ex alto &c. ¶ Sequitur de opere misericordiæ, quod est visitare eos qui sunt in carcere. Ad quod monemur Hebræorum 13. Mementote vinctorum, inquit, &c. Eiusdem 10. Vinctis compassi estis. ¶ Et notandum quòd visitandi sunt in carcere non solùm vt necessaria eis ministrentur, vel aliqua consolatio eis adhibeatur, sed etiam vt à carcere liberentur. Eccles. 4. Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi. In Psalm. Egenum de manu peccatoris liberate. Item: Domine, quis similis tibi, eripiens inopem de manu fortiorũ eius? Hoc opus misericordiæ commendatur nobis variis exemp

emplis sanctorum. Legitur de Tobia quòd pergebat per omnes qui erant in captiuitate,& monita salutis dabat eis.Iob 29. Conterebam malas iniqui,&,de dentibus illius auferebam prædam. Daniel Susannam adiudicatam morti,liberauit.Danie. 13.Et Nicolaus tres pueros morti addictos.Prou.24.Erue eos qui ducuntur ad mortem &c. ¶Sequitur de septimo opere misericordiæ quod est sepelire mortuos.Eccle.7. Mortuo non prohibeas gratiam.Gl. ad eleemosynam pertinet sepultura mortuorum. De hoc opere misericordiæ commendantur viri Iabes Galaad.2.Regum 2.Benedicti vos à Domino,qui feciſtis misericordiam cum domino vestro Saul, & sepeliſtis eum.Commendatur etiam de hoc Tobias.De quo legitur Tob. 2.quòd cùm nuntiatum esset ei quòd vnus de filiis Israël iugulatus iacere in platea, statim exiliens de accubitu suo,relinquens prandium,ieiunus peruenit ad corpus , tollénsque illud portauit ad domum suam occultè, vt dum sol occubuisset,cautè sepeliret eum. & Marc. 14. dicitur de Magdalena:Bonum opus operata est in me,præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Hoc opus misericordiæ exercuerunt Ioseph & Nicodemus Christo.Ioan.19.& Zozimas vnico leone obsequente sepeliuit cadauer illius pœnitentis Mariæ Ægyptiacæ.Hoc opus misericordiæ commendatur nobis exẽplo etiã brutorũ animaliũ.Legitur enim in libro de Natura animalium, quòd mortuo delphino,circunstant alij delphini ne comedant pisces mortuum,& deferunt eum in profundum,atque sepeliunt. ¶Et notandum quòd multi propter peccata sua hoc beneficio priuantur.Esa. 14. Tu proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis.In eodem:Quasi cadauer putridum non habebis consortium: neque eris cum eis in sepultura.4. Regum 9. Iezabel comedent canes in agro Iezrael , nec erit qui sepeliat eam.Ierem. 22.Sepultura asini sepelietur ,putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalem.Eiusdem 25.Non sepelientur,in sterquilinium,super faciem terræ iacebunt. Et 2. Machab.5. Iason qui insepultos multos abiecerat , ipse & illamentatus & in sepultus abiicitur à sepultura. Econtrario corpora sanctorum in pace sepulta sunt. Eccl.44.¶Item notandum quòd antiqui eligebãt sepulturam,respectum habuerunt vel ad patres suos,vel ad sanctitatem eorum cum quibus sepeliri voluerunt. Genes. 48. Dicit Iacob , Faciem mihi misericordiam vt non sepelias me in Ægypto,sed dormiam cum patribus meis.Eiusdem 49. Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici.3.Reg.13. Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro , in quo vir Dei sepultus est. 4. Reg. 13. Quidã

Quidã sepelientes viderunt latrunculos,& proiecerunt cadauer in sepulchro Eliſei,& reuixit. ¶Præter septem opera misericordiæ de quibus dictum est,videntur etiam esse quædam alia opera misericordiæ,vt accommodare indigenti.Tripliciter enim facit quis eleemosynam,vel dando,vel accommodando,vel remittendo.Eleemosyna mutui in hoc cõmendabilis est, quòd multoties fieri potest, & tamen non perit ei qui eam facit. Recuperat enim quod accommodauit.Ad hoc opus misericordiæ monemur.Mat. 5.Volenti mutuare à te,ne auertaris.& Luc. 6. Mutuum date nihil inde sperantes.Deuter.15.Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit,non obdurabis cor tuum,nec contrahes manum: sed aperies eam pauperi,& dabis mutuum quo indigere prospexeris.Recuperare etiam proximum videtur esse opus misericordiæ.Eccles.29. Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam.Item opus misericordiæ esse videtur,loca lutosa vel aquas periculosas pontibus vel aliter peruia & meabilia facere. Et hoc opus misericordiæ vno denario potest aliquis bene facere omnibus illis qui per pontem transituri sunt.

De quo sit Eleemosyna facienda. CAP. V.

NOtandum quòd eleemosyna facienda est de his quæ iustè acquisita sunt.Leuit.2.Omnis oblatio quæ offertur Domino,absque fermento erit:absque fermento inquam, iniquæ acquisitionis.Prou.3.Honora Dominum de tua substantia. Tob.4. Fili de tua substantia fac eleemosynam. & distinguuntur circa eleemosynam tres gradus:est enim eleemosyna bona , melior, optima.Bona est,quę fit de patrimonio Christi,in quo solã dispẽsationẽ clerici habent.Ber.Facultates ecclesiarũ patrocinia sunt pauperũ,& sacrilega eis crudelitate subripitur quicquid sibi ministri & dispensatores,non vtique domini & possessores vltra victum & vestitum accipiũt.Melior est,quæ fit de proprio patrimonio. Optima est,quæ fit de his quæ acquiruntur proprio labore.Ephes.4.Qui furabatur,iam non furetur:magis autẽ laboret manibus suis operando quod bonum est,vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Non placet Deo eleemosyna de furto vel rapina facta , ab eo qui potest scire cui sit restituenda. Augustus. Quale est illud munus quod alter cũ gaudio accipit,alter cũ lacrymis amittit?Eccles. 34. Immolantis ex iniquo maculata est oblatio,& nõ sunt beneplacitæ Deo subsannationes impiorũ. In eodem:Dona iniquorum non probat Altissimus. ¶Item qui offert sacrificium ex substantia pauperis,quasi qui victimat filiũ in conspectu patris.Item eiusdem 35. Noli offerre munera praua:

non

non enim suscipiet illa Deus. Deuter. 17. Non immolabis Domino Deo bouem & ouem in quo est macula, aut quippiã vitij: quia abomidatio est Domino Deo tuo. Esa. 11. Ego Deus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Mal. 1. Intulistis de rapinis munus: nunquid suscipiã illud de manu vestra? 1. Paral. vlt. Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Non ea quæ accepimus de manu diaboli. Prou. 13. Redemptio animæ viri diuitiæ suæ. Restituenda sunt mala acquisita de aliis, scilicet nostris. Eleemosynas debemus facere, exemplo Zachæi. Lucæ 19. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quem defraudaui, reddo quadruplum. Greg. Quicquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracũdiam, sed irritat. Sicut aqua si munda est lauat, si verò immunda inquinat: sic eleemosyna si fit de re iniustè acquisita, inquinat: si verò fit de re iustè acquisita, lauat. Et sicut non est danda eleemosyna de re furtiua, sic nec accipienda. Tobiæ 2. Non licet nobis edere de furto aliquid, aut contingere. Leuit. 11. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis. Et notandum quòd eleemosyna est tanto Deo gratior, quanto res quæ datur danti erit charior. 2. Reg. vlt. Non offerã Domino, ait Dauid, holocausta gratuita. Tamen non multum expedit pauperibus qui nõ sunt assueti deliciis, dare delicias & sumptuosa cibaria, nisi quando sunt infirmi. Aug. in lib. de verbis Domini, Vtantur diuites superfluis, dent pauperibus necessaria: vtantur pretiosis, dent pauperibus vilia. Dicit Hieron. super Malac. quòd indignum est dare Deo quod dedignatur homo. Ministris Dei propter honorem eius cui ministrant, delicata & sumptuosa dari possent. Eccl. 14. Dignas Deo oblationes offer. Nun. 18. Quæ offertis de decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.

Cui sit danda Eleemosyna. CAP. VI.

ELeemosyna dãda est pauperi. Lucę 33. Cùm facis conuiuiũ, voca pauperes & debiles &c. Et Tob. 4. Panẽ tuũ cũ esurientibus & egenis comede. Debemus in hoc imitari Deũ, de quo Lucę 2. Esurientes impleuit bonis. & in Psal. Quia satiauit animã inanẽ. 4. Regũ 4. Eliseus impletvasa vacua. Hier. Illis tribue diuitias tuas qui nõ phasidas aues, sed siliginis panẽ comedũt, qui famem expellant, non qui augeãt luxuriã. Idem: Da pauperibus, non locupletibus, non superbis: da quo necessitas sustentetur, nõ quo augeãtur opes. Pars sacrilegij est, res pauperum dare non pauperibus. Item dandum est nõ solũ bonis, sed etiã malis, vt simus imitatores eius qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Matt. 5. & Luc. 6. Omni petẽti te, tribue. Maxime tamẽ dandũ est bonis. Ecc. 12. Si bene feceris, scito cui feceris. Ibidẽ: Bene fac iusto, & inuenies retributionẽ magnã. Et si nõ ab ipso, certè à Deo. Ibidẽ: Da bono, & ne recipias peccatore. Bene fac humili, & ne dederis impio. Quod intelligendum est in duobus casibus: Vnus est, si credas quòd propter bonum tuum negligat iustitiam. Alius est, cùm nõ datur intuitu pietatis: vt faciunt illi qui dant histrioni causa histrionatus. Eccles. 7. Bonum est sustẽtare iustũ. Sapiẽs: Cui des videto. Itẽ dãdũ est diuersis, nõ tãtũ vni. In Ps. Dispersit, dedit pauperibus. Matt. 20. Volo & huic nouissimo dare sicut &c. Hiero. Pecuniam tuam vt singulis necessarium est distribuas: non ad luxuriam, sed ad necessitatem.

Quomodo sit danda Eleemosyna. CAP. VII.

ELeemosyna danda est animo voluntario. Deus enim plus respicit ad animũ, quam ad datũ. Prou. 16. Spirituũ põderator est Deus. Eiusdem 21. Appẽdit corda Deus 1. Re. 16. Deus intuetur cor. Et super illud Mat. 10. Quicũque dederit vni ex minimis istis calicem &c. dicit gl. Nota Deũ ed piũ affectũ dantis respicere magis quã ad quãtitatem rei exhibitæ. Et super illud Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia, dicit Greg. Cor & non substãtiam Deus pẽsat, nec perpẽdit quid in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Hieron. Quę offerũtur, nõ sui pondere, sed offerẽtiũ volũtate pensantur. ¶ Item danda est eleemosyna cum vultus hilaritate. Eccles. 25. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad Corin. 9. Hilarem datorem diligit Deus. Augus. Qui dat vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, & rem & meritum perdit. ¶ Item danda est cũ sermonis dulcedine. Eccle. 4. Declina pauperi sine tristitia aurẽ tuã, & respõde ei in pacifica mansuetudine. Eiusdem 18. Fili in bonis tuis non des querelam, & in omni dato nõ des tristitiã verbi mali. Gregor. Sunt nonnulli qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulata, prius in eos contumelioſa verba iaculantur: qui si rebus ministeria persiciunt pietatis, in verbis contumeliosis humanitatis gratiam perdunt: ita plerunque videãtur iniuriæ illatæ satisfactionem exoluisse, cùm post contumelias dona largiuntur. Nec debet sequi improperatio. Eccles. 18. Stultus acriter improperabit. Eiusdem 20. Datus insipientis non erit tibi vtilis &c. Exigua dabit & multa improperabit. ¶ Itẽ dãda est eleemosyna cũ festinatione. Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, Vade, & cras reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Eccl. 7. Cor inopis ne afflixeris,

&

& ne protrahas datum angustianti. Iob 31. Si oculos viduæ expectare feci &c. Super illud Psalm. Producens fœnum iumẽtis, dicit gloss. Beatus qui præoccupat vocẽ petituri. Dauid, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Prouerb. 12. Qui promptus est ad misericordiam, benedicetur. Debet etiã homo dare eleemosynam dum sanus & viuus est, Eccl. 14. Fili, si habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer: memor esto, quoniam mors non tardabit. ¶ Item ante mortẽ benefac amico tuo, Christo scilicet. Eiusdem 18. Memento paupertatis in die abundãtiæ. Ad Gala. 6. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Eleemosyna quã aliquis dat in vita sua, est sicut lucerna quæ præcedit aliquẽ, seruãs eum ne cadat in lutum vel foueam. Eleemosyna verò quæ fit pro eo post mortem, est sicut lucerna quæ fertur alicui post tergũ, quæ nõ custodit hominẽ quin cadat in foueã inferni, à qua nõ est liberatio. ¶ Item danda est eleemosyna cum humilitate, ita vt nec vanam gloriã inde quæras, nec pauperem cui das despicias, nec pro eleemosynis quas das, si in peccato mortali es, salutem præsumas. ¶ Ad primum monemur, Matth. 6. Te faciente eleemosynã, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Eccl. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis. Prou. 21. Munus absconditũ extinguit iras. Greg. Sufficit iustis ab eo videri à quo expectãt remunerari. Item valde bona sua parui pẽdunt, qui ad eorum remunerationem laudes hominũ sufficere credunt. Et in legẽda beati Nicolai dicitur, Ex quo homo est in huius mundi voragine propter delicta sua deiectus, nullum eius bonum sic Deus approbare legitur, vt eleemosynã, si tamen ob mundi fiat gloriã. ¶ Ad secundum monemur Esaiæ 58. Carnẽ tuam ne despexeris. Et super parabolam de diuite & Lazaro, Lucæ 21. dicit Gloss. Si quæ reprehensibilia videmus in pauperibus, non debemus despicere: quia fortassẽ quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Iob trigesimo primo, Si comedi buccellam meam solus. Gregorius: Solẽt nonnulli multa largiri, sed habere pauperes socios in domestica conuersatione refugiunt, gratiam vitæ communis non habentes. Sed iste prætiudiciũ pietati se facere existimaret, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. ¶ Ad tertium monemur Ecclesia. 7. Ne dicas, In multitudine munerum meorũ respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea recipiet. Et super illud Iob 15. Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit, dicit Gloss. Eleemosyna non valet ei qui in malo permanet. Augustinus in Enchirid. Non æstimet

met aliquis illa nefanda crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus: nõ ad hoc quodammodo emendus, vt ea liceat impune committere. ¶ Item eleemosyna danda est propria manu. Prou. vlti. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Danda est etiam secundũ facultatem dantis. Eccle. 14. secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Eiusdem 15. Da altissimo secundum donatum eius. Tob. 4. Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Nullus potest excusare se à collatione eleemosynæ, etiam si sit pauper, quum tantum placeat quandoque Deo, quando pauper dat pro Deo obolum, sicut si diues daret pro Deo centum marcas. Libenter emeret pauper carnes in macello, si tantum crederet se habiturum pro vno obolo, quantũ diues pro centum solidis. Luc. 21. dixit dominus de paupere vidua quæ miserat duo æra minuta in gazophylacium, Vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Si non potest dare pauper obolum, det calicem aquæ frigidæ, & non perdet mercedem suam. Matt. 10. Si hoc nõ potest, det verbũ consolationis, vel orationis. Super illud, Iustus autẽ miseretur, & tribuet. dicit Glo. Iusto semper est aliquid quod det, saltẽ orationem. Itẽ danda est eleemosyna ordinatè, vt homo primo misereatur suiipsius. Eccl. Miserere animæ tuæ placens Deo. August. in Enchiri. Qui eleemosynam ordinatè vult dare, à se ipso debet incipere. Item in lib. de rectitudine catholicæ conuersationis, Deus rogat vt tui misereris, & non vis: quomodo te Deus exaudiet in die necessitatis supplicantem, quum tu eum pro teipso nõ audis rogantem? Item Aug. Quid est miserius misero non miserante seipsum? Eccl. 14. Qui sibi nequam, cui bonus? Sicut non esset misericors qui matris suæ indigentis nõ misereretur, licet aliorum misereretur: ita non est verè misericors, qui animæ suæ infirmantis ad mortem non miseretur, cùm magis eam diligere debeat quàm matrem. Sapiens: Semper tibi proximus esto. Item ad ordinem misericordiæ pertinet vt potius misereamur animæ quàm corporis, & potius ei qui est in maiori miseria, quàm ei qui est in minori.

De his quæ omnibus debemus, vt est dilectio, veritas & fides, & præcipuè de veritate & eius descriptione, de incitantibus ad amorem veritatis, & de errore illorum qui dicant veritatem non esse iuramento firmandam. PARS XV.

DE debito dilectionis, legitur ad Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. De dilectione, require in tracta. de Charitate. De veritate hoc modo agetur. Primo ostendetur quid sit veritas, prout veritas pars est iustitiæ. Secundo tangentur aliqua quæ ad amorem veritatis possunt incitare. Tertio destruetur error illorum qui dicunt veritatem in nullo casu firmandam esse iuramento. ¶ Circa primum notandum est, quòd est veritas increata, & est veritas creata. Veritas verò creata triplex est, scilicet veritas signati siue rei: & veritas signi, & veritas vtentis signo. Ad veritatem rei videtur pertinere illud August. in lib. Soliloquiorum: Verum est id quod est. Et illud Philosophi: Vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem. Ad veritatem verò signi pertinere videtur illa descriptio Philosophi: Veritas est adæquatio rei & intellectus, siue adæquatio signi & signati. Veritas verò prout pertinet ad hominem vtentem signo, pars videtur esse iustitiæ, quæ sic describitur à Tullio in 1. Rhet. Veritas est per quam immutata ea quæ sunt aut antè fuerunt, aut futura sunt dicuntur. Ad amorem veritatis monemur Prou. 2. Veritatem eme &c. Veritas emitur quando cum magno studio vel labore cognitio veritatis acquiritur, vel quando cum damno magno vel multorum odio veritas in iudicio vel doctrina dicitur. A veritate nullo modo recedendum est, quicunque inde debeat scandalizari. Vnde super illud Matth. 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis &c. dicit Glo. Nota quòd inquantum potes sine peccato vitare scandalum proximi, debes: quòd si de veritate est, pro scandalo veritas relinqui nõ debet. Et intelligitur hoc de triplici veritate, scilicet vitæ, iudicij & doctrinæ. ¶ Itẽ monemur ad amorem veritatis. Eccl. 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te. Et eiusdem 4. Non contradicas verbo veritatis vllo modo. Sancti antiquitus multum deferebant veritati. 2. ad Cor. 13. Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. Ad perhibendum testimonium veritati, venit filius Dei in mundum. Io. 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium pẽrhibeam veritati. Sed hodie veritas exosa habetur. Terent. in Andria: Veritas odiũ parit, obsequium amicos. Ad Gala. 4. Ego inimicus vobis factus sum verum dicens vobis. Bern. super Cant. Amara est veritas sine condimento gratiæ. Hodie diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Dauid: Non est in ore eorum veritas. Cor eorum vanum est. Veritati hodie detrahitur. Iob 6. Quare detraxistis sermonibus veritatis? Veritas hodie captiua detinetur. Vix enim inuenitur qui velit eam dicere. ad Ro. 1. Veritatem in iniustitia detinent. Seneca: Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit, scilicet qui verũ dicat. Veritas hodie vndiq; impugnatur, ita vt frequenter necesse habeat corruere: secundũ illud Esa. 59. Corruit in platea veritas. Et Dan. 8. Prosternetur veritas in terra. Veritas in terra prosternitur, quando aliquid terrenũ veritati præponitur. Veritas hodie à multis vili pretio venditur. Prouer. 28. Qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit, & pro buccella panis deserit veritatem. Multi hodie deserunt veritatem vitæ, & ideò fugit ab eis veritas doctrinæ. Sicut econtrario sequitur veritas doctrinæ eos qui habent veritatem vitæ. Eccl. 27. Volatilia ad sibi similia cõueniunt: & veritas ad eos qui operantur illam, reuertetur. Veritas hodie adeò vilipenditur, vt à quibusdam ei præponatur falsitas, ab aliis præponatur ei vanitas, & ab aliis ipsa vmbra vel pictura veritatis. Veritati falsitatẽ præponunt homines inconsideratè loquentes, qui tota die volunt esse in verbis, & ideò multoties mentiuntur. Bern. in sermonibus: Quidni periclitetur castitas in deliciis, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? Vanitatem præponũt veritati amatores temporalium istorum quæ vana sunt, eò quòd non dant plenitudinem cordi possidentis, nec fulcimentum innitenti, nec fructum expectatum circa ea laboranti. In Psal. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vmbram & picturam præponunt veritati hypocritæ, qui apparentiam sanctitatis ipsi sanctitati præpenunt. Veritas quæ sic modo contemnitur inualescet, & in futuro amatores suos liberabit, & hostes condemnabit. Io. 8. Vos cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 2. Esdr. 4. Veritas manet & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum. Sicut se habet denarius falsus ad verum: sic se habet homo mendax ad hominem veracem. Vnde quum homines multũ doleant & offendantur, si vnus de eorum seruientibus recepit eis vnum falsum denarium pro bono, mirum est quomodo non multum dolent quum falsitatem in seipsis deprehendunt. Viliores se videntur habere, quàm vnum denarium. ¶ Et notandũ quòd veritatem habere debemus quantũ ad omnes. Nulli enim mentiri debemus, vt ostendit Aug. in li. de doctri. Christia. dicens: Omnis qui mentitur, iniquè facit. Nemo enim mentiens in eo quòd mentitur seruat fidẽ. Nam hoc vtiq; vult, vt cui mentitur, fidẽ sibi habeat, quam tamen mentiendo ei non seruat: omnis autem fidei violator, iniquus est.

¶ *De errore illorum qui dicunt veritatem non esse iuramento firmandam.*

NVLLAM veritatem iuramento esse firmandam asserentes, omne iuramentum esse illicitum dicunt. Qui error occasionem potuit habere ex illo verbo domini Matth.5. Ego dico vobis, non iurare omnino. Item ex illo verbo Iac.5. Ante omnia fratres nolite iurare. Ad idem facere videtur illud verbū Aug. in quodam sermone, Falsa, inquit, iuratio exitiosa est: vera iuratio periculosa est: nulla iuratio secura: ergo vt videtur, ab omni iuratione abstinendū est. Econtrario verò manifestè ostenditur quòd licitum sit iurare. Primo sic iurauit dominus. Gen.21. Per memetipsum iuraui, dicit dominus. Quòd si quis nō recipiat vetus testamentū, probatur hoc per illud ad Heb.6. Abrahæ promittens Deus, quoniam neminē habuit per quē iuraret maiorē, iurauit per semetipsum: ergo homini licitum est iurare. Et quòd hoc argumentum valeat, probatur per illud Luc.6. Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Magister noster Deus est, secundū illud Io.13. Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: sum etenim. & Matth.23. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus: ergo nō est contra statū perfectionis iurare. Item iurauit angelus: Apo.10. quem Ioannes vidit stantē super mare & super terram, & leuauit manū ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorū. ¶ Item iurauit Apostolus ad Phil.1. dicens, Testis est mihi Deus. & 2.ad Cor.1. Ego testem Deū inuoco &c. Si quis verò dicat nō esse iuramentū, in illis apparet hoc esse falsum, per hoc quod dicitur Ier.4. Iurabūt, viuit dominus in veritate, & iudicio, & iustitia. Non ergo solū est iuramentū si dicatur, Per Deū, vel simile: imò etiā si dicatur, Testis mihi Deus: vel Viuit dominus, ex quo nomē Dei in testimoniū vel confirmationē veritatis assumitur. Cùm ergo Deus, & angelus, & homo sanctus iurent, mirū est quomodo nō vult iurare hæreticus, quasi Deo & angelis & sanctis sanctior esse velit. Videtur assimilari diabolo potius quàm angelo, vel Deo, vel homini sancto. diabolū enim non memini me legisse iurasse ad confirmationem veritatis. Præterea præcepit Deus iurare Exo.22. dicens: Si quis cōmendauerit viro pecuniā aut vas in custodiā &c. Et post in eodem: Si quis cōmendauerit proximo suo bouē &c. iusiurandum in medio erit, quòd non extenderit manū ad rem proximi sui &c. Et Deut.6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: ac per illius &c. Et eiusdē 10. Iurabitq; in nomine illius. Itē in Psa. Quis habitabit in tabernaculo tuo &c. Et subditur, Qui iurat proximo suo & nō decipit. Matt.5. Reddes domino iuramēta tua. Præterea iurāt omnes nationes, & Gētiles, & Iudæi, & Christiani. Sed secundū philosophum,

phū: Vox omniū vox naturę est. ergo natura dictat quòd licitū est iurare. Philosophus: Iurare nisi vbi necesse est, graui viro parum conuenit. ¶ Itē licet assumere nomē Dei ad adiurandū aliquem. 1.ad Thess. vlt. Adiuro vos per dominum &c. ergo licet illud assumere ad aliquid iurandum. Si enim licet nomē domini assumere ad monēdum aliquē vt aliquod opus bonū faciat, secundum illud ad Rom.22. Obsecro vos per misericordiā Dei vt exhibeatis corpora vestra &c. Et eiusdem 15. Obsecro vos per dominū nostrū Iesum Christum, & per charitatē sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris. A simili licebit nomen Dei assumere ad monendū aliquē, vt ipse credat veritati vtili, quum fides sit adeò grata Deo, quòd sine ea nemo ei placeat. Præterea, quū dicit dominus, Quod abundantius iis est, à malo est: aut intelligitur, id est malū est, aut intelligitur, ꝙ fit à malo, id est ab infirmitate nō credentis. Si primo modo, ergo malum est quando dominus ad maiorem confirmationē dicit, Amē amen dico vobis. Sermo enim eius debuit esse, est, est, non, non, & non debuit aliquid addere. Malū etiā fuit quādo Apostolus ad cōfirmationē verbi sui addidit, Testis est mihi Deus. ad Rom.1. Et 2.ad Cor.11. Deus & pater domini nostri Iesu Christi scit ꝙ nō mentior. Et ad Gal.1. Quæ scribo vobis, ecce corā Deo, ꝙ nō mentior. Præterea cum in veteri lege prohibita esset iuratio per creaturas, si dominus voluit ostendere iurationē omnem esse prohibitam, & facere additionē ad veterē legem, potius debuit hoc specificare de iuratione per creatorem, quàm per creaturā, quū iuratio per creaturam satis esset prohibita in veteri lege. ¶ Argumenta etiam quibus vtuntur hæretici ad cōfirmationē dicti erroris valde debilia sunt. Vt est illud Iaco. 5. Ante omnia nolite iurare. Si enim propter hoc quia ibi dicitur, Nolite iurare, peccatum mortale est iurare. Ergo quū dominus dicat Matth.23. Et patrem nolite vocare vobis super terrā, peccatum mortale erit vocare aliquem patrē super terrā. Item si ideò in nullo casu iurandū est, quia dominus dicit Matt.5. Ego dico vobis non iurare omnino. Ergo quum aliquis dicit alicui colligenti saluiā vel petrosillū in horto suo, vt non colligat illud omnino: ipse prohibet eū vt nihil inde colligat, quod manifestè falsum est secundū etiam cōmunē vsum loquendi, & etiā quod in alia facultate dicitur. Vnde versus: Omnis nō nullus, non omnis dic aliquis non. Præterea causa quā dominus subdit, cum dicit: Neq; per cælū, quia thronus Dei est &c. nō est cōpetēs causa quare nūquam sit iurādum: sed quare non sit passim iurandum, siue omnibus modis, etiam

creaturam huiusmodi: quia in contemptu ipsius, contemnitur ipse cuius est thronus. Præterea aut semper fuit illicitum iurare, aut incœpit esse illicitũ ab illa prohibitione Christi. Ego autem dico vobis non iurare omnino. Primũ constat esse falsum, quum lex vetus iurare præcepit, & cũ ratio naturalis nõ dicter hoc malum esse. Secundum etiam videtur falsum esse per hoc, quòd dominus dicit, Quod abundantius est, à malo est, tanquam ius declarans, & non tanquam ius statuens. Præterea quare prohibuit Deus iuramentum vniuersaliter? Si id prohibuit propter periculum periurij, eadem ratione votũ debuit prohibere, imò eadẽ ratione etiam à prohibitione debuit abstinere. Prohibitio enim ista facit plures transgressores quàm sint illi qui incurrunt periurium: hoc enim facit omnes iurantes transgressores, sicut prohibitio: & cõstat quòd plures iurant, quàm peierant. ¶ Item quæ est ratio ista quòd non sit iurandũ per Ierusalem, quæ est ciuitas regis magni, quando illud quod iuratur verbũ est eiusdem regis, & scriptum sit, Cælum & terra transibunt &c. Mat. 24. Præterea sicut magis cauendum est paruulo ab accessũ ad aquam vel ad aliud periculum, quàm adulto qui scit sibi bene cauere: sic magis cauendum fuit in hac parte populo Iudæorum rudi & paruulo, quàm populo discreto Christianorũ. Vnde si propter periculum prohibitum est, magis debuit prohiberi tunc. Item cum sensus sit, Ego dico vobis non iurare omninò &c. id est, vt non iuretis omninò. Si mortale peccatũ est iurare, quia Christus dicit nõ iurari: ergo eodẽ modo facere contra quodq; dictũ à Christo, erit mortale: ergo solũ præcepta & prohibitiones erũt, & non erunt consilia aliqua, nec admonitiones ad aliquid melius, & omnes qui erunt circa statum perfectionis, erunt in statu damnationis, cùm ad perfectionẽ moneat Christus, dicens Matt. 5. Estote perfecti sicut & pater vester cęlestis perfectus est. Et mortaliter peccabit, qui fecerit contra illud, Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Luc. 6. Et iterum qui facit contra illud, Omni petenti te, tribue. Et contra illud, Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. Et contra illud Matth. 5. Et ei qui vult tecum in iudicio cõtendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & contra illud Matth. 5. Si quis te percusserit in vnã maxillam, præbe ei & alteram. Contra quod tamen fecit Christus Io. 18. qui percutienti maxillam eius, nõ præbuit alteram, sed allegauit iustitiam suam, dicens: Si male locutus sum, testimoniũ perhibe de malo &c. Paulus Act. 23. principi sacerdotũ qui preceperat os Pauli percuti, dixit: Percutiet te Deus paries dealb

dealbate. Augusti. Ista præcepta magis pertinent ad præceptionem cordis, quæ intus est, quàm ad opus quòd in aperto fit: vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia: in manifesto autem fiat quod ei videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus. Præterea, quomodo onus Christi erit leue, si quæcunque ipse dicit præcepta sunt vel prohibitiones? Item per quod iurat quilibet, illud veneratur, hoc amat, hoc timet, vt dicit Glo. Matt. 5. Vnde cùm iurare per Deum in veritate vtile sit, Deo honorificum & proximo vtile, & sic deseruiat dilectioni Dei & proximi: quare erit illicitum vel prohibitum, cum plenitudo legis sit dilectio? ad Ro. 10. Et cum in duobus mandatis de dilectione Dei & proximi vniuersa lex pendeat & prophetæ, Matt. 22. Præterea, iurare nihil aliud videtur esse, quàm nomen Dei assumere ad confirmationem eius quod dicitur, sicut haberi potest ex duobus locis scripturæ sacræ. Exo. 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Assumere enim nomẽ Dei in vanum est iurare in vanum. Et ex illo verbo ad Hæbr. 6. Omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. qua descriptione recepta, facile est ostendere quòd liceat iurare. Cùm enim filius Dei in hoc natus sit, & venerit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati, vt ipse ait Ioan. 18. verisimile est, quòd nomen suum non neget ad eandem veritatã cõfirmandam, imò quod plus est, ad confirmationem veritatis mori voluit. Item quum Deus pater sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, Ioann. 3. verisimile est, quòd nomen suum ei non neget. ad Rom. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Item cùm principes huius mundi tales sint bonitatis in subditos suos, vt sigillis suis eis confirment veritatem vtilem, nunquid cælestis Deus habebit hanc bonitatem in subditos suos, vt nomine suo permittat eos vti ad confirmandam veritatẽ? Simile argumentum facit Dominus Matth. 7. dicens: Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se? Item si Deus sigillum suum commendauit seruis, verisimile est, quòd non neget illud filiis. Ad Roma. 7. Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum. Ex prędictis manifestũ est, quòd iurare non est vniuersaliter malum, imò licitum est iurare ad confirmandam vtilem veritatem. Respondendum est ergo ad ea quæ ipsi obiiciunt. Notandum ergo, quòd potuit esse multi-

plex causa quare Dominus diceret illud Matt. 5. Ego dico vobis non iurare omnino &c. Prima potuit esse: quia iuramentum quãdoque vilipendi facit simplicem assertionem: nec iam reputant multi simplex mendacium, ex quo nõ est ibi periurium. Sicut multi hodie iuramenta sine solennitate facta non reputant propter iuramẽta solennia. Deus ergo volens suos veritatẽ seruare in simplici sermone, sicut in sermone iurato, voluit vt nõ iurarẽt quantum esset in eis. Aug. super epist. ad Gal. Nõ est contra Dei præceptũ iuratio: sed ita intelligitur Deus prohibuisse à iuramento, vt quantũ in ipso est quisq; nõ iuret: quod multi faciunt, in ore habentes iurationẽ tanquam magnũ suaue aliquid. Idem in sermone Domini de monte: Iuramentũ faciendũ est in necessariis, quum pigri sunt homines credere quod est eis vtile. Iuratio non est bona non tamen mala, cùm est necessaria: ideo non est appetenda, vt bona, nõ tamen fugienda tanqua mala, cùm necessaria est. Gl. super Matth. 5. Sermo fidelis pro iuramento debet haberi: & meritò, tanquã verbum dictum in tẽplo corã altari, imò corã Deo. Templum enim in baptismo dedicatum, est ipse fidelis. Deus autem est in hoc templo sancto suo, fides verò altare est. ¶ Secunda causa potuit esse periculum idololatriç, & tertia periculum periurij. Ex frequenti enim iuratione frequens sequitur periurium. Et hæc duo pericula sequebantur præcipuè ex iuratione creaturarũ: ideo talẽ iurationem præcipuè dissuadet Dominus. Gl. Illi vel cælum plus aliquid suspicabantur, vel per illud iurãtes non putabant se iuramento teneri: ideò iuramentũ sic tẽperat, vt cælũ & creatura Dei credatur non plus aliquid, & quia thronus eius est, periurium timeatur. Aug. In nouo testamento dictũ est, ne omnino iuremus: quod mihi quidẽ propterea dictũ esse videtur, non quia verũ iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est, à quo nos longè esse voluit, qui omnino ne iuraremus admonuit. Idem in quodam sermone: Qui iurat, iuxta præcipitium periurij est: qui non iurat, longe est. ¶ Quarta causa potuit esse perfectio mansuetudinis, quam voluit esse in discipulis suis, quibus dixit illud verbũ sicut in Euangelio Mat. patet, qui illud verbum ponit. Iuramentum verò frequenter est ex ira & impatientia: ideò voluit Dominus eos à iuramẽto cauere. ¶ Septem verò dissuadentur circa iuramentũ. ¶ Primo, appetitus iurandi. Iac. 5. Ante omnia fratres nolite iurare. ¶ Secundo, assiduitas iurandi. Eccles. 23. Iurationi ne assuescat os tuũ. Ibidẽ: Vir multum iurans replebitur iniquitate. Chryso. Nemo est qui frequenter iuret, qui non aliquando per

periuret. ¶ Tria alia innuũtur per oppositum. Iere. 4. vbi dicitur Iurabunt. Viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iustitia. Et sunt illa tria, falsitas, defectus deliberationis, & iniustitia. ¶ Sextum est, iurare per creaturas. ¶ Septimum est, iurare pro nullo. Exo. 20. Non assumes nomẽ Dei tui in vanũ. Non enim habebit insontẽ Deus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra. Illud verò Matt. Ego dico vobis non iurare omnino, sic intelligendũ est: Ego dico vobis vt non iuretis omnino (id est, passim) neque etiam per cælũ &c. Nec sequitur ex hoc, Ergo nunquã iuretis, sicut opponendo ostendebatur. Et hoc innuitur per causam quæ subditur: Neque per cælũ, quia thronus Dei est: hoc enim, quòd cælum est thronus Dei, nõ est causa quòd per cælũ non sit iurandum, sed est causa quòd per cælum nõ est passim iurandum, acsi peierando per illud Deus non offendatur, cùm cælum thronus Dei sit, & in cælo Deus contẽnatur. Ad idẽ videtur pertinere illud Mat. 23. Væ nobis qui dicitis, Quicunq; per tẽplũ iurauerit, nihil est &c. Et subditur: Qui iurat in tẽplo, iurat in eo qui habitat in tẽplo: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eũ. Sicut nõ valet hoc argumẽtũ: Iste qui vult se radi, & superfluitatẽ capillorũ præscindi, nõ vult vt capilli sibi omnino abscindãtur: ergo ipse nihil vult de capillis suis prçscindi. Ita nõ valet hoc argumentũ, Dico vobis non iurare omnino: ergo vt nũquã iuretis. Ad illud vero Ia. 5. Ante omnia nolite iurare, quadruplex potest esse respõsio. ¶ Primò, vt prohibeatur ibi iuramẽtũ qđ aliquis facit quã citò incipit loqui: illud enim est ex libidine iurãdi: prius enim debet esse sermo vester, est, est, nõ, nõ, quod si nõ credatur vobis qđ vtile est credi, potest sequi iuramẽtũ. ¶ Secũdo potest intelligi esse dictũ illud cõtra illos qui habẽt in cõsuetudine ante vnũ quodq; verbũ ponere iuramentũ, sicut modo mos est Gallorũ. ¶ Tertio potest dici q̃ Iacobus loquebatur illis qui erãt in tribulatione. Sicut enim dicit gl. super principiũ canonicæ eius, occiso Stephano facta est persecutio magna in ecclesia quæ erat Ieroſolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudeç & Samariç prçter apostolos. His dispersis qui propter iusti tiam passi sunt, mittit epistolã: monẽs ergo eos ad patientiam & quędã alia, ante omnia vult vt à iuramentis quç impatiẽtiã solent sequi caueãt. Sicut febricitanti prohibetur specialiter bibere, licet alia multa magis sint nociua, quia ad illud magis pronus: sic qui tribulãtur, magis proni sunt ad iuramenta. Et illa iuramẽta frequenter sunt Dei blasphemiç: & quãdoq; tãtũ illaqueãt homines q̃ in magna seruitute est homo, vt impossibile videatur sibi

quandoque seruare quodcunque iurauit. Vnde sequitur, vt non sub iudicio decidatis, scilicet à libertate vestra per obligationem. ¶ Quarto potest intelligi, q̃ affectio siue voluntas iurandi prohibeatur. Vnde nõ dicit, Nõ iuretis: sed, nolite iurare: nec sequitur ex hoc, q̃ iurare sit mortale sicut ex illo verbo domini, Mat. 23. Patrẽ nolite vocare vobis super terrã, nõ sequitur quòd mortaliter peccet qui aliquẽ patrẽ vocat super terrã. Volũtariũ ergo iuramentũ prohibetur ibi. Sed duplex est volũtariũ. Quoddã quod est purè volũtarium, & quodã qđ habet aliquid cogens exterius, licet nõ sufficiẽs: & primũ hic prohibetur, secũdũ nõ. Ad verbum verò Aug. dicendũ est, q̃ sicuti transire mare nunquam est securũ, & tamẽ quandoq; est necessarium, & quãdoque sine naufragio aliquis illud transit: sic iuratio nunquam est secura: & tamen quãdoq; est necessãria, & quandoq; sine peccato iuratur.

De fide, prout fides idem est quod fidelitas. PARS XVI.

EStetiam Fides virtus, qua promissa complentur. Vnde Isid. 10. lib. Etymol. Fidelis dicitur quis, pro eo, quod fit ab eo illud qđ dicit vel promittit bonũ. Et sicut veritas seruat hominem ne aliquem fallat in verbis: sic fides seruat hominem ne aliquem fallat in factis. Fides tamẽ quandoque largè sumitur: & sic ad eã pertinet seruare hominem ne fallat alium verbo vel facto, & sic sumit Aug. fidem in lib. de doct. Christi. dicens: Nemo mentiens in eo quod mẽtitur seruat fidẽ. Homo fidelis confidentem de se non fallit. Fides prout est virtus theologica, est virtus qua æterna bona credimus. Fides verò prout hic de ea loquimur, est virtus cui bona nostra in præsenti credimus. Ad hanc virtutem monemur Apo. 2. Esto, inquit, fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hæc virtus multum commendabilis est. Pro. 28. Vir fidelis multũ laudabitur. De hac commendatur Abrahã Ecc. 44. Abraham, inquit, in tentatione inuentus est fidelis. Itẽ Moyses Numer. 12. Moyses inquit Deus, in omni domo mea fidelissimus est. Et Dauid 1. Reg. 22. Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis? Fidei virtus est valde rara & valde chara. Prou. 22. Virũ fidelẽ quis inueniet? 1. ad Cor. 4. quęritur inter dispẽsatores vt fidelis quis inueniatur: quæritur, inquã, & vix inuenitur. In primitiua ecclesia inter duodecim apostolos inuentus est vnus infidelis, & alij fideles fuerunt. Hodie vndecim inueniũtur infideles, quãdo vnus inuenitur fidelis. Huic virtuti cõmittit dominus bonorum suorũ dispẽsationẽ. Mat. 24. Quis, putas, est fidelis seruus & prudẽs, quẽ cõstituit dominus super familã suã, vt det illis cibũ in tempore; ¶ Itẽ huic virtuti dat dominus augmẽtum gratiæ. Luc. 19. Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatẽ habens supra decem ciuitates. Item huic virtuti dat dominus gloriam suam. Mat. 25. Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudiũ domini tui. ¶ Et notandum quòd fides specialiter commendabilis est in amico. Eccle. 6. Amico fideli nulla est cõparatio. In eodẽ. Amicus fidelis medicamentũ vitæ. Item valde cõmendabilis est in seruo. Eccl. 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrẽ sic tracta eũ. Specialiter etiã cõmendabilis est in nuntio. Pro. 13. Legatus fidelis sanitas. Econtrario legatus infidelis pestilentia est terræ ad quam mittitur: malo enim exẽplo multos corrumpit. Prou. Sicut frigus niuis in die messis: ita legatus fidelis ei qui misit eum. Frigus niuis in die messis refrigerat, & legatus si fidelis sit ei à quo mittitur, quasi quoddam refrigerium est: à cura enim & solicitudine in parte eum liberat. Econtrario vero dicitur de infideli nũtio. Prou. 25. Dens putridus & pes lassus qui sperat super infideli in die angustiæ. Dens putridus ori graue dolorem ingerit. Vnde vulgariter dicitur, quòd nõ est dolor sicut dolor dentis. Infidelis ergo nuntius est ei qui in eo sperat, vt dens putridus, quia est occasio ei magni doloris. Est etiam vt pes lassus. Sicut enim multũ affligitur qui desiderat peruenire ad locũ aliquem, & præ lassitudine non potest: sic affligitur ille qui expectat nuntiũ infidelem, qui moram nimiam facit. ¶ Et notandũ quòd aliquis fidem debet alij in quatuor. Primo, vt eum verbo non fallat. Aug. in li. de doctrina Christiana: Omnis qui mentitur, iniquè facit. Secundo vt arcanum eius non denudet. Prou. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici cõmissum. Eccl. 27. Qui denudat arcana amici, fidẽ perdit. ¶ Tertio in hoc vt in aduersis eum non deserat. Eccle. 22. Fidem posside cum amico in paupertate illius, vt & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis. ¶ Quarto, in hoc vt in donorum sibi commissorum administratione fideliter se habeat. ¶ Fidelitas verò quantum ad bona commissa in quinque attenditur. ¶ Primum est, vt ipse bona sibi cõmissa non dissipet. ¶ Secundum, vt ea studiosè multiplicet. ¶ Tertium, vt eum qui tradidit, parte lucri quæ ad eum pertinet non defraudet. ¶ Quartum est, vt bona sibi cõmissa, proditiosè sua non faciat. ¶ Quintum est, vt inimico eius qui sibi ea commisit illa non tradat. De primo legitur Luc. 16. Hic diffamatus est apud ipsum, eò quòd dissipasset bona illius. & Esa. 14. Tu terram tuam disperdidisti. ¶ Tripliciter autẽ fit hæc dissipatio. ¶ Primo, quando aliquis vitam suam quam debuit

buit ei pendere ad honorem Dei & vtilitatem animæ suæ, expēdit in Dei contumeliam & damnationem animæ suę, cōsumendo eam in seruitio diaboli. Prou. 5. Non des alienis honorem tuū, & annos tuos crudeli. Item intellige de his qui res suas in seruitio diaboli expendunt, seruos diaboli instantissimè inuitantes, in filios verò Dei durissimos se exhibentes. ¶ Secundo, quando aliquis desistit ab opere incepto ante consummationem, Prou. 18. Qui mollis est dissolutus est in opere suo, frater est suæ operæ dissipantis. Mollis & qui cedit duris. Dissolutus est qui nullo amore ad opus bonum ligatus est, & talis reputatur dissipator operū suorum. ¶ Tertio, quando aliquis quod ædificat verbo destruit exēplo. Eccl. 33. Vnus ædificans & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? Circa secundum notandum quòd circa multiplicationem triplex potest esse infidelitas. ¶ Prima est, cum pecunia Domini absconditur. vnde Matt. 25. reprehenditur seruus malus & piger, qui pecuniam domini sui abscondit. ¶ Secunda est, cum pecunia domini in mercibus quæ minoris lucri sunt ponitur. Hæc infidelitas est in illis qui legem domini per quam lucrari animas possent contēnunt, & physicā vel leges per quas temporalia lucrātur addiscunt. Nunquid infidelis esset nuntius alicuius mercatoris, qui domino suo emere posset scarlatā eodem pretio quo emit butellum, si eam non emeret? ¶ Tertia infidelitas est in eis qui merces domini vendunt vbi minus vendibiles sunt. Sicut accidit in eis qui Parisiis docent, vbi doctrina eorum vix auditur, & alibi nolunt docere, vbi doctrina eorū chara haberetur. ¶ Circa tertium notandum quòd lucrum bonorū operum in tres partes diuiditur. ¶ Prima pars est gloria quæ ad Deū pertinet: iuxta illud apostoli, Soli Deo honor & gloria. ¶ Secunda pars est exemplum bonum quod pertinet ad proximū. Vnde Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona &c. ¶ Tertia pars est vtilitas mercedis, quæ pertinet ad Deū, qui opera bona facit. Deum ergo defrandat parte sua lucri, qui gloriam quærit de bonis operibus quæ agit. Bern. Fidelis te vera famulus es, si de multa gloria domini tui, & si non exeunte à te, tamen transeunte per te, nihil manibus tuis adhęrere contingat. ¶ Circa quartum verò notandum quòd illi qui bona sibi commissa prodi-tiosè sua faciunt, quum infideliter se habeant in paucis, ipsi non constituentur super multa. vnde Luc. 6. Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Alienum vocat bonum transitorium, nostrum verò æternum. Et ibidem: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. Et qui in modico iniquus est, in maiori iniquus est. ¶ Circa quintum notandum quòd velut castrum nostrę bonę fidei commissum est corpus nostrum vel anima nostra. Vulgariter dicitur quod bonum castrum custodit qui corpus suum custodit. Sed melius castrum custodit qui animam suam custodit. Hoc castrum corporis diabolus sibi quærit reddi, quando peccata spiritualia suggerit. Castrum verò animæ sibi quærit reddi, quando peccata spiritualia suggerit: quādo verò nos suggestioni eius consentimus, castrum nobis à Deo commissum hosti eius tāquàm proditores tradimus. Et valde infideles sumus, Præcipuè si non præmittamus nuntium ad dominum nostrum pro succursu, cùm ipse possit nobis subuenire, & etiam velit. Non enim vult exhæredari. 1. ad Cor. 10. Fidelis est Deus qui non patietur vos tētari supra id quod potestis. Nuntius qui ad Deum mittendus est in tentatione, est oratio. Vnde super illud Psal. Intret in conspectu tuo oratio mea, dicit glos. Magna virtus orationis ostenditur, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat, & illuc mandatum peragit quo caro peruenire nequit. Inexcusabilis est qui prius castrum suum reddit, quàm pro succursu miserit, vel qui non expectat succursum pro quo misit.

TRACTATVS VI. tertiæ partis principalis vnum continens capitulum, est de diuisione Virtutum cardinalium, secundum Macrobium.

VLTIMO de quatuor Virtutibus cardinalibus ponēda est diuisio, quā ponit Macrobius his verbis: Qui æstimant nullis nisi philosophantibus inesse virtutes, virtutum officia sic dispensant. Prudentiæ dicunt esse mundum istum, & omnia quæ in mundo sunt diuinorum contemplatione despicere: omnémque animi cogitationem in sola diuina dirigere. Temperantiæ omnia relinquere inquantum natura patitur quæ corporis vsus requirit. Fortitudinis, non terreri animam à corpore quodammodo ductu philosophiæ recedentē: nec altitudine perfectè ad superna ascensionis horrere. Iustitiæ, ad vnam sibi propositi huius consentire viam vniuscuiusque virtutis obsequium. Atque ita fit vt secundum hoc tam rigidæ diffinitionis abruptum, rerū publicarū rectores beati esse non possint. ¶ Sed protinus gradus virtutum sic dirigit: Quatuor inquit, sunt quaternarum genera virtutum. Ex his primò politicæ vocantur. Secundæ, purgatoriæ. Tertiæ, animi iam purgati. Quartæ exemplares, & sunt politicæ hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipūblicæ consulunt, vrbes tuentur, his parentes venerantur,

tur, liberos amant, proximos diligunt, his ciuium salutem gubernant, his socios circunspecta prouidentia protegunt, iusta libertate deuincunt, hisque sui memores alios fecere merendo. Et est politica prudentia, ad rationis normam, quę cogitat quæque agit vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque actibus tanquam diuinis arbitris prouidere. Prudentiæ insunt ratio, intellectus, circũspectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter vel aduersa vel prospera. Fortitudo præstat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperantiæ nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Temperantiam sequuntur modestia, verecundia, abstinẽtia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, prudẽtia. Iustitiæ seruare vnicuique quod suum est. De iustitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. Secundæ quas purgatorias vocant, hominis sunt qui Dei in se capax est, solúmque eorum quę animum eius expediunt qui decreuit se à corporis contagione purgare, & quædam humanorum fuga solum se inserere diuinis. Hæ sunt otiosorum qui à rerumpublicarum actibus se sequestrant. Harum quid singulæ velint, superius expressimus, cùm de virtutibus philosophantium diceremus. Tertiæ sunt purgati iam defecatique animi, ab omni mũdi huius aspergine detersi. Illic prudentiæ est diuina non quasi in electionem præferre, sed sola nosse: & hæc tanquam nihil aliud sit intueri, temperantiæ terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus obliuisci. Fortitudinis passiones ignorare, non vincere, vt nesciat irasci, cupiat nihil. Iustitiæ itaque cum superna & diuina mente sociari, vt seruet perpetuum cum ea fœdus imitando. Quartæ exemplares quæ in ipsa diuina mente consistunt, à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam si rerum aliarum, multo magis virtutũ ideas esse in mente credendum est. Illic prudentia est mens ipsa diuina. Temperantia quæ in se perpetua intentione conuersa est. Fortitudo quò semper eadẽ nec aliquando mutatur. Iustitia quòd perẽni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

QVARTÆ partis principalis, de Donis, Tractatus.

De ordine dicendorum de donis: & quare vocentur dona. PARS I.

DICENDVM est de donis quæ Christus in se habuit. Esa. 11. Requiescet super eum Spiritus domini, &c. Quę etiã fidelibus dedit, ad Ephe. 4. Ascẽdens in altũ captiuã duxit

duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. De donis verò hoc modo agetur. ¶ Primo ostẽdetur quare dona vocẽtur. ¶ Secũdo, tãgẽtur aliqua pertinentia ad cõmendationem donorũ, & ad manifestãdum numerum eorũ. ¶ Tertio, agetur per ordinẽ de singulis. ¶ Circa primã notãdum quòd Deus volens ostendere hominibus sanctitatem Christi mediatoris Dei & hominũ in quo sperare debebãt, iuxta illud Eccl. 24. In me omnis spes vitæ & virtutis, voluit ostendere eum conceptum esse ex Spiritu sancto. Matt. 1. Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. In eodem. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Item voluit ostẽdere Spiritum sanctum in eo continuè mansurum. vnde Esaias loquens de flore ex quo mundus sperare debeat fructum salutis, ait: Requiescet super eum spiritus domini. ibi dicit gl. In Euangelio Nazareorum, quod Hebraicè scriptum est, ita habetur: Factum est cùm ascendisset dominus de aqua, descendit fons omnis spiritus, & requieuit super eum, & dixit ei: Expectabam te, fili mi, in omnibus prophetis, vt venires & requiescerem in te. Tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus qui regnas in sempiternum. Et Io. 1. Vidi, inquit Ioannes Baptista, spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum, & ego nesciebam: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eũ, hic est qui baptizat in Spiritusancto. glo. Specialiter dicitur spiritus manere in Christo, à quo nunquam per peccatum recessit. Esa. 61. Spiritus domini super me. Itẽ gl. super Ioannẽ, Spiritussanctus in sanctos venit, & propter peccata recedit. Secundũ aliquem effectum, descensus spiritus super Christum in specie columbæ, idẽ ostẽdit quod ostendit vox de cælo veniens Matt. & Luc. 3. Hic est filius meus dilectus &c. Spiritus enim sonat idẽ quod charitas, sicut dicit gl. super illud Apoc. 1. A septẽ spiritibus qui in cõspectu throni eius sunt. Similis vox audita est in transfiguratione, Matth. 17, vbi verò Esaias ostendit Spiritum sanctũ in Christo mansurum, enumerãtur nobiles effectus qui à Spiritu sancto fuerũt in Christo, cùm dicitur: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus &c. Illi verò effectus rectissimè dona vocantur: vel septiformis gratia Spiritussancti. Cùm enim Spiritussanctus bonitas sit liberalissimè se & sua communicans; ipse est primum donũ, quia se gratissimè cõmunicat. Aug. Magna misericordia Dei donum dat æquale sibi. Nam Spiritussanctus donum est, De hoc dono legitur Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorum vestrorum, & accipietis donũ Spiritus

Universidad de Deusto Biblioteca

rituſſancti. In ipſo etiã dantur liberaliſſimè cætera dona: ideò affectus Spirituſſancti rectiſſimè dona vocãtur. Nomine enim doni gratitudo vel liberalitas inſinuatur. Donum enim iuxta verbum, eſt datio irreddibilis, quæ ſcilicet fit ſine ſpe retributionis. Sen. lib. 4. de Beneficiis: Non eſt beneficium quod in quæſtũ mittitur. Idem in eodẽ: Si Deũ imitaris, da gratis beneficia. Item rectiſſimè vocatur ſeptiformis gratia. Gratia enim dicitur eò quòd gratis detur. Præterea vbi enumerantur illi ſeptẽ effectus Spirituſſancti qui in Chriſto fuerunt, agitur de filio Dei veniente ad ſponſam ſuam. Sponſus verò ad ſponſam veniens dona conſueuit afferre: ideo congruè illi ſeptem effectus dona vocantur.

De commendatione donorum, & numeri eorum manifeſtatione.

PARS II.

CIrca ſecundum notandum, quòd iſta ſeptem dona ſunt quaſi ſeptem ſtellæ in dextra Chriſti. Apoc. 1. & 3. Stellæ dici poſſunt, quia noctẽ præſentis vitæ illuminant. Præſens vita nox dicitur, & propter aduerſitates quibus plena eſt, & propter tenebroſitatem culpæ & ignorantiæ quæ in ea abundant. In dextera verò Chriſti ſunt hæ ſtellæ, quia Chriſtus donationem horum donorum ad manũ ſuam retinuit. Item hęc dona ſunt ſeptem lucernæ de quibus Exod. 26. Facies lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum. gloſſ. Lucernæ ſeptem, ſunt ſeptem dona Spirituſſancti, quæ in Chriſto cuncta ſemper manſerunt, & fidelibus ſecundum voluntatem eius diſtributa ſunt. Hæ ſuper candelabrum ponuntur, quia requieuit ſuper Chriſtum ſpiritus ſapientiæ &c. Item hæc dona ſunt ſeptem lampades, de quibus Apoc. 4. & 7. Lampades ardentes erant ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Interli. Dona Spirituſſancti quæ accendũt & illuminant, parata omnibus, quæ ſunt ſedes Dei. Item hęc dona ſunt ſeptem oculi. Apocalyp. 4. Et oculos ſeptẽ, qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei. Zach. 4. Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Et exponit gloſ. de Chriſto, qui eſt lapis angularis coniungens duos parietes in vnũ, ſuper quem lapidem ſunt ſeptem oculi. De quibus Eſaiæ 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c. Item hæc dona ſunt ſeptem crines qui caput eccleſiæ, Chriſtum ſcilicet, ornauerunt: quibus etiã caput ſpõſæ Chriſti, ſcilicet cor, debet eſſe ornatũ. Hos crines dæmones conãtur abradere. His crinibus ablatis homo debilis remanet, vt Sapſon. Iudi. 16. Iſta ſeptẽ dona ſunt contra ſeptem mala, quæ enumerat Gr. ſuper illud Iob 1. Vẽtus vehemẽs irruit à regione deſerti &c. His verbis, Spiritus qui mẽtem ante omnia prudentia, temperantia, fortitudine,

dine, iuſtitia format, eãdem contra ſingula tentamẽta ſeptẽ virtutibus inſtruit. Cõtra ſtultitiam ſapientia. contra hebetudinem intellectu, contra præcipitationem cõſilio, cõtra timorẽ fortitudine, contra ignorantiam ſcientia, contra duritiam pietate, contra ſuperbiam timore. Tria iſtorum malorum ad effectum videntur pertinere. Vnum eſt reſpectu Dei, ſcilicet ſuperbia, quę eſt inordinata excellentia animi. Aliud reſpectu proximi, ſcilicet durities. Tertiũ reſpectu inimici, ſcilicet timor vel puſillanimitas: contra ſuperbiam eſt donum timoris. Greg. ſuper Ezech. Per timorẽ humiles ſumus, pietas eſt contra duritiam. Idẽ: Per pietatẽ ſumus miſericordes. Fortitudo eſt contra puſillanimitatẽ. Quatuor mala videntur pertinere ad intellectum, ſcilicet ſtultitia ſine inſipientia, quæ eſt quãdo intellectus ſapore terrenorũ, impeditur à guſtãdo ſaporem æternorum. ¶ Secundum eſt hebetudo, quæ eſt groſſities intellectus qua impeditur ne penetret interna myſteriorum, & ne agnoſcat creatorẽ in creaturis. ¶ Tertiũ malum eſt ignorantia, quæ eſt defectus diſcretionis quantum ad ea quæ communiter ſunt agenda. ¶ Quartum eſt præcipitatio quãtum ad deliberationẽ eorum quæ ſunt ardua, & quæ pertinẽt ad perfectionẽ ſalutis. Cõtra hæc quatuor mala vltima ſunt donum ſapientiæ, & donum intellectus, donũ ſcientiæ, & donũ conſilij. Donum ſapientiæ lumen eſt quo agnoſcuntur ſuperiora. Sciẽtia lumen eſt quo agnoſcuntur inferiora. Intellectus, lumẽ eſt, quo agnoſcuntur interiora: vnde à legendo intus dicitur intellectus. Donũ conſilij eſt lumẽ à quo cognoſcuntur periculoſiora. ¶ Aſſignantur & aliter ſeptẽ mala præſentis vitæ contra quæ ſunt hæc ſeptẽ dona. ¶ Primũ malum eſt puerilitas. Eſa. 65. Puer cẽtum annorum morietur. 1. ad Cor. 14. Nolite pueri effici ſenſibus. Sap. 12. Infantium inſenſatorum more viuentes. Sen. Plerunque eſt cũm non puericia, ſed quod grauius eſt puerilitas remanet. Cõtra hoc malum eſt maturitas ſapientiæ. Greg. ſuper Ezech. Per ſapiẽtiam maturi ſumus. Ad maturitatẽ ſapientiæ pertinet puerilia deſpicere, & digna viri intellectu capere, & affectu deſiderare. Puerilia intelligas, lac ſuauitatis temporalis, & bona temporalia, quæ ſunt vt pira, & poma comparatione æternarũ diuitiarum. Digna viris intelligas gaudia æterna. ¶ Secundum malũ eſt brutalitas, qua exteriora ſola in rebus ſenſibilibus capimus illis ſolis hærẽtes, & quaſi foris ſtantes: intima verò eorum cognitione non attingimus. Contra hoc malũ eſt donum intellectus penetrans interiora. Grego. ſuper Ezech. Intellectus tollit hebetudinẽ. ¶ Tertiũ malũ eſt pẽriculoſitas. Cõtra quod eſt donũ cõſilij. Prou. 24.

Erit salus vbi multa consilia. ¶Quartum malum est certaminũ spiritualium continuitas. Contra quod est donum fortitudinis. Mundus iste campus est certaminis. Bern. In mundo isto quasi in stadio certaminis positi sumus. Iob 7. Militia est vita hominis super terram. ¶Quintum malum est error circa bona & mala, & secundum qualitatẽ, & secundum quantitatem. Secundum qualitatem, cùm creduntur bona quę sunt mala. Esa. 5. Væ qui dicitis bonũ malum. Secũdum quantitatem, quando creduntur magna bona quæ sunt parua, & ecõuerso. Cõtra hoc malum est donum scientiæ. Scientia respicit bonum & malũ: vnde nominatur lignũ scientiæ boni & mali. Gen. 2. Propter hunc errorem dicitur Sap. 14. In magno viuentes inscientiæ bello, tot & tanta mala pacem appellant. ¶Sextũ malum est vitæ execrabilitas: quæ scilicet vita nostra Deo non est honorifica, imò est contumelioſa. Contra quod est donum pietatis, prout dicitur pietas veneratio sanctorum, primo Dei, deinde eorum quæ ei sanctificata sunt. ¶Septimum malum est stulta securitas, qua nihil est periculosius homini tot malis obsesso, Prouer. 28. Qui confidit in corde suo, stultus est. ¶Et notandum quòd minimum horum donorum præualet omni auro quod est in mundo. Minimum videtur esse donum timoris, de quo tamen legitur Eccles. 23. Nihil melius quàm timor Dei. De pietate verò legitur 1. ad Ti. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Fortitudo verò hominem reddit insuperabilem. Prou. 30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Qui habet donum fortitudinis, dicit illud, Omnia possum in eo qui me confortat. ad Philip. 4. Sapientia in terra manens ad mensam cælestem sedet. Timor vẽdicat infernũ, vbi vitia exurit. Sapiẽtia paradisum, quæ iam æterna præguſtat. Fortitudo verò & pietas vendicant tibi præsentia. Pietas aliena mala compatiendo sibi bona efficit. Fortitudo verò propria mala, patienter ea tolerando, sibi in bonum cõuertit. Item fortitudo ad bona ardua hominẽ potentem reddit. Intellectus sapientiã dirigit. Consiliũ fortitudinẽ, scientia pietatẽ. Timor verò à fide dirigitur, qui cùm in Christo non fuerit, inter dona non numeratur. Non enim enumerantur inter dona omnes gratiæ Spiritussancti, sed gratiæ excellentes quæ in Christo fuerunt. ¶Et notandum quòd tres illarũ gratiarũ indubitanter pertinent ad intellectum, scilicet donum scientiæ, cõsilij, & intellectus. Tres indubitãter ad effectũ, scilicet donũ timoris, pietatis, & fortitudinis. Donũ verò sapientiæ, secundum quosdam pertinet ad intellectum, secundum quosdam ad effectum.

Secund

Secundum veritatem verò videtur ad vtrũque aliquo modo pertinere. Vnde possumus dicere, quòd quatuor dona pertinent ad intellectum, quatuor aliquo modo pertinent ad effectum. Quadruplex enim cognitio salubris præcellentiam habẽs potest esse in intellectu, duæ pertinent ad id à quo sumus, scilicet ad Deum. Deus tripliciter in præsenti cognoscitur. ¶Primo fide, quæ est cognitio initialis ad omnes pertinens, & innititur authoritati. ¶Secundo cognoscitur intellectu, qui innititur rationi. Augu. in lib. de vtilitate credendi: Quòd credimus, debemus authoritati: quòd intelligimus, rationi. ¶Tertio cognoscitur Deus experientiæ: gustando scilicet eius suauitatem. Secunda & tertia cognitio de Deo præcellentiam habẽt respectu primæ: & ideò gratiæ excellentes sunt quæ pertinent ad eas, & enumerantur inter dona. Tertia salubris cognitio præcellentiam habens, pertinet ad id quod à nobis est, quod arduum est vel periculosum: quæ præcellentiam habet respectu illius cognitionis, est circa alia quæ non sunt ardua, vel periculosa. Gratia pertinens ad hanc cognitionẽ, dicitur donum consilij. Quarta cognitio est circa res ipsas quæ propter nos sunt specialiter quantum ad bonitatem & malitiam eorum, & habet præcellentiam respectu aliarũ cognitionũ quæ sunt de rebus quantum ad alias rerum dispositiones. Et gratia ad hanc cognitionem pertinens dicitur donum scientiæ. ¶Itẽ quadruplex ordinata affectio potest esse in affectu: duæ respectu mali, & duæ respectu boni. Malum fugiendum est, & fugãdum. Fuga mali remoti, scilicet mali futuri, illa virtuosior est præcellentiam habens respectu fugæ mali propinqui. Malũ enim propinquum facile est fugere, scilicet malum præsens. Item fuga mali quod ducit ad futurum, scilicet mali culpæ, præcellẽtiam habet, cùm malum culpæ bonum videatur, eò quòd sit delectabile. Gratia ergo pertinens ad fugam mali futuri, & eius quod ducit ad illud, excellẽs gratia est, & vocatur donũ timoris. Itẽ fugare miseriã à proximo per compassionẽ, mala eius sibi assumendo, & bona sua ei cõmunicando, gratiæ excellẽtis est. Fugare miseriã à seipso, non est multũ vitiosum. Et gratia illa præcellens donũ pietatis dicitur. Respectu verò boni sunt duæ affectiones excellẽtes: vna respectu boni summi quod est finis: scilicet esuries, seu sitis suauitatis diuinæ. Amor illius suauitatis omniũ est: omnes enim beatitudinem appetunt, sed esuries illa paucorum est. Respectu verò boni, quod est ad finem, quod arduum est, est affectio fortitudinis quæ excellit respectu affectionis quæ est ad bona quæ nõ sunt ardua. Vnde gratia pertinens ad illam affectionem, donum

fortitudinis dicitur. ¶ Itē notandū quòd inter istas septē gratias prout in Christo fuerūt, tres sunt pertinētes ad diuina, & quatuor ad humana. Ad diuina, donum intellectus quo cognoscitur Dei veritas, & donū sapiētiæ quo gustatur eius suauitas, & donum timoris quo honoratur Dei sublimitas. Timor enim reuerētiæ in Christo fuit: reuerēdissimè enim se habuit ad Deū homo ille, nō æquans se illi secūdum humanitatem, sed ei subiectissimus existēs. Ad humana verò pertinēt alia quatuor dona: humana enim diuiduntur in ea quæ agenda sunt communiter ab omnibus, & sunt in præcepto, & ea quæ pertinent ad perfectionē salutis. Ad ea quæ communiter agenda sunt ab omnibus, pertinet donum pietatis, cui lumē ministrat donum sciētiæ. Pietas enim quasi negotiatrix est & commutatrix: ideo necessariū est ei lumē sciētiæ quo agnoscat ea quibus negotiatur. Circa ea quę pertinēt ad perfectionem est donū fortitudinis, cui lumen ministrat donū consilij hominem seruans à præcipitatione in talibus vbi ipsa valde periculosa est. ¶ Item notandum quòd dono timoris sapiētia inchoatur. Prou. 1. Timor domini, principium sapientiæ. Dono sapientiæ consummatur, donis verò mediis proficiendo ad cōsummationem sapientiæ appropinquat. ¶ Item notandum quòd duo dona pertinēt ad cōtemplationē, scilicet donū intellectus, & donum sapientiæ. Dono intellectus contemplamur Deum in creaturis, dono sapientiæ in se. Alia quinque dona pertinent ad actiuam. Timore declinatur malum. Prou. 15. Per timorem Domini declinat omnis à malo. Dono pietatis & dono fortitudinis ad lumen scientiæ & consilij fiunt bona.

De dono timoris. PARS III. *quæ habet quatuor capitula.*
De ordine dicendorum de dono Timoris. Et de descriptionibus eiusdem.

CAPVT I.

COnsequenter agendū est de singulis donis per ordinem. Et primò de his quæ pertinent ad actiuā. Actiua enim prior est tempore, quā cōtemplatiua. Oportet enim q̄ homo primo exerceat se in actiuam, quā ascēdat ad cōtemplatiuam. Lia prior fuit nata quā Rachel. Gen. 28. Et prius fuit tradēda nuptui. Vnde legitur in eodē q̄ Laban dixit Iacob conquerenti de hoc q̄ Lia ei suppositā esset pro Rachele: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. Inter dona verò pertinentia ad actiuam prius dicetur de dono timoris, à quo nobis inchoandū est, si volumus proficere. Aug. in sermone quodā de timore domini: Esaias dona enumerās, à sapientia peruenit ad timorē, tanquā de sublimi descēdens ad nos, vt doceret ascendere illuc.

illuc. Ergo peruenit vnde debemus incipere proficiendo. ¶ De timore verò hoc modo agetur. Primo ponētur eius descriptiones. Secundo, cōmendationes. Tertio tangetur de speciebus timoris. Quarto, de his quę valere possunt ad incutiendum nobis timorē. ¶ Circa primū notādum quòd timor est spiritualis fuga mali ne perdat homo quod amat. Et est sumpta hęc descriptio de Gl. Aug. super Ioā. 10. cap. vbi loquitur de mercenario. Fuga timoris non est fuga ignauiæ, sed est fuga sapiētiæ. Iob. 28. Ecce timor Domini ipse est sapientia. Fuga timoris fuga est cautæ declinationis. Prou. 14. Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & cōfidit. Talis est fuga Parthorum, quæ non est ignauia, sed bellandi peritia. Fugiēdo vincūt Parthi: ideò fugiētes ab his quibus nota est eorum peritia timentur, sic timor dum timet timetur, secundum illud Philosophi: Qui timet Deum, omnia timent eum: qui verò non timet Deum, timet omnia. Vnde Cain perpetrato homicidio fratris, caput tremulum habuit, & ait: Omnis qui inuenerit me, occidet me. Ge. 4. Non est turpis fuga, iacula cauere vel protegendo, vel abscondendo se, vel simulata fuga hostes ab vrbe longe abstrahere, sicut legitur fecisse populus Domini, Iosue 7. Item dicit Aug. 14. libr. de Ciuitate, q̄ timor est amor fugiens quod ei aduersatur. Item timor est affectio futuri mali, secūdum Damasce. timor est expectatio mali. dicit enim, Expectatum malum timorem constituit, præsens verò Tristitiam.

De commendatione Timoris. CAP. II.

AD commendationem Timoris diuini, Primò valere possunt admonitiones quas scriptura sacra facit ad timendum Deum. Leuit. 30. Time Dominum Deum tuum. Deutero. 6. Dominum Deum tuum timebis. Iosue 10. Timete dominum, & seruite ei corde perfecto. In Psal. Seruite domino in timore. Item: Timete dominum omnes sancti eius. Eccles. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore. Eiusdem 7. In tota anima tua time Deum. Matth. 10. Timete eum qui potest & corpus, & animam mittere in gehennam ignis. Secundo promissiones quas scriptura facit timentibus Deum. Tob. 4. Multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus à peccato & feecerimus bene. Eccles. 1. Timenti Deum bene erit in extremis, & in diebus defunctionis suæ benedicetur. In eodem. Timenti dominū bene erit, & in diebus cōsolationis suæ benedicetur. Tertiò, quòd scriptura sacra adeò beatificat timentes Deum. Prouer. 28. Beatus homo qui semper est pauidus: qui verò mentis est durę, corruet in malum. Eccles. 15. Beatus cui donatum est habere

timorem Domini. Eiusdem 33. Timenti Deum beata est anima eius. in Psal. Beatus vir qui timet Dominum. ¶ Quartò, excellentia quam in scriptura sacra ostẽditur habere timor respectu cæterarum gratiarum. Eccl. 25. Timor Domini se super omnia superposuit. Eiusdem 23. Nihil melius quàm timor Domini. Bernardus super Cant. In veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. ¶ Quintò, quòd timor Dei valde placet Deo. Sicut patet his verbis Scripturæ quæ sequuntur, quæ ostendunt, quòd beneficus sit Deus his qui timent eum. In Psal. Oculi Domini super metuẽtes eum. Oculi, inquam, misericordiæ. Firmamentum est Dominus timẽtibus eum. Dedisti hæreditatẽ timẽtibus nomen tuum Domine. Quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est Dominus timentibus se. Voluntatẽ timentium se, faciet. Eccl. 33. Timenti Deum non occurent mala, sed in tentatione Deus, illũ conseruabit. & liberabit eum à malo. Act. 10. In omni gente qui timet Deũ, & operatur iustitiã, acceptus est illi. ¶ Sextò, cõmẽdabilis est timor Domini à multiplici eius effectu. ¶ Notandum ergo quòd timor Domini malũ culpæ quod in homine inuenit, expellit scilicet peccatum. Eccl. 1. Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non potetit iustificari. Grego. in homil. Prava mens si nõ propter timorẽ quæritur, ab assuetis vitiis nõ emẽdatur. Iosue 9. Timuimus valde, & prouidimus animabus nostris. Eccl. 2. Qui timẽt Dominum, præparabũt corda sua, & in conspectu illius sanctificabũt animas suas. Aug. Timor medicamẽtum est, charitas, sanitas. Michææ 6. Salus erit timẽtibus nomẽ suum. Esa. 26. A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis. Malac. 4. Orietur vobis timẽtibus nomen meũ sol iustitiæ. Itẽ timor à malo culpæ futuro custodit. Hiero. in epistolis: Timor virtutũ custos est, securitas ad lapsum facilis. Exod. 20. Vt probaret vos venit Dominus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Timor Domini odit malum, Prou. 8. ideò non permittit illud in domum cordis intrare. Timor in æternum quasi expauẽtaculum ponit in corde hominis, & ad deterrendum vitia & dæmones. Ipse est ianitor cordis, vitia ab ingressu eius claua terribili deterrens. Claua illa infinitæ est magnitudinis, quum sit pœna æterna. Ipse gladiũ ex vtraque parte acutum: gladium inquã diuinæ sentẽtiæ ad deterrendos fures spirituales intentat. Ipse latrones in terra corporis mei habitantes crucifigit. In Psalm. Confige timore tuo carnes

nes meas. Timor vigil est, & tempore pacis & tẽpore belli vigilans, pacem & securitatem suspectam habens. Ipse virtutes excitat, ne ad similitudinem ferri in quiete consumantur rubigine, & ne securi subitò ab hostibus occidantur. Quum enim virtutes dixerint, Pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus. 1. ad Thess. 5. Timor comprimit virtutes ne euanescant. Ecclesia. 27. Si nõ in timore Domini instanter tenueris te, cito subuertetur domus tua. ¶ Item timor à bonis transitoriis qui solent esse occasio peccati expedit, sicut timor naufragij nauem facit exonerari. Iob 31. Sẽper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Greg. Quum fluctus tumentes desuper eminent, nulla tunc cura rerum temporalium nauigantibus, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ea quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia sumpserunt. Item ad mala præsentis pœnæ hominem intrepidum reddit. Eccl. 34. Qui timet Deum, nil trepidabit. Item cor hominis congregat & restringit. Eccl. 21. Qui timet Deum, conuertetur ad cor suum. Item timor bonorum abundantiam introducit. Ecclesiast. 15. Qui timet Deum, faciet bona. Ecclesiast. 7. Qui timet Deum, nihil negligit. Cor est, vbi timor Domini est, sicut ager plenus cui benedixit Dominus. Gene. 27. Est etiam sicut paradisus propter amœnitatem & fertilitatem. Eccle. 40. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriã operuerunt eum. supple benedictiones. In Psalm. Non est inopia timentibus eum. Ecclesiast. 40. In timore Domini non est minoratio. Prouer. 19. Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi. Timori custodit dominus bona sua ad seruandum. Esa. 33. Timor Domini ipse est thesaurus eius. Timor Domini plenitudinem virtutũ operatur. Timorem sequitur spes. Prouer. 23. In Timore Domini esto quotidie, & habebis spem in nouissimo. Timentibus Dominum, fructæ & habebis spem in nouissimo. Timentibus Dominum, f ctæ sunt promissiones. In Psal. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Item timor Domini introducit charitatem, sicut seta linum. iuxta verbum Augustini, Eccl. 15. Timor Domini initium dilectionis eius. Itẽ principium est sapientiæ, Prou. & Eccl. 1. Ber. super Cant. Instructio doctos facit, affectio sapientes. Aliud est multas diuitias scire, aliud possidere: nec notitia diuitem facit, sed possessio: nec cognitio sapientem, sed timor facit qui & efficit. Tu ne sapientem dixeris, quem sua scientia inflat. ¶ Item Bernardus: Initium sapientiæ, timor Domini: quia tunc primo Deus animæ

sapit,quum eam afficit ad timendum,non quum instruit ad sciẽdum.Times Dei iustitiam,times Dei potẽtiam,& sapit tibi Deus iustus & potens:quia timor est sapor. Porrò sapor facit sapientem,sicut scientia scientem. Timori sapiunt mala prout debent sapere. Et hæc est prima species saporationis spiritualis. Ecclesiast.1.Radix sapientiæ, timere Deum.In eodem: Plenitudo sapientiæ,timere Deum.Item in eodem: Corona sapientiæ timor domini.Corona facit ad ornatum capitis, & timor Dei est ornamentum sapientum.Sapientibus etiam causa est coronæ eternæ.Item Prouer.16.Timor Dei disciplina sapientiæ.Homines literati absque timore Dei indisciplinati sunt: sed timor domini hominem grauem & maturum reddit. Grego.Anchora mentis, pondus timoris. Item timor Dei hominem temperatum reddit. Prou.22.Finis modestiæ timor domini,id est, cõsummatio modestiæ.Item timor domini hominem fortem efficit.Prouerb.14. In timore domini fiducia fortitudinis. Hæc fiducia debilitatem hominis in Dei fortitudinẽ mutat.Esa.40. Qui sperant in domino,mutabũt fortitudinem. Greg. In via domini timor operatur fortitudinẽ,in via seculi debilitatem.Signum fortitudinis est,ꝙ timor Dei vincula cupiditatum dirumpit.Item quòd cum ardoribus habitat sempiternis.Esaiæ 33.Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?Timor facit impleri illud Esaiæ 35. Tunc saliet sicut ceruus claudus,secundum illud Poëtæ:Pedibus timor addidit alas.Timor transilire facit montes & colles altitudinum terrenarum.Timor fortissimos reddit pœnitentes ad portãda onera pœnitentiæ.Timor carcerem inferni, mortem, & tormenta quæ hostis ei minatur,in gladiũ & ignem contra eum conuertit. Hæc sunt eius refugium, iis se tuetur cõtra tela inimici. In igne illo ardorem concupiscentiarum extinguit. De inferno quasi de turri fortissima tela hostium despicit.Timor ad infernum cõfugiens ab illo maximè fugit.¶ Itẽ timor hominem obedientẽ reddit. Eccle.2. Qui timent dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei.In eodem: Qui timent dominum, custodient mandata illius. Geneſis 22.Dictũ est Abrahæ obedienti: Nunc cognoui, quòd timeas dominum. Gregor.in 1.parte Moral. Deum timere est,nulla quæ facienda sunt præterire. Quomodo timor plenitudinem virtutum operetur, ostendit Bernardus ad fratres de monte Dei,loquens de ingratitudine religiosorum: Timor Dei incipit operari omnium virtutum plenitudinem, dum per iustitiam defert maiori, per prudentiam non credit se sibi, per tempe

temperantiam refugit discernere, per fortitudinem totum se obedientiæ subdit non discernendæ, sed adimplendæ. Item timor domini est fons vitæ indeficiens.Prouerbiorum 14. Timor domini,fons vitę vt declinet à ruina mortis.Eiusdem 10. Timor domini apponet dies.Prouerbiorum 19. Timor domini ad vitam, supple, seruandam. Item timor domini hominem glorificat. Humiliat enim hominem, humilem verò spiritu suscipiet gloria.Prouerbiorum 29.Ecclesiast.1. Timor domini, gloria & gloriatio. Eiusdem 1. Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum.Eiusdem 25. Gloria senũ timor domini. Iudith vlt. Qui timẽt te, domine, apud te magni erunt per omnia. Prouer. vltim.Mulier timens Deum,ipsa laudabitur.Ecclesia.25.Quàm magnus est qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Deum. ¶ Item timor Dei dum vana delectatione hominem cohibet, veram delectationem Dei meretur. Ecclesi. 1.Timor domini lætitia,& corona exultationis.In eodẽ:Timor domini delectabit cor,& dabit lætitiam & gaudium in longitudine dierum. Timor domini est sicut ventus aquilo dissipans pluuias.Prou.15.Ipse nubes carnalium cogitationum & affectionum fugat,& mentem serenat, rinos concupiscentiam restringit,reptilia vitiorum de terra corporis humani exterminat,mare mundi congelando consolidat, vt super illud ambulare quis possit.sicut fecit Petrus Mat.14.Vbi timor est,frigus est,ardores desideriorũ carnalium & secularium temperãs. Timor mediũ fornacis Babylonicæ facit quasi ventum roris flantem.Danie.3. Timor Dei adeò hominẽ meliorat,vt vnus timens Deum mille aliis præferendus videatur.Ecc.15.Melior est vnus timens Deũ, quàm mille filij impij:Bona etiã transitoria multum meliorare videtur:modicum enim cum timore Dei præferendum esse videtur multis diuitiis sine timore domini.Prouerbiorum 15. Melius est parum cum timore domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.Et vt breuiter dicamus,finis salubris doctrinę videtur esse timor domini. Ecclesiast. vltimo: Finem loquendi pariter omnes audiamus. Time Deum &c. ¶ De timore dicitur Esaiæ 11.quòd Christum repleuerit,quum de aliis donis tantummodo dicat,quòd in Christo requieseerent. Timor Dei replere debet vitos sanctos.Bernard.loquens de spiritu timoris: Nec mirum, iste est qui totum sibi debeat hominem vẽdicare.Item: Non est quo admittas superbiam repletus timore domini. Viri sancti timent semper & vbique. Ecclesiast.18. Homo sapiens in omnibus metuit.Prouerbiorum 28.Beatus homo qui semper est pauci-

dus. Quòd semper sit timendum, ostendit Bernardus super Cant. dicens: Quum adest gratia, time ne non dignè opereris ex ea. Amplius time subtracta gratia, quia relinquit te custodia tua. Si redierit gratia, multo amplius tunc timendū, ne fortè contingat pati recidiuum. Recidere enim quàm incidere deterius est, iuxta illud Ioannis 5. Ecce iam sanus factus es: noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. ¶ Aliæ tres causæ timoris possunt assignari. Quarum prima tangitur in Psal. Delicta quis intelligit? Delictum dicitur peccatum omissionis à delinquendo. Multi verò sunt, qui licet non committant peccatum mortale, nesciunt tamen vtrum omittendo mortaliter peccent. ¶ Alia causa timoris potest esse, quia multa videntur homini bona quæ Deus intelligit esse mala. Grego. Plerunque in conspectu sordet æterni iudicis, quod intentione fulget operantis. 1. ad Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. ¶ Tertia causa est, quia nescit homo qualis futurus sit finaliter, licet in præsenti sit bonus. Eccles. iast. 9. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorū in manu Dei: & tamen nescit homo vtrū amore an odio dignus sit. Intellige finaliter. Potest enim aliquis in momento cadere, & non adiciet vt resurgat. ¶ Vbique timendum est, quia de quolibet statu aliqui damnantur. Osee 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis: quia ipse inter fratres diuide. Et loquitur de inferno, Matth. 24. Duo in lecto, vnus assumetur, & alius relinquetur. Lectum intelligas quietem contemplationis. Timendum est homini ex omni parte. Homo enim est sicut castrum vndique portas habens per quas capi potest. Portæ istæ, sensus sunt. Est etiam homo sicut castrum obsessum vndique ab hostibus. Sapientiæ 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Viri sancti non solùm timent in malis, sed etiam in bonis. Iob nono: Verebar omnia opera mea. Grego. Piarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Idem: Si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa subegimus, ipsa in nobis bene gesta timeamus. Greg. in 2. parte Moralium: Iusti omne quod agunt metuunt, dum cautè considerant ante quem iudicem stabunt.

De speciebus Timoris. CAP. III.

NOtandum quòd super illud Prou. 1. Timor domini principium sapientiæ, distinguit Glo. Bedæ duas species timoris his verbis: Duo sunt timores domini seruilis, qui principium sapientiæ

pientiæ est: & admirabilis, qui perfectionē sapientiæ comitatur. Seruilis principium est sapiētiæ: quia qui post errata sapere incipit, primò timore diuino corripitur ne puniatur: sed hunc perfecta charitas foras mittit. Succedit huic timor domini permanens in seculum seculi, quem non excludit charitas, sed auget, quo timet filius ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Bernard. in sermonibus distinguit tres species timoris, his verbis: Primus timor est, ne cruciemur in gehenna. Secūdus, ne excluſi à visione Dei priuemur tam inæstimabili gloria. Tertius rapiet animā omni solicitudine timidā, ne fortè deseratur à gratia. Sed nec Beda, nec beatus Bern. ponūt species timoris nisi diuini. Vnde possunt distingui sex species timoris, vt enumerentur omnes species timoris, siue sit timor bonus, siue malus, vel neque bonus neque malus. ¶ Prima species timoris est timor naturalis, quo quilibet timet naturaliter nociuū naturæ. Hic timor nō est meritorius, neque demeritorius, quia non subest libero arbitrio. Hoc timore timuit Christus naturaliter mortē. Marc. 14. Cœpit Iesus pauere. ¶ Secūda species est timor humanus: quum scilicet aliquis timet amplius debito corpori suo. Qui timor prohibetur, Mat. 10. Nolite timere eos qui occidūt corpus. Et procedit ex nimio amore præsentis vitę. Et sicut amor præsentis vitę quādoque est veniale peccatum, vt quādo est citra Deū. Quandoque verò est mortale, vt quando non est citra Deum: Ita timor humanus est veniale peccatum, quando oritur ex amore veniali. Quandoque mortale, vt cū oritur ex amore mortali. De quo amore Ioan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam. Ex timore humano negauit Petrus Christum. Matthæi vicesimosexto, Marc. decimoquarto, Lucæ 22. ¶ Tertia est, timor mundanus, quando aliquis nimis timet rebus suis. Iste timor fuit in Iudæis quum occiderēt Christū. Ioann. capit. duodecimo: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Iste timor multum habet cruciatus. Augustinus: Diuitię plus excruciant adeptę amissionis timore, quàm concupitæ adeptionis ardore. ¶ Quarta species est, timor seruilis. Timor seruilis est, vt ait Augustinus, quum propter timorē gehennæ continet se homo à peccato. Et iste timor non est cum charitate. Vnde Augustinus loquens de hoc timore: Inaniter, inquit, putat victorem se esse peccati, qui timore non peccat: quia si non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Idē: Ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod nō licet fieri: sed ideò nō facit, quia nō potest impune fieri. Nam

quan

quantum in ipso est, mallet non esse iustitiam prohibentem atque punientem. Et vtique si mallet non esse iustitiam, quis dubitabit quòd si posset, eam auferret? Ac per hoc quomodo iustus est iustitiæ talis inimicus? vt si potestas detur, præcipientem auferat ne comminantem vel iudicantem ferat. Inimicus ergo iustitiæ est, qui præ timore non peccat. Amicus autem erit, si eius amore non peccet. Item super illud Psalmographi: Confige timore tuo carnes meas. dicit glossa, Timor legis seruilis pædagogus in me præcessit, qui ad castrũ duxit, sed non crucifixit carnem: quia viuit peccandi voluntas, & sequeretur opus si speraretur impunitas. Et secundum hanc glossam non solum vocatur timor seruilis, quãdo aliquis dimittit peccare timore pœnæ futuræ: sed quando dimittit peccare timore pœnæ temporalis: vt faciebant multi in veteri lege, & vt fit hodie in multis religionibus. Roma. capite 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, &c. Timor seruilis est quasi vestis de sacco, cum qua nullus ingreditur regnum cælorum. Non licebat indutum sacco ingredi aulam Assueri. Esther 4. ¶ Quinta species est timor initialis, qui est cum imperfecta charitate. De quo 1. Ioan. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Glos. Timorem illum de quo dicitur, Initium sapientiæ timor domini. Quo timet quisque incipiens opera iustitiæ, ne veniat districtus iudex, & se minus castigatum damnet. Qui habet hunc timorem, timet puniri, & timet à Deo separari, quem iam amat: sed timor separationis principalior est. ¶ Sexta species est, timor filialis, qui est cum perfecta charitate, qui secundum aliquem vsum suum manebit in patria. De quo in Psalm. Timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Qui habet timorem filialem, cauet offensam patris cælestis, sicut bonus filius, etiam si sciret ex illa offensa nihil mali sibi accidere. Cum illo timore securitas est quum assit perfecta charitas. 1. Ioan. 4. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: qua sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Glos. Per hoc habemus fiduciam, quia imitamur perfectionẽ dilectionis eius in hoc mundo, amando scilicet inimicos. Vbi est perfecta charitas, deest remorsio cõscientiæ, & timor æternæ pœnæ. 1. Ioan. 4. Qui timet, nõ est perfectus in charitate. Glo. super illud, Charitas foras mittit timorem. Perfecta charitas perfectam iustitiam facit: nec habet vnde timeat, sed desiderat. Dicuntur sancti maximè timere gehennam, quia maximè cauent ea quæ ad gehennam ducunt. Greg. super Iob: Mens plus illuminata, plus timet. Hieronym. Prudenter timetur

metur quicquid accidere potest. Vsus timoris filialis in patria, dicitur esse quædam resilitio à Dei altitudine in propriam paruitatem. Poterit tamen videri alicui quòd timor filialis in patria, sit voluntas cauendi Dei offensam, vel quædam fuga spiritualis diuinæ altitudinis, qua scilicet electi refugiunt se æquare Deo, volentes esse ei subiectissimi. ¶ Et notandum, quòd quum timor sit fuga mali, malum verò diuidatur in malum pœnæ & malum culpæ, timor filialis fugit malum culpæ, scilicet Dei offensam: timor verò naturalis, naturaliter fugit malum pœnæ. ¶ Fuga verò mali pœnæ voluntaria pertinet ad alias quatuor species timoris: malum pœnæ diuiditur in pœnã sensus, & pœnam damni: & vtraque diuiditur in temporalem pœnam & æternam. Fuga pœnæ sensus temporalis pertinet ad timorem humanum. Fuga verò pœnæ sensus æternæ, ad timorem seruilem. Fuga damni temporalis, ad timorem mundanum. Fuga damni æterni, ad timorem initialem. ¶ Item notandum quòd timor sic describi potest: Timor est spiritualis fuga rei præpotentis vel excellentis. Et intelligas rem præpotentem, quæ præpotens est secundum suspicionem vel opinionẽ timentis. Res verò illa vel est bona vel mala. Si bona, fuga illius pertinet ad timorem reuerentiæ. Si verò malum est, aut fuga illius mali est bona aut mala. Si mala est, aut malum est, aut fuga illius mali est bona aut mala. Si mala est, pertinet ad timorem humanum, vel mundanum. Ad timorem humanum, si illud malum pertinet ad ipsam personam. Ad mundanum verò, si malum illius pertineat ad damna rerum. Si verò fuga illa bona est, & est sine charitate, pertinet ad timorẽ seruilẽ. Si verò est cum charitate, sed imperfecta, pertinet ad timorem initialem. Si verò est cum charitate perfecta, pertinet ad timorem filialem. Et notandum quòd cùm aliquod periculũ homini imminet, ipse timere debet eum qui habet omnia in sua potestate. Gregor. Quicquid est quod exterius sæuit, per hoc ille metuendus est qui hoc interius disponit. Psalm. Timeat dominum omnis terra. Aug. Si creaturæ sæuiant, Deum time, non illas, quia omnia sub ipso sunt. Glo. Cupiditatẽ nocendi per te habes: potestatẽ autẽ nocendi si ille nõ dat, nõ habes. Ideò Deus homo stans ante hominẽ, ait: Non haberes in me potestatẽ, nisi esset datum tibi desuper. Nec etiã ipse diabolus vel vnam ouiculam potuit tollere viro sancto Iob, nisi prius diceret, Mitte manum tuã. Iob 2. hoc est, da potestatem. 1. Mach. 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia eius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur. Esa. 8. Timorem eius, scilicet populi coniurantis contra me, non timeatis, neque paueatis dominum

exer

exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester. Item Esa. 51. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis qui quasi fœnum arescet? Prou. 29. Qui timet homine, citò corruet: qui sperat in domino, subleuabitur. ¶ Item non tandum quòd Ioannes Damascenus distinguit sex species timoris, vnamquanque describens his verbis: Diuiditur timor in sex species, in segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniã. Segnities est timor futuræ operationis. Erubescentia timor est in expectatione conuitij. Verecundia timor est in turpi facto. Admiratio est timor ex magna imaginatione. Stupor est timor ex inconsueta imaginatione. Agonia est timor per casum: scilicet per infortunium. De erubescentia dicit Ioannes Damascenus, quòd est optima passio. Philosophus de iuuene quodam: Erubuit, salua res est. Senec. in epistolis: Verecundia bonum in adolescente signum est. Tullius in libr. de offic. Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. Bernard. super Cantic. Nescio si quicquam gratius verecundia in moribus hominum deprehendi queat. Verecundia omnium est ornatus ætatum: sed in tenera ætate amplius pulchriúsque enitescit. Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc & quàm splendida gemma morum in vultu adolescentis, quàm vera & minimè dubia, bonæ nuntia spei, bonæ indolis index est? Quid ita? turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitiuum. Soror est continentiæ. Nullum est æquè manifestum signum columbinæ simplicitatis. Et ideò testis est innocentię. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens: vt nihil in ea turpe vel indecorum residere attenter quod non illico prodat. Idem: Verecundia spiritalis gloria est conscientiæ, famę custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitię, naturę laus, insigne totius honesti. De erubescentia bona vel mala, require in tractatu de superbia, vbi agitur de ornatu mulierum.

De his quæ possunt incutere Timorem. De attendendis circa extremum iudicium. Et varietate, acerbitate, & infinitate pœnarum infernalium. CAP. IIII.

DVodecim sunt quæ possunt homini incutere timorẽ. ¶ Primũ est, cõsideratio lacrymarũ Christi. Verisimile est statũ illum valde periculosum esse pro quo Deus fleuit. De lacrymis Christi, habetur Lucę 19. Vidẽs Iesus ciuitatẽ, fleuit super illã. Et Io. 11. Et lacrymatus est Iesus. Et 5. ad Heb. Cũ clamore valido, & lacrymis preces offerẽs exauditus est pro sua reuerẽtia. Ber. Cõpatitur Dei filius, & plorat: homo patitur, & ridebit. ¶ Secũdũ est, consi-

deratio passionis Christi. Ber. Ex cõsideratione remedij, peri culi mei æstimo quãtitatẽ. Filius enim occidi iubetur, vt vulneribus meis prętioto sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce homo quàm grauia sint illa vulnera pro quibus necesse est Christũ dominũ vulnerari. Sic medicinæ æstimatio, & timoris & doloris est exaggeratio. ¶ Tertium est, consideratio culpabilitatis nostræ. Si enim timet aliquis, quum scit se reũ esse vnius criminis in curia alicuius terreni principis: quantum timere potest qui tot & tantorum criminũ scit se reum esse apud districtissimum iudicẽ? ¶ Legitur de quodã rege nobilissimo qui fuit in Græcia, qui memor malorũ suorũ & diuini iudicij, semper tristis erat, etiã cum solennitates cũ principibus suis celebrabat. Qui interrogatus super hoc à quodam fratre suo, voluit ei causam suæ tristitiæ ostendere, & misit buccinatores suos ante portã eius, quod secundũ consuetudinẽ illius regni certissimum erat signũ mortis. Et cùm frater regis ad regem esset adductus, & non modicum timeret, & valde tristis esset, requisiuit rex quare non gauderet. Cui cùm frater respondisset, quomodo in statu tali gaudere posset, indicauit ei rex causam tristitiæ suæ. Si enim ille tantum timebat qui sciebat regẽ esse fratrem suũ, & qui in nullo sciebat se esse culpabilem apud eum, quia aliqua signa offensæ regiæ audierat: merito timere poterat qui in tot & tantis sciebat culpabilem se esse apud dominũ maiestatis. Hiero. in epistolis: Si tanta cura pertimescitur iudiciũ pulueris, qua intentione cogitandum est, qua formidine pręuidẽdum tãtæ iudiciũ maiestatis? ¶ Quartum est, consideratio humanæ infirmitatis & impatientiæ. Adeo enim sunt homines impatiẽtes, quòd musca vna si eos diu infestauerit, facit eos irasci quãdoque vsque ad Dei blasphemiam. Et modica pœna temporalis quãdoque affligit hominem vsque ad tædium vitæ: vt patet in Elia. 3. Reg. 19. qui petiit animæ suæ vt moreretur. ¶ Quintũ est, misericordia quã Deus exhibet hominibus in præsenti. Secundũ enim magnitudinem misericordiæ in præsenti, erit magnitudo iustitiæ in futuro. Sicut enim Deus est summè misericors, ita summè iustus. Et sicut opera misericordiæ ipsius in præsenti reputatur stultitia, comparatione facta ad hominũ misericordiam: sic iustitia eius in futuro furor hominibus apparebit. Naũ 1. Vlciscens Deus, & habens furorẽ. Furor videbitur quando peccatores pro quorũ salute mori voluit, in ignem proiciet, nec eos de cætero ab igne eruet. Sicuti mulier furibunda iudicaretur si filiũ suũ in ignẽ proiceret, & inde extrahi non permitteret. ¶ Sextò valere possunt ad timorem incutiendum

opera

opera iustitiæ,quæ.legitur Deus fecisse in mundo isto:vt est vindicta quam sumpsit de Lucifero, & angelis qui ei adhæserunt, quos propter peccatum superbiæ irremediabiliter damnauit. Luc.10.Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem.2.Pet. 2.Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, &c.Glo.Rudentes sunt funes quibus nautæ vela suspendunt, vt flante aura portus trãquillitatem relinquant, séque ambiguis fluctibus credant:quibus rudentibus conuenienter immundorum spirituum conamina cõparantur, qui mox vt flante superbia impulsi se aduersus creatorem erexerunt:ipsis elationis suæ conatibus in abyssi profundum sunt rapti.Aliud opus iustitiæ est,pœna mundo inflicta pro peccato primorũ parẽtum.Pro peccato enim gulę totus mundus adiudicatus est morti temporali, & aliis miseriis huius exilij. Aliud opus iustitiæ fuit diluuium quo totus mundus pro peccato carnis est submersus,exceptis octo animabus. Gen.7.Iob 26, Quum vix paruam stillam sermonis eius audierimus,quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri? Tonitruũ intelligas terribilẽ aduentum maiestatis eius, vel sententiam dandam in extremo iudicio.Stillam sermonis,intelligas iustitiam præsentem. ¶Septimò,facilitas pereundi & spiritualiter & corporaliter,quę est in mundo isto, propter quam in vmbra mortis dicimur esse. Esaiæ 9.Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Lucę primo.Visitauit nos oriens ex alto:illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.¶Octauò,Dei omnipotentia, cui nemo potest resistere,& quam nemo potest effugere.In Psal. Quis nouit potestatem iræ tuæ?Esaiæ 47. Vltionem capiam,& non resistet mihi homo.Luc.12.Illum timete qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. In Psalm.Si ascendero in cælum,tu illic es:si descendero in infernum, ades &c.¶Nonò, Dei sapientia lucidè videns omnia, cui nihil potest ascondi.3 Regum 16.Deus intuetur cor.Boëtius:Magna nobis,si dissimulare nolumus, indicta est probitatis necessitas, quum agamus coram oculis iudicis cuncta cernentis. ¶Decimò,zelus diuinæ iustitiæ,qui ex hoc apparet,quòd Deus pater potius voluit vt eius vnigenitus pœnam quam debebat humanum genus,solueret,quàm ipse eam remitteret. Romano.8, Qui proprio filio suo non pepercit.Bernard.super Cantic. Qui non parcit filio, nunquid parcet figmento? nunquid parcet serno nequam? Lucę 23.Si in viridi ligno hęc fiunt,in aridoquid fiet?¶Vndecimum,extremum iudiciũ,circa quod multa attenda

denda sunt quæ valere possunt ad incussionem timoris. ¶Primum est hoc, quòd scriptura sacra in tot locis comminationes facit pertinentes ad hoc iudicium.Deu.32.Si arripuerit iudicium manus mea,reddam vltionem hostibus meis: & his qui oderunt me,retribuã: inebriabo sagittas meas sanguine,& gladius meus deuorabit carnes, id est,carnaliter viuentes. Iob19. Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis, gladius est, & scitote esse iudicium. In Psal. Quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Esa.13. Vlulate,quia propè est dies domini. In eodem: Ecce dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque. Ierem. 46. Dies ille domini Dei, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis. Ezech.1. Propè est dies occisionis. Ioël.2. Propè est dies tenebrarum & caliginis,dies nubis & turbinis, In eodem: Magnus dies domini,& terribilis valde,& quis sustinebit eum? Amos 5. Væ desiderantibus diem Domini. Sophon.1. Vox diei domini amara tribulabitur ibi ortis.In eodem:Dies iræ dies illa,dies tribulationis & angustiæ.Malac.4.Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erũt omnes superbi,& omnes facientes impietatem stipula.In eodem:Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequã veniat dies domini magnus & horribilis.ad Heb.10. Terribilis est expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. In eodem:Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. ¶Secundum est, solicitudo quam habebant amici Dei antiquitus de hoc iudicio. Iob 31. Quid faciam quum surrexerit ad iudicandum Deus? & quum quæsierit, quid respondebo ei?Eiusdem 14. Quis mihi tribuat,vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus? Hieronym. Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper insonare videtur auribus meis illa terribilis tuba, Surgite mortui,venite ad iudicium.In Psalm.Domine,ne in furore tuo arguas me. In vitis patrum dixit abbas Amon cuidam fratri interroganti aliquem sermonem: Vade,& fac talem cogitationem tuam,qualem faciũt illi qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines,vbi est iudex, & quando veniet, & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic & monachus debet animam suam obiurgare,dicens:Væ mihi si nõ cogitauero, quomodo habeo astare ante tribunal Christi,& actuũ meorum reddere rationẽ. Si sic semper meditatus fueris,poteris saluus esse. ¶Tertio,attendenda sunt signa terribilia præcedentia iudiciũ.Quinq; signa tanguntur Luc.21.Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis,& in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & flu-

ctuum. Duo prima specificantur Ioël. 2. vbi dicitur, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus & horribilis. De tribus simul habetur Apoca. 6. Vidi, & ecce terræmotus factus est magnus, & Sol factus est niger antequã saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ cæli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, quum à vento magno mouetur. De eisdem similiter habetur Matth. 24. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo. De quarto signo quod erit pressura in terris, legitur similiter Matt. 24. Erit tunc tribulatio, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. ¶ Quintum signum est confusio maris: quam confusionem aliqui æstimant fore quòd mare cum fragore magno peribit, secundum illud Apo. 21. Et mare iam nõ est. Hier. in annalibus libris Hebræorum, inuenit quindecim signa quindecim dierum ante diem iudicij: sed vtrũ continui futuri sint dies illi, an interpolati, nõ expressit. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secundo, tantũ descendet, vt vix videri possit. Tertio, marinæ belluæ apparentes supra mare dabunt rugitus vsque ad cælum. Quarto, ardebit mare & aqua. Quinto, herbæ & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexto, ruent ædificia. Septimo, petræ adinuicem collidentur. Octauo, generalis fiet terræmotus. Nono, æquabitur terra. Decimo, exhibũt homines de cauernis, & ibunt velut amẽtes, & non poterunt mutuo loqui. Vndecimo, surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra. Duodecimo, cadent stellæ. Tertiodecimo, morientur homines viuentes tũc, vt cum mortuis resurgant. Quartodecimo, ardebit cælum & terra, scilicet superficies terræ & aëris. Quintodecimo, fiet cælum nouum, & terra noua, & resurgent omnes. ¶ Et possunt assignari sex causæ, quare signa iudicium præcedent. Prima, vt magnũ malum futurum nuntient. Greg. in homil. illius Euangelij, Erunt signa in Sole, &c. Quid terrores quos cernimus, nisi sequentis iræ præcones dixerim? ¶ Item in homilia illius Euangelij, Cùm audieritis prælia. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt indicantur mala perpetua quæ subsequentur. Et subdit Gre. Multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nuntiare. Secunda causa est, quam tangit Greg. in eadem homil. dicens: Quia in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur. Et subdit: Omnia quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ: sed cuncta quæ ad vsum prauitatis inflexi-

mus

mus, ad vsum nobis cõuertuntur vltionis. Tertiam causam tangit Beda, dicẽs: Appropinquante suo termino, elementa quasi pauida nutant & tremunt. Quarta causa est, vt scilicet creaturæ ostendantur paratæ esse ad vleiscendũ creatorem de hostibus, suis. Imminente guerra solet fieri armorũ ostensio, & faciunt principes vt subditi eorum armati conueniant: sic fiet antequam Deus vindictã sumat de inimicis suis. Sap. 5. Accipiet armaturã zelus illius & armabit creaturã ad vltionẽ inimicorũ. Eiusdem 16. Creatura tibi factori deseruiens exardescet in tormentũ aduersus iniustos. Quinta causa tangitur super illud Esa. 24. Erubescet Luna, & confundetur Sol. Glo. Cernens illos qui eius lumine fruebantur nihil dignum Dei bonitate fecisse. Sexta est, vt sint incitamenta doloris. Chryso. Patrefamilias moriente domus eius turbatur, familia plangit & nigris se vestimentis induit. Sic humano genere, propter quod facta sunt omnia, circa finem constituto, totus destruitur mundus. Cæli ministeria lugent & candore depositio tenebris induuntur. ¶ Quartò, attendenda sunt insignia passionis Christi: scilicet crux, claui, lancea quæ ante iudicem erunt, & in carne eius videbũtur cicatrices, vt videãt in quem pupugerunt. Zacha. 9. & Apoc. 1. Tunc peccatoribus exprobrabitur magnum beneficium eis exhibitum, scilicet beneficium passionis Christi, & requiret Christus mortem suam ab eis tanquam pretiũ, quod pro eis dedit, cùm seipsos ei abstulerint, quos ita carè emerat: & ostendetur magna ingratitudo eorũ qui semel crucifixũ pro eis iterum crucifixerunt. Heb. 6. Rursum crucifigentes in semetipsis filium Dei. Vnde multũ confundentur, insignia passionis Christi videntes. Matth. 24. Tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Chrysost. Non erit tunc necessitas accusationis, cùm viderint crucem, & ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis. ¶ Quintò, attendenda est curiæ illius magnitudo, coram qua reprobi confundentur. Totus enim mundus erit congregatus ibi. Ioël. 2. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & discceptabo cum eis. Matth. 25. Sedebit super sedem maiestatis suæ, & cõgregabuntur ante eum omnes gentes. ad Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Canoni. Iudæ: Ecce venit Dominus in sanctis millibus facere iudicium, &c. ¶ Sextò, iudicis summa potestas à qua nõ licebit appellare. Non est qui de manu eius possit eruere. Iob 10. ¶ Septimò, iudicis perspicacitas, qui in eis quæ modo videntur esse iustitiæ, iniustitiam agnoscet. In Psa. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Isid. Ad districti examen iudicis, nec iustitia iusti secura

est,nisi pietate diuina,vt & ipsa iustitia,qua quisq; iustus est,Deo iustifica,nec iustificetur. Iudex ille non solum magna,sed etiam parua,quæ nunc vilipenduntur,in iudiciũ adducet.Eccl.12.Cuncta quæ fiunt,adducet Deus in iudiciũ.Et super illud Iob 31.Nónne ipse cõsiderat vias meas,&c.dicit Glo.Sic Deus vniuscuiusque vias considerat: sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes eius iudicio, nec verba tenuissima quæ apud nos vsu viluerunt,indiscussa remaneant. De cogitationibus dicitur Sap.6. Item cogitationes vestras scrutabitur. De verbis Matth.12. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.Etiam de tẽpore quod hodie multũ vilipenditur,ratio exigetur.Ber.Omne tempus tibi inpensum, requiretur qualiter fuerit à te expensum. Idẽ:Sicut capillus non perit de capite: ita nec momentũ peribit de tempore. Iudex scrutabitur Ierusalem in lucernis. Soph.1. Nec solum exiget rationem de peccatis propriis, sed quodammodo de alienis. Gen.4. Vbi est Abel frater tuus? Ezec.3.& 33.Sanguinem eius de manu tua requiram. Iudex rationem exiget etiã de bonis quæ ipse homini commisit, siue sint bona naturæ, siue fortunæ, siue gratiæ, & de malis quæ ei dimisit. Item exiget rationem de malis operibus quæ homo commisit,& de bonis operibus quæ omisit. ¶ Octauò,iudicis inflexibilitas:quia si beata virgo & omnes angeli,& sancti,& sanctę rogarent in iudicio pro aliquo qui tunc esset in mortali peccato, iudex non exaudiret eos. Prou.6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, non acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.Chrysost.Tunc nec diuitiæ diuitibus prosunt, nec parentes parentibus intercedunt, nec angeli (sicut solebant) pro hominibus faciunt verbum,quia natura iudicij non recipit misericordiam. Prou.11. Non proderunt diuitiæ in die vltionis. ¶ Nonò,magnus zelus iudicis.De quo zelo in multis locis loquitur scriptura sacra. Daniel.7. Thronus eius flammæ ignis. Malach.3. Quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans. Sapien.5. Accipiet armaturam zelus eius. Esa.30.Ardens furor eius,& grauis ad portandum.Eiusdem 66. Ecce Dominus in igne veniet. Apoc.6. Dicent montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum,& ab ira agni,secundum Augustinum mallent reprobi omne tormentum sustinere, quàm faciem iudicis irati videre. ¶ Decimò, causæ magnitudo: magnum enim est de quo erit illud iudicium. Illi enim qui obtinebit in illo iudicio, adiudicabitur regnum æternum. Ille verò qui cadet à causa illa, adiudicabitur

cabitur morti æternę. Matth.25. Ibunt hi in suppliciũ æternum, iusti autem in vitam æternam. ¶ Vndecimò,terribilitas sententiæ quæ tonitruum dicitur.Iob 26.Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?Gregor.in Moral.Quis eius iram toleret,cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari?Augustinus super Ioan.Qui ceciderunt ad vnã vocem Christi morituri.Io.18. quid facient sub voce iudicaturi? Esaiæ 30. Labia eius impleta sunt indignatione,& lingua eius quasi ignis deuorans. Osee 11. Quasi leo rugiet.Amos 4.Leo rugiet, quis non timebit? Zach. 9.Exibit vt fulgur gladius eius.Apocal.1.& 19. De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat. Gladius acutus ex vtraque parte est sententia,qua anima cum corpore damnatur. ¶ Duodecimò,sententiæ irreuocabilitas. Euolat enim emissum irreuocabile verbum iudicis. ¶ Tertio decimò,multitudo ministrorum ad executionem sententiæ paratissimorum.Mat.13.In consummatione seculi,mittet Filius hominis angelos suos,& colligent de regno eius omnia scandala,& eos qui faciunt iniquitatem:& mittent eos in caminum ignis.In eodem:Sic erit in consummatione seculi:exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorũ,& mittent eos in caminum ignis. ¶ Quarto decimò, angustia reproborum.Gregor. O quàm angustæ erunt vndique reprobis viæ.Superius erit iudex iratus,subtus horrendum chaos inferni,à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia,intus cõscientia vrens,foris mũdus ardẽs, miser peccator sic deprehensus quò effugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusat? Dico totus mundus:non offenso creatore totus mundus perditũ habet odio.Mũdus persequetur eum flamma & igne.In Ps.Sicut ignis qui cõburit syluã,& sicut flãma cõburẽs montes:ita persequeris eos in tẽpestate tua.Item: Ignis ante ipsum præcedet,& inflãmabit in circuitu inimicos eius.Angustia reproborũ ostenditur Esa.2.Ingredere in petram,& absconde in fossa humo à facie timoris domini.In eodem: Introibunt in speluncas petrarum,& in voragines terræ à facie formidinis domini. Apoc.9. In diebus illis quærent homines mortẽ,& non inuenient:& desiderabũt mori,& fugiet mors ab eis. ¶ Quinto decimo,impotentia reproborũ qui non poterunt resistere:sicut nec palea resistere potest igni,vel aliquis ligatus his qui eum ligauerunt.Mat.3. Paleas comburet igni inextinguibili. Eiusdem 13. In tempore messis dicam messoribus:Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendũ. Chrysost. Nec resistendi vir-

tus,nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus. Ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus. Matth.24. Tunc plangent omnes tribus terræ. ¶ Sextodecimo, defectus auxilij, quia non audebit nec angelus nec aliquis sanctus pro aliquo damnato rogare. Christus qui tantum hominesdilexit, quòd dedit semetipsum pro eis, ridebit de damnatione eorum. Prou.1. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Sancti etiam qui pro salute hominum morti se exposuerunt, lætabuntur,quia videbunt Dei contumeliam vindicari. In Psal. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Nec compatientur sancti miseriæ reproborum. Vnde glo. super illud Luc.16. Inter nos & vos magnum chaos firmatũ est &c. Iustorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiã habent, iam tunc authoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine cõstringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur. ¶ Decimoseptimo,denudatio peccatorum. Eccl.11. In fine hominis denudatio operũ illius. Esa. 47. Reuelabitur ignominia tua, videbitur opprobrium tuum. Ierm.20. Confundentur vehementer,quia non intellexerunt opprobrium sempiternum,quod nunquam delebitur. Nahum 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendã gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Matt.10. Nihil opertum quod non reueletur &c. 1.Cor.4. Veniet Deus,qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. ¶ Decimooctauo,aduersarij erunt multi,& fortes aduersabuntur peccatoribus, & angeli,& homines. Iob 20. Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra cõsurget aduersus eum. Loquitur de impio. Aduersabuntur eis non solum dæmones,sed etiam ipsi sancti. Sapien.5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Maximi aduersarij erunt peccata quæ damnandos tradent. Sapien.4. Venient in cogitatione peccatorum timidi,& traducent eos ex aduerso iniquitates eorum. ¶ Decimonono,certitudo reatus. Ad certitudinem istam faciet hoc, quòd ipse iudex erit testis. Ipso enim vidente peccata sunt commissa. Hier.29. Ego sum iudex & testis,dicit dominus. Malac.3. Accedã ad vos in iudicio,& ero testis velox maleficis & adulteris & periuris. Item ad certitudinem faciet,quod ipsi peccatores habebunt literas propria manu scriptas in conscientiis suis quæ testificabuntur contra eos Dan. 7. Iudicium sedit & libri aperti sunt. Libri, inquam, conscientiarum. Apocal. 20. Iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris,secundum opera eorum. ¶ Vigesimo,virtutum cælestium commotio.

Matth

Matth.24. Virtutes cælorum mouebuntur. Chriso. Si rex terrenus processurus contra aliquem, expeditionem mandat in populo,dignitates omnes mouentur,exercitus excitatur, tota ciuitas feruet: quanto magis rege cælesti exigente iudicare viuos & mortuos,angelicæ virtutes commouentur, terribiles ministri terribiliorem dominum precedẽtes? Iob 26. Columnæ cæli contremiscunt,& pauent ad nutũ eius. Interl. Nõ timore pœnali,sed admiratione. Hierony. Quid faciet virgula deserti,vbi concutitur cedrus paradisi? Ad hoc iudicium valde districtũ perueniendum est in præsenti, vt rationẽ reddamus corã vicariis Christi. In Ps. Beati qui custodiunt iudicium,& faciũt iustitiam in omni tempore. Hæc computatio frequenter facienda esset, & strictè frequenter propter labilitatem memoriæ. Ber. Computatio dilata,multa facit obliuiscì. Strictè ne minima prætereãtur. Matthæi 10. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Ex hoc quod nõ cogitatur hoc iudiciũ multa mala proueniũt. in Ps. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tẽpore. Et subditur causa: Auferuntur iudicia tua à facie eius. Prouerb. 28. Viri iniqui non cogitant iudicium: qui autem requirunt dominũ, animaduertunt omnia. Eccl. 18. Ante iudicium interroga teipsum. Cogitãdum esset illud iudicium cùm aliquid graue pro Deo toleratur. Gre. in homil. Illum diem fratres chariſſimi,illũ ante oculos ponite, & quicquid modo graue cernitur,in eius compassione vigetur.

¶ De pœnis inferni.

DVODECIMO, valere potest ad incutiẽdum timorem cõsideratio pœnarum futurarũ. Circa quas multa attendenda sunt. ¶ Primũ est,acerbitas earũ. Grauissima enim pœna quæ in hoc mũdo toleratur,minor est etiã pœna purgatorij. Aug. Miro modo licet æternus nõ sit,grauis est ignis ille: exuperat enim omnẽ pœnam quã aliquis in hoc mũdo perpessus est. Secũdum est,pœnarũ diuersitas,& inueniũtur in Sacra scriptura nouẽ pœnæ. Prima est,ignis. Secũda,vermis. de quibus Esa. vlt. Vermis eorũ nõ morietur,& ignis eorum nõ extinguetur. Iudith 16. Dabit eis ignẽ,& vermes in carnes eorũ,vt vrãtur & sentiant vsq; in sempiternũ. Iob 20. Deuorauit eũ ignis qui nõ succẽditur. Nõ est necesse,quòd ignis ille succẽdatur,cùm nunquã extinguatur. Ecc. 7. Vindicta carnis impij,ignis,& vermis. Eiusdem 21. Stupa collecta synagoga peccãtiũ, & consummatio eorum flamma ignis. Apocal. 20. Qui nõ est inuẽtus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnũ ignis. Mat. 25. Discedite à me maledicti in ignẽ ęternũ. Lucæ 16. Crucior in hac flamma, ait diues epulo. ¶ Tertia est,

fœtor quasi sulphuris. In Psalm. Ignis, sulphur, & spiritus procellarũ pars calicis eorum. Esa. 30. Flatus domini quasi torrens sulphuris succẽdens eam, Apocal. 21. Pars illorum erit in stagno ardẽti, igne & sulphure. ¶ Quarta erit frigus. Mat. 13. Ibi erit fletus & stridor dentiũ. Stridor dentiũ solet sequi frigus. Iob. 24. Ad nimium calorem trãsient ab aquis niuium. ¶ Quinta erit fames. Esa. 65. Serui mei comedent, & vos esurietis: erit ibi tãta inopia quòd nec vnã guttã aquæ habere poterũt, vt patet in diuite epulone in inferno sepulto. Lucæ 16. & Iob 27. Apprehendet eũ quasi aqua inopia, vbi dicit gl. Diues in inferno, cogente inopia, vsque ad minima petenda perductus est, qui sua tenacitate vsq; ad minima neganda pauperibus restrictus est. Itẽ Gregorius: Guttam petiit qui micam negauit. Ibi erit tantus defectus boni, vt mors quæ in mundo isto præ cæteris timetur, ab hominibus desideretur. Apocalyp. 9. Desiderabunt homines mortem, & mors fugiet ab eis. Ibi habebit locum illud Eccle. 41. O mors quàm bonum est iudicium tuum? Vtilius esset homini si tũc se interficere posset, quàm si posset interficere diabolum: quia diabolo interfecto non cessaret cruciatus eorum. Ibi erunt septem anni magnę penuriæ obliuiſci facientes abundantiam præsentis vitæ. Gen. 41. Maxima penuria quæ erit ibi, erit priuatio diuinæ visionis. Gre. in Moralib. Fames interficit, quia suam faciem illis redẽptor abscondit. ¶ Sexta pœna erit tortorum. De qua Matth. 18. Tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum. ¶ Septima erit horror, tam loci, quàm dæmonũ. Iob 10. Ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Eiusdem 20. Vadent, & veniẽt super eum horribiles. Si tantum horrorem habet homo, quando videt in præsenti vnum dæmonẽ, quãtus horror erit vbi tot horribiles apparebũt & magis horribiles, vt videtur, quàm appareãt in præsenti? Si vnus de ministris carceris infernalis tantũ habet horrorem, quid habebit horroris ipse carcer? ¶ Octaua pœna & nona, erunt tenebræ & vincula. De quibus Matth. 22. Ligatis manibus eius, proiicite eum in tenebras exteriores. secundum Grego. in Moral. ignis infernalis concrementionem habet, sed lumen non habet: & non solum erit ibi pœnarum varietas, sed earum contrarietas. Gregor. Horrendo modo tunc erit miseris dolor cum formidine, flamma cũ obscuritate, & in eorũ interitu ipsa à suis qualitatibus tormenta discordant, quia à conditoris voluntate dum viuerent discrepabãt. Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia mors semper viuit: & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Mors perimit & extinguit,

tinguit, dolor cruciat & pauorem non fugat, flamma combutit, sed tenebras non discutit, quia enim cum diabolo contra suum creatorem concordarunt, creaturæ contrariæ conuenient ad eorũ pœnas. Item Greg. Sempiternus horror inhabitat: quia eius ignibus traditi, in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsati, semper pauore feriuntur, vt & quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. ¶ Tertium, attendendum circa pœnas est earum diuturnitas. Matthæi 15. Ite maledicti in ignem æternum. Diuturnitas pœnæ multum affliget reprobos. Satis facile est iacere in vno lecto suaui & mundo: & tamen si alicui posito in tali lecto diceretur, Iace, & quiesce, quia oportebit te ibi iacere X X. annis: ipse responderet: Potius vellem esse mortuus. Quid ergo erit de illo qui erit in igne ardenti, & sciet se mansurum ibi non tantum per X X. annos, vel centum vel mile, sed per infinita secula seculorum? In hac meditatione dicitur fuisse conuersus Falco, qui postea fuit episcopus Tholosanus. Esaiæ 33. Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis? Iob 20. Luet qui fecit omnia, nec tamen consumetur. glos. Vt sine fine crucietur, viuere sine fine compellitur. Interl. Cuius vita mortua fuit in culpa, eius mors viuet in pœna. August. 19. lib. de Ciuit. Dei. Ibi dolor permanet vt affligat, & natura perdurat: vt sentiat: quia vtrunque non deficit, nec pœna deficiet. ¶ Quartum est, pœnę vniuersalitas. Vniuersæ enim partes hominis post diem iudicij erũt in igne. Cùm aliquis non posset sustinere ignem in minima parte digiti per vnam horã, quãtus erit dolor quãdo totus homo erit in igne æternaliter? Augu. 13. lib. de Ciuit. Dei: Nũquam erit homini peius in morte, quàm vbi erit mors sine morte. Hierony. Tanta in inferno erit vis doloris, quòd mẽs ad aliud dirigi non poterit, nisi ad id quod vis doloris impellit. Signum huius doloris est, quòd dominus toties in euãgelio dicit, Ibi erit fletus, & stridor dẽtiũ. Matthæi 13. & 22. & 15. Si singulis diebus in quibus erunt damnati in inferno, flerent vnicam lacrymam materialem, plus exiret aquæ processu temporis ab vno damnato, quàm omnia vasa huius mundi caperent. Quod patet ex hoc, quòd omnia vasa huius mundi finita sunt & numero, & magnitudine, infinitis verò diebus erunt reprobi in inferno. ¶ Quintum est, consolationis defectus. Bern. Quid erit cùm se viderit illa miseranda cõditio omni consolatione nudatam in illas tenebras exteriores excuti, & ab illa beatorũ ecclesia perpetua excõmunicatione excludi? ¶ Sextum est, pœnarum infernaliũ inutilitas. Præsens pœna est

breuis,& leuis,& fructuosa:sed futura est longa, & grauis, & infructuosa: quia si aliquis fleret in inferno tantum lacrymarum quãtum est aquæ in toto mundo,non sufficeret ad ablutionem peccati vnius mortalis. Plus virtutis haberet hic lacryma, quàm omnes illæ.Augusti.de Fide,ad Petrum: In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis,nulla erit ibi correctio volũtatis,à quibus ita culpatur iniquitas sua, vt nullatenus possit ab eis vel diligi vel desiderari iustitia. ¶Præter prædicta notãdũ quòd malis dolor veniet ex diuersis causis. Primò,ex bonorum tẽporalium amissione.In Psal. Quum interierit, non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius. Secundo, ex hoc quòd tempus merendi transiit.Ierem.8.Transit æstas,finita est messis , & nos saluati non sumus.Tertiò,ex amissione æternæ gloriæ.in Psalm.Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui , id est , dum sancti vultum vel faciem tuã videbunt.Chrisostomus:Omnes gehẽnæ superat cruciatus,carere bonis quibus in potestate habueris perfrui.Quartò,ex praua societate.Socios enim habebunt dæmones horribiles,& homines igne infernali exustos.Esa.13. Vnusquisque ad proximũ suum stupebit , facies combustæ vultus eorum, Nahũ 2 .Facies omnes sicut nigredo ollæ.Ioël.2. Omnes vultus eius redigẽtur in ollã.Quintò,ex loci qualitate,qui erit tenebrosus& fumosus,qđ valde graue erit diuitib9 qui in prẽsenti domos volebãt habere sine fumo.Esa. 65. Isti fumi erũt in furore meo.

De dono pietatis. PARS IIII.

DOnũ Pietatis ascendendo est post donũ Timoris.Augustin quodã sermone de Timore: Esaias sapientiæ adiunxit intellectũ,tanquã quærẽtibus,vnde ad sapientiã veniretur? Respõderet,Ab intellectu.Vnde ad intellectũ? A cõsilio. Vnde ad cõsiliũ? A fortitudine.Vnde ad fortitudinẽ?A scientia.Vnde ad scientiam ? A pietate. Vnde ad pietatem? A timore. Greg.super illud Iob 1.Ibãt filij eius,&c.videtur velle,quòd pietas prout est vnum de septẽ donis , pro misericordia sumatur. Dicit enim , Pietas opera misericordię docet. Et paulò pòst dicitur in eadem glo. Pietas sine scientię discretione quomodo misereatur , ignorat. Glo.verò super 5.Matt. videtur velle , quòd Pietas sumatur pro cultu Dei,seu pro veneratione rerum sacrarum. Dicit enim:Secũda est pietas, quæ conuenit mitibus: qui enim piè quærit,honorat sancta.Et idem videtur Augustin.cum Greg.sensisse:quia secundũ Aug.pietas hominẽ iugo Dei subiicit,tanquã animal mãsuetũ.Sicut timor iugũ diaboli abiicit , si pietas Deũ coli vel honorari facit. Et adaptatur donũ timoris humilitati seu paupertati

tati spiritus,quæ laqueos diaboli euadit:pietas verò mansuetudini. vnde dicit Aug. In timore cor contritum & humiliatum sacrificatur Deo. Vnde ascenditur ad pietatem vt nõ resistatur voluntati eius vt dicatur,Non quod ego volo,sed quod tu.In timore Dei.Beati pauperes spiritu.In pietate verò,Beati mansueti. Et secundũ veritatem misericordia & veneratio sanctorum concomitantur se. Misericors enim Deum veneratur in paupere: immisericor verò Deũ in paupere despicit.Pro.14. Qui calũniatur egentem,exprobrat factori suo: honorat autẽ eum,qui miseretur pauperis.Honorantur etiã angeli in pauperibus, quum pauperes honorantur propter angelos eis ad custodiã deputatos, & contẽnuntur angeli in contẽptu pauperũ.Matt.18.Videte ne contẽnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis,quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei,qui in cælis est. ¶Et notandum,quòd aliquibus videtur pietas prout est donũ, differre à misericordia in hoc, qꝺ pietas respicit spiritualẽ necessitatem,misericordia verò respicit corporalem necessitatem.Occasiones verò sic distinguendæ sunt,ex eo, quod dicit glo.super illud 1. Tim.4. Pietas ad omnia vtilis. Omnis summa disciplinæ Christianæ consistit in pietate & misericordia. Connumerãtur enim ibi misericordia & pietas tanquam diuersa. Aliquibus etiam videtur quòd pietas releuando miseriam proximi procedat ex principiis fidei, misericordia verò procedat ex principiis iuris naturalis. ¶Misericordia dat pauperi eleemosynam,quia frater noster est naturalis eiusdem speciei nobiscũ: pietas verò dat eleemosynã, quia filius Dei est,vel mẽbrum corporis Christi: vel quia Christus reputat sibi fieri quod fit pauperibus. De misericordia & veneratione sacrarũ rerũ & creatoris & creaturarũ, habitum est in tractatu de Iustitia:ideò de dono pietatis breuiter hic pertrãsim9.

De dono Scientiæ. PARS V.

SCientia, prout donum est, sic videtur posse describi: Scientia est humanarum rerum cognitio,saluberrimæ fidei deseruiẽs. Et sumitur hęc descriptio ex verbis Aug.14.lib.de Trinitate:Philosophi,inquit,disputantes de sapientia, diffinierunt eam,dicentes:Sapientia est rerum humanarum diuinarúmque scięntia. Ego quoque vtrarũque cognitionẽ,id est diuinarum & humanarum, & sapientiam & scientiam dici posse non nego, verum iuxta distinctionem Apostoli.1.ad Cor.12. Alij datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ.Illa diffinitio diuidenda est, vt rerum diuinarũ cognitio propriè sapientia nũcupetur: humanarum verò cognitio, propriè scientiæ nomen obtineat. Nunc quicquid sciri

ab

ab homine poteſt in rebus humanis, vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuo: ſed illud tantũ quo fides ſaluberrima quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, roboratur, defenditur. Poteſt etiam ſic deſcribi: Scientia eſt lumen hominem dirigens in actione vel vſu temporalium. Aug. ſuper 1. ad Cor. 12. Sapientia eſt in contemplatione æternorum, ſcientia eſt in actione temporalium. Item Aug. Diſtat ab æternorum contemplatione actio, qua bene vtimur temporalibus rebus: & illa ſapientiæ, hæc ſcientiæ deputatur. Item Aug. in lib. de Trinitate: Hæc eſt, inquit, ſapientiæ & ſcientiæ recta diſtinctio, vt ad ſapiẽtiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis: ad ſcientiam verò temporalium rerum, cognitio rationalis. Aliquibus tamẽ videtur quòd ſcientia prout donum eſt, dicatur cognitio boni & mali. Vnde ſecundum eos ad donum ſcientiæ perrinet diſcernere quæ ſint vera bona & vera mala, & quæ ſint vmbræ verorum bonorum & malorũ. Item ad donum ſcientiæ pertinet diſcernere inter maiora bona & minora, & maiora mala & minora. Aug. in ſermone de Timore & pietate: Merebuntur ſcientiæ gradum, vt nouerint mala de quibus fleuerunt, ſcilicet, mala culpę: & in quo malo ſint huius peregrinationis & mortalitatis, etiam quum felicitas ſecularis arridet. Item Aug. in lib. de doctrina Chriſtiana, loquens de hac ſciẽtia, dicit quòd facit hominem interius lamentantem, non exterius ſe iactantem. Eccl. 1. Qui addit ſcientiam, addit & laborem. Et ſuper illud: Beati qui lugent. Matt. 5. dicit gl. Pij ſcientiæ ſpiritu illuſtrantur, vt ſciant quibus malis inuoluantur. ¶ Et notandum, quòd mala in quibus ſumus in hoc exilio, quæ ad donum ſcientiæ pertinẽt, quædam ſunt ex parte animæ, quædam ex parte corporis, quædam ex parte proximorum, quædã ex parte dæmonum, quædam ex parte rerum corporalium ſubiectarum. Ex parte animæ ſumus quantũ ad vim rationabilẽ in Ægypto tenebrarum, vbi multis plagis percutimur, ſicut Ægyptus multis plagis percuſſa eſt. Quantum vero ad vim concupiſcibilem, ſumus quaſi in mari rubro, vbi varij fluctus cõcupiſcentiarum ſibiinuicem ſuccedũt, vbi etiam fœtor & ſalſedo carnalis voluptatis eſt. Voluptas carnalis eſt velut aqua ſalſa, ſitim prouocans, non ſedans. Io. 3. Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Quantum verò ad vim iraſcibilem, ſumus in deſerto, vbi ſerpentes igniti ſunt, ſcilicet mortis iræ. In deſerto iſto aquæ dulces non inueniuntur. Et ſicut filij Iſraël Ægyptum reliquerunt, & mare rubrum, & deſertum tranſierunt antequam ad terram promiſſionis peruenirent:

rent: ſic tenebras ignorantiæ oportet relinquere, & carnales voluptates contemnere, & ferocitatem deponere antequam ad tranquillitatem conſcientiæ pertingamus. Ex parte verò corporis in multis malis ſumus. Corpus enim eſt velut grauis ſarcina ipſi ſpiritui. Sap. 10. Corpus quod corrumpitur aggrauat animã. Item eſt velut domus ruinoſa & perſtillans. Prouer. 19. Tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier, caro ſcilicet. Eiuſdem 27. Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur. Item eſt vt ſeruus maleuolus. Eccleſiaſt. 33. Seruo maleuolo tortura & compedes. Et eſt vt equus indomitus. Eccle. 30. Equus indomitus euadet durus. Et eſt vt falſus amicus. Eccleſiaſt. 6. Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. In eodem: Eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam. Item: Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. Item corpus eſt malus conſiliarius. Eccl. 37. A conſiliario malo ſerua animam tuam. Et eſt hoſtis domeſticus. Sapiens: Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Ex parte etiam proximorum ſumus in multis malis. Ipſi enim impellunt nos ad mortem. Sen. in epiſt. Inuitum alter alterum tradimus quomodo autem reuocari ad ſalutem poſſunt quos nemo retinet, populus impellit. Interrogatus quidam philoſopus, quid eſſet inimiciſſimum homini: reſpõdit, Alter homo. Periculoſius eſt homini venire inter homines, quàm inter lupos. Lupus ſolo ore nocet: homo verò non ſolo ore, nec etiam minus ore, quàm lupus nocet. Lupus nocet corpori: homo verò nocet animæ. Multi homines ſunt velut ſerpẽtes igniuomi, ignem infernalem ſpirantes. Iac. 3. Lingua noſtra ignis eſt vniuerſitas iniquitatis. Et paulò pòſt dicitur quòd inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna: id eſt, inflammat vitam noſtram inſtabilem à ſuggeſtione diaboli inflammata. Quum aliquis venit inter homines, periculoſum eſt ei & audire & audiri. Ber. Detrahere, vel detrahentem audire, quod horum damnabilius, non facile dixerim. Item periculoſum eſt & videre & videri: oculi enim hominum quaſi vim faſcinandi haberent, bona multorum quo ad valorem ſæpe adnihilant. Ipſi etiam ad modum baſiliſci, ſolo viſu multos interficiunt: illos ſcilicet qui ſunt cupidi vanæ gloriæ & vanę laudis. De malis in quibus ſumus reſpectu dæmonum, require in tractatu de Patientia, ca. de Sufferentia tentationum. Ibi enim dictum eſt de deceptionibus & impugnationibus dæmonum. ¶ Ex parte rerum inferiorũ in multis malis ſumus. Laquei enim ſunt nobis res illæ. Vnde verè poſſumus dicere, quòd

quòd laqueos comedimus, bibimus, & veſtimus. Cibo enim & potu & veſtibus multis multi à Diabolo capiuntur. Sap. 14. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animę hominũ, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Item ad donũ ſcientiæ pertinet cognoſcere infirmitatẽ peccati originalis. Cui infirmitati atteſtatur corruptio palati interioris, quæ facit vt mala homini ſapiant & bona deſipiãt. Sicut enim mala diſpoſitio palati corporis indicat infirmitatem corporalem: ſic mala diſpoſitio palati interioris infirmitatẽ ſpiritualem. Infirmitas originalis velut lepra eſt, propter quam aliquis deiicitur extra caſtra electorũ, quaſi indignus eorum conſortio. Vnde qui decedunt non baptizati, nõ admittuntur in ignem purgatorij. Item ad donum ſciẽtiæ pertinet agnoſcere varias infirmitates ſpirituales ſimiles infirmitatibus corporalibus, quæ in hominibus inueniuntur. In aliquibus febris ſpiritualis eſt, vt in illis qui ardore luxuriæ vexantur. Quæ febris figurata eſt Io. 4. in febre filij reguli, qui infirmabatur Capharnaum: in villa ſcilicet pinguedinis. Aliqui paralyſi laborant ſpirituali, quorum ſanatio figurata eſt in curatione paralytici. Matt. 9. Aliqui melancholia laborant, qui ſemper lugubres ſunt, habentes ſeculi triſtitiam quæ mortẽ operatur. 2. ad Cor. 7. Aliqui ſunt velut phrenetici, gaudentes quando eſſet flendum. Aliqui ſpirituali hydropiſi laborant, in quibus ſitis cupiditatis ſedari nõ poteſt: quorum figurã tenet hydropicus, quem dominus ſanauit. Luc. 14. Aliqui adeò incuruati ſunt ad bona temporalia, quòd cor ſuum ad cæleſtia erigere non poſſunt. Quorum infirmitas figurata eſt in infirmitate mulieris, quæ erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere, quam dominus ſanauit. Luc. 13. Aliqui ad modum inſanorum ſe reges aut principes eſſe credunt, & mirabiliter gaudent, quia habent inſignia dignitatis vel honoris: quum ſecundum veritatem contemptibiles ſunt, & indigni etiã cibo quo veſcuntur. Aliqui ad modum maniacorum trepidãt, vbi trepidandum non eſſet. Iob 15. Sonitus terroris in auribus eius: & cùm ſit pax, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Item ad donum ſciẽtiæ pertinet diſcernere inter vitam veram & non veram, & inter veram mortem & non veram. Vera mors, eſt mors gehennę: & cauſa eius, ſcilicet peccatum. Auguſt. Vera mors eſt quam homines non timent, ſeparatio animæ à Deo. Vera vita eſt coniũctio animæ cum Deo, vel per gratiam, vel per gloriam. Item ad donum ſcientiæ pertinet agnoſcere breuitatem præſentis vitæ. Iacob. 4. Quid eſt vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Iob 7. Memento quia ventus eſt vita mea.

mea. Item ad ſcientiam pertinet agnoſcere amaritudinem præſentis vitæ. Iob 14. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis. Eccl. 30. Melior eſt mors, quàm vita amara. Item pericula huius vitæ. Iob 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Alia litera habet, tentatio. Scientiæ etiam attribuitur abſtinere à malis, & liberari à malis. Iob 17. Secũdum aliã literam. Abſtinere à malis eſt ſcientia. Prou. 11. Iuſti autem liberabuntur ſcientia. Item ad donum ſcientiæ pertinet diſcretio maiorum bonorum & minorum. Diſcretio multis deeſt, qui habentes zelum Dei non ſecundum ſcientiam, minima bona magno amore amplectuntur, maxima negligentes. Donum ſcientiæ oſtendit ſpiritualem compaſſionem præferendam eſſe corporali, & prius occurrendum moleſtiis & damnis ſpiritualibus, quàm corporalibus: prius paſcendas eſſe animas & veſtiendas, quàm corpora: & prius ædificandum templum Dei viuum lapidibus viuis, quàm templum forinſecum de lapidibus non viuis, & amplius ſtudendum eſſe decori templi ſpiritualis quàm materialis. Minima tamen bona non eſſe negligenda. Matt. 23. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Item ad donum ſcientiæ pertinet agnoſcere deceptiones quas bona præſentia faciũt amatoribus ſuis. Credunt enim veram ſuauitatem eſſe in eis, cũ ecõtrario eos pungant. Vnde dominus vocat eas ſpinas. Mat. 23. Item credunt veram abundantiam ſeu ſufficientiam eſſe ex eis, cum econtrario eos potius exinaniant. Luc. 1. Diuites dimiſit inanes. Item credunt honorem & gloriam ex eis habere, cum econtratio eos in ſeruitutem vilem redigant. Vnde in Pſal. vocantur viri diuitiarum, qui nihil inuenerunt in manibus ſuis. Vnde ſequitur, Imagines eorum ad nihilum rediges. De diſtinctione ſcientiæ à fide, prudentia, conſilio, & intellectu, require in tractatu de Fide, cap. de commendatione fidei. Item in tractatu de Prudentia, vbi agitur de ſpeciebus Prudentiæ.

De dono Fortitudinis. PARS VI.

Poſt donum ſciẽtiæ tangendũ eſt de dono fortitudinis, vnde Aug. poſtquam locutus eſt de ſcientia quæ facit homines lugentes, ſubdit: Inde aſſurgunt ad fortitudinẽ, vt mundus eis crucifigatur & ipſi mũdo. Gal. 6. & toleretur fames ſitiſque iuſtitiæ. Poſtquã aliquis abiecit iugũ diaboli per timorẽ humiliantem, & manſuetẽ portat ſuaue iugũ Chriſti per pietatẽ, & agnoſcẽs mala huius exilij, luctũ gaudio prælegit, ipſe eſt crucifix⁹ ſiue mortuus mundo, & mundus mortuus ei. Ipſe nec bona mundi cõcupiſcit, nec mala pertimeſcit. Iuſtitię viuere vult, eã eſurit & ſitit, & ad eã

fortis

fortis est. De fortitudine dicit glo. Greg. super illud Iob. 1. Faciebant cõuiuia per domos, &c. Fortitudo in die suo pascit, dũ confidentiã cõtra aduersa trepidanti dat. Idẽ in ead. gl. Vile est consiliũ sine fortitudine, quia quod tractãdo inuenit, sine viribus ad actum nõ perducit. Item super illud Iob 1. Cõsurgénsque diluculo offerebat, &c. dicit glo. Offert per singulos, dũ pro vnaquaq; virtute Deo preces immolat, ne sapientia eleuet, ne intellectus erret, ne consilium dum se multiplicat confundat, ne fortitudo per fiduciam præcipitet, ne sciẽtia inflet, ne pietas extra rectum vertat, ne timor plus iusto trepidans desperet. Dicunt aliqui fortitudinem prout donum est, in hoc differre à fortitudine cardinali virtute, quòd fortitudo virtus cardinalis est circa arduũ naturæ simpliciter. Fortitudo verò donum est circa arduum naturę etiam adiutæ à gratia: vt est, Relinquere omnia, & similia, quæ propter sui difficultatem vel arduitatem non sunt in præcepto. De fortitudine, require in tractatu de virtutibus cardinalibus.

De dono consilij. PARS VII.

POst donum fortitudinis, dicendũ est de dono consilij. Vnde Aug. postquã locutus est de fortitudine, subdit: Veruntamen si qua delicta minutatim furtímque subrepunt, deesse consilium non debet. Neq; enim tantum potest fortitudinis gradus, vt qui cum astutissimo aduersario cõtinua certatione cõfligit, non aliquando feriatur, maximè per tentationes linguæ. Quod est ergo consiliũ, nisi, Dimittite, & dimittetur vobis? Lu. 6. Et ideo quinta beatitudo est, Beati misericordes. Idem in lib. de fide ad Petrum, Firmissimè tene, etiã iustos & sanctos homines, exceptis illis qui paruuli baptizati sunt, sine peccato hic neminẽ viuere posse, semperque omni homini esse necessariũ & peccata sua vsque in finẽ vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionẽ à Deo humiliter & veraciter postulare. De dono cõsilij dicit Gre. super. 1. Iob. Consiliũ in die suo pascit, dũ ratione animũ implet, prohibẽs esse pręcipitẽ. Idem in eadẽ gl. Fortitudo quę plus potest sine moderamine rationis, præceps ruit: vt patet in eo qui vouet & post præ difficultate nõ implet. Prou. 20. Ruina est homini deuotare sanctos, & pòst vota retractare. ¶ Et notandũ & nomẽ consilij quandoque largè, quandoq; strictè sumitur. Prout largè sumitur cõsiliũ, est examinata seu excogitata ratio alicuius faciẽdi vel nõ faciendi. Rationẽ hic intelligas opus rationis, scilicet responsionẽ rationabilẽ certificantẽ eũ qui petit consiliũ. Strictè verò sumptũ dicitur consiliũ, Dei voluntas, ad quã non constringimur imperio propter eius arduitatem vel difficultatem, sed est in potestate nostra

nostra vt impleamus illud, vel non impleamus. Bern. ad fratres de monte Dei, Nõ est vestrũ lãguere circa communia præcepta, nec attẽdere quid Deus præcipiat, sed quid velit, probantes quæ sit Dei volũtas, beneplacens & perfecta. De hoc consilio intelligitur verbũ Aug. dicẽtis: Si cõsilio vti volueris, minus boni adipiscéris, nõ mali aliquid perpetrabis. Cõsilium sic sumptum, illuminatio diuina est. Sen. in epistol. Bonus vir sine Deo nemo est. Nõ potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere. Ille dat magnifica consilia & recta. Talia fuerunt quæ attulit in mundũ istũ sapiẽtia Dei patris. Esa. 9. Vocabitur nomẽ eius, admirabilis, consiliarius. Ista sunt consilia pacis quæ attulit rex pacificus. De quibus Prou. 12. Qui ineunt pacis cõsilia, sequitur eos gaudiũ. Vnde cõsilium pacis est abrenuntiatio diuitiarum. Sene. Quietissime viuerẽt homines, si hęc duo verba tollerẽtur, meum & tuum. Hoc consilium habetur Mat. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes &c. Aliud consilium pacis est de continentia. De quo consilio Mat. 19. discipulis dicentibus, Si ita est causa hominis cum vxore, nõ expedit nubere. Dicit Christus, Non omnes capiũt verbum istud, sed quibus datũ est. Et subdit: Qui potest capere, capiat. Qui intendit deliciis carnis, non habet pacem: quum caro sit mulier litigiosa. Prou. 19. & 27. Aliud consilium pacis, est consilium de patientia. Sine patientia non habetur vera pax, patientia cedendo persecutori pacem sibi seruat. Sicut dicitur vulgariter, Non qui percutit, sed qui repercutit bellum facit. Non potest esse bellum si vnus iniuriam ab alio sibi illatam patiẽter portat. Aliud consilium pacis est consiliũ de humilitate. Humilitas est virtus Christi, in qua pax fit. In Psal. Fiat pax in virtute tua. Humilitas cum his qui oderunt pacem, est pacifica: scilicet cum superbis. Ipsa nulli molesta est, nullum comprimit vel angustat. Ipsa est velut quoddam inane & vacuum spirituale, vbi sine contradictione superbus se dilatat. Ipsa timori alieno non obsistit: sed sicut corpora concaua intra concauitatem suam corpora tumida recipiũt: sic humilitas molestiam superbo illatam infra sinum profunditatis suæ recipit. ¶ Et notandũ quòd consilium Christi à multis despicitur. Luc. 7. Pharisęi & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsis. In Psal. Non sustinuerunt cõsilium. ¶ Item notandum quòd cõsilium sicut & prudentia de faciendis est. Et est consilium de his quæ sunt ad finem. Damascenus: Ad finem est quod consiliabile est. De differentia vero consilij & prudentiæ, require in tracta. de Prudẽtia, vbi agitur de speciebus prudentiæ. Item notandum quòd consi-

liũ quatuor attẽdit:expediens,facile,certum, tutum,& cõtraria his, scilicet damnosum,difficile, incertũ & periculosum:qui cõsilium dat aliis paribus,expediẽs debet præponere damnoso, facile difficili, certum incerto,tutum periculoso. ¶Item notãdum ꝙ quidam dicũt,ad donum cõsilij pertinere an sit operãdum:ad prudẽtiam verò,qualiter sit operãdum.¶Item notãdum quòd in quibusdam inuenitur aliquid simile dono consilij per experientiam multam.Eccles.34. Vir in multis expertus, cogitabit multa.Item:Qui nõ est expertus,pauca recognoscit.Sed illa experiẽtia non est verè donum consilij. Consilium enim lumen est cæleste,excellentius quàm lumen prudẽtiæ, cum ipsam prudẽtiam rectificet. Per donum enim consilij declinat prudentia ne eam pœniteat. Eccles.32.Fili,sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.¶Item notãdum quòd circa consilium sunt quinque commẽdabilia. ¶Primum est,gratia consilium requirendi, quæ est in eo qui nõ est præceps ad operandum.Prouerb.19.Qui festinus est pedibus offendet. ¶Secundum est, gratia consiliarium eligendi. ¶Tertium,gratia dandi consilium. ¶Quartum, gratia examinandi cõsilium.¶Quintum est,gratia acquiescendi cõsilio. De primo legitur Tob.4. Cõsilium semper à sapiente require.Prouer.11.Vbi nõ est gubernator, corruit populus:salus autem,vbi multa cõsilia.Simile eiusdem 24. Erit salus vbi multa consilia sunt. Eiusdem 13.Astutus omnia agit cum consilio:qui autem fatuus est,aperiet stultitiam.Item 15. Dissipantur cogitationes vbi non est consilium : vbi verò plures consiliarij, confirmantur. Eiusdem 20. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.Cogitationes hic intelligas propositi quæ cõcipiuntur,quæ cõsiliis perficiũtur. Tullius in Rhetoric.Parua foris sunt arma,nisi sit consilium domi.1.Mach.5.In illa die ceciderũt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere,dum sine consilio exeunt in prælium.Eccles.30. Fili,sine consilio nihil facias &c.Eiusdem 37. Ante omnem actum præcedat cõsilium stabile.Prouer.4.Palpebræ tuæ præcedãt gressus tuos. ¶Ad eligendum consiliarium monemur,Eccles.6.Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.Pro consiliario ante omnes eligendus est Deus. Tobiæ 4. Omnia consilia tua in ipso permaneant.Iaco.1.Si quis sapientia indiget,postulet à Deo. Eccle.39. In oratione confitebitur domino, & ipse diriget consilium eius. Eiusdem 37.In omnibus his deprecare Altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam. Deinde recurrendum est pro consilio ad viros bonos.Eccl.38.Cor boni consilij statue tecum. Et

Et subditur : Anima viri sancti annuntiat aliquando vera, quàm septem circunspectores sedentes in excelso ad speculandum. Matthæ.11.Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.Esa.19.Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Eccle.37.A consiliario malo serua animam tuam.Prouerb.12.Consilia impiorum fraudulenta.Sed facienti consilium nequissimum,super eum deuoluetur.Ecclesiast. 27.Eiusdem 8.Cum fatuis non habeas consilium:non enim poterunt diligere, nisi ea quæ eis placent.Iob 31. Consilium impiorum longe sit à me.Gen.49.In consilium eorum non veniat anima mea.In Psal. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Eccles.8.Coram extraneo ne facias consilium:nescis enim quid pariet.Non est etiam habendum consilium cum homine de negotio quod eum tangit,vel de eo quod nimis odit,vel nimis diligit,ne vel fallatur,vel fallere velit. De hac materia habetur Eccles.37. Noli, inquit, consiliari cum socero tuo, vel cum patre vxoris tuæ.Ad literam,de aliquo, quod videtur esse contra vxorem:vel cum amicis carnalibus,de his quæ sunt contra carnem. Ierem.19. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. Michææ 7. Noli credere amico,& noli confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.Bernard.Amicos consulat quæ non legit, quòd inimici hominis domestici eius.Genes. 31. Iacob ignorante Laban socero suo, cum filiis & vxoribus atque pecoribus suis recessit de Mesopotamia in terram Chanaan. Legitur etiam Iudic.19. quòd Leuita quidam qui credidit socero suo, vt cum eo tribus diebus maneret,in via amisit vxorem suam à Gabaonitis oppressam,vnde postea strages populi magna secuta est. Ecclesiast.37.A zelantibus te abscondi consilium.Zelantes intelligas, vel inuidentes,vel nimis amantes.Item non est consilium quærendum à iuuenibus. Roboam regnum pro magna parte amisit consilio iuuenum acquiescens,consilio senum relicto. Ecclesia. 25.Quàm speciosa veteranis sapientia & gloriosus intellectus,& consilium. Gratia etiam dandi consilium commendabilis est.1. Mach.2.Ecce Simon frater vester,scio quia vir consilij est,ipsum audite semper.Præcipuè commendabilis est gratia in his qui habẽt alios regere.Eccle.25.Quàm speciosum canitiei iudicium,& presbyteris cognoscere cõsilium.Gratia etiam examinãdi consilium commẽdabilis est.Sen.Prudentis proprium est examinare consilia multorum,& nõ citò facili credulitate ad falsa prolabi.Item commẽdabilis est etiam gratia acquiescẽdi cõsilio.Pro-

uerb.12.Via stulti recta in oculis eius:qui autem sapiens est, audit consilium.Eiusdem 13.Qui agunt omnia cum consilio,regũtur sapientia.Moyses acquieuit consilio Iethro,licet minor esset. Exod.18.Non sic ille adolescens,qui audito verbo domini, Si vis perfectus esse &c.abiit tristis.Erat enim habens multas possessiones.Matthæ.19.

De præeminentia vitæ contemplatiuæ respectu actiuæ. PARS VIII.

DIcto de donis pertinentibus ad vitã actiuam, dicendum est de donis pertinẽtibus ad vitam cõtemplatiuam.In hac vero parte,Primò tãgetur de præeminentia vitæ cõtemplatiuæ ad actiuam.Secundo,distinguetur contemplatio à meditatione seu considerationesimplici & cogitatione: & tangetur de speciebus considerationis & contemplationis. Tertiò,agetur de dono intellectus.Quarto de dono sapientiæ.¶Circa primum notandum quòd duodecim sunt in quibus vita contemplatiua præeminentiam videtur habere respectu actiuæ. ¶Primum est, quòd contemplatiua meliori intendit, Deo scilicet, cum actiua intendat proximo.Contemplatiua dicit,Mihi adhærere Deo, bonum est. Lucæ 10.Vnum est necessarium,glos.Bedæ,scilicet Deo iugiter inhærere,In Psalm.Vnam petij à domino,hanc requiram.Isidorus in libr.differentiar.Inter actiuam & contemplatiuam vitam hæc distantia est.Actiua vita est quæ in operibus iustitię,& proximi vtilitate versatur. Contemplatiua autem quæ vacans ab omni negotio, in sola Dei dilectione defigitur. Vna in opere bonæ conuersationis, altera in contemplatione immutabilis est veritatis.Idem in lib.de summo bono: Actiua vita mundanis rebus bene vtitur.Cõtemplatiua verò mundo renuntians, soli Deo viuere delectatur.¶Secũdum est, quòd cõtemplatiua clarius videt.Vnde Genes.29. dicitur de Lia, quòd lippis erat oculis. Gregorius:Mẽs quæ contemplando otia appetit,plus videt, sed pauciores filios Deo generat: qui verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, & amplius parit. ¶Tertium est,munditia seu pulchritudo. Vnde Genes.29. dicitur de Rachele, quòd decora erat facie & venusto aspectu. Prouerb.3. Dicitur de sapientia:Viæ eius,viæ pulchræ. Cantic.5. Laui pedes meos,dicit sponsa:quomodo inquinabo eos? Quartum est, securitas. Secura est vita contemplatiua respectu actiuæ. Prouerb.1. Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.Glos.Facile euadit laqueos in terris, qui oculos habet in cælis. Prouerbio.3. Omnes semitæ eius pacificæ. ¶Quintum est, quies: quieta est vita contemplatiua. Vnde Lucæ 10. dicitur de Maria, quòd sedens secus pedes domini audiebat verbum illius.Glos. Maria sedet,quia contemplatiua pacatis vitiorum tumultibus optata, iam in Christo mentis quiete fruitur.Martha stat,quia laborioso actiua desudat in certamine. De Martha ibidem dicitur,Martha, Martha,solicita es &c.Et Ioan.11.dicitur quòd Maria domi sedebat. Hæc tria, scilicet pulchritudo,securitas,quies,tanguntur Esa.31. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. De securitate tangitur Deutero.33. Amantissimus domini habitabit confidenter.Amantissimus domini est vir contemplatiuus.¶Sextum est,iocunditas. Iocundior est cõtemplatiua quàm actiua.Vnde super illud Lucæ 10.Maria sedens secus pedes domini &c. dicit glos.Intenta erat Maria quomodo pasceretur à Deo, intenta erat Martha quomodo pasceret dominum. Hæc cõuiuium parat domino:in conuiuio domini illa iam iocundatur.Greg.in Moral.Contemplatiua vita meritò maior est,quàm actiua:quia hæc in vsu præsentis operis laborat:illa verò sapore intimo venturam iam requiem degustat. ¶Septimum est contemplatiuæ permanentia. De qua Luc.10. Maria optimam partem elegit,quæ nõ auferetur ab ea.Glo.Cõtemplatiua hic incipit,& in cælesti patria perficietur:quia amoris ignis qui hic ardere inchoat,quum ipsum quem amat viderit,in amore amplius ignescit.Et subditur,Actiua cum corpore deficit:quia in æterna vita panem non porriget esurienti,quia nemo esuriet, nec cætera opera pietatis aget,quia non erunt necessaria.¶Octauum est,deuotio.Vnde Maria Christum vngit.Matth.26.Marc. 13.Lucæ 7.Ioan.12.¶Nonum est, Dei familiaritas. Contemplatiua Deo familiarior est.Vnde figuratur per Ioannem Euangelistam, sicut tangit glos.super illud Ioan. vlt.Conuersus Petrus vidit discipulum quem diligebat Iesus. Et sequitur in glos.Hanc plenè Christus diligit, & seruat in æternum. Loquitur de contemplatiua. ¶Decimum est pretiositas. Contemplatiua pretiosior videtur esse quàm actiua,eò quòd sit rarior. Isidor.in libr.de summo bono: Actiua communis multorum est,contemplatiua verò paucorum.Hoc figuratum est Gen.6.vbi dicitur de arca:In cubito consummabas summitatem eius:Inferius tamẽ erat valde lata.Vnde ibidem dicitur,Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ,quinquaginta cubitorum latitudo. Quòd exposuit Gregorius dicens: Videmus multos in ecclesia superbire & lasciuire,& terrenis rebus inhiare,irasci,rixari, & proximum lædere:sed quia ecclesia tolerat eos, vt conuertantur, quasi in arcæ latitudine bestiæ fuisse dicuntur. Videmus alios aliena non

rapere, illatam iniuriã æquanimiter portare, rebus propriis cõtentos esse, humiliter viuere: sed quia iam pauci sunt, angustatur arca. Alios videmus etiam possessa relinquere, nullũ terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnẽ domare, omnes motus ratione premere, per cælestẽ desideriũ cõtemplationis penna subleuari: sed quia valde rari sunt, iam area iuxta cubitũ ducitur, vbi homines & volatilia continẽtur. ¶ Vndecimum est, q̃ vita cõtemplatiua vitæ cælesti similior est. Vnde eadẽ opera ad cõtemplatiuam videtur pertinere, quæ assignat Aug. beatæ vitæ, vlt. lib. de Ciuit. Dei, dicẽs: Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. In Psal. Vacate & videte, quoniã ego sum Deus. ¶ Duodecimũ est, q̃ vita cõtemplatiua finis videtur esse actiuæ. Finis verò melior est his quæ sunt ad finem. Per actiuã trãsitur ad cõtemplatiuã. Isidorus in libr. de summo bono: Qui prius in hac vita proficit, bene ad cõtemplationem conscendit. Greg. Qui ad arcẽ cõtemplationis ascẽdere desiderat, prius necesse est vt in campo actionis se exerceat. Gen. 29. Lia prius introducta est ad Iacob: licet Iacob aliter speraret. Et cùm ipse de hoc cõquereretur, responsum est ei, Nõ est in loco nostro consuetudinis, vt minores ãtè tradamus ad nuptias.

De distinctione contemplationis à simplici consideratione, seu meditatione & cogitatione, & de speciebus considerationis & contemplationis. PARS IX.

COnsequenter distinguenda est contemplatio à simplici cõsideratione seu meditatione. Et tangendum est de speciebus considerationis & contemplationis. ¶ Notandum ergo q̃ Ber. 2. lib. de consideratione, distinguit inter contemplationem & considerationem, is verbis: Considerationem, non id per omnia quod cõtemplationẽ intelligi volo, quòd contemplatio ad rerum certitudinem, consideratio ad inquisitionem magis se habeat. Iuxta quem sensum potest contemplatio diffiniri, veritus certũsque intuitus animi de quacunque re, siue apprehensio veri non dubia. Consideratio autem, intenta ad vestigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum, quanquam soleant indifferenter pro inuicem vsurpari. Deinde diuidit ea quæ considerãda sunt iis verbis: Quatuor tibi considerãda reor, Te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt. In quinto verò libro de consideratione, dicit considerationem peregrinari, quum ab his quæ suprà sunt, ad inferiora deflectitur. Velim, inquit, hoc solerter aduertas, vir sagacissime Eugeni: quia toties peregrinatur consideratio tuã, quoties ab illis rebus ad ista deflect

flectitur inferiora & visibilia, siue intuenda ad notitiam, siue appetenda ad vsum, siue pro officio disponenda vel actitanda. Si tamen ita versatur in iis vt per hæc illa requirat, non procul exulat: sic considerare, repatriare est. Sublimior iste præsentium ac dignior vsus rerũ, iuxta sapientiam Pauli: Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sanè hac scala ciues nõ indigent, sed exules. Quid opus scalis teneri iam solium? creatura cæli illa est præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt verbum, & in verbo facta per verbum: nec opus habet ex iis quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim vt ipsa nouerit, ad ipsa descendit quæ ibi illa videt, vbi longe melius sunt quàm in seipsis. Deinde in eodem libro distinguit diuersas species considerationis, his verbis. Magnus ille, qui vsum sensuũ veluti quasdam ciuium opes expẽdere satagit, dispẽsando in suã & multorum salutem. Nec ille minor, qui hũc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando cõstituit: nisi q̃ hoc dulcius, illud vtilius: hoc facilius, illud fortius esse cõstat. At omniũ maximus qui spreto ipso vsu rerum & sensuum, quantum quidẽ humanæ fragilitati fas est, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus auolare interdum contemplando, ad illa sublimia consueuit. Ad hoc vltimum genus illos pertinere reor excessus Pauli. Excessus, non ascensus: nam raptum potius fuisse quàm ascendisse ipse se perhibet. Et subdit Ber. Vis tibi has considerationis species propriis distingui nominibus? Dicamus si placet, Primam dispensatiuam, secundam æstimatiuam, tertiam speculatiuam. Dispensatiua est consideratio sensibus sensibilibúsque rebus ordinatè & socialiter vtens ad promerẽdum Deũ. Æstimatiua est consideratio, prudenter quæque scrutans ac ponderans ad inuestigandum Deum. Speculatiua est consideratio, se in se colligens, & quantum diuinitus adiuuatur, rebus humanis eximens, ad contemplãdum Deum rapitur. Quod prima optat, secunda adorat, tertia gustat. Ad quem tamen gustum perducũt & cæteræ: etsi tardius, nisi quòd prima laboriosius, secũda quietius peruenit. Dixisti, inquit, satis qua via ascẽdatur, etiam quò ascẽdẽdum dicere habes. Falleris si illud speras, ineffabile est. Tu me existimas loqui quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c. Nobis, inquit, reuelauit Deus per Spiritum suum. 1. ad Cor. 2. Ergo quæ suprà sunt, nõ verbo docentur, sed spiritu reuelãtur. Verum quod sermo nõ explicat, consideratio quærat oratio experat, mereatur vita, puritas assequatur. Sanè eorum admonitus quæ suprà sunt, nõ te existimes mitti à me suscipere solem, lu-

nam, ſtellas &c. Iſta ſiquidē omnia etſi ſuprà loco, pretio infrà ſunt & dignitate naturæ. Sunt enim corpora cui portio ſpiritus eſt. Angeli ſancti & Deus ſupra te ſunt, Deus, natura, angeli, gratia. ¶ Idem in eodem diſtinguit quatuor ſpecies contēplationis reſpectu Dei, his verbis: Prima & maxima cōtemplatio eſt, admiratio maieſtatis. Hæc requirit cor purgatū, & à vitiis liberum atque exoneratum peccatis, vt facilè ad ſuperna leuet: interdum quoque per aliquas morulas ſtupore & extaſi ſuſpenſum teneat admirantem. ¶ Secunda autem neceſſaria eſt huic. Eſt enim intuens iudicia Dei, quo ſanè pauido aſpectu Deum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad ſapientiam, humilitatem ſeruat. Virtutum ſiquidem bonum quoddā ac ſtabile fundamentū, humilitas, nempe ſi nutet, illa virtutum adgregatio non niſi ruina eſt. ¶ Tertia contemplatio occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum: & ne dimittat ingratum, ſolicitat memorantem ad amorem benefactoris. ¶ Quarta, quæ retro ſunt obliuiſcens in ſola requieſcit expectatione promiſſorum. Quæ cùm ſit meditatio æternitatis, ſiquidē quæ promittuntur æterna ſunt, longanimitatē aliæ & perſeuerantiæ dat vigorem. Deinde adaptat Ber. quatuor dictas ſpecies contemplationis, quatuor quæ tangit Apoſtolus ad Ephe. 3. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Longitudinem, inquit, apprehendit meditatio promiſſorum. Latitudinem, recordatio beneficiorum. Sublimitatem, contemplatio maieſtatis. Profundū, inſpectio iudiciorum. Item in eodem libro: Deus eſt longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Res vna eſt longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, ſublimitas propter maieſtatē, profunditas propter ſapientiam. Iſta non diſputatio cōprehendit, ſed ſanctitas. Sanctum facit affectio ſancta, & ipſa gemina timor Domini ſanctus, & ſanctus amor. Iis perfectè affecta anima veluti quibuſdam duobus brachiis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait: Tenui eum, nec dimittam. Et timor quidem ſublimi & profundo, amor lato longóque reſponder. Quid tam timendum, quàm poteſtas, cui non potes reſidere, quàm ſapientia, cui abſcōdi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carēs: nunc autē perfectè oportet timeas illū, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus omnia potens. Itē quid tam amabile quàm amor ipſe quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit, quæ dum nō excidit, foras mittit ſuſpicionem. Stupenda planè ſublimitas maieſtatis, pauenda abyſſus iudiciorum, feruorē exigit charitas, æternitas perſeuerātiā ſuſtinēdi. ¶ Richardus de ſancto Victore in lib. de cōtēplatione, diſtinguit inter cōtēplationē, meditationē, & cogitationē his verbis, Sciēdum eſt, q̄ eandē materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, aliter per contemplationem miramur. Cogitatio per deuia lento pede ſine reſpectu peruentionis paſſim huc illúcque vagatur. Meditatio per ardua viæ ſæpe & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur. Contemplatio libero volatu quocunque eam fert impetus, mira agilitate circunfertur. Cogitatio ſerpit, meditatio incedit, & vt multum currit cōtemplatio, ante omnia circunuolat. Cogitatio eſt ſine labore & fructu, in meditatione eſt labor cū fructu. Contemplatio permanet ſine labore cū fructu, in cogitatione euagatio, in meditatione inueſtigatio, in cōtemplatione admiratio. ¶ Deinde tria prædicta ſic deſcribit: Cōtemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa. Vel contemplatio eſt perſpicax & liber animi contuitus, in res perſpiciendas vſquequaque diffuſus. Meditatio verò eſt ſtudioſa mentis intentio circa aliquid inueſtigandum diligenter inſiſtens. Vel ſic: Meditatio eſt prouidus animi obtuitus in veritatis inquiſitione vehementer occupatus. Cogitatio autem eſt improuidus animi reſpectus ad euagationem pronus. ¶ Diſtinguit etiam inter contemplationem & ſpeculationem his verbis: Quamuis contemplatio & ſpeculatio pro inuicem poni ſoleant, aptius tamen ſpeculationem dicimūs, quando per ſpeculum cernimus: contemplationem verò, quando veritatem ſine aliquo inuolucro vmbrarúmque velamine in ſui puritate videmus. Et ſic contemplatio valdè ſtrictè accipitur. Commune eſt, tam contemplationi quàm meditationi circa vtilia occupari, & in ſapientiæ vel ſcientiæ ſtudiis verſari. Sed in hoc ſolent differre à cogitatione quæ ſe conſueuit ad inepta & friuola relaxare. Fit tamen ſæpe vt in cogitationum nōſtrarum euagatione aliquid animus incurrat, quod ſcire vehemēter ambiat, fortitérque inſiſtat: ſed dum mens huiuſmodi inquiſitioni ſtudium impendit, iam cogitatio in meditationem tranſit. Item veritatem diu quæſitam tandémque inuentam, mens ſolet cum auiditate ſuſcipere, mirari cum exultatione, eiúſque admirationi diutius inhærere. Et hoc eſt meditationem in contemplationem tranſire. ¶ Contemplationis formam in cæli volatilibus videmus. Videas alia nunc ſe ad altiora tollere, nunc ſe ad inferiora demergere, & eoſdem aſcenſionis deſcenſionísue ſuæ

modos sæpius repetere. Videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum diuertere, & nunc in hanc, nunc in illam partem declinando, in anteriora parum vel penè nihil se promouere, & easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reiterare. Videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere, sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire, & sæpe idipsum agere, eosdem excursus, atque recursus diutina frequentatione continuare atque protrahere. Videre licet alia, quomodo se in gyrum flectũt, & quàm subitò, vel quàm sæpe eosdem vel similes, nunc autem paulò latiores, nunc paulò contractiores circuitus repetunt, & semper in illud ipsum redeunt. Videre licet alia, quomodo alis sæpe reuerberatis, se in vno eodémque loco diutius suspendunt, & mobili se agitatione quasi immobiliter figunt, & ab eodem suspensionis suæ loco diu multúmque hærentia penitus non recedunt, ac si operis & instantiæ suæ executione prorsus videantur exclamare, & dicere: Bonum est nos hic esse. Iuxta hoc sanè propositarum similitudinum exemplar contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur, & personarum negotiorúmque varietate vario modo formatur. Nunc de inferioribus ad summa ascendit, nunc de superioribus ad ima descendit, & nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurrit, & ad id quod sciri oportet, nunc à maiori, nunc à minori argumentum trahit. Modo autem in hanc, modò in oppositam partem diuertit, & contrariorum notitiam ex contrariorum scientia elicit, & pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ executionem consueuit variare. Aliquando in anteriora currit, & subito in posteriora redit, modò ex affectibus, modò ex causis & qualibuscunque antecedẽtibus vel consequentibus cuiuslibet rei modũ vel qualitatẽ deprehẽdit. Quandoque verò quasi in gyrũ speculatio nostra ducitur, dũ vnicuique rei quæ sint cũ multis cõmunia considerantur, dum ad vnam quamlibet rẽ determinandum, nunc à similibus, nũc à similiter se habentibus seu cõmuniter accidẽtibus, ratio trahitur, & assignatur. Tũc autẽ in vno eodẽque loco considerationis nostræ defixio quasi immobilis sistitur, quando in qualiscunque rei esse vel proprietate perspiciẽda atque miranda contẽplatione intentio libenter immoratur. Modus cõtẽplationis qui quodãmodo fieri solet, antè & retro insinuatur. Ezec. 1. Ibãt animalia, & reuertebãtur in similitudinẽ fulgoris coruscãtis. De illo qui quasi sursum & deorsum est, dicitur in Psal. Ascẽdũt vsque ad cælos & descẽdũt vsque ad abyssos. De illo

illo qui est velut in gyrum, dicit Propheta: Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Esa. 60. ¶ Deinde distinguit species contemplationis his verbis: Sex sunt cõtemplationum genera. ¶ Primũ est, in imaginatione, & secũdum solã imaginationẽ. ¶ Secũdum est, in imaginatione secũdum rationem. ¶ Tertium est, in ratione secundum imaginationẽ. ¶ Quartũ est, in ratione & secũdũ rationẽ. ¶ Quintũ est, supra rationẽ, sed nõ prẽter rationẽ. ¶ Sextũ supra rationẽ est, & videtur esse prẽter rationẽ. ¶ Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligẽtia. ¶ In imaginatione, cùm obstupescẽtes attendimus corporalia ista, quæ sensu corporeo haurimus quàm sint multa, quàm magna, quã diuersa, quã pulchra vel iucũda. Et in his omnibus creatricis illius superessentiæ potentiã, sapientiam, munificentiã mirãdo veneramur. Tunc cõtemplatio nostra in imaginatione versatur: & secũdum solã imaginationẽ formatur, quãdo nihil argumentando quærimus, sed liberè mens nostra huc illúcque discurrit, quò eam in hoc spectaculorum genere admiratio rapit. ¶ Secundũ genus est, quando ad ea quę in imaginatione versamus, & quę ad primum cõtẽplationis genus pertinere iã diximus, rationem quærimus & inuenimus, imò inuẽtam & notã in consideratione cũ admiratione adducimus. In illo res ipsas, in isto earum rationẽ, ordinem, dispositionem, & vniuscuiusque rei causam, modũ & vtilitatẽ rimamur, speculamur, miramur. ¶ Tertium genus est, quando per rerum visibilium similitudinem in rerum inuisibiliũ speculationem subleuamur. ¶ Quartũ est, quãdo semoto omnis imaginationis officio, illis solis animus intẽdit quæ imaginatio nõ nouit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit vel per rationem comprehendit: vt quando inuisibilia nostra quæ per experiẽtiã nouimus, & ex intelligentia capimus, in cõsiderationẽ adducimus & ex eorũ cõsideratione in cęlestiũ animorũ & supermũdanorũ intellectuũ contemplationẽ assurgimus. ¶ Quintũ est, quãdo ea ex diuina reuelatione cognoscimus, quę nulla humana ratione plenè cõprehẽdere, quę nulla nostra ratiocinatione integrè inuestigare sufficimus. Talia sunt illa quæ diuinitatis natura, & illa simplici essentia credimus, & scripturarũ diuinarum authoritate probamus super rationẽ: nec tamẽ prætẽr rationẽ censenda est quãdo ei quod per intelligentiæ aciẽ cernitur, humana ratio contrariare non potest, quin potius facilè acquiescit & sua attestatione illudit. ¶ Sextum est, quando animus ex illa diuini luminis irradiatione cognoscitatem considerat, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt penè omnia quæ de personarum trinitate

te credere iubemur. Duo ex his qui in imaginatione consistunt, quia solis sensibilibus intẽdũt, duo in ratione consistũt: quia solis intelligibilibus insistũt, duo in intelligentia subsistunt, quia solis intellectibilibus intendunt. Sensibilia dico, sensu corporeo perceptibilia. Intelligibilia dico, inuisibilia, humanæ tamen rationi comprehensibilia. Intellectibilia dico, inuisibilia & humanæ rationi incomprehensibilia. ¶ Proprium est primæ contemplationis, simpliciter & sine vlla ratiocinatione visibilium admirationi inhærere. ¶ Proprium est secundæ, visibilium rerum ratiõni ratiocinando insistere. ¶ Proprium est tertiæ, per visibilia ad inuisibilia ratiocinando ascendere. ¶ Proprium est quartæ, ex inuisibilibus inuisibilia ratiocinando colligere, & per expertorum intelligentiam ad ignoratorum notitiam proficere. ¶ Proprium est quintæ, in intellectibilium intelligentia rationem admittere. ¶ Proprium est sextæ, intellectibilium intelligentia omnem humanã ratiocinationem transcendere. ¶ Iis sex contemplationum alis à terrenis suspendimur, & ad cælestia leuamur. Citra perfectum te esse non dubites, si adhuc aliquibus illarum cares. Mecum & cũ mei similibus bene agitur, si vnũ ex his tribus alarum paribus datur. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Terrenũ & nondum cæleste animal es, quandiu tantum duabus alis contentus fueris, habes tamen vnde corpus tuum velare, vnde volare possis. Corpus velare est mundanorum concupiscentiam ex mundanę mutabilitatis cõsideratione temperare, imò in obliuionem adducere. Volare est ab amore mundi se elongare. Nitere in iis alis, quantum poteris, apprehendere saltem nouissima maris. Si sumpsero, inquit, pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Extrema maris, mundi terminus, ac vnicuique vitę propriæ defectus. Extrema maris tenere, est mundi finem atque vitæ exitum cum desiderio expectare. Extrema maris apprehenderat, qui dicere poterat, Cupio dissolui & esse cum Christo. Parũ tibi esse debet has duas alas accepisse: sed vt probes te cæleste animal esse stude & satage saltem duo paria habere. Cælestia animalia erant quæ vidit Ezechiel. Quatuor, inquit, facies vni, & quatuor pẽnę vni. Ezech. 1. Duabus corpus suum velabant: nam cæteris duabus volabant. ¶ Sũt corpora cælestia, & sunt corpora terrestria. Si totũ corpus tuum lucidum fuerit non habens in se aliquam partem tenebrarum, vtile tamen erit illud ab humanæ arrogantiæ oculis abscondere: & sub humanæ mutabilitatis incerto propriæ æstimationis claritatem temperate. Eccle. 9. Nescit enim homo finem suum &c. In

primo alarum pari velet homo corpus suum, in secundum volet ad cælum. Satagat studio & desiderio in cælestibus esse, vt possit cum Apostolo dicere, Nostra conuersatio in cælis est. Philipp. 3. Veruntamen si vsque ad tertium cælum penetrare paras, nunquam id in duobus alarum paribus posse præsumas. Oportet enim sex contemplationum alas assignatas habere qui cupit ad tertij cæli secreta diuinitatísque arcana volare. Has sex alas contemplationum soli perfecti in hac vita vix habere possunt. Has in futura vita electi tam in hominibus quàm in angelis habituri sunt, vt de vtraque natura veraciter dici possit: quia sex alæ vni, & sex alæ alteri. Esa. 6. Primum genus contemplationis alæ vni, & sex alæ alteri. Esa. 6. Primum genus contemplationis debet esse incipientium. In hoc genere contemplationis homo Deum in omnibus operibus eius mirabilem, laudabilẽ, & amabilem reperit. Psalm. Domine Dominus noster, quàm admirabile &c. Ecce mirabilem. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomẽ Domini. Ecce laudabilẽ. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Ecce amabilem. Hæc speculatio triplex est. Prima, in rebus. Secunda in operibus. Tertia, in moribus. Prima etiam tres habet species. Quarum prima est in materia. Secunda in forma. Tertia in natura. Materiã & formam visu corporeo facile deprehẽdimus: nam lapidem à ligno, triangulum à quadrangulo sine errore discernimus. Natura cõsideratur in rerum qualitate intrinseca. Forma consistit in qualitate extrinseca. Qualitas rerum interior ex magna parte, corporeo percipitur sensu: sicut sapores gustu, odores olfactu. ¶ Operatio duplex est: alia enim est naturæ, alia industriæ. Operationem naturæ facilè deprehendere possumus, vt in graminibus, arboribus, animalibus. In graminibus quomodo crescunt, maturescunt. In arboribus similiter quòd frondent, florent, fructificant. In animalibus quomodo concipiunt & pariunt, quòd alia nascuntur, & alia moriuntur. ¶ Disciplina vero morum partim ex institutione diuina, partim processit ex institutione humana. Ad diuina instituta pertinent obsequia diuina, & quælibet ecclesiæ sacramenta: ad instituta humana pertinent humanæ leges. Humana institutio est propter vitam inferiorẽ, diuina propter vitam superiorem. In hoc genere contemplationis Propheta ostendit se exercuisse, dicens: Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manum tuarum meditabar. Item: Delectasti me Domine in factura tua. Et iterum: Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti. ¶ Hoc genus contemplationis rectè in septem gradus distinguere

pos

possumus. Primus consistit in illa admiratione rerũ quæ surgit ex consideratione materiæ. Secundus, in illa admiratione rerum quæ surgit ex cõsideratione formę. Tertius, in illa admiratione rerum quam gignit consideratio naturæ. Quartus in illa admiratione quæ est circa operationem naturæ. Quintus in illa admiratione quę est circa operationem industriæ. Sextus in considerandis & admirandis institutionibus humanis. Septimus, in considerandis & admirandis institutionibus diuinis. ¶ Secundo generi contemplationis penè tota mundana philosophia materiam ministrat, latentes rerũ visibiliũ causas suę sagacitatis inuestigatione inueniens, & in palã producens. Et possunt distingui septem gradus in secũdo genere cõtemplationis: similes septem gradibus distinctis in primo genere, cũ circa eadem versetur hęc cõtẽplatio, & prima scilicet circa sensibilia. ¶ Tertiũ genus cõtẽplationis in quinque gradus distinguitur secũdũ quinque modos considerationũ, ex quibus inuisibiliũ inuestigatione similitudinũ ratio quęritur vel assignatur. Primus modus est, quando similitudo sumitur ex eo vnde ipsum est, vel quod ipsum est. Secundus & tertius similitudinẽ trahit ex eo quòd in ipso est. Quartus & quintus, ex eo quòd per ipsum est. Primus trahitur ex materię proprietate, vt ibi, crura illius colũnę marmoreæ quę fundatæ sunt super bases aureas. Cãtico. 5. Secũdus & tertius, ex rei ipsius qualitate: sed secũdus ex qualitate extrinseca, quod diximus formã: tertius ex qualitate intrinseca, quod diximus naturã. Qualitas extrinseca cõstat in colore & figura. A colore similitudo assignatur ibi, Dilectus meus candidus & rubicundus. Cant. 5. A figura, ibi: Aspectus earum & opus earum quasi si sit rota in medio rotæ. Ezec. 5. Extrinseca qualitas pertinet ad solũ visum, quemadmodũ intrinseca qualitas ad exteros sensus. Ad auditũ pertinet illud, Et vocẽ quã audiui tãquã vocẽ citharœdorũ &c. Apoc. 14. Ad odoratũ illud, Sicut cinnamomũ & balsamum &c. Eccl. 24. Ad delicias gustus, illud, Spũs meus super mel dulcis. Eccl. 24. Ad delicias tactus, illud Pſ. Sicut vnguẽtũ in capite. Quartus, ex eo quòd in ipsa re uel ab ipsa fit secũdũ motũ naturalẽ: vt ibi, Quomodo descendit imber & nix de cęlo &c. Esa. 55. Quintus ex eo quod agitur secũdum motũ artificialẽ: vt ibi. Superædificati super fundamẽtũ Apostolorũ &c. Eph. 2. In quarto genere cõtẽplationis primũ est, vt redeas ad teipsum, intres ad cor tuũ, discas ęstimare spiritũ tuũ. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris, quid fueris per naturã, quid modo sis per culpã, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiã. Nunquid mẽti excidit quòd

quòd regnũ Dei intra nos sit? Luc. 17. Et quia simile est regnũ cælorũ thesauro abscondito in agro. Mat. 13. Omni custodia serua cor tuũ. Prou. 4. Audi Dauid, quomodo tibi seipsum in exẽplũ proponat: Meditatus sum, inquit, nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopabã spiritũ meũ. Meditabatur ille cũ corde suo, meditare & tu cũ corde tuo. Scopabat ille spiritũ suũ, scopa tu spũm tuũ. Exerce agrũ istũ, attende temetipsum. Absque dubio, insistẽs huic exercitio, inuenies thesaurum istũ absconditum in agro. Et hoc exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmẽtatur sapiẽtia. Ex hoc exercitio cordis oculus mũdatur, ingeniũ acuitur, intelligentia dilatatur, nihil rectè ęstimat, qui seipsum ignorat. Nescit quòd sub pedibus suis omnis mũdana gloria iacet, qui cõditionis suę dignitatẽ nõ pẽsat. Nescit omnino, nescit quid de spiritu angelico, quid de diuino sentire debeat, qui spiritũ suũ prius nõ cogitat. Si nondum idoneus es incitare teipsum, quomodo ad illa rimãda idoneus eris quæ sunt supra teipsum? Si nõdũ idoneus es intrare in tabernaculum primũ, qua frõte præsumis ingrediin tabernaculum secũdũ? hoc est in sancta sanctorũ? Si cupis euolare vsque ad secundũ seu tertiũ cælũ, sit tibi trãsitus per primũ. In cor de hominis inuenire licet animã quãdã plenitudinẽ orbis terrarũ. Ibi sua quędã terra suũ habet cęlũ. Nec vnũ tãtum, sed secũdũ post primũ, & tertiũ post secũdũ erit. Tenet imaginatio vicẽ primi cęli, ratio secũdi, intelligentia tertij. Et horũ quidẽ primũ cęte rorũ cõparatione grossũ quidẽ est atq; corpulẽtũ, eò quòd sitima ginarium, post se trahens & in se retinens formas rerũ corporaliũ. Cęliqua verò duo huius cõparatione sunt valde subtilia, & omni nò incorporea, & ab eius crassitudine multũ remota. Sic sanè cęlũ hoc exterius quod nos diximus firmamẽtũ, absque vlla dubitatione constat esse visibile atque corporeũ, & ipsum quidẽ primũ & omniũ infimũ, quod autẽ est terra ad hoc visibile cęlũ, hoc est sensus corporeus ad illud internũ fantasticũ & imaginariũ cęlũ. Nã sicut hoc visibile cęlũ omniũ quę terra gignit atque nutrit multitudinẽ sinus sui magnitudine cõprehẽdit: sic omniũ quę sensus attigit similitudines, infra sinũ suũ imaginatio includit. In primo cõtinẽtur omniũ visibiliũ imagines & similitudines rerũ. Veritatẽ, qui summa veritas est, reseruauit sibi: rerũ verò imagines qua libet hora formãdas concessit suę imagini, scilicet animæ. Facilè est enim animæ humanæ omni hora quaslibet rerum figuras per imaginationẽ fingere. Ad secũdũ pertinet visibilium omnium rationes, diffinitiones, & inuestigationes inuisibilium. Ad tertium spectãt spiritualium ętiã diuinorum cõprehensiones. Intelligentiæ

tiæ oculus est sensus ille quo inuisibilia videmus: nõ sicut oculo rationis, quo occulta & absentia per inuestigationẽ quærimus & inuenimus: sicut sæpe causas per effectus, vel effectus per causas, & alia atque alia quocũque ratiocinãdi modo cõprehẽdimus. Sed sicut corporalia coporeo sensu videre solemus visibiliter, præsentialiter, atque corporaliter: sic vtique ille intellectualis sensus inuisibilia capit, sed inuisibiliter quidem, sed præsentialiter, sed essentialiter. Sed habet sanè oculus hic intellectualis ante se velum magnum oppansum ex peccati delectatione fuscatũ, & tot deteriorũ carnalium varia multiplicitate cõtextũ, q̃ contẽplantis intuitũ à diuinorum secretorũ arcanis arceat, nisi quãtum diuina dignatio quemlibet pro sua aliorúmve vtilitate admiserit. Testatur hoc propheta, clamãs: Reuela oculos meos. Nusquam tibi in omni Dei opere quàm in animæ creatione, reparatione, glorificatione apparet eius potentia sublimior, vel sapientia mirabilior, vel misericordia iucundior. ¶ Primò, spiritualis natura creatur vt sit. ¶ Secundò, iustificatur vt bona sit. ¶ Tertiò, glorificatur vt beata sit. Per creationem ad bonum imitatur, per iustificationẽ in bono dilatatur, per glorificationẽ in bono consummatur. ¶ Prima bona sunt creatoris dona. ¶ Secunda bona sunt creatoris dona & creaturæ merita. ¶ Tertia bona, creatoris dona & creaturæ præmia. Ex ipsa creationis conditione naturale est omni rationali creaturæ esse, scire, & velle. Cognosce homo quæso dignitatem tuam, cogita excellentem illam animæ tuæ naturam, quomodo fecerit eam Deus ad imaginem & similitudinem suam, quomodo sublimauerit eã super omnẽ corpoream creaturam. Et statim mirari incipies quomodo virgo inclyta filia Sion proiecta sit de cælo in terram, & ad Deum clamabis, Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Cogita quàm necessarium, & diuinæ bonitati quàm congruum, tam dignæ creaturæ boni aut mali discretionẽ & arbitrij libertatem cõcedere, vtesset bonum eius tam acceptum quàm voluntarium, tam gratũ quàm gratuitum. Agnosce quantum emineas per ingenium brutis: Agnosce quantum subiaceas per intellectum spiritibus angelicis. Si attendas primum, cantabis præcordialiter: Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Si secũdum, clamabis, Deus, tu scis insipientiã meam. Inuestiga diligenter voluntatẽ, non solum tuam. sed alienam seu bonã seu malam. Congnosce tuam, vt scias quid corrigere, seu vnde debeas gratias agere. Cogita animas perfectorum & peruersorum, spirituum bonorum & spirituum malignorũ, vt eluceſcat quid

quid imitari, quid vitare expediat. Opus iustificationis sine duobus non consummatur. Nunquid enim perficitur si creaturæ suæ creator non cooperetur? Glorificationis nostræ modum quis sensus hominum capere, quæ ratio potest comprehendere? Sed glorificationis nostræ certitudinem fidei attestatione tenemus, quamuis qualitatis vel quantitas eius modum per intelligentiam necdum capere possimus. Sed pro modico & penè pro nihilo reputat, quicquid humana auiditas per experimentum non probat. Scimus autem, quia post plenam mundationem cõscientiæ, post multa exercitia iustitiæ incipit tandem aliquando mens humana sperare, quod prius vix poterat credere. Nunquam desistas, nunquam quiscas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas (vt ita dicam) arras obtineas, donec æternæ felicitatis quantulascunque primitias accipias, donec diuinæ suauitatis dulcedinem prægustare incipias. Ad huius desiderium animare nos voluit qui dixit, Gustate, & videte quoniam suauis est dominus: beatus vir qui sperat in eo &c. ¶ Quartum contemplationis genus in quinque gradus potest diuidi. In primo gradu considerabimus ea quæ pertinent ad animæ qualitatem, vel essentiæ ipsius proprietatem, quòd vita quædam & perpetua sit quæ nullis pœnis extingui possit, quòd non solum possit in perpetuum viuere, sed corpus etiam ad vitam & ad sensum animare, quod nullo sustentamento egeat, quod sine subsidio sempiternè subsistat, quomodo sit per tot corporis membra diffusa, quum ipsa sit simplex, quomodo in toto corpore suo quasi in suo quodámmodo sit vbique tota. Quemadmodum Deus inuenitur vbique totus in omni creatura sua, quomodo in illo suo mundo sola voluntate omnia mouet atque disponit, sicut in hoc mundo Deus solo voluntatis nutu omnia regit, qui eodem voluntatis nutu omnia creauit. In secundo gradu considerantur ea quæ ad cognitionem sunt. In hac consideratione miramur volubilitatem cogitationis, agilitatem imaginationis, ingenij acumen, discretionis examen, capacitatem memoriæ, viuacitatem intelligentiæ, & circa hæc alia quælibet stupenda. In tertio gradu cõsideramus rationalis animi voluntatẽ, multiplicémq; eius affectionem. In quarto contemplamur & admiramur quomodo tot animi affectiones rediguntur in virtutes inquantum per discretionem disponuntur, & in bona intentione figuntur. Cùm enim nihil aliud sit virtus quàm affectio ordinata & moderata, ex intentione bona agitur vt sit affectio ordinata, & per descriptionem efficitur vt fiat moderata. In quinto gradu aspirantis gratiæ modos cum

admiratione attendimus. Absque dubio quicquic boni in bonorum cordibus agitur, septiformis ille spiritus per inspirantem gratiam operatur. Ecce vnus atq; idem spiritus tot mẽtibus semper & vbiq; præsider,& gratiæ suæ munera multipliciter impendit. In duobus vltimis generibus contemplationis, puta quia opus est intima potius compunctione quàm profunda inuestigatione,suspiriis quàm argumentis, crebris gemitibus quàm copiosis argumentationibus. ¶ Scimus quia cordis intima nil adeò purgat, mentísque munditiam nil adeò reparat, nihil sic ambiguitatis nebulas detergit, cordísque serenitatem nil melius, nil citius adducit, quàm vera animi contritio, quàm profunda & intima animæ compunctio. Sed quid ait scriptura? Beati,inquit,mundo corde,quoniam ipsi Deũ videbunt. Matth.5. Studeat ergo cordis munditiæ qui cupit Deum videre. O quàm prudenti circunscriptione. O quàm frequenti increpatione oportet inuigilare ne vllus mentis excessus vel cogitationis euagatio discretionis perspicaciam lateat, nec sine redargutione fortíque castigatione pertranseat. Quum rationalis creatura quantum ad aliqua Deo sit similis, secundum illud, Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Gen.1. Et secundum illud, Tu signaculũ similitudinis plenus sapientia & decore,in deliciis paradisi Dei fuisti. Ezech.28. Et quantum ad aliqua sit dissimilis, secundũ illud,Deus,quis similis erit tibi? Contemplatio quantum ad primum non est præter rationem. Contemplatio verò quantum ad alia est præter rationem. ¶ Aues quum volare volũt,alas suas expandunt: sic debemus & nos cordis nostri alas per desiderium extendere,& diuinæ reuelationis horam semper expectare, vt quacunque hora diuinæ inspirationis aura mentis nostræ nubila deterserit,veríque solis radios detexerit,excussis statim contemplationis suæ alis, mens nostra se ad alta eleuet, & euolet,& fixis obtutibus in illud æternitatis lumen quod desuper radiat, omnia mundanæ volubilitatis nubila transcendat. Hoc figuratum est in duobus Cherubin qui erant expandentes alas. Exo.25. Debemus autem nõ solum ad hoc quod in hac vita habere possũmus, verumetiam ad illud diuinæ cõtemplationis spectaculum, quod in futura vita speramus, animas nostras suspendere, & in huiusmodi expectatione vehementi desiderio anhelare. Debet anima perfecta omni hora suæ peregrinationis terminum cum desiderio expectare. Hinc est quòd Abraham in ostio tabernaculi sui sedebat. Gene.18. Elias in speluncæ suæ ostio stabat.3. Reg.19. Debet anima sancta & veri sponsi amica ad dilecti sui aduentũ, sum

summo cum desiderio anhelare,parata semper vocanti occurrere. Debet semper in hoc solicita esse,ne subitò aduenies minus ornatam inueniat, vel diu exclusus vllam molestiam sustineat. Molesta satis verba æstuantíq; desiderio multum onerosa. Mandata remanda &c. Dicit huiusmodi anima in suis sordibus inuenta,Certe aduentum tuum præscire debuissem: vt te solenniter susciperem. De cætero aduentum tuum mihi prænuntia. Ecce vox dilecti pulsantis, Aperi mihi soror mea. Cantic.5. Respondet, Expecta modicum. O quantum timeo ne istud modicum, protrahas in longum, donec transeat. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo,at ille declinauerat. Cant.5. Permodica morula patienti desiderio satis est molesta. Scimus quia singularis amor consortem non recipit. Vide ergo ne tunc primo incipias perstrepentium turbas ejicere velle, cum iam ipse incœperit ad ostium pulsare. Alioquin quid iam eris dictura, nisi, Expecta, reexpecta. Expectandum sanè,itémque reexpectandũ ad ejiciendum turbam extraneorũ,ad ejiciendũ familiam tuorum. Omnes cogitatus tam vani quàm noxij extranei iudicandi sunt,qui nulli nostræ vtilitati deseruiunt. Illos verò quasi domesticos famulantes habemus, quos nostris vsibus implicamus. Quia verò singularis amor solitudinem amat, totam hanc turbã non solum cogitationum, verumetiam affectionum oportet ejicere, vt dilecti amplexibus liceat inhærere. Quanta quæso in hac expectatione mora? Modicum ibi,modicum ibi. Modicum in horto, dum tumultuationum turba dirigitur. Modicum in vestibulo,dum thalamus adornatur. Modicum in thalamo,dum lectulus sternitur: id est, intimus animæ sinus ad summam pacem & tranquillitatem componitur,Dilectus auditur per recordationẽ,videtur per admirationem,deosculatur per dilectionẽ, amplexatur per delectationem. Vel si hoc melius placet,auditur per reuelationẽ, videtur per contemplationẽ, deosculatur per deuotionem, astringitur ad dulcedinis suæ infusionem. Auditur per reuelationem donec voce eius paulatim inualescente, tota perstrepentium tumultuatio sopiatur,soláque ipsius vox audiatur,donec omnis illa tandem tumultuantiũ turba dispareat, solúsque cum sola remaneat, & solum sola per contemplationem aspiciat. Videtur per contemplationẽ donec ad insolitæ visionis aspectũ pulchritudinísque admirationẽ paulatim anima incalescat,magis magísque inardescat,& tandẽ aliquando incandescat, donec ad veram puritatem internámq; pulchritudinẽ tota reformetur,& ille internæ habitationis thalamus,purpura & byssо,hiacyntho,coccóque

bis tincto vndique perornetur, donec tandem aliquando thalamo perornato & introducto dilecto, fiducia iam inualescente desiderióque perurgente, cùm se vlterius cohibere non valeat, subitò, in oscula ruat, & impressis labiis intimæ deuotionis oscula figat. Puto quia experta dulcedine tanta, de cætero non possit anima illa pulsanti dilecto aliquas moras nectere. Sed quamuis iam prompta sit aduenientem suscipere, nescio si æquè parata sit vocanti occurrere. Aliud est cum ipso introire, atque aliud ad ipsum exire. Quid est eius introire, nisi se totam in seipsam colligere? Quid est eius exire, nisi seipsam extra semetipsam totam effundere? Nihil aliud est animam cum dilecto suo in cubiculum ingredi, & solam cum sola morari dulcedineq; perfuit, nisi exteriorum omnium obliuisci, & in eius dilectione summè & intimè delectari. Se solam cum dilecto videt, quãdo exteriorum omniũ oblita, ex his quæ in intimis suis cõsiderat, animum suum in affectũ dilecti sui inflammat, tam ex bonorum quàm malorum suorum consideratione in gratiarum actionem assurgit, & hinc pro impensa gratia hinc pro indulta venia intimæ deuotionis victimas persoluit. Vsque in intimum dilectus perducitur, & in optimo collocatur, quando ex intimo affectu & super omnia diligitur. Cogita quid sit quod in vita tua ardentius dilexisti, anxius concupisti, quod te iocundius afficiebat profundiúsque delectabat. Considera si eandem affectionis violentiam, dilectionisque abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in eius dilectione requiescis. Nondum intimum illum affectionis tuæ sinum tenet, si intimæ dilectionis aculeus animam tuam in diuinis affectibus minus penetrat, quàm in aliis affectibus aliquando penetrare solebat. Sed si tantam vel validiorem dilectionis violentiam in intimis tuis circa diuina prospexeris, quàm aliàs nunquam expertus fueris: vide adhuc si in horto fortè aliud aliquid sit in quo delectari vel consolari possis. Quod si est, nondum audeo dicere, dilectum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Satage trahere eum adhuc ad interiora cordis. quis enim neget cor tales recessus habere, in quibus summi & singularis amoris violentia, cùm aliquid per affectũ infixerit, aliena omninò delectatione auelli non possit? Certè si alienã aliquam consolationẽ quæris vel reçipis, Deum quãuis fortassis summè, nondũ tamen singulariter diligis. Nondum ergo in intimũ perducitur. Si ergo non satagis introducere eum ad intima tua, quo modo te credã posse sequi eũ ad sublimia sua? ¶ Et notandũ quòd sublimitas diuinarũ reuelationum, manifest

festum est diuinæ dilectionis indicium. Iam non dicam, inquit, vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Ioã. 15. Ex magnitudine diuinæ dilectionis pendet modus diuinæ reuelationis: Comedite, inquit, amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Can. 5. Qui comedũt dum cibũ masticãt, nõ sine mora vel qualicũque labore quo delectãtur, traiiciũt. Qui bibũt cum velocitate vel facilitate, quod sitiũt traducunt. Nũquid non videntur tibi comedere qui cum multo studio & lõga meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere? Bibũt qui ex diuinis reuelationibus cũ facilitate & iocunditate hauriunt quod de intima suauitate veritatis ardẽter cõcupiscunt. ¶ Itẽ notandũ, q̃ ea quæ circa vnitatẽ diuinitatis cõsiderantur quæ ad quintũ genus cõtemplationis pertinent, sunt humanæ intelligẽtiæ modum excedentia: nihilominus tamen sunt rationi cõsentanea. Credimus diuinã essentiã esse summè vnam & simplicissimã. Credimus etiam eam esse omne bonum. Exo. 33. Ego ostendam omne bonũ tibi, ait dominus Moysi. Item credimus eam esse immẽsam, licet simplicissimã. Magnus, inquit, dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ est finis. His assertionibus ratio humana facile acquiescit. Bonum enim illud perfectum & omnino sufficiens non esset, si in eo aliquid boni defuisset. ¶ Item si compositum esset naturaliter, diuidi posset: & sic esset cõmutabile, & non esset optimum. Simplicissimum est quãtum ad essentiam, moltiplicissimũ quantũ ad efficaciã. Virtute est immẽsus, essentia est summæ simplicitatis. Itẽ notãdum, q̃ inter spectacula triũ vltimarũ cõtemplationũ debemus libẽter discurrere, si volumus diuinam reuelationẽ nobis fieri. Dictũ est enim Moysi Exo. 25. De loco qui erat in medio duorum cherubin, inde loquar ad te. ¶ Itẽ notandum, q̃ quãuis familiare sit & quasi proprium videatur duobus nouissimis cõtemplationẽ generibus per mẽtis excessum videre, quatuor autem primis quasi domesticum & penè velut singulare sine vlla animi alienatione in contemplationẽ assurgere, possunt tamen omnia atque solent modo vtroque contingere. Horũ autẽ qui in suis contemplationibus supra semetipsos ducuntur, & vsque ad mentis excessum rapiuntur, alij hoc expectãt & accipiũt ex sola vocante gratia, alij verò vt hoc possint sibi cõparãt, cũ gratiæ tamẽ cooperatione ex magna animi industria. Et illi quidẽ hoc donum quasi fortuitũ habent: isti verò iam ex virtute possident, qui ex magna iam parte illud possunt cùm volunt. Vnius rei figurã habemus in Moyse: alterius autẽ in Aaron. Quod enim Moyses

in monte per nubem arcam videre meruit, sola reuelantis dominj gratia fuit. Aaron autem iam ex magna parte in potestate habebat quoties idipsum ordo vel ratio poscebat, in sancta sancto rum intrare, & intra ipsum velum arcam domini videre. ¶ Item notandũ quòd tribus modis in gratiam contemplationis proficimus. Aliquando ex sola gratia, aliquando ex adiuncta industria, aliquando ex aliena doctrina. ¶ Item tribus modis videtur contemplationis qualitas variari. Modo enim agitur mentis dilatatione, modo mentis subleuatione, aliquando mentis alienatione. ¶ Mentis dilatatio est, quando animi acies latius expanditur & vehementius acuitur, modum tamen humanæ industriæ non supergreditur. ¶ Mentis subleuatio est, quando intelligentiæ viuacitas diuinitus irradiata, humanæ industriæ metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita vt supra se sit quod videat, & tamen ab assuetis penitus non recedat. ¶ Mentis alienatio est, quando præsentium memoria menti excidit, & in peregrinum quendam & humanæ industriæ inuium animi statum diuinæ operationis transfiguratione transit. ¶ Hos tres contemplationis modos experiuntur qui vsque ad summam huius gratiæ arcem sublimari merentur. Primus surgit ex industria humana. Tertius, ex sola gratia diuina. Medius autem ex vtriusq; permistione, humanæ scilicet industriæ & gratiæ diuinæ. De primo legitur: Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Esa. 60 De secundo, Qui sunt isti qui vt nubes volant? Eiusdem 60. De tertio, Ego dixi in excessu meo. ¶ Ille motus qui fit mentis dilatione, tribus solet gradibus excrescere: arte, exercitatione, attentione. Artem nobis ad aliquid veraciter comparamus, quando quomodo aliquid agendum sit veraci traditione seu sagaci inuestigatione addiscimus. ¶ Exercitatio est, quando id quod arte percipimus, in vsum adducimus, & in eiusmodi officij executionem nos ipsos promptos & expeditos efficimus. Attentio est, quando studio quod exequimur, summa diligentia insistimus. Ité ille contemplationis modus qui in mentis subleuatione accidit tribus gradib. excrescit. Intelligentia namque humana diuinitus inspirata, & in illo cælesti lumine irradiata aliquando subleuatur supra scientiã, aliquando etiam supra industriã, aliquando autem supra naturã. Supra scientiã, quãdo aliquis tale aliquid ex diuina reuelatione cognoscit, quòd modũ propriæ scientiæ vel intelligentiæ excedit. Supra industriã, quando ad illud humana intelligẽtia diuinitus illuminatur, ad quod nulla sua sufficit scientia, nec illa quam interim habet, nec sua vlla industria cõparare valet.

let. Supra naturam, quando humana intelligẽtia diuina inspiratione afflata non cuiuscunque hominis, sed generaliter totius humanæ naturæ modum industriæq; metas transgreditur. Omne genus prophetiæ sine mentis alienatione videtur ad hunc tertium subleuationis gradum pertinere. Nónne supra humanã naturã est, videre de præteritis quod iam nõ est? videre de futuris qđ nõdum est? videre de præsentibus quod sensibus absẽs est? videre de alieni cordis secretis quod nullo sensui subiectum est? ¶ Tribus de causis in mẽtis alienationẽ abducimur. Nã modò præ magnitudine deuotionis, modo præ magnitudine admirationis, modo præ magnitudine exultationis fit, vt semetipsã mens omnino non capiat, & supra semetipsam eleuata in alienationẽ transeat. Magnitudine deuotionis, quãdo tãto cælestis desiderij igne succenditur, vt amoris intimi flãma vltra humanum modum excrescat, quæ animam humanã ad ceræ similitudinẽ liquefactã ad pristinos status resoluat, & ad instar fumi attenuatam in superna eleuet, & ad summa emittat. Magnitudine admirationis, quãdo diuino lumine irradiata, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehemẽti stupore cõcutitur, vt à suo statu funditus excutiatur, & in modum fulguris coruscantis, quãto profundius per despectum sui inuisæ pulchritudinis respectu in ima deiicitur, tanto sublimius, tanto celerius per summorum desideriorum stuporẽ reuersata, & super semetipsam rapta in sublimia eleuetur. Magnitudine exultationis, quando intima illa internæ suauitatis abundantia potata, imò plenè inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscitur, & insuper mũdanum quẽdam affectum sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Hi tres modi excessionis in canticis describuntur. Primus, quũ dicitur, Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, & ex aromatibus mirrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmẽtarij? Cant. 3. Secundus ibi, Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Cant. 6. Tertius ibi, Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suũ? Can. 8. ¶ Circa primũ notandum, quòd per fumum intelligimus deuotæ mẽtis desideriũ, qui fumus ab igne spiritualis amoris surgit. Virgula gracilis & recta, est tuum desiderium anxium & vnicum, surgens ex intentione recta. Per mirrham intelligas carnis contritionẽ. Per thus, cordis deuotionem. ¶ Per vniuersum pulueremm pigmentarium, omniũ virtutum consummationem. Nunc anima sancta veraciter quasi fumus & per desertum ascendit,

quando ex his in ſemetipſa inuenit, ſiue bonis ſiue malis, affectum ſuum in cæleſtis ſponſi deſiderium accendit. ¶ Circa ſecũdum notandũ, quòd mens velut aurora cõſurgit, quæ ex viſionis admiratione paulatim ad incrementa cognitionis proficit. Aurora paulatim eleuatur, eleuando dilatatur, dilatando clarificatur. Sed miro modo, dum tandem in diem deſinit per promotionis ſuæ incrementa ad defectum venit: & vnde accipit vt maior ſit, inde ei accidit vt omnino nõ ſit. Sic humana intelligentia diuino lumine irradiata, dum intellectibilium cõtemplatione ſuſpenditur, dum in eorum admiratione diſtẽditur, quanto ad altiora vel mirabiliora ducit, tanto amplius dilatatur: & vnde infimis remotior, in ſemetipſa durior, & ad ſublimia ſubtilior inuenitur. Sed in hac ſubleuatione dum mens humana ſemper ad altiora creſcit, dum diu creſcendo tandẽ aliquãdo humanæ capacitatis metas tranſcendit, fit demum vt à ſemetipſa penitus deficiat, & in ſupermundanum quendã transformata affectũ, tota ſupra ſemetipſam eat. Et ſicut matutina lux creſcendo deſinit, nõ quidem eſſe lux, ſed eſſe lux matutina, vt ipſa aurora iam non ſit aurora: ita humana intelligentia ex dilatationis ſuæ magnitudine quãdoque accepit vt ipſa iam nõ ſit ipſa: nõ quidem vt non ſit intelligentia, ſed vt iam non ſit humana. Et ſicut primus exceſſionis modus ex deuotione ſurgit, ſic iſte in deuotionem deſinit. Ibi ex nimio veritatis deſiderio ad veritatis contemplationem aſſurgitur, hic ex veritatis reuelatione eiúſque cõtemplatione ad deuotionem animus inflammatur. Quod forte innuitur, quũ dicitur: Pulchra vt luna, electa vt ſol. Aurora & luna lucem habent, ſed colorem non habent, ſol autẽ vtroque præpollet. quid ſole lucidius? quid ſole feruentius? Videtis ergo q̃ illa mentis aſcenſio quæ hoc loco deſignatur: cuius extrema ſoli comparantur, nõ in qualemcunque, ſed in ſummam deuotionẽ quandoque deſinat, quãuis à ſola claritate veritatíſque illuminatione incipiat. Et notandũ, q̃ ille diuinæ reuelationis ſplendor quandoque præueniẽti meditationi occurrit, quãdoque ipſam humanã præmeditationem præuenit & modo quærentẽ adiuuat, modò torpẽtem excitat. Hinc eſt, q̃ regina Auſtri regẽ Salomonem quæſtionibus pulſat. 3. Reg. 10. Hinc eſt, quòd vinctum Petrum angelus cum luce viſitans, à corporis ſui ſomno excutit & educit. Act. 12. Quæ eſt iſta regina Auſtri, & illius calidę regionis inhabitatrix & domina, & videndi Salomonis deſiderio ſuccenſa, niſi anima ſancta ſenſibus & appetitib⁹ carnis, cogitationibus & affectibus mẽtis fortiter præſidẽs, & ſummi regis veríq; prorſus

Salom

Salomonis dilectione feruens, videdíque deſiderio ardens? Regina Saba prius quærit & audit, poſtea videt & intelligit, tãdem autem obſtupeſcit & deficit. Primum eſt, meditationis. Secũdum cõtẽplationis. Tertiũ, extaſis. Meditatione aſſurgitur in cõtẽplationẽ, cõtẽplatione in admirationẽ, admiratione in mentis alienationem. ¶ Circa tertium notandum, quòd quaſi de deſerto humanus animus aſcendit, quãdo ſupra ſemetipſum mentis alienatione tranſit, quãdo ſemetipſum in imo deſerens, & ad cęlum vſque petranſiens ſolis diuinis ſe totũ per contemplationem & deuotionem emergit. Deliciarum affluentia aſcenſionis tunc cauſa exiſtit, quãdo ex illa diuinæ dulcedinis infuſione quam in intimis ſentit ſeipſam anima ſancta præ gaudio & exultatione nõ capit, intantum vt exultationis ſuæ magnitudo eam extra ſemetipſam effundat. Huius rei formam in animalibus poſſumus percipere. Solent nanque in ſuis luſibus ſaltus quoſdam dare. Sic piſces dum in aquis ludũt, ſupra aquas exiliunt. Nemo autẽ tantam cordis exultationẽ vel ſubleuationem de ſuis viribus præſumat, vel ſuis meritis aſcribat. Vnde & illa anima quæ de deſerto aſcendere ſic deſcribitur, dilecto ſuo innixa perhibetur. Quid eſt dilecto inniti, niſi virtute illius & nõ propriis viribus promoueri? Deducit eam dilectus per deſertum in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Non haberet quomodo æſtus cõcupiſcentię temperaret ſibi, niſi virtus Altiſſimi obũbraret. Illi deeſſet vnde tenebras ignorantiæ ſuę illuminaret, niſi in lumine illius videret lumẽ. Accipit itaque dilecta ex munere dilecti ſui duo remedia contra duo principalia mala: refrigerij nubem cõtra cõcupiſcentiã carnis, & reuelationis lucẽ cõtra ignorantiã mẽtis. Qui ad hãc gratiã profecit, cùm eã ſibi vltra ſolicitum ſubtrahi iã ſentit, eſt q̃ facere debeat vnde ad eã reparãdam adiuuari valeat. Debet animus qui huiuſmodi eſt propriis meditationibus cordis in ſe exultationẽ reparare, & impẽſa ſibi diuinorũ beneficiorum munera ante recordationis ſuæ oculos reuocare, & ex eiuſmodi recordatione ſeipſum ad profundã & deuotam gratiarũ actionẽ inſtigare, & tandẽ aliquãdo internũ illud ſpiritualis harmoniæ organũ ex affectu in diuinas laudes laxare. Dum itaque eiuſmodi ſtudiis intima cordis affectio in diuinæ cõfeſſionis magnificentiã plena deuotione reſoluitur: quid aliud quàm quoddã (vt ita dicã) ſpiraculum aperitur, per quod in illud cordis noſtri vaſculũ diuinę ſuauitatis abũdãtia infũdatur? Hinc eſt, q̃ Eliſeus prophęta verbũ domini requiſitus cum ſe prẽſentiſſet ſpiritum prophetiæ tũc temporis non habere, fecit pſaltem ad

duci, quo præsente atque psallẽte statim spiritũ prophetiæ hausit, ósq; suũ in verba prophetiæ relaxauit. 4. Reg. 3. Quid est autem psaltẽ adducere, nisi prouida meditatione exultationem cordis reparare, & ex diuinorũ beneficiorũ vel promissorum recordatione cordis deuotionẽ excitare? Tũc psaltẽ psallere facimus, quãdo ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus, & in gratiarum actionem assurgentes, ex intimis visceribus in diuinas laudes cum magno cordis clamore roboramus. Hæc itaque agẽtes, quid aliud quàm viam sternimus per quã veniẽtem visitantẽmque nos dominum excipiamus? Sacrificium, inquit, laudis honorabit me, & illic iter quo ostẽdã illi salutare Dei. Ad eiusmodi psaltis vocẽ spiritualis animus medullitus tãgitur, & irruẽte in eo spiritu spiritualiter afficitur. Et dum ad diuinã inspirationem intellectualis sẽsus aperitur, quodãmodo in eo gratia reparatur. Solet dulcis harmonia cor exhilarare, & ei gaudia sua ad memoriam reuocare, & quo amor vehemẽtius animum afficit, eo profundius audita harmonia affectũ tãgit: & quo profundius per affectionem tãgitur, tãto efficacius ad sua desideria renouatur. Quid igitur aliud de prophetico viro sentire oportet, nisi q̃ exterior harmonia spiritualem harmoniã ei ad memoriam reduxit, & audita melodia audiẽtis animum ad assueta gaudia reuocauit atque leuauit? ¶ Dictum est, quibus de causis mẽtis alienatio accidere soleat: nũc illud adiiciendum videtur, quibus gradibus ascẽdat. Ascẽdit autem aliquãdo supra sensum corporalem: aliquãdo etiam supra imaginationem, aliquando verò supra rationem. Quis duos primos ascẽsus negare audeat, cum illum qui supra rationem est, Apostolica authoritas cõuincat? Scio, inquit, hominem siue in corpore, siue extra corpus: nescio, Deus scit, raptum vsque ad tertium cælum. 2. ad Cor. 12. Ecce quia humanam rationem mẽtis alienatione trãsierat, quid circa se ageretur discernere nequibat. Ista quæ præcedũt, extracta sunt ex libro Richardi de cõtemplatione. Tres discipuli in Christi trãsfiguratione ceciderũt in faciẽ suã. Mat. 17. quia sensus imaginatio & ratio in Dei cõtẽplatione dificiũt. Paul. etiã lucis circũfulgẽtia excæcatur. Act. 9. Corpus etiã debilitatur. Ezec. 2. Vidi, & cecidi in faciẽ meã. Greg. in quãtam miseriam cecidimus, qui ipsum bonũ ferre nõ possumus, ad qd̃ creati sumus. Dan. 10. Vidi diuisionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo.

De duodecim quæ præparãt hominẽ ad diuinorũ cõtẽplationem: de octo gradibus secũdũ Ber. quibus viri cõtẽplatiui ascẽdũt. Itẽ de septẽ gradibus secũdũ Aug. & de diuersis speciebus visionũ. PARS X.

IN summa notandum est, quòd x 11. videntur esse quæ hominẽ præparant ad diuinorum contemplationem. ¶ Primum est, exercitatio in operibus Actiuæ. Non quàm citò peccator Deo reconciliatur, dignus est videre eius faciem. Absalon mansit duobus annis in Ierusalem, & faciem regis non vidit. 2. Reg. 14. ¶ Secundum est puritas. Aaron non intrabat in sancta sanctorũ, nisi prius lotus. Leuit. 16. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Bern. ad fratres de Monte Dei: Hoc ineffabile, quum non nisi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mũdet: quia nulla similitudine corporis dormiẽti, nulla corporea specie vigilanti, nulla imagine rationis, nisi mundo corde humiliter amantis videri potest vel apprehendi. ¶ Tertium est, solitudo. Osee 2. Adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. & Genes. 32. Legitur de Iacob, quòd remansit solus: Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Apparuit dominus Moysi in interioribus deserti. Exod. 3. Bern. O anima, sola esto, vt illi te solam serues quem ex omnibus elegisti. Item Ber. Dei filius verecundus amator est, & non vult sponsæ suæ secreta reuelare in publico. Quæ anima sit sponsa Christi, ostendit Ber. super Cant. his verbis: Animam quam videris relictis omnibus, verbo votis omnibus adhærere, verbo viuere, verbo se regere, de verbo concipere, puta coniugem. Attende in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc etiam diuersas soboles, sed etiam non aduersas, quum sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias patiunt spirituales. In hoc vltimo genere exceditur, & seceditur etiam à corporalibus sensibus, vt sese non sentiat quæ verbum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine quodammodo se sibi furatur, imò rapitur atque illabitur à seipsa, vt verbo fruatur: aliter sanè afficitur mens fructificans verbo, & fruens verbo. Illic solicitat necessitas proximi, hic immurat suauitas verbi. Et quidem læta in prole mater, sed amplexibus sponsa lætior. Chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Pergat quis forsitan quærere à me verbo frui quid sit. Respondeo, Quærat potius expertum à quo id quærat: aut si & mihi daretur experiri, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum: Siue, inquit, excedimus mente Deo, siue sobrij sumus vobis, hoc est, aliud mihi credo, solo arbitro Deo, aliud vobis committo. Bonum est saluare multos: excedere autem & in verbo esse multo iucundius, aut quando hoc aut quandiu hoc dulce commercium, sed breue momentum & experimentum rarum. ¶ Quartum est, desolatio. Deutero. 8.

Afflixit

Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna. Iacob timebat multum Esau, quando vidit visionem illam, pro qua dixit, Vidi Dominum facie ad faciem. Genes. 32. Et Strephanus in tribulatione positus vidit gloriam Dei. Actu. 7. Et Ioannes in exilium relegatus à Domitiano, vidit visiones quæ in Apoca. scriptę sunt. Greg. super illud Gen. 32. Vidi dominum facie ad faciem. Prius exurente tristitia caligo detergitur, & sic resplendente raptim in circunscripto lumine mens illustratur, quo in gaudio cuiusdam securitatis absorbetur, & quasi post defectum præsentis vitæ vltra se rapta in quadam nouitate recreatur. Ibi mens ex immenso fonte visionis superno rore aspergitur: ibi non se sufficere ad illud quod rapta est contemplatur, & veritatem sentiendo videt: quia quanta est ipsa veritas non videt, cui tanto se longe esse æstimat, quanto appropinquat: quia nisi illam vtcunque conspiceret, non eam conspicere se non posse sentiret. ¶ Quintum est, silentium. Maria tacet Luc. 7. Pharisæo eam contenente. Item eiusd. 10. Martha petente eam sibi dari. Et Matt. 26. quum discipuli essent ei molesti pro effusione vnguenti. Ad contemplatiuam pertinet audire verbum internum, quod in taciturnitate magna vult audiri. Dauid: Audiam quid in me loquatur Dominus Deus. Eccle. 22. Audi tacens. In eodem: Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Thren. 3. dicitur de taciturnitate & solitudine: Sedebit solitarius: & tacebit. Ibidem: Bonum est præstolari cum silętio salutare Dei. Etiam si quis Mariam alloquitur, silenter debet loqui. Ioan. 11. Martha vocauit Mariam silentio, Magister adest &c. ¶ Sexrum est, gratiarum actio & vox laudis. In Psal. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. ¶ Sex alia tanguntur Genes. 8. quorum primum est humilitas, quæ tangitur in hoc, quòd dominus dicitur apparuisse Abrahæ in conualle Mambre. Interl. Apparet Deus humilibus. Mambre interpretatur, claritudo, vel perspicuitas. Conuallis Mambre est duplex humilitas: cordis scilicet, & corporis, in qua clarius Deus videtur. Bernard. Superbo oculo Deus non videtur, syncero patet. Idem: Quisquis curiosus est scire quid sit hoc verbo frui: para illi non aurem, sed mentem: non docet hoc lingua, docet gratia: absconditur hoc à sapientibus & prudentibus, & reuelatur paruulis. Magna, fratres, magna & sublimis virtus humilitas quæ promeretur quod non docetur, & digna adipisci quod non valet addisci: digna à verbo & de verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Locus Mariæ erat ad pedes Christi. Luc. 7. Stans retro secus pedes &c. Eiusdem 10.

Quæ

Quæ sedens secus pedes &c. Io. 11. Videns eum, cecidit ad pedes eius. Eiusdem 12. Vnxit pedes Iesu. Et Io. 20. Voluit tangere pedes eius, sed non est permissa. Noli, inquit, me tangere. Glo. Hic innuitur quòd pedes eius amplecti voluit. Item Matt. vlti. dicitur de ipsa & socia eius. Accesserunt & tenuerunt pedes eius. ¶ Secundum est quies, quod tangitur ibi, Sedenti &c. Thren. 3. Sedebit solitarius &c. Ioan. 11. Maria autem domi sedebat. Genes. 28. Vidit Iacob in somnis scalam. Hanc visionem videt Iacob dormiens in itinere. Augustinus: In itinere dormire, est in via huius seculi ab impedimento secularium actionum quiescere. De somno isto legitur Cantic. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Sapientiæ 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. ¶ Tertium tangitur cùm dicitur, In ostio tabernaculi. ¶ Ostium tabernaculi, est exitus de corpore isto. In ostio tabernaculi sedęt qui mortem habent in desiderio & vitam in patientia. Iacob luctante cum angelo neruus emarcuit. Gene. 32. Amor enim præsentis seculi deficere debet in viris contemplatiuis. Greg. Iacob qui cum angelo contendit, contemplatiui viri animam exprimit, quę cùm Deum contemplari nititur, velut in certamine modo quasi superat: quia intelligędo & sentiendo de incircunscripto lumine aliquid gustat, modo verò succumbit, quia degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus neruũ tetigit, & marcescere fecit, & extunc Iacob vno pede claudicauit: quia omnipotens Deus, cùm per desiderium & intellectum cognoscitur, voluptatem carnis arefacit: & qui prius quasi duobus pedibus nitentes & Deum videbamur quærere, & seculum tenere, post agnitionem suauitatis Dei, vnus in nobis pes sanus remanet, alter claudicat: quia debilitato amore seculi, solus amor Dei conualescit. ¶ Quartum est, feruor charitatis quod tangitur ibi: In feruore diei, Aaron cum igne & thymiamate intrat in sancta sanctorum. Leuitic. 16. Augustin. in libro Soliloquiorum: Sapientiam castissimo conspectu atque complexu nullo interposito velamento, quasi nudam videre ac tenere desideras, qualem se illa non sinit, nisi paucis & electis amatoribus suis. An verò si alicuius pulchræ fœminæ amore flagrares, iure se tibi non daret, si aliud à te quicquam præter se amari comperisset? Sapientiæ castissima pulchritudo, se tibi, si in solam arseris, demonstrabit. ¶ Quintum est, cordis eleuatio, quæ est meditando de supernis, quod tangitur ibi, Cúmque eleuasset oculos Christus, in monte transfiguratur. Matthæi 17. & Marc. & Luc. 6.

Num.

Numer. 13. Cùm veneritis ad montes, considerate terram qualis sit. Eiusdem 27. Ascende in montem istum Abarim, & contemplare terram quam daturus sum filiis Israël. Deuterono. 3. Ascende cacumen Phasge &c. In Psal. Memor fui Dei, & delectatus sum. Sapien. 6. Cogitare de illa sensus est consummatus. Loquitur de sapientia increata. ¶Sextum est, oratio, quod tangitur ibi, Ne transeas seruum tuum. Iesu orante, apertum est cælum. Luc. 3. Item: Eodem orante, facies eius facta est altera. Luc. 9. Oratione dilectus est aduocandus, tenendus & reuocandus. Bern. super Cantic. Dicamus verbum Dei Deum sponsum animæ, & venire ad animam, & iterum dimittere eam tantùm vt sensu animæ non verbi motu ista fieri sentiamus. Verbi gratia: Cùm sentit gratiam, agnoscit præsentiam: cum non absentiam quærit, & rursum præsentiam quærit. Verbo abeunte, vna interim & continua animæ vox, continuum desiderium eius. Idcò subtraxit se, vt auidius reuocaretur, teneretur fortius. Præteriens teneri vult, abiens reuocari. O modicum, non modicum, ô modicum longum. Pie Domine, modicum dicis, quod nõ uidemus de nimis. Veruntamen vtrunque verum & modicum meritis, & non modicum votis. Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quo ad meritum? Plusquam satis est, non est tamen satis ad desiderium. Prodar sanè vt prosim: & si profeceritis vos, meã insipientiam consolabor. Fateor & mihi aduentasse verbũ in insipiẽtia: dico pluries, & interdũ potui sentire. Introitum ego sentire nunquã, sed ne exitũ quidem. An fortè nec introiuit, nec de foris venit, porrò nec de intra me venit, quoniã bonũ est, & scio quia non est in me bonũ? ad Ro. 7. Si aspexi foras, exterius comperi illud esse, Si intus, etiã ipsum interius erat. Et cognoui verum esse quod legeram: quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Act. 17. Tantũ ex motu cordis intellexi præsentiã eius. Cœpit eum euellere & destruere, ędificare, & plãtare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflãmare, & hoc mihi signũ ascẽsionis eius. Tristis necesse sit anima mea, donec iterũ reuertatur, & recalescat cor meum. Diuina bonitas lumẽ suum secundũ beneplacitum suum viris contemplatiuis ostẽdit. Iob 36. In manibus abscondit lucem, & præcepit ei vt rursus adueniat. Annũtiat de ea amico suo quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Ascensus contẽplantium Dei virtute fit. Eiusd. 39. Nunquid ad prẽceptũ tuum eleuabitur aquila? Gl. Hoc loco nomine aquilæ, subtilis sanctorum intelligentia, & subtilis eorum contẽplatio figuratur

ratur. Aquila enim acutè videt, & altè volat. In Psal. Super excelsa statuit me. Esa. 58. Sustollam te super altitudinẽ nubium, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Deus dux & doctor est contemplantium. Prou. 30. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viã aquilæ in cælo. Quæ dicta sunt præparatiua ad diuinorum contẽplationem, tangit Bern. his verbis: Quæ oculos mentis emũdant, vt ad lumen verũ subleuari possint, hęc sunt: Secularis curæ abscisio, carnis afflictio, cordis contritio, frequens & pura delicti confessio, & lauacrum fletus. Et cùm foris missa fuerit omnis immunditia, sursum eos attollunt meditatio admirabilis essentiæ Dei, & castæ veritatis inspectio, oratio munda & valida, iubilus laudis & desiderium ardens in Deum.

¶De octo gradibus secundum Bernardum, quibus viri contemplatiui ascendunt.

ITEM Bernard distingui VIII. gradus, quibus viri contemplatiui ascendunt, loquens fratribus de monte Dei. ¶Primus est, perfecta obedientia. ¶Secundus est, corpus suum in seruitutẽ redigere. ¶Tertius est, vsu boni consuetudinem vertisse in dilectionem. ¶Quartus est, intelligere quæ in doctrina fidei apponuntur ei. ¶Quintus est, talia præparare, qualia apponuntur. ¶Sextus est, cùm in affectum mentis transit iudiciũ rationis. ¶Septimus est, reuelata facie speculari gloriam Dei. ¶Octauus est, transformari à claritate in claritatem, quasi à Domini spiritu.

¶De septem gradibus secundum Augustũ.

AVGVSTINVS verò VII. gradus tangit in lib de Quantitate animæ, in quorum vltimo ponit contẽplationem. ¶Ad primũ gradum pertinent operationes homini cũ arbustis cõmunes, vt quòd anima præsentia sua corpus viuificat, colligit in vnũ, & in vno tenet, defluere & contabescere non sinit, alimenta per membra distribuit, congruentiam corporis & modũ seruat, & nõ tantum in pulcritudine, sed etiam in crescendo & gignẽdo. ¶Ad secundum gradũ pertinent operationes cõmunes homini & brutis, vt sentire & moueri. ¶Ad tertium gradũ pertinẽt operationes propriæ hominis, cõmunes tamẽ bonis & malis: vt agros colere, vrbes construere, & loqui futura ex præsentibus coniicere. ¶In quarto gradu omnis bonitas incipit, & omnis vera laudatio, ad hunc gradũ pertinent opera virtutum. In hoc gradu anima se nõ solum suo corpori, sed etiã vniuerso corpori audet præponere, & bona eius sua non putare, atque potentiæ pulchritudiníque suæ comparata cõtemnere, & à sordidis se abstrahit, totámque emaculat. & hæc pertinere videntur ad virtutem temperantiæ. Item

robo

roborat se aduersus omnia quæ à proposito & sententia mouere moliuntur. hoc ad fortitudinẽ. Item societatẽ humanam magnipendit: nihil vult alteri quod sibi noli accidere. hoc est ad iustitiã. Sequitur authoritatẽ & præcepta sapiẽtium, & per hoc sibi loqui Deum credit. hoc ad prudentiã. In hoc præclaro actu animę inest adhuc labor, & cõtra huius mundi molestias atque blanditias magnus conflictus. ¶ Ad quintum gradũ pertinet vt anima ab omni labe libera maculísque lota in hoc statu se teneat. Aliud enim est efficere, aliud tenere puritatem, vt ait Aug. alia prorsus actio quæ se inquinata reintegrat, & alia quæ non patitur rursum inquinari. Tunc ingẽti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, id est in ipsam contẽplationem veritatis, & illud propter quod tantum laboratũ est altissimum & secretissimum præmiũ. ¶ Sextus ergo erit iste actionis gradus. Aliud enim est mundari ipsum oculum animæ, ne frustrà & temerè aspiciat, aliud ipsum custodire & firmare sanitatẽ, aliud iam serenũ atq; rectum aspectũ in illud quod est videndũ dirigere. Quod qui prius volunt facere, quàm mundati & sanati fuerint luce reuerberantur veritatis. ¶ Septimus & vltimus animæ gradus, est visio & contemplatio veritatis: neque est iam gradus, sed quædã mansio. Primus actus dicatur animatio. Secundus, sensus. Tertius, ars. Quartus, virtus. Quintus tranquillitas. Sextus, ingressio. Septimus, contemplatio. ¶ Et notandũ quòd ad Dei contemplationẽ non admittitur homo nisi innouatus, vnde de ascensu cõtemplationis verum est illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit. Vnde cautè locutus est Apost. 2. Cor. 12. Scio, inquit, hominem in Christo &c. raptum huiusmodi vsq; ad tertium cælũ. Non raptus fuisset, nisi in Christo, id est, in Christi cõformitate fuisset.

¶ De triplici specie visionis.

Et distinguũtur ibi in glo. tres species visionis, scilicet corporalis, imaginaria, & intellectualis. Corporalis est, cùm quædam corporaliter videtur Dei munere, quæ alij videre nequeunt, vt Balthasar vidit manũ scribẽtẽ in pariete. Dan. 5. Imaginaria est, quãdo aliquis in extasi vel in somno videt nõ corpora, sed imagines rerũ Dei reuelatione, vt Petrus vidit discũ. Act. 10. Visus intellectualis est, quãdo nec corpora, nec imagines eorũ videtur: sed in corporeis substãtiis intuit' mẽtis mira Dei potẽtia figitur. Talis fuit visio Pauli. Et videtur secundum Aug. quòd ipse viderit Deũ facie ad faciẽ. Aug. Cur nõ credamus quòd tanto Apostolo doctori gẽtium rapto vsq; ad excelletissimã visionẽ, voluit Deus demonstrare vitam in qua post hanc videndus est in æternũ? Et secun

secundum hoc illud Exo. 33. Non videbit me homo, & viuet: exponẽdum erit de homine humano modo viuẽte, secundum illud Aug. in lib. de Trinit. Videri, inquit, diuinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur quo iam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt. Et super Exo. 33. dicit gl. Greg. in hac carne viuentibus inæstimabili virtute crescentibus contemplationis acumine, potest æterna Dei claritas videri: non tamẽ videbit homo, & viuet: quia qui sapiẽtiã quę Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, vt Dei amore teneatur: qui raptus est, sensu nõ vtitur. Vnde narrat Aug. de quodam sacerdote, qui quãdo audiebat aliquod delectabile, præ gaudio statim quasi mortuus erat, & appositum ignem corpori non sentiebat. Item Bern. ad fratres de Monte Dei, loquens de verbo illo Iob 36. Abscondi lucẽ in manibus, videtur dicere q̃ Deus in contẽplatione videatur sicut ipse est. Electo, inquit, & dilecto Dei vicissim lumen vultus Dei ostẽditur, sicut lumen clausum in manibus, patet & latet ad arbitriũ tenentis, vt per hoc q̃ quasi in trãseursu, vel in pũcto videre permittitur, inardescat animus ad plenã possessionẽ luminis æterni, & hæreditatem plenæ visionis Dei. Cui vt innotescat aliquatenus id quod ei deest, nõnunquam quasi pertransiẽs gratia perstringit sensum amãtis, & eripit eum sibi, & rapit in diem qui est à multitudine rerũ ad gaudia cælestia, & pro modulo suo ad motũ & pũctum idipsum ostẽdens ei videndum sicuti est. Interim etiam ipsum efficit in idipsum, vt sit suo modo sicuti illud est: vbi cùm didicerit quid sit inter mũdum & immũdum, redditur sibi, & remittitur ad mũdandum cor ad visionem, ad aptãdum animã ad similitudinem, vt si aliquãdo rursum admittatur, sit purior ad videndum, & stabilior ad fruendum. Nũquam enim melius deprehẽdit modus humanę imperfectionis, quã in lumine vultus Dei, in speculo diuinę visionis. Idem in eadem epistola: Deus semper quæritur, vt dulcius inueniatur: dulcissimè inuenitur, vt diligentius quæratur. Hoc ergo ineffabile cùm non nisi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet, & subditur: Hæc est facies Dei quam nemo potest videre, & viuere mundo. Item Augu. in libr. Soliloquior. Quando fueris talis, vt nihil prorsus terrenorum te delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis. Quædam ad contemplationem vtilia, require in tractatu Spei. cap. de rebus sperandis.

De dono intellectus. PARS XI.

NOtandum quòd donum intellectus secũdum quosdam, dicitur gratia intelligẽdi salubres significationes signorum na-

turalium, vel positiuorũ. Ad quod facit quod dicit Dominus discipulis, Matt.10. quærẽtibus vt ediſſereteis parabolã. Adhuc, inquit, & vos ſine intellectu eſtis. Credebãt myſticũ quod erat propriè dictũ. Vnde non habebãt notitiã circa myſteria parabolarũ. Item eiuſdẽ 15. Cũ diſcipuli ad literã intelligerẽt illud quod dominus dixerat eis, Cauete à fermẽto Phariſæorũ: reprehẽdit eos dominus, dicẽs: Nondũ intelligitis, &c. Itẽ ad idẽ facit quod legitur Dan.10. In viſione opus eſt intelligẽtia. Itẽ in Pſal. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus. Equus & mulus à foris manent in rebus ſenſibilibus exteriora ſolũ videntes, interiora nõ agnoſcẽtes. Ad idẽ facit quod dicit Greg. ſuper illud Iob 1. Filij eius faciebãt cõuiuia, &c. Intellectus, inquit, in die ſuo paſcit, dũ de auditis cor illuſtrat. Itẽ ſuper illud Iob 1. Vẽtus vehemẽs irruit à regione deſerti. Spiritus mentẽ inſtruit cõtra heberudinem. Intellectu animus hebes eſt, quo rebus hæret, à foris nõ ingrediẽs, ad ſignificata earum: quã heberudinẽ donũ intellectus expellit. Vnde dicitur intellectus, quaſi interna lectio. Hoc donũ nõ habuerũt Philoſophi, qui viſibilia huius mundi nõ acceperũt vt ſigna, ſed quaſi materialiter, qui arguũtur Sap.13. Si enim tantũ potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculũ, quomodo huius dominũ facilius nõ inuenerũt? Ipſi ſimiles fuerunt pueris qui in libris pulchris & deauratis literarũ pulchritudinẽ mirãtur, de his quæ ſcriptura ſignificat nõ curãtes. Aug. in lib. de lib. arb. Admirator creaturarũ, & eis inhærẽs, nõ admirans artificẽ, ſimilis eſt homini qui ſyllabas decẽter ornatas miratur, & in eis adhæret relicto ſentẽtiæ principatu. Signa naturalia ſunt omnes creaturæ. Omnes enim nobis loquũtur Dei laudẽ, & noſtrã eruditionẽ. Deus enim effudit ſapientiã ſuper omnia opera ſua. Ecc.1. Iob 12. Nimirũ interroga iumẽta, & docebũt te: & volatilia cęli, & indicabũt tibi. Loquere terræ, & reſpõdebit tibi, & narrabũt ea piſces maris. Salomõ ſapientiã quæſiuit tã in herbis, quã in arboribus, etiã in animalibus. Diſputauit enim ab hyſopo vſque ad cedrũ, & de omnibus generibus animaliũ, per ſingula præponens parabolã. Et Ariſto. interrogatus à quo tot & tãta didiciſſet: Reſpõdit, A rebus quæ mẽtiri nõ norũt. Aug. in lib. de lib. arb. Quocũque te vertis, veritas veſtigiis quibuſdã quæ operibus ſuis impreſſit, loquitur tibi, & te in exteriora relabentẽ ipſis exteriorum formis intus reuocat. Sap.13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poteſt creator earũ videri. ad Rom.1. Inuiſibilia Dei, à creatura mundi perea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Ad donum intellectus ſecundum hanc acceptionem pertinent

tinent parabolæ Euãgelicæ, & alia myſtica, quæ in ſcriptura inueniuntur. Bern. in Serm. loquens de apparitionibus Chriſti poſt reſurrectionẽ: In ſpiritu intellectus aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Vnde ſecundũ hoc illud quod dicit Aug. in li. de doct. Chriſt. ꝙ cognitio ſacræ ſcripturę pertinet ad donũ ſciẽtiæ: non eſt intelligendũ vniuerſaliter, ſed ſolũ de illa parte ſcripturæ, quæ de miſeria humana loquitur. Signa poſitiua ſunt, vt quæ ſub veteri lege, vel noua ſunt inſtituta. Ad donũ igitur intellectus pertinet intelligere ea quæ creaturæ nobis naturaliter ſignificant: quæ ſignificatio maximè eſt ratione ſimilitudinis. Et ſecundũ hoc creaturæ ſunt quaſi libri naturales. Sed velut libri factitij in quibus per donũ intellectus legimus quæ ad noſtrã ſalutẽ pertinẽt, ſunt vt formæ eccleſiarũ, & ſitus, & ornatus. Itẽ habitus perſonarũ eccleſiaſticarum: & ornatus earũ in ſuis myſteriis. De diuerſis libris in quibus homo legere debet, Require in Sermonibus epiſtolarũ de verbo illo, Quæcũque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt. ¶ Secundũ aliquẽs verò donũ intellectus dicitur lumen quo inuiſibilia cognoſcuntur. Ad quod videtur facere quod legitur in 5. libr. Bern. de conſideratione, vbi ipſe diſtinguit inter intellectum, fidẽ, & opinionẽ, vtrumquodque eorum deſcribens. Fides, inquit, eſt volũtaria quædã & certa præliberatio, nedum propalatæ veritatis. Intellectus eſt, rei cuiuſcunque inuiſibilis certa & manifeſta notitia. Opinio eſt, quaſi pro vero habere aliquid quod falſum eſſe neſcias. In eodem: Intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. Idem Aug. in lib. de Vtilitate credendi: Quod credimus, debemus authoritati: quod intelligimus, rationi: quod eramus, opinioni. Itẽ Augu. in quodã ſermone de Timore: Sextus, inquit, gradus eſt intellectus, vbi ab omni falſitate carnalis vanitatis corda mundantur, vt pura intentio dirigatur in finẽ: propterea & ſexto loco dicitur, Beati mundo corde.

De dono ſapientiæ. PARS XII.

SApientia quãdoque largè ſumitur, ſcilicet pro ſapida ſcientia, ſecundũ illud Ecc.6. Sapientia doctrinæ ſecundũ nomẽ eius, ſapidã ſcientiam habet, cui res quas agnoſcit ſapiũt vt debẽt: quãdo ſcilicet mala culpæ ſunt ei amara, bona tẽporalia vilia, ſpiritualia chara. Bern. in Serm. Inueniſti planè ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata deſleas, ſi huius ſeculi deſiderabilia paruipendas, ſi æternã beatitudinẽ toto deſiderio cõcupiſcas. Inueniſti ſapientiam, ſi tibi horum ſingula ſapiunt prout ſunt. Quandoque ſapientia ſtrictè ſumitur pro cognitione æternorum, ſecundum il-

lud Aug. in lib. de Trin. Hæc est, inquit, sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis. Et secundum hanc acceptionem sapientia non est omnino diuersa à dono intellectus. Strictius etiã sumitur sapientia pro cognitione suauitatis diuinæ per experientiam habita, & sic à dono intellectus est diuersa. Et differt à dono intellectus in hoc quòd sapientia tantum veritati æternæ contemplandæ intendit. Intelligentia verò non modo de æternis est, sed etiã de rebus inuisibilibus & spiritualibus temporaliter exortis. Isido. in lib. differentiarum: Sapientia tantummodo æterna contemplatur. ¶ Item intellectu intelligibilia capimus tantum. Sapientia verò non modo capimus superiora, sed etiam incognitis delectamur. Donum sapientiæ habebat Aug. dicens, lib. 10. Confes. Aliquando, inquit, intromittis me in affectum multum inusitatum introrsum nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo. Sed multum teneor quantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miser vtrobique. Quasi per auditum cognitionem habet suauitatis diuinæ qui credit illi verbo, Eccles. 24. Spiritus meus super mel dulcis. Vel illi, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine. Cognitio quę habetur per donum intellectus, est quasi cognitio per visum: cognitio verò quæ habetur per donum sapientiæ, est quasi cognitio per gustum. In Psal. Gustate, & videte quoniam suauis est dominus. Donum sapientiæ tranquillat mentem, & reficit. Grego. Ab intellectu ascenditur ad sapientiam, vt hoc quod acutè intellectus inuenit, sapientia maturè disponat. Gl. super Matt. 5. In septimo est sapientia: id est, contemplatio veritatis pacificans totum hominem. Augu. in sermone de Timore: Cum in finem peruentum fuerit, iam requiescitur. Et quis finis, nisi Christus qui est finis legis ad iustitiam? Et sapiẽtia Dei quis, nisi Christus? Propter hoc sicut septimo posita est sapientia, sic septimo ponitur, Beati pacifici. De sapientia dicit Gregorius super Iob 1. Sapientia in die sua pascit, dum de æternorum spe & certitudine mentem reficit.

QVINTÆ partis principalis de Beatitudinibus Tractatus.

De dicendorum ordine in isto tractatu. Et de descriptione Beatitudinu.

PARS. I.

Vltimo

VLtimo dicendum est de Beatitudinibus, de quibus habetur Matthæ. 5. De illis verò hoc modo dicetur. Primò ostendetur quid sit beatitudo prout hic sumitur. Secundò tangentur quædam attendenda & admiranda circa doctrinam illam Saluatoris, in qua gratiæ illæ quæ dicuntur beatitudines, nobis commendantur. Tertiò de singulis agetur per ordinem. ¶ Circa primum notandum quòd beatitudo prout hic sumitur, sic potest describi: Beatitudo est gratia non cuicunque, sed verè sapienti nota, faciens ad suauitatem conscientiæ, propinqua gloriæ. Et videtur posse sumi hæc descriptio ex eo quod dicit Ambro. in libr. de Offic. Dico, inquit, beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate. Quod dictum est, Beatitudo est gratia non cuicunque, sed verè sapienti nota: sumi potest ex eo quod dicit beatã vitam cõsistere in altitudine sapientiæ. Ad eos qui habent profundam sapientiam pertinet cognoscere quòd paupertas hominẽ beatum efficiat: & sic de cæteris gratiis quas dominus commendat. Bernar. in sermonibus: Quid tam absconditum quàm paupertatẽ esse beatam? Matt. 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. A sapientibus, inquam, huius mundi. Quod dictum est, Faciẽs ad suauitatẽ cõscientiæ: sumi potest ex eo quod Ambr. dicit, in suauitate conscientiæ beatam vitam cõsistere. Paupertas, & cæteræ gratiæ quas Deus commẽdat, videtur habere miseriam vel antecedẽtem vel cõcomitantẽ, vel esse ipsa miseria: tamẽ secundum veritatem, ad suauitatem seu tranquillitatem conscientiæ faciũt. Quod dictum est, Propinqua gloriæ: potest sumi ex hoc quod Ambro. dicit, virtutis sublimitate. Virtus sublimis, est virtus perfecta: virtus perfecta est virtus propinqua fini suo, siue gratia propinqua gloriæ. Beatitudo, prout hic sumitur, est beatitudo viæ, & ideò est beatitudo semiplena: Plena enim beatitudo erit patriæ, quam notificat Augu. in Ench. dicens: Ille beatus est, qui omnia quæ vult habet: nec aliquid vult quod non decet. In eo in quo sunt gratiæ illæ quas dominus commendat, iam est impletum illud, Nõ aliquid vult quod non decet. Illud verò, Omnia quæ vult habet, quantum ad bona transitoria videtur esse impletum, quum ipse ea contemnat, & amplius etiam de illis habeat quàm velit: quantum verò ad vera bona quæ sunt futura, non est hoc in eo impletum: quodammodo tamen habet ea, scilicet in spe, etsi non in re. Ferè etiam habet ea in re propinquitate vel facilitate perueniendi ad ea. Vnde & pauperum spiritu, & eorum qui persecutionẽ patiuntur propter

iustitiam, dicit dominus iam esse regnum cælorum.

De quinque attendendis & admirandis circa doctrinam illam quæ est compendium nouæ legis. PARS II

CIrca secundum notandum quòd quinque sunt attendenda & admiranda circa dictam doctrinam, quæ compendium est nouæ legis. Explanatio verò eius subditur in aliis quæ dicit dominus in illo sermone, sicut patet ex Glossa. Vnde super illud, Ascendit in montẽ, dicit Glo. In hoc monte nouũ testamentũ in cordibus filiorũ scribit, incipiẽs à beatitudine, qui in mõte Sinai vetus testamentum in lapidibus seruis dedit, incipiens à timore. Et alia Glos. dicit, Sicut Moyses decẽ præcepta proponẽs postea per partes explicat: sic Christus quasi virtutũ genera octo beatitudines proponit, ex quibus pendent quæ in mõte dixit. ¶ Primũ attendendum & admirãdum circa doctrinã illam est legislatoris benignitas. Secundum, eiusdem authoritas. Tertium, doctrinæ sublimitas. Quartum, sententiarum extraneitas. Quintũ, doctrinæ integritas. ¶ Benignitas legislatoris in hoc apparet, quòd ipse nec præcipit, nec prohibet, nec comminatur, sed dulcedine mercedis temperat difficultatẽ laboris. Vnde lex eius bene potest intelligi illa lex clementiæ, de qua dicit Salomon in fine Prouer. lo quẽs de sapiente muliere: Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Verè non est similis illi in legislatoribus. Iob 36. Non sunt similes ei qui multitudine præceptorum & prohibitionũ subditis suis obstruũt viam paradisi, & cõminationes multas eis facientes non dant locũ timori Altissimi. Authoritas legislatoris maxima est. Ipse enim iudex est, qui hanc legẽ dat. Ideò magna securitas est his qui eam obseruant. Iob 31. Quis mihi tribuat auditorẽ, vt desiderium meum audiat omnipotens, & librũ scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum? In humero pórtare, est secundũ Greg. scripturã operatione persicere. Ad doctrinam istã pertinet illud Eccl. 24. Ego ex ore Altissimi prodij. Si vestes quæ tetigerunt Saluatorem pro reliquiis habentur, quare verba quæ processerũt de ore eius pro reliquiis non habentur? Nullum verborum illorum negligẽdũ esset. In Psalm. Folium eius non defluet. Diligenter essent audienda verba illa, & memoriæ infigenda. Eccles. 8. Ego os regis obseruo. Credendum est, quòd verba ipsius magnæ sint virtutis. Illi enim speciáliter dicitur in Psalm. Diffusa est gratia in labiis tuis. Et Luc. 4. Mirabãtur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore illius. & Cant. 5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. ¶ Sublimitatem doctrinæ Christus ostẽdere voluit

luit in hoc, quòd doctrinam illam in monte tradidit. Vnde glos. super illud, Ascendit in montem. Altiorem, inquit, docturus iustitiam, quàm illam quæ est Scribarum & Pharisæorum. Item alia gl. Ascendit in montem, vt altiora virtutum culmina doceret. Proposuit dominus in monte illo abscondita cælestis ethicæ. Vnde impletum fuit illud, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Matt. 13. Et est sumptum de Psalm. Ibi tradidit regulas viuendi quæ ad regimen totius mundi sufficerent, si secundum eas regere se veller. Ibi tradidit principia moralis philosophiæ, quibus veritas vitæ demõstratur & æterna felicitas non tam infertur quàm confertur. Ibi sol intelligentiæ velut octo radios ex se emisit ad ecclesiæ illuminationem. Ibi fons sapientiæ, verbum scilicet Dei in excelsis. Ecclesiast. 1. Nouum testamentum velut quendam fluuium paradisi emisit, vt tangitur in Glos. Hic est torrens ille, de quo Ezechie. 47. Viuent omnia ad quæ venerit torrẽs. Ad hunc fluuium pertinet illud Ecclesia. 24. Ego quasi fluuius Dorix, & quasi aque ductus exiui de paradiso. Dorix interpretatur medicamentũ generationis. Os illud cuius apertionem Matthæus commemorat, veræ vena vitæ fuit. Prouerbior. 10. Vena vitæ os iusti. Lex vetus promittebat suis obseruatoribus benedictionem temporalis prosperitatis, & transgressoribus comminabatur maledictionem temporalis aduersitatis. Deut. 28. Sed lex noua obseruatores suos beatos prædicat. Magis enim Deo assimilat, quàm illa. Quanto verò aliquis Deo similior est, tanto in maiori tranquillitate est. Vnde super illud Ierem. 17. Ego autem non sum turbatus, te pastorem sequens, dicit glos. Quanto magis Christum sequeris, tanto minus turbatis. In doctrina illa exit nobis Christus sealam mirabilẽ, cuius vtraque extremitas tãgit cælum. In commendatione enim primæ beatitudinis & vltimæ dicitur, Quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quomodo regnũ cælorum sit paupertũ spiritu, & quomodo eorum qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiam, dicetur, quum de illis beatitudinibus specialiter agetur. ¶ Sententiæ illius doctrinæ valde extraneæ sunt à sententiis sapientiæ mundanæ, quæ miseros iudicat, quos illa doctrina beatificat. Sunt enim octo illa verba quasi octo positiones ipsius ducis philosophiæ. Positiones, inquã, extraneissimæ, sed tamen verissimæ. Causa quare sapientia Dei adeò extraneũ iudicium habeat à iudicio mũdanæ sapientiæ, hæc est: quia lumẽ sapiẽtiæ diuinæ magis est sufficiẽs ad visionem eorũ quæ sunt propè, & eorum quæ sunt lõgè. Attingit enim à fine vsque ad finem.

Sap.8. Lumen verò mundanæ sapientiæ modicum est, nõ sufficiens nisi ad visionem præsentium. Sapientia mundana superficialiter solum res aspicit: sapiẽtia verò Dei interiora penetrat, ideò suauitatem inuenit, quam nõ inuenit sapientia mundi. Simia si loqui posset, nucem amaram diceret propter corticis amaritudinem. Qui verò nucem frãgit, & ad nucleum peruenit, dulcedinem in nuce inuenit. Doctrina illa integra est quantum ad principia moralis sapientiæ. Licet anima multas conditiones in rebus attendat, tamẽ specialiter ipsa sapiens iudicatur secundum conditiones quæ sunt bonitas & malitia. Anima enim sapiẽs est, si bona & mala sapiũt ei vt debẽt. Ber. in sermonibus: Inueneris sapiẽtiam, si tibi horum singula sapiũt prout sunt. Perfectè ergo principia moralis doctrinæ tradi vidẽtur in illis octo verbis, in quibus anima ad bonum & ad malum perfectè ordinatur. Ad bonum ordinatè se habet, si modica bona modicum diligat, si vera bona esuriat & sitiat, & si eis ita adhæreat, vt nulla pœna ab eis separari valeat. Ad primum pertinet illud, Beati pauperes spiritu, &c. Ad secũdum illud, Beati qui esuriũt, &c. Ad tertium, Beati qui persequutionem, &c. ¶ Ad bonum quis ordinatè se habet, si nulli malum inferat, si sibi illatum vel gratis assumptum æquanimiter ferat, si alij illatum pro posse auferat, si studiosè cauet vt nec inquietur malo culpæ, nec perturbetur malo pœnæ. Ad primum pertinet illud, Beati mites. Ad secũdum illud, Beati qui lugẽt. Ad tertium illud, Beati misericordes. Ad quartum illud, Beati mũdo corde. Ad quintum illud, Beati pacifici. Secũdum Glo. in septem primis est, perfectio: in octaua, perfectionis ostẽsio. Ad perfectionem duo pertinẽt, scilicet purgari à noxiis, & impleri bonis. Purgari verò à noxiis, est prius naturaliter. August. Bono implẽdus es, funde malum: paupertas spiritus, & mansuetudo fundunt malum. Paupertas spiritus fundit mala illa quæ veniũt nobis à bonis quæ intra nos sunt, scilicet solicitudinem seculi & amorem. Mãsuetudo verò fundit mala illa quæ veniunt nobis ab his quæ contra nos sunt. Expellit enim perturbationes quas in nobis faciunt aduersa. ¶ Quinque verò beatitudines sequẽtes pertinent ad repletionem boni. Duplex est enim bonum præter bonum delectabile: scilicet bonum expediens, vt est medicina, vel incisio propter salutem corporis facta, & bonum simpliciter. Ad bonum expediens pertinet illud Beati qui lugent. Qui enim habet gratiam lugendi, renuit consolari eligens hic salubriter cruciari vt possit sanari in futuro, & possit veraciter delectari. Ad bonum simpliciter pertinent quatuor

quatuor sequentes beatitudines. Duæ primæ ad actiuam, & duæ aliæ ad contemplatiuam. Illud, Beati qui esuriunt, &c. pertinet ad bonum ad quod tenemur. Illud, Beati misericordes, ad bonum ad quod non tenemur. Aliarum duarum quæ pertinent ad contemplatiuam, prior pertinet ad intellectum, posterior ad affectum. Item prima septem beatitudinum quæ pertinẽt ad perfectionem animæ, expedit vim cõcupiscibilem, scilicet paupertas spiritus: mãsuetudo verò expedit vim irascibilem. Vis verò rationabilis postquam cor expeditum est, ab amore mundi per paupertatem spiritus, & perturbationibus iræ per mansuetudinem, vocare potest & videre statum in quo homo est. Quam visionem sequitur luctus: quia qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Eccles. iast. 1. Luctus verò purgat mentem, reliquias infirmitatis expellens, & infectionem palati spiritualis quæ erat de febre iniquitatis remouens. Ideò post luctum bene sequitur esuries iustitiæ: sicut homo perfectè purgatus & sanitati corporali restitutus esurire solet. ¶ Et notandum, quòd non tam citò animus perfectè sanatur, quàm citò peccatum ei remittitur. Vnde Augustinus 14. libro de Trinitate: Sicut aliud est febrem, aliud infirmitatem febre factam curare. Item aliud est telum de corpore demere, aliud vulnus eo factum secunda curatione sanare: Ita aliud est causam afferre languoris, quod per indulgentiam fit omnium peccatorum: aliud ipsum lãguorem curare, quòd paulatim proficiendo fit in renouatione huius imaginis. Primum facit Deus per se & secum: secũdum facit Deus per hominem, & cum homine. Ideò dicitur in Psalm. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas. Sanare infirmitates numeratur quasi diuersum cum eo quod est propitiari iniquitatibus: quia verò esuriens & sitiens iustitiam, ex fragilitate quãdoque cadit, saltem venialiter. Septies enim cadet iustus. Prouer. 24. necessaria sunt homini opera misericordiæ quibus homo se abluat. Luc. 11. Veruntamẽ quod superest, date eleemosynam, & omnia mũda sunt vobis. ¶ Sextò verò loco rectè ponitur mũditia cordis præparãs ad Dei visionem, cùm omnia præcedẽtia vel indicatiua sint, vel effectiua mũditiæ, esuries & sitis eam indicãt, cætera eam efficiũt. Visionem vero Dei sequitur gustatio diuinæ suauitatis: qua degustata animus amore & desiderio eius capitur, & propter hoc auertit se & abrumpit ab aliis, vt Deo totaliter vacet. Gustato enim spiritu, vt ait August. desipit omnis caro, vnde talis studet paci faciendæ & cõseruãdæ in se, sciẽs quòd in pace factus est locus eius. Ideò se-

ptimo loco rectè ponitur illud, Beati pacifici. Tres primæ faciũt ad hoc vt vetus homo exuatur: quatuor sequẽtes ad hoc vt nouus homo induatur. Ad quod monemur Ephes. 4. Deponite vos secũdum pristinam cõuersationem veterem hominem qui corrumpitur secundũ desideria erroris, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est. Et ad Colos. 4. Expoliãtes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum hominem, &c. Ideò septimo loco rectè dicitur, Quoniam filij Dei vocabuntur. Filius Dei est homo nouus. Filius Adam homo vetus. Ber. in sermo. inter dictas septem beatitudines sic distinguit: Attende, inquit, quemadmodum in tribus prioribus sibiipsi reconciliatur anima: in duobus, quæ sequuntur proximo: in sexto, Deo: in septimo, alios recõciliat, tanquam receptus in gratiam domini & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mãsuetudine, fletu, renouatur in anima similitudo quædam & imago æternitatis omnia tempora complectẽtis, dum paupertate futura meretur, mãsuetudine sibi præsentia vẽdicat. Hoc videtur dici propter hoc, quòd mãsuetus sibi dominatur, cum homini immansueto potius dominetur ira. Et subdit Ber. Luctus pœnitentiæ præterita quoque recuperat, sicut scriptum est: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Porrò iustitia & misericordia perfectè proximo cohæremus, dum quicquid nolumus nobis fieri, aliis nõ facimus per iustitiã, & quæcũque volumus vt faciãt nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiã. Item recõciliati nobis, recõciliati etiã proximo fiducialiter per mũditiã cordis, recõciliamur Deo. Beati verò qui de sua recõciliatione nõ ingrati & pro fratribus suis piè solicitis eos quantum prævalent, & sibi & Deo reconciliare laborant.

De paupertate spiritus, & eius descriptione: quare etiam pauperes spiritu sint beati, & regnum cælorum sit ipsorum, ac cui dono paupertas spiritus adaptetur. PARS III.

COnsequenter dicendum est de singulis beatitudinibus. Et primo de paupertate. De qua hoc modo dicetur. Primò ostendetur quid dicatur paupertas spiritus. Secundò quomodo pauperes spiritu sint beati. Tertiò, quomodo regnum cælorum sit pauperum spiritu. Quartò, cui dono paupertas spiritus adaptetur. Quintò, agetur specialiter de his in quibus paupertas spiritus consistit. ¶ Circa primum notandum, quòd Bernard. in sermonib. vocat paupertatem spiritus voluntariam paupertatem, quæ est cum spirituali intentione, sic dicens, Diligenter attende, quòd non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pau

peres, necessitate miserabili, non voluntate laudabili, Spero equidem profuturam ei apud diuinæ bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam. Scio tamen hoc in loco Dominum non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum propheta: Voluntariè sacrificabo tibi. Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nam & philosophi sua omnia reliquisse dicuntur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant sensu abundare in sensu suo. Hos discernit quòd dictum est, Spiritu, id est, spirituali voluntate. Beati verò pauperes spiritu: spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei & animarum salutem. Super illud verò Matt. 5. Beati pauperes: quædam interlinear. dicit, Voluntate: alia intelin. dicit, Pauper spiritu est humilis corde. Gloss. verò hæc duo coniungit, dicens, Paupertatis deuotio habet duas partes, rerum abdicationem, & spiritus contritionem. ¶ Si quis tamen diligenter attendat, paupertas spiritus videri poterit consistere in tribus, secundum tres vires animæ, scilicet in humilitate secundum vim rationabilem, vt sumamus humilitatem pro illa humilitate, de qua Bernardus: Est humilitas, quam in nobis veritas parit. Item in libro de decem gradibus humilitatis: Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit. Et in diffidentia de propriis viribus, quantum ad vim irascibilem. Diffidentia enim de propriis viribus commendabilis est, sicut diffidentia de Deo est vituperabilis. Et in contemptu siue prauo amore rerum temporalium quæcunque sint res illæ, siue sint diuitiæ, siue alię. Et ite contemptus pertinere videtur ad vim concupiscibilem. Et sub isto tertio membro contineri illa videtur species humilitatis, quæ est contemptus propriæ excellentiæ: de qua loquitur Bernardus in epistolis: Possumus tamen dicere paupertatem spiritus consistere in duobus: scilicet in humilitate, & rerum temporalium abdicatione: sicut tangit glo. Et tunc accipietur humilitas ita largè, vt comprehendat diffidentiam de propriis viribus. Sicut in tractatu de Superbia, præsumptio posita est species superbiæ. Dicunt etiam aliqui, ad paupertatem spiritus pertinere spiritualem mendicationem, qua quis mendicat ea quæ sunt spiritus, improbum se diuitibus spiritualibus exhibendo, nunc subsidium orationum, nunc panem doctrinę humiliter petendo. Sed ista mendicatio sequela est veræ humilitatis. Item dicunt aliqui, paupertatem spiritus esse quum aliquis agnoscit se non habere domi

dominium aliquod, nec in se nec in eis quæ sua videntur, sed solum administrationē: Deum verò omnium esse verū dominum intelligit. Hæc paupertas spiritualis est, quum sedem habeat in ipso spiritu. Et qui hanc paupertatem habet omnino sine proprio est. Prouer. 14. Acceptus est regi minister intelligens. Intelligens inquam, se solum ministrum esse, & nullius dominum.

¶ Quare pauperes spiritu sunt beati.

CIRCA secūdū notandum est quòd propriissima causa quare pauperes spiritu sint beati, est illa quam dominus assignat, quoniam ipsorum est regnum cælorum, quasi diceretur: Videntur esse pauperes, sed verè sunt diuites. Prouerb. 13. Est quasi pauper quum in multis diuitiis sit. 2. ad Corint. 6. Sicut egentes, multos autem locupletantes tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Tria generat hominū solent haberi pro pauperibus, licet nihil possideant, scilicet electi ad dignitatem magnā, & qui diuitias multas quas habent in tuto loco reposuerunt, & hæredes principum. Et hæc tria inueniuntur in pauperibus spiritu. Iac. 2. Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni? Ad beatitudinem etiam paupertū spiritu facit, quòd ipsi liberi sunt à multiplici miseria quæ superbiam sequitur. De quo require in tractatu de Superbia. Item à multiplici miseria in quam ponunt diuitiæ amatores suos. De quo require in tractatu de Auaritia. Quando etiam ponentur ea quæ pertinent ad commendationem paupertatis & humilitatis, amplius patebit quomodo pauperes spiritu sint beati.

¶ Quare pauperum spiritu sit regnum cælorum.

CIRCA tertium notādum quòd pauperū spiritu regnū cęlorū est facilitate acquirendi. Pauperes enim spiritu sunt cōtemptores mundi, & humiles: qui verò continent mundū, habent eum subpedibus, & sunt supra mundū. Humilitas verò est quasi clauis regni cęlorum cōtra quā nō valet aliqua clausura. Apocal. 3. Ecce dedi ostium apertū corā te, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem. Facile ergo est pauperibus spiritu intrare in regnum cęlorum, qui sunt iam supra mundum, & clauem habent tam efficacem. Præterea humilitas est de qua dictum est quòd laqueos mundi euadit. De paupertate autem verum est, quòd frustrà ante eam rete iacitur. Prou. 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorū. Pennati sunt contemptores mundi. Humilium est regnum cęlorum, iuxta illud: Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere. Talium enim est regnum cælorum. Luc. 18. ¶ Triplici ratione humilitatis videtur esse regnum cęlorum. ¶ Primò, propter

Propter eius capacitatem. Ipsa enim in præsenti capax est gratię quam tumor superbiæ repellit. Iac. 3. Humilibus autem dat gratiam: & quia est capax gratiæ, in futuro erit capax gloriæ. ¶ Secundò, propter fidelitatē. Quum enim ipsa fidelis sit in modico, super multa constituetur. Matth. 25. Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituam. Bernardus super Cantic. Fidelis revera famulus es, si de multa gloria domini tui, etsi non exeunte de te, tamē transeūte per te, nil manibus tuis adhærere cōtingat. ¶ Tertiò, ratione vicissitudinis. Humilitas Deū in se recipit: ideo meritò in regno Dei recipietur. Prouerb. 29. Humilem spiritu susciepiet gloria. Humilitas in præsenti Deum honorat: ideo meritò in futuro à Deo honorabitur. Eccles. 3. Magna potentia Dei solius, & ab omnibus honorabitur. 1. Reg. 2. Qui honorificauerit me, glorificabo eum. Item diffidentium de propriis viribus est regnum cælorum, id est, robur & effluentia cælestis auxilij. De cælo enim venit eis auxilium, cùm de Deo & de sanctis eius cōfidant, & non de propriis viribus. Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri meo dare vobis regnum. Contemptoribus verò rerum temporalium regnum cœlorū est quasi iure emptionis: Bern. in sermonibus: Pauperibus pariter & martyribus regnū cælorū promittitur: quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur. Matth. 19. Omnis qui reliquerit domū, &c. centuplū accipiet & vitam æternam possidebit. Item Bern. in sermonibus: Quid sibi vult quòd eadē promissio facta est martyribus & pauperibus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est. ¶ Item mendicantiū suffragia sanctorū, regnum cælorū est: quia regnū cęlorum pietatis est. Quicquid autem habet pietas, pauperū est. Eccl. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique, &c. Domus cęlestis sicut & alia domus Dei pauperum est. Illorum verò qui nihil proprium se habere intelligūt, sed omnia cōmodata vel commēdata à Deo reputant, est regnū cælorum, tanquā eorū qui Deo sunt fidelissimi, nullius rei dominiū sibi vsurpantes, sed omniū rerum dominium Deo relinquētes. Ad beatitudinem horum facit, quòd si auferatur ab eis aliquid eorū quorum onus & periculum habebūt, nullam molestiā sentiunt sed suam exonerationē hoc reputant. Præterea cùm propriam voluntatē non habeant, & cōtra voluntatem propriam eorum nihil sit, ideo molestia carent. Hoc enim solum molestum est alicui quod contra eius voluntatē fit.

¶ Paupertas spiritus dono timoris adaptatur.

CIRCA quartum notandum, quòd paupertas spiritus dono tim

timoris adaptatur,& quantum ad humilitatem, & quantum ad rerum temporalium paupertatem, Quantum ad humilitatem: quia timor humilitatem introducit,sicut aliquis solet se inclinare timore gladij super eum eleuati.1.Petri 5.Humiliamini sub potenti manu Dei.Paupertas verò rerum temporalium bene timori adaptatur.Timentium enim est proiicere quęcunque fugę suę cursum impediunt,& quecunque euasioni suæ obstant. Multi timore periculi,quod est in mundo isto mundum relinquunt. Vnde super illud Iob 31.Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.glo.Fluctus quum tumentes desuper eminent, ea ex naui proiiciunt pro quibus nauigia sumpserunt.

De humilitate. PARS IIII. *Quæ subdiuiditur in quinque capitula.*

De ordine dicendorũ de humilitate & eius descriptione. CAP. I.

COnsequẽter agendum est de his in quibus cõsistit paupertas spiritus,scilicet de humilitate.Sicut enim initiũ omnis peccati superbia.Eccle.10.sic initiũ nostrę reparationis videtur esse humilitas.Hier.Prima virtus Christianorũ est humilitas.¶ De humilitate verò hoc modo agetur.Primò, ponentur eius descriptiones.Secũdò,eius commẽdationes.Tertiò, tangetur de causis humilitatis.Quartò,de signis eius.Quintò,ponẽtur diuisiones ad humilitatẽ pertinẽtes.¶ Humilitatem sic describit Aug. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis & sui conditoris, voluntaria mẽtis inclinatio in suo imo ordinabili ad suum conditorẽ.Humilitas est velut quædam mentis incuruatio seu genuflexio coram Deo,eum semper venerans. Causa vna huius inclinationis est intuitus propriæ conditionis. Propriã conditionem intuebatur Abrahã,quũ diceret: Loquar ad dominũ meum,quum sim pulvis & cinis.Gen.18.Itẽ qui dicebat:Putredini dixi,Pater meus es:mater mea & soror mea vermibus.Iob 18. Ad hũc intuitũ mittitur, Michææ 6.Humiliatio,inquit,tua in medio tui:id est, in ventre. Voluit dominus ventrem antè esse,vt homo semper videre posset materiam suæ humiliationis.Alia causa inclinationis est intuitus conditoris,in quo nullus est defectus:vnde comparatione eius magis apparẽt defectus nostri.Iob 25.Stellæ non sunt mundæ in cõspectu eius:quanto magis homo putredo,& filius hominis vermis?Esa.64.Quasi pannus menstruatę omnes iustitiæ nostrę. Gregor.Sæpe iustitia nostra ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est,& sordet in districtione iudicis quod fulget in estimatione operantis. Iob vlti. Nunc oculus meus videt te, ideirco me reprehendo.Bern.ad fratres de monte Dei: Nunquam se melius

vius deprehẽditur modus humanę imperfectionis,quàm in lumine vultus Dei:in speculo diuinæ visionis mẽs humilis in suo imo manet,tractat enim quæ in se infirma sunt. Seneca in epistolis: Quod homines libentissime de aliis faciunt,de te male existima: illud autem maximè tracta quod in te esse infirmissimũ senties. Si palea locum supremum tenet,non sui nobilitate, sed vento & sui vanitate:granũ verò quod pretiosum est tenet locum imum: sic superbia vilis,elationis opinione, vel ambitionis præsumptione,super alias se extollit:humilitas verò in imo remanet:tamen illud imum ordinabile est ad Deum. Deus enim in corde humili quiescit. Vnde super illud Psal. Parata sedes tua ex tunc. dicit gl.Anima tranquilla & humilis,sedes est Dei. Aug.11.li.Confes.O quam excelsus es,& humiles corde sunt domus tuæ.Bern. in libr.de consideratione,satis insinuat quid sit imum hominis,& quid sit illud quod ad conditorẽ ordinatur. Vbi considerationem sui in tria diuidit:scilicet in considerationem quid, quis, & qualis sis:quid in natura, quis in persona, qualis in moribus. Et subdit:Est in diffinitione hominis quem dicunt animal rationale, mortale:quod diligentius intueri licet, si libet consideranti duo hæc simul rationale & mortale.Is tibi exinde occurrit fructus,vt & mortale quod in te est rationale humiliet, & rursum rationale mortale confortet, quorum neutrum neglectui erit homini circunspecto. Mortale ergo imũ hominis intelligas:id verò quo ordinatur homo ad suum conditorem intelligas rationale. Inquantum mortalis,est homo pulvis & cinis:inquantum rationalis,est capax Dei. ¶ Item humilitas sic potest describi: Humilitas est voluntarius contemptus sui.Vel sic. Humilitas est sensus proprię vacuitatis seu inanitatis.Bern.in lib.de xii.gradibus humilitatis,eam sic describit:Humilitas est veritas qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit.In epistolis verò sic eam describit:Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Prior descriptio Bernardi videtur pertinere ad humilitatem intellectus, sequęs verò ad humilitatem affectus.In vitis patrum:Frater, quidam interrogauit quendam senem, quid est humilitas. Et ille respondit:Qui vult esse humilis,fugiat eligens taciturnitatem.

De commendatione humilitatis. CAP. II.

NOtandum quòd ad commendationem eius, Primò, valere potest multiplex admonitio quam scriptura sacra facit de ipsa.Ecclesiastic.3.Quanto magnus es,humilia te in omnibus. Notabiliter dicitur, Quantò magnus es:melius enim sedet humilitas in maioribus.Bern.in lib.de Consideratione: Cum omni

indiffer

indifferẽter personæ humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto tamen eius maior in maioribus & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splẽdidior gẽma in omni præcipuè ornatu summi pontificis. Item Bernard. In alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius vel rarius apud homines. Hierony. Nihil est quod nos hominibus ita gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni humilitate sumus infimi. Greg. in Moral. Mirũ est cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Vnde pensandũ est, quia potentes quique cùm humiliter sapiunt, culmen extraneæ & quasi positæ longè virtutis attingunt. Bernard. ad Eugenium Papam. Salubris copula, vt cogitans te summum pontificem, attendas pariter te vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. Bern. Nõ est magnum esse humilẽ in abiectioue, magna prorsus & rara virtus est humilitas honorata. Item monemur ad humilitatẽ. Ecclesiast. 7. Humilia, inquit, valde spiritum tuum. Valde debemus nos humiliare. Quantumcunque enim nos humiliauerimus, Christo humiliores nõ erimus. Luc. 14. Recumbe in nouissimo loco. Nõ dicit in medio. Ostium paradisi humile est. Ioan. 10. Ego sum ostium. Ingressuro per istud ostium nõ est periculum quantumcũque se inclinet: sed si parum plus iusto se erexerit, offendet. Bernardus: Nõ est planè timẽda quãtalibet humiliatio: horrẽda autem nimísque pauẽda vel minima temerè prǽsumpta erectio. Quamobrem noli te comparare, ô homo, maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Item monemur ad humilitatem. 1. Petr. 2. Subiecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Eiusdem 5. Omnes inuicẽ humilitatem insinuate. In eodem: Humiliamini sub potenti manu Dei. ¶ Secundò, possunt valere ad humilitatis commendationem exempla. Inter quæ præcipuũ est exẽplũ Christi, qui humillimus fuit. Augustꝰ. Ambula per Christi humilitatem, vt venias ad æternitatem. Deus Christus, patria est quò imus: homo Christus, est via qua imus. Ad illum imus, per illum imus: quid timemus, ne eremus? Item putabas fortè sapientiam Dei dicturam: Discè quo modo cælos feci & astra. Non: sed prius illud, Quoniam mitis sum, & humilis corde. Vis capere celsitudinem Dei, cape prius humilitatẽ Dei. Item Augustꝰ. 14. libr. de Ciuitate Dei: Nunc in ciuitate Dei in hoc seculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in eius rege qui est Christus maximè predicatur. Contrarium huic virtuti elationis vitium in eius aduersario qui est diabolus maximè dominari, sacris literis edocetur. Humilitatem

litatem exemplo suo Christus docuit, & nascendo, & moriendo & prædicando, & miracula agendo. Bern. loquens de illo verbo, Paruulus datus est nobis. Esa. 9. Studeamus, inquit, effici sicut iste paruulus, discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde, ne magnus videlicet Deus, sine cauſa factus sit homo paruulus. Augu. Medicina tumoris hominis est humilitas Christi. Erubescerẽt homo esse superbus, quia humilis factus est Deus. Erubescerẽt miles sedere in scamno, si videret regem sedere ad terram. Esa. 64. Vtinam dirumperes cælos, & venires. A facie tua montes defluerent, id est, superbi humiliarentur. Bern. Intolerabilis impudentiæ est, vt vbi se exinaniuit maiestas, infletur vermiculus, & tumescat. Grego. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem paruulus factus est. Ber. Quid magis admirandum, quid amplius detestandum, quid grauius puniendum, quàm quòd videns Dei filium summũ in regno angelorum, nouissimum factum in regno hominum, apponat adhuc magnificare se homo super terram? Magisterium humilitatis specialiter sibi Christus ascribit Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Aug. in lib. de Virginitate. Non dicis, Discite à me mundũ fabricare, aut mortuos suscitare: sed quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam salutarem, ô magistrum dominúmq; mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est: noluit docere quod ipse non nollet, noluit iubere quod ipse non faceret. In eodem: Iráne magnum est esse paruum, vt nisi à te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita planè: non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto. Christus in operibus suis multum voluit nobis humilitatem commendare: matrem humilem voluit habere. Luc. 1. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c. Item voluit habere domum humilem, quia diuersorium, & lectum humilem, quia præsepium: & vestem humilem, quia pannis inuolutus est. Luc. 2. Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Bernardus in sermo. loquens de illo verbo angeli dicto pastoribus, Luc. 2. Hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Non sine certi ratione mysterij pannis Saluator obuoluitur, & ponitur in præsepio, quando idem manifestè in signum nobis commendatur ab angelo. Hoc, inquit, vobis signum: Inuenietis, &c. In signum positi sunt panni tui, ô bone Iesu, sed in signum cui hodie à multis contradicitur. Agnosco certe, agnosco Iesum

magnum sacerdotem sordidis operum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Zach. 3. Exemplum dedit nobis, vt & nos eadem faciamus. Vtilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea, licet oneri illa sit, hæc honori. Erit cùm membra sequentur caput, vt corpus vniuersum vno spiritu psallat & dicat, Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Christus humilibus per angelum natiuitatem suam nuntiat, quia pastoribus. Bernardus in Sermone: Quot multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quantis vbique palliis & aurificiis parietes adornantur, putas ad hæc diuertent angeli, & pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ouium magis apparuere, quàm terræ regibus, quàm templi sacerdotibus? Item Christus circunciditur, in quo magnũ humilitatis dat exemplum. secundum enim Bernard. in incarnatione minoratus est paulominus ab angelis, sed in circuncisione multo minus: quia latronis cauterio est signatus. Bern. Vestigium nuliũ vulneris habens, alligaturam vulneris non refugit. Non sic impij, nõ sic agit peruersitas elationis humanę. Erubescimus vulnerum ligaturam qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Qui sine peccato est nõ dignatus est peccator reputari, & nos esse volumus, & nolumus æstimari. Item Christus hominibus humiliter subditur. Luc. 2. Descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus. Item Christus humiles sibi sociauit, quia piscatores. Matth. 4. Ioanni etiam se subdidit ab eo baptizandus. Matt. 3. Attendendũ verò est mirabile certamen, quod ibi fuit inter humilitatẽ Saluatoris, & humilitatem præcursoris. Ioannes enim prohibebat eum, dicens: Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me. Cui Christus, Sine modo: sic decet nos implere omnem iustitiam. Ber. Sic planè, sic decet vt vincat etiam humilitate qui sublimitate vincebat. Cessit humilitas præcursoris tanquam minor, & quia obedientia tulit auxilium humilitati Saluatoris. Vnde factæ sunt duæ contra vnam Gl. super illud, Tunc dimisit. Vera est, inquit, humilitas quam non deserit comes obedientia. Item Christus paruulũ amplexus, Marc. 9. & eiusdem 10. increpat prohibentes paruulos ad eum venire, & complexans eos, imponens manus super illos, benedixit eis. Item in prædicatione sua gloriã patris quærit. Ioan. 14. Sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris. Eiusdẽ 17. Ego te glorificaui super terrã, dicit filius ad Patrem. Eiusdem 8. Ego honorifico Patrem meũ. In eodem: Ego gloriam meã non quæro. Eiusdem 6. Iesus cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperẽt eum, & face

& facerent eum regẽ, fugit iterum in monte ipse solus Itẽ exemplum dat humilitatis in miraculorum operatione. Vnde Matt. 8. dicit leproso mundato: Vide nemini dixeris. Item in census solutione, Matth. 17. & in pedum ablutione, Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt & vos similiter faciatis. Matth. 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Item in hoc quòd asinare voluit, non equitare. Matth. 21. Et pòst illud Zach. 9. Sedens super asinam. subditur: Et disperdã quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem. Specialiter contra superbiam, quæ est in equitaturis, voluit Dominus asino insidere. ¶ Item in passione. ad Philip. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem. ibi dicit Gloss. Augustt. Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum: quid igitur intumescis homo? O pellis morticina, quid tenderis? ô sanies fœda, quid inflaris? Princeps tuus humilis est, tu superbus? caput est humile, & membrũ superbum. ¶ Tertiò potest valere ad cõmendationem humilitatis, si ostendatur quantum ipsa placet Deo. ¶ Notandum ergo quòd humilitas miro modo Deo redolet, & cætera bona hominis ei redolere facit. Cantic. 1. Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus propter sui paruitatem, humilitatem designat. Et sicut species aromaticæ cùm in puluerẽ rediguntur, vehementius redolent: sic bona hominis cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo sunt gratiora. Cantic. 3. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pygmentarij? Vbi humilitas est, adest feruor qui ad redolentiam maiorem solet facere. Humilis nihil reputat se habere vel facere, ideo feruens est. Item Spiritussanctus liberè flat in corde humili, quod etiam facit ad maiorem redolentiam. Can. 4. Veni Auster, perfla hortũ meum, & fluent aromata illius. Humilitatem respicit Deus oculo misericordiæ. Luc. 1. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. In Psal. Humilia respicit in cælo, & in terra. Gene. 26. Vidit Deus humilitatem meam. Esa. vlt. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu? Superbum verò respicit Deus oculo iustitiæ. In Psal. Retribuet abundanter facientibus superbiam. Esa. 2. Dies domini exercituum super omnem superbum. Humilitatem exaudiuit dominus. Iudith 9. Humilium & mansuetorum placuit tibi semper deprecatio. In Psa. Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Eccle. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Gregor. Magnus est creatori nostro ad recipiendum fletus humilium, misericordiæ sinus. Propter defe-

ctum humilitatis parum audit Deus hodie orationes ecclesiæ. Humilium memor est Deus. In Psal. In humilitate nostra memor fuit nostri. Superbos quasi non agnoscit Deus. Vnde dicit superbis virginibus Matth.25. Nescio vos. Humiles liberat Deus, & à malo pœnæ, & à malo culpæ. In Psal. Humiliatus sum, & liberauit me. 3. Reg.21. Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. 2. Paralipom.12. Quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira domini. Non tenet dominus iram suam contra humilitatem. Responsio enim mollis humilitatis, frangit iram domini. Prouerb.15. Humilis reputatione sui, vermis est. In Psalm. Ego sum vermis, & non homo. Quis honor esset Deo vindicare se de verme vno? Iste modus placandi Deum scilicet per humilitatem, videtur esse communis Gentilibus, Iudæis & Christianis. Ier.6. Accingere cilicio, & conspergere cinere. Iob vltim. Meipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Iud.5. Posuit puluerem super caput suum. Iosue.7. Iosue & senes Israël proni ceciderunt in terram, & miserunt puluerem super capita sua, cum viri vrbis Hai cecidissent de populo Iudeorum triginta sex viros. Et Ionæ 3. legitur quòd rex Niuiue audito verbo Ionæ, indutus est sacco, & sedit in cinere. Responsio mollis quam fecit humilitas Dauid Sauli, videtur iram eius fregisse. 1.Reg. 24. Quem persequeris rex Israël, quem persequeris? ait Dauid. Canem mortuũ, & pulicem vnum. Et respondit Saul tanquam placatus: Nunquid hæc vox tua est, fili mi Dauid? Sicut leo animalia sibi repugnantia lacerat & conculcat, subiecta verò illæsa abire permittit: Sic Deus humili parcit, superbum verò persequitur. Sap.6. Exiguo conceditur misericordia. Dauid humiliter confitens peccatum suum, audiuit à Propheta, Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 2.Reg.12. In Psal. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Humilitas ad modũ astuti luctatoris, dum se Deo subdit, quasi eum vincit. Humilitas videtur Dei sententias reuocare, vt patet in humiliato Achab. 3.Reg.21. & in Ezec. Esa.38. Et Niniuitis, Ionæ 3. Deus humiles etiam in præsenti exaltat: vt patet in Saul. 1.Regum 15. Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israël factus es? Saul abscondit se domi cùm quæreretur in regem. 1. Regum 10. Et de Dauid sublimando dicitur, eiusdem 16. Abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Moyses humilis, princeps populi constituitur à domino. Exod.3. Quis sum ego, ait Moyses, vt vadam ad Pharaonem, & educã filios Israël ex Ægypto? Et Ieremias humilis

lis, super gentes & regna constituitur. Ieremiæ 1. A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum, ait Ieremias. Et Gedeon humilis, dux populi constituitur. Iudith.6. Ecce inquit, Gedeon, familia mea minima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Iob.5. Ponis humiles in sublime. Nummus qui descendit in statera, in thesaurum mittitur: qui verò ascendit, reprobatur. Sic superbi reprobantur à Deo. Humiles verò approbantur. In Psal. Ipsi de manu tua repulsi sunt. Humiles sedeiiciunt, Deus verò eos exaltat. Hieronymus loquens de Paula: Quanto plus se deiiciebat, tanto magis à Christo subleuabatur. Humilibus in præsenti dat Deus gratiam suã, in futuro verò suam gloriam. 4.Reg.4. Vasa vacua replet Elisæus. Iacob.3. & 1.Petri 5. Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã. Bern. Qui de suis confidit meritis, & propriis innititur operibus, cor illius nõ intrat gratia, nimirũ plenus est, nec in eo inuenit gratia locum sibi. Non patitur natura vacuum quin illud repleat, nec gratia humilitatẽ, quin illi se infundat. ¶ Humilitas gratiã haurit, vt vas inclinatum. Ecclesiastici 13. Humiliare Deo, & expecta manus eius. ¶ Quòd Deus humiles glorificet, patet ex his verbis Sacræ scripturæ, quæ sequuntur. Iob 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. In Psalm. Tu populum humilem saluum facies. Item humiles spiritu saluabit Prouerb. 15. Gloriam præcedit humilitas. Eiusdem 18. Antequam glorificetur cor, humiliatur. Item 19. Humilem spiritu suscipiet gloria. Item Matth. 19. & Marci 10. & lucæ 18. dicitur de paruulis: Talium est regnum cælorum. & Lucæ 14. & 18. Qui se humiliat, exaltabitur. Eiusdem 11. dicitur pusillis: Complacuit patri vestro dare vobis regnum. Item eiusdem 14. dicitur: Recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Eiusdem 18. Quicunque non receperit regnum Dei, vt puer, non intrabit in illud. Matthæi 18. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Nec mirum si Deus humiles honoret, cùm ipsi etiam honorent eum Ecclesiatici 3. Magna potentia solius Dei, & ab humilibus honoratur 1.Regum 2. Qui honorificauerit me, glorificabo eum. Humilitas est locus habitationis gloriæ Dei. Humilis enim gloriam suam Deo relinquit, cùm superbus eam sibi vsurpet. Bernar. in Sermonibus: Elatus quantum in se est, Deum inhonorat. Gloriam meam, ait dominus, alteri non dabo. Et superbus: Ego, inquit, mihi eam, licet nõ dederis, vsurpabo. Non enim placet illi angelica distributio, dans gloriam

Deo, pacem hominibus. Humilis Deum magnificat, superbus verò magnificat seipsum. Humilis est vox illa Luc. 1. Magnificat anima mea dominum. & iterum vox illa Ioan. 3. Illum oportet crescere, me autem minui. ¶ Item Deus dona humilitatis specialiter acceptat. Vnde Exod. 17. dicitur de altari: Non solidum, sed inane & concauum facies illud. Altare est cor altum in eminentia scilicet perfectionis existens, quòd per humilitatem debet esse inane, & concauum, vt Deo sint grata quæ ibi offeruntur. Gregorius in 1. parte Moral. Vt cuiusliber facta digniora sint, necesse est vt apud sese semper indigna videantur. Ad literam voluit Dominus vt altare esset concauum, vt caperè posset ignem, & eius, materiam: ligna scilicet & victimas. Nec cor humanum capit ignem Spiritussancti, nisi humile fuerit. Ligna etiam sacrorum verborum & victimas exemplorum bonorum non capit, nisi sit humile. Dedignatur enim superbus ducere inuenta vel dicta ab aliis, & nullum vult imitari. Item humilitati Deus se ostendit. Gene. 18. Apparuit dominus Abraham in conualle Mambre. Humilitas specialiter videtur habere gratiam apud Deum. Eccles. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Nec mirum: hæc enim virtus specialiter subdit hominem diuinæ maiestati. Bernardus in Sermonibus, loquens de illo verbo angeli Luc. 2. Inuenietis infantem pannis inuolutum, &c. Quid est, inquit, quòd sola ab angelo videtur commendari humilitas? Et respondet, Fortè specialius commendat angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut certè propterea cælitus enuntiatur humilitas, quòd hæc quasi propria virtus diuinæ sit exhibenda maiestati. Præterea humilitas Deo est fidelissima, & deuotissima. Bona enim Dei sibi non vsurpat. Ipsius est vox illa Esa. 25. Omnia opera nostra operatus es in nobis domine. Ipsa homini dicit illud 1. ad Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis? ¶ Quartò, valere potest ad commendationem humilitatis, si ostendatur quantum ipsa homini prosit. ¶ Notandũ ergo quòd ipsa sapientiam introducit. Prou. 11. Vbi humilitas, ibi & sapientia. Matth. 11. Reuelasti ea paruulis. Superbia non habet vbi sapientiam recipiat. Didymus Philosophus ad Alexandrum: Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vbi recipias. Gregorius in Pastoralibus: Pupilla oculi nigra videt, & albuginem tolerans nihil videt, quia humanæ sensus cogitationis si stultum se peccatorémq; intelligit, cognitionem intimæ claritatis

tis apprehendit. Si autem candorem sapientiæ seu iustitiæ sibi attribuit, a luce se supernæ claritatis excludit. Ptolomæus Philosophus: Inter sapientes sapiẽtior est qui humilior existit. Beda: Humilitas est clauis scientiæ. Ipsa humilitas magna pars videtur esse sapiẽtiæ. Gregorius: Prima stultitia angeli fuit elatio cordis. Vera sapiẽtia efficitur hominis humilitas sęæ æstimationis. Augustin. de verbis domini: Quanto humilius sedebat Maria, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem vallis de superciliо mõtis. Bern. in libro de XII. gradibus humilitatis: Bona via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ percipiuntur. In Vitis patrũ, quidã frater ieiunauit septuaginta hebdomadas, petẽs à Deo vt reuelaret ei de quodam sermone scripturarum: & cùm nõ fuisset ei reuelatum, exiit ad quẽdam fratrem, vt requireret ab eo, & in itinere obuiauit ei angelus, dicẽs: Septuaginta hebdomadas quas ieiunasti non te fecerunt proximum Deo: nunc verò quia humiliatus es, ita vt ad fratrem pergeres, missus sum tibi indicare sermonem: & docẽs cum angelus sermonem, recessit ab eo. ¶ Item humilitas charitatem reparat. Bernardus: Sola virtus humilitatis læsæ est reparatio charitatis. Item à laqueis liberat. Antonius: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra, & ingemiscens dixi: Quis putas, transiet ista? Et audiui vocem dicentem, Humilitas non solum est gratia, sed etiam vas aliarum gratiarum: & non quodcunque vas, sed vas admirabile. Vas illud impletione capacius efficitur. Cùm datur humili augmentum gratiæ, ipsa humilitas sicut & cæteræ gratiæ, crescit. Vnde capacior fit, ipsa cum Dei liberalitate certare videtur, à qua petere nõ cessat, semper habens vbi recipiat. Quanto enim magis recipit, tanto magis vacuam se recognoscit. Humilitas seipsam euacuat, vt capacior fiat: qui enim verè humilis est, se humilem non reputat: ideo expeditissimus est ad gratiæ susceptionem. Humilitas est luminare quod non minuitur in consummatione. Eccles. 43. In ea impletur illud, Cùm consummauerit homo tunc incipit. Eiusdem 18. Humilitas cùm omnia facit, nihil facit. Verè enim humilis impleuit illud Lucæ 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus. ita humilitas de maioritate oneris roboratur: verè humilis omnia bona quę à Deo recipit, onera esse intelligit, quibus se Deo obligari credit, vnde illis humilior efficitur, sicut ramus arboris ex multitudine fructuũ inclinatur: & sic quanto maius est onus, tanto robustior est humilitas. Item humilitas de morte viuifica-

tur, de morte ditatur, de detrimento augetur. Humilitas nutrix est dilectionis. Chrysost. Nutrix dilectionis est humilitas. odij mater est superbia. Itē humilitas tutissima est. In imo enim est, & non habet quò cadat, vt dicit Augustin. Ipsa in tentatione hominem seruat. Vnde gloss. super epistolam ad Corinth. Humilitas custodit in omni tentatione, vt non crepet in fornace, qui non timet vento superbiæ. Humilitas abscōdendo bona nostra, seruat ea. Gregorius: Perit omne quod agitur, si non solicitè in humilitate custoditur. Idē: Qui sine humilitate virtutes cōgregat, quasi puluerem in vento portat. Augustinus: Nisi humilitas omnia quæcunque bene fecimus & præcesserit, & comitata & consecuta fuerit, iam nobis de aliquo facto bono gaudentibus totum aufert de manu superbia. Itē humilitas de serpēte infernali triumphat, caput eius cōterendo. Genesis 3. Ipsa conteret caput tuum. Dauid Goliam in capite percutit, & sic eum deuincit. 1. Regum 17. In hoc capite ecclesia eum percutit in quadragesima capite ieiunij, cùm capitibus fidelium cinerē superponit. Humilitas specialiter dicitur vincere diabolum. Gregorius: Tot iaculis nos diabolus percutit, quot tentationibus affligit: & nos contra eum iacula mittimus, cùm confessi humiliter respōdemus. Diabolus dixit Machario: Humilitas tua sola me vincit. Interrogatus quidam senex quare inquietaremur à dæmonibus, dixit: quia abiecimus arma nostra quæ sunt contumeliæ, paupertas, humilitas, patientia. Et super illud ad Ro. 7. Et per illud, dicit gloss. Esto humilis, ne de te præsumas, & poteris vincere. Augustinus, Solus vincitur qui de se præsumit: solus vincit, qui de se non præsumit. Humilis ideò vincit, quia Deus in eo pugnat: verè enim humilis Deo atribuit gloriam, quæ est de victoria: & ita per consequens ponit super eum pugnam. Eiusdem enim pugna, & de victoria pugnæ gloria. Præterea verè humilis de vulnere suo roboratur, & de infirmitate fortior efficitur. 2. Cor. 12. Cùm infirmor, tunc potens sum. Ideo non est mirum, si non vincatur. Item humilitas propter sui exilitatem & nihilitatē, ab hoste nō tenetur: ideò meritò non vincitur. 4. Reg. in fine. Nabuchodonosor trahens rete captiuitatis per terrā Iudæorū, nobiles, & magnos cepit, & duxit in captiuitatem, pauperes verò reliquit. Superbia propter causas oppositas semper vincitur. Humilitate vincit homo seipsum, quę victoria est valde difficilis. Greg. Plus stupeo Dauid saltantem, quàm pugnantem: pugnando hostem subdidit, saltando seipsum vicit, quem Michol ex tumore regij generis insana humiliatum despexit. ¶ Item humilitas pacatissima

tissima est: pacem enim videtur habere cum suo opposito, scilicet cum superbia. Superbus vnus aliū superbum non patitur, nec cum eo pacē habet. Tumor enim vnius, tumorem alterius pūgit. Apud geometras demonstratum est quòd sphærica corpora quæ quasi tumida sunt, nō possunt se contingere nisi in solo puncto. Vnde pungere se inuicē possunt, sed non planè aut rectè sibi inuicē applicari. Sic est de cordibus superbia tumescentibus, corpus concauū sphæricum, corpus infra concauitatē suam potest recipere: sic & humilis cum superbo pacē potest habere. Itē humilitas astutissima esse videtur. Quod satis patere poterit, si attendatur quomodo cum superbia diuidat mundum. ¶ Notādū ergo, quòd in diuisione mundi superbia accipit extrà, humilitas verò intrà. Vnde super illud Io. 6. Eum qui venit ad me non eiiciam foras. dicit gloss. Superbi est foras eiici, qui nihil habet in bono interiori neque hic, neque in futuro. Ad humiles pertinet illud, Gloria nostra hæc est testimonium cōscientiæ nostræ. 2. Ad Cor. 1. Sen. Sapiens intra se omne bonum terminabit. Verè sapiens, est verè humilis. Humilitas vult habere trossellū, superbia verò oper timento contenta est: humilitas vult habere equū, superbia verò sellam & frænum. Item accipit humilitas nucleum, superbia verò corticē. Item superbia accipit altum, humilitas imum. Superbia habet montes, humilitas valles. Ideò superbia habet ventum. Perflant enim altissima venti. Habet etiā ariditatem, duritiem, sterilitatem, præcipitium. Oppositа verò his habet humilitas. Ber. Facile est in alto se contuentem obstupescere, & de vita periclitari. Itē superbia accipit flore. humilitas fructum. Hir. 48. Datę florē Moab. Moab interpretatur ex patre: & significat superbos, qui de nobilitate paterna gloriantur. Itē superbia accipit pulchrum, humilitas bonum. Superbia accipit esse in opinione vel visione hominum, vel dictione, humilitas verò esse in rei veritate, Vnde dicitur de hypocritis, Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Mat. 23. Superbia accipit paleam, humilitas granum. Superbia accipit imaginē siue picturā honestatis, humilitas veram honestatem. Sapiēs: Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus simulachra rerū honestarū. Item superbia elegit ascendere, humlitas descendere. Bernardus: O peruersitas, ô abusio filiorum Adā: quia quum ascēdere difficillimū sit, descendere facillimū, ipsi leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores & celsitudines graduū ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandas. Item superbia accipit publicū, humilitas absconditum. Esa. 23. Erit vir quasi qui absconditur

à vento, & celat se à tempestate. Item superbia accipit quòd est contentionis, humilitas verò quod est pacis. Humilitas recumbit in nouissimo loco. Lucæ 14. superbia verò gloriari vult. Gloria verò res contentionis est: cum enim vnus laudat eum qui superbus est, duo eum vituperant. Prouerb. 22. Arma & gladius in via superbi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. Custos animæ suæ est verè humilis. Item humilitas valde gloriosa est. Bernard. Gloriosa res est humilitas, qui ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Idē: Quid faciat superbia sub pannis humilitatis Iesu? Nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi vnde inuoluta est infantia Saluatoris? Humilitas laudē fugit, laus verò eam sequitur tanquā laude dignā. E contrario superbus laudem sequitur, laus verò eum fugit tanquā laude indignum. Superbia in ore hominum se & sua ponit, ideo nō est mirum si morsus detractionum frequenter ibi sentit. Humilitas verò altissimū ponit refugium suum. Ipsa enim dicit illud 1. ad Corinth. 4. Qui autem iudicat me, Deus est: ideò morsus detractorum eam non attingunt. Superbi velut idola sunt quæ vanissimè laudantur: sicut viri virtutum dij dicuntur. In Psalm. Ego dixi, Dij estis. Ipsi sunt velut simiæ sanctorū, speciem sanctitatis habentes, virtutem autem Dei abnegantes. 2. ad Timoth. 3. Ipsi etiam sunt sicut arundo quæ mouetur, non quia viuat, sed quia vento agitatur: sic ipsi mouentur ad opera de genere bonorum vento inanis gloriæ, non à spiritu vitæ. Matth. 10. Quid existis in deserto videre? Arūdinem vento agitatam? ¶ Et notandum quòd vtilitas humilitatis in homine ex diuersis figuris quibus ipsa designatur, potest in magna parte ostendi; de quibus paucas ponere sufficiat. Humilitas vallis est fertilissima. In Psal. Valles abundabunt frumento, id est, humiles populi bonis operibus. Ipsa est vallis lacrymarum, in qua benedictionem dabit legislator. Ibi inueniuntur aquæ gratiarū. In Psalmis: Inter medium montium pertransibunt aquæ, Augu. Alta siccantur, ima replentur. Item ipsa est fundamentū cæterorum bonorum. Augu. Magnus vis esse, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis. Bernardus: Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale cōstructum crescit in templum sanctum in Domino. ¶ Humilitas est nihilum illud super quo terra ecclesiæ fundata est. Iob. 26. Appendit terrā super nihilum. ¶ Humilitas facit hominem pulchrum nihil, sed superbia facit hominem turpem nihil. ad Galat. 6. Si quis se existimat aliquid esse, quum nihil

nihil sit, ipse se seducit. Item ipsa est radix cæterarum virtutum. Gregor. Origo virtutis, humilitas est. Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat. August. Arborem attendite, figit radicem in humili, vt vertice tendat ad cælum. Idem: Sine radice auras petis, ruina est ista, non ædificium. Item humilitas est via ad sublimitatem. Bernardus: Per humilitatem ascendit ad sublimitatem: quia hæc est via, & non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendat. Christus cum per naturam diuinitatis non haberet quò ascenderet, quia vltra Deum nihil est: tamen per descensum quomodo crescere et inuenit. Item humilitas est quasi aquæductus per quem gratia ad hominem venit. Bernar. Ideo fluenta gratiæ tanto tēpore defuerant, quia nondum interuenerat aquæductus. Aquæductum istum intelligas humilitatem Mariæ. Multum nititur diabolus destruere aquæductum humilitatis. Holofernes præcepit incidi aquæductum, Iudith 7. Item humilitas est turris fortissima. Amatoribus mundi videtur esse humilitas in imo, sed secundum veritatem in alto est. Luc. 16. Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Et e contrario, quod altum est Deo, abominatio est hominibus. Greg. in 2. parte Moral. In sublimi sunt humiles positi: quia vnde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia securiores fiunt. Augu. 14. lib. de Ciuitate Dei: Est aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis quod deorsum faciat cor. Item in eodem: Humilitas exaltat quæ facit esse subditum Deo: elatio autem quæ in vitio est, respuit subiectionem, & cadit ab illo quo nō est quicquam superius, & ex hoc est inferius: & fit quod scriptum est, Deiecisti eos dum alleuarentur. Ipsum quippe extolli iam deiici est: humilitas per hoc ostenditur esse in alto, quia propinqua est Altissimo. Glos. super illud, Iuxtà est dominus iis qui tribulato sunt corde. Altus quidem est dominus, incuruatur tamen humili, & non se erigēti. Item humilitas est clauis paradisi. Apo. 3. Ecce dedi coram te, &c. ¶ Item est vas securissimum, & habitaculum Dei quietissimum, de quibus prius habitum est. ¶ Humilitas in floribus viola est: ipsa etiam in odoramentis est thus, quod quanto in fumum magis tenue resolutum fuerit, tanto maioris suauitatis odorem spargit. Sic humilitas dum proprium est subiectum, quasi in nihilum extenuat, gratissimum odorem Deo spirat, ipsa est vt cinnamomum, quod est cinerei coloris. Cinerem enim se reputat humilis. Ipsa est vt odorem amissum iuxta sententia recuperans. Est etiam vt amethistus ebrietatem superbæ præsump

præsumptionis tollens. Et est vt iaspis fantasmata fugans. Cor superbi fantasias patitur,somnians se aliquid esse,quum nihil sit. Item est vt saphyrus, cuius virtus est humores corporales reprimere. Et est vt onychinus, cuius virtus esse dicitur hominē inuictum reddere,quam virtutem humilitas indubitāter habet. Item est vt diamas,cuius virtus dicitur esse facere gratiosum, quod est veræ humilitatis. Sicut enim odibilis corā Deo & hominibus est superbia:ita gratiosa corā Deo & hominibus est humilitas. Item est vt balsamum quod fundū petit,& ad seruandum à correptione est efficacissimū. Amb. Custos virtutū humilitas. Item humilitas est vt gracilitas in sponsa regis cælestis, ad decētiam eius faciens,in corruptione eius attestans. Econtrario tumor superbiæ corruptioni spirituali attestatur. Superba anima de maligno spiritu cōcepit eius primogenitā,scilicet superbiam. Dicitur vsualiter, & creditur à multis, mulieres interdū à dæmonibus imprægnari. Multi tamen credunt eas ex hac imprægnatione nihil habere in vtero nisi ventum, nec aliter detumescere nisi multæ vētositatis emissione. quod parabola est spiritualis imprægnationis diabolicę. Ventositas à superbo per iactantiam sic emittitur,vt tamen non minuatur,sed per humilem cōfessionē verè euacuatur. Sunt qui non timent confiteri hanc grossitiem diabolicam,dicētes se esse grossi vel magni cordis. Et quod horribile est dictu,quidam imprægnati sunt à proprio patre, qui de nobilitate patris tumescunt. Alij ab vniuersitate cognatorum suorum. Aliqui etiam à toto populo,vt principes qui de multitudine populi tumescunt: vt rex Dauid faciens numerari populum. 2. Reg. 24. Econtrario rex Xerxes cum coram se videret exercitum suum multitudinis innumerabilis, attendens quòd totus ille exercitus infra centum annos in puluerem cōuertendus esset, dixisse fertur: Regem tanti exercitus & tam fortis me vocant homines, ego verò fateor me regem esse pulueris. Quædam etiam animæ grossæ sunt de virginitate, sua quod valde mirum videtur. Hę sunt virgines fatuæ, de quibus legitur Mat. 25. ¶Et notandum quòd humilitas in nobis supplet defectus aliorum bonorum. Ber. Apud dominum fratres ius habere non possumus, quoniā in multis offendimus omnes. Sed nec fallere eum: ipse enim nouit abscondita cordis, quātomagis opera manifesta? Nec resistere viribus, quoniā omnipotens est. Quid ergo restat nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere,& quicquid in aliis minus habemus de ea supplere? Item sine humilitate cætera bona nobis bona non sunt, nec Deo placent. Ber. Sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ Deo

Deo placuisset. Item magna virtus humilitatis, sine cuius obtentu non solum virtus, virtus non sit, sed etiam in superbiam erumpit.

De causis humilitatis, & ijs quæ valent ad humilitatem.

CAPVT III.

NOtādū quòd in omnibus rebus causas humilitatis inuenire possumus. si diligēter attēdamus, videlicet in eis quæ sūt infra nos,& in eis quæ sunt in nobis, & in eis quę sunt iuxta nos,& in eis quę sunt cōtra nos & in eo quod est supra nos. ¶Infra nos sunt corporalia ratione carētia, vt elemēta terræ nascētia animalia irrationalia, cæli luminaria. ¶In terra quæ est infimū elemētorū multas causas humilitatis inuenire poteris. Primo ergo attēde quòd in eā reuersurus es. Gene. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrā de qua sumptus es. Quādo ergo terrā respicis, quasi sepulchrū vel cœmiterium tuū respicis. Attēde etiā quòd terra quæ nūc est sub pedibus tuis, quādoque futura est super caput tuū. Itē attēde quātū ea indigeas, ipsa est quę te sustentat. Si ipsa dirupta fuerit sub pedibus tuis, sicut fuit sub pedibus Datā & Abirō. Numer. 16. viuus in infernū descēdes. Itē ipsa miro modo ex se producit Dei virtute vnde pasceris: quod si nō faceret, fame perires. Itēsi ligna nō produceret vnde calefis, perires frigore. ¶In aēre etiā multas causa humilitatis potes inuenire. Primū ergo attende quòd sine aēre nec ad momentum potes viuere: nisi enim ad refrigerium cordis aēra attraxeris, suffocaris. Item attende quod si aēr à vento frigido commotus fuerit, te intolerabiliter affligit: si pestilens fuerit, te interficit. ¶Item in aqua multas causas humilitatis potes inuenire. Si aqua non fuerit, vt porcus immūdus eris. Itē sine aqua terra & arida & sterilis erit, & sic fame peribis. ¶Similiter si ignis non esset, fame & frigore perires. Non haberes enim vnde cibaria decoqueres, vel te calefaceres. Præterea ignis paratus est ad torquendum impios. Eccl. 7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Deute. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, &c. Quomodo superbia homo facinorosus ad cuius combustionem fornax iam succensa est? Item attende circa terræ nascentia, quantum illis indigeas: attende etiam bona quæ sunt in eis, quibus tu cares, vt est fulgor auri, pulchritudo florum. Matt. 6. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. ¶Item circa animalia irrationalia attende multa bona quibus tu cares: vt est suauitas cantus in multis auibus sine magisterio alicuius creaturæ. Ad quam suauitatem

tatem tu multis annis edoctus non posses pertingere. Item velocitas quæ est in auibus & in quibusdam quadrupedibus. Fortitudo etiam & pulchritudo & abundãs vestitus te verò oportet mẽdicare ab eis, vnde nuditatem tuam operias, & vnde pulchritudinem tuam ornes, & debilitatem & tarditatem tuam iuues. ¶ Circa luminaria verò cæli attende quantum luce eorum indigeas. Sine luce enim oculi essent tibi inutiles. ¶ In nobis etiam multas causas humilitatis inuenies, & ex parte corporis, & ex parte animæ. Ex parte corporis, siue respicias eius originem, siue eius finem, siue statum eius præsentem. Bernard. Vide vnde veneris, & erubesce: vbi es, & ingemisce: quò vadis, & contremisce. Si attendas vnde corpus venit, inuenies quòd ex putredine. Iob 17. Putredini dixi, Pater meus es. Attende etiam vlterius grauamina quæ matri quæ te concepit feceris. Bernard. In sordibus generamur, in tenebris confouemur, matres nostras multum oneramus, in doloribus parturimur, in partu matres nostras more vipereo laceramus. Attende etiam quòd nudus nascitur homo mẽbris impotens, & plorare incipiens. Iob 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ. Augu. Puer à ploratu incipit. Sap. 7. Primam vocem similem hominibus emisi plorans. Attende etiã ad quem finem deueniat corpus. Puluis enim & cinis sit. Gene. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Item Gen. 18. Loquar ad dominum meum, quum sim puluis & cinis. Non est mirum si se erigat contra dominum suum miles qui habet castrum super altam rupem inexpugnabile: sed fatuus est valde, qui nõ habet domunculam nisi de palea, quæ facillime potest comburi, si contra dominum suum potentẽ se erigat. Sic fatuissimus est homo cuius habitatio, scilicet corpus ad calorem febrilem in cinerẽ redigitur, nec exigitur ad hoc ignis, si contra Deum se erigit. Item corpus à vermibus est corrodendum. In Psal. Ego sum vermis. Eccl. 7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. 1. Macha. 2. Gloria peccatoris, stercus & vermis. Corpus enim vnde gloriatur, saccus est stercorum, & cibus & materia vermium. Præsentem statũ corporis attendebat quæ dicebat, Humiliatio tua in medio tui. Micheæ 6. Hieronymus: Quomodo superbiat qui secum semper sentinam portat? ¶ Ex parte etiam animæ multas causas humilitatis possumus inuenire. Aut enim scit homo se esse in mortali, aut non. Si scit, in inferiori statu est quàm canis, vel porcus, vel bufo: quum debitor sit duplicis mortis, temporalis scilicet, & æternæ: illa verò vnicam mortem debeãt. Item miseriam habet & culpæ & pœnæ, quum illa solum habeat miseriam pœnæ: & in hoc

hoc solis dæmonibus similis est. Si verò nesciat se esse in mortali, nescit tamen se esse in statu salutis. Scit se quandoque debitorem fuisse mortis æternæ, nescit vtrum adhuc peccatum sibi dimissum sit. Eccleſiast. 10. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruãtur incerta. Greg. Ad hoc cuncta nobis de meritis nostris incerta sunt, vt vnam certam gratiam teneamus, humilitatem. ¶ Item ad humilitatẽ valere possunt, etiam si sciremus nos esse in statu gratiæ, negligentia proficiendi quam in nobis videmus, difficultas standi, facilitas cadendi. Ad sibilum enim vnius verbi quandoque deiicitur aliquis, difficultas resurgendi, debilitas minima etiam vitia vincendi. ¶ Item circa ea quæ sunt iuxta nos multas causas humilitatis possumus inuenire, vt si attendamus multos de fratribus nostris esse leprosos, multos cæcos, multos impotentes, multos mendicos, & aliis diuersis miseriis afflictos. Iob 5. Visitãs speciem tuam non peccabis. Item si attendamus eos qui contra nos sunt, materiam humilitatis inueniemus. Hostes enim inu sibiles nos strangularent, nisi diuina protectio hoc impediret. Iob 41. Non est potestas super terram quæ cõparetur ei qui factus est vt nullũ timeret. Thren. 3. Misericordia domini quòd non sumus cõsumpti. Item supra nos causas humilitatis inuenire possumus, si attẽdamus Dei omnipotentiam paratam ad vindictam superborum. ¶ Tribus de causis solet aliquis se inclinare vel demittere: vel quia gladius capiti eius imminet, vel quia transiturus est per ostium humile, vel propter societatem alicuius magnæ personæ, quam ad terram videt sedere. Similibus de causis debet per humilitatem se homo inclinare. Si enim per superbiam se erexerit, gladius Dei omnipotentis euaginatus est super caput eius. 1. Petr. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei. Item necesse habet transire per humile ostium paradisi. Augustin. super illud Ioan. 10. Ego sum ostium. Ostium humile est: si sano capite volumus intrare, oportet caput demittere. Item sanctus sanctorum & cæteri sancti in mundo isto humiliter se habuerunt. Matthæi 10. Sufficit seruo si sit sicut dominus eius. Simile Ioan. 15. Siue respiciamus ad bona, siue ad mala, inuenire possumus materiam humilitatis. Bona nostra aliunde habemus, imperfectè ea habemus, perdere ea possumus. Et si attentè ea inspicere volumus, non domini um rerum, sed onus & periculum in illis habemus. Pro illis censum magnum debemus, & non solùm ea perdere, sed etiam pro illis perdi possumus. De malis verò manifestum est

quòd

quòd se humiliare debēt homines, maximè si sint peccata mortalia, cū pro illis adiudicati sint patibulo infernali, mirū est quòd tot & tātæ causæ humilitatis homines humiles nō faciūt. Ber. O mira vanitas, ô mira fatuitas, cordis nostri, cuius elationē perfectè dirimere, cuius ceruicosos motus omnino domare humilitatis materia tāta nō sufficit, quin adhuc superbiat terra & cinis.

¶ De iis quæ valent ad humilitatem.

ET notandū quod ad humilitatem valere possunt ista quæ sequūtur. ¶ Primò, familiaritas humiliū. Sicut enim qui cōmunicauerit superbo, induet superbiā. Eccl. 13. Ita qui communicauerit humili, induet humilitatem. ¶ Secundò, meditatio propriorū defectuū. Grego. in homil. Sancti viri vt humilitatis in se virtutem custodiant, quum quædam mirabiliter sciunt, ante mentis oculos studēt reuocare quod nesciunt, vt dum ex parte infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfectus est eorum animus se non extollat. Sicut qui emit veterem vestem, ponit digitum vbi vestis habet aliquod foramen: ita verè humilis habet oculum ad defectum si quis est in eo. Item Greg. Magnus esse vnusquisque studeat, sed tamen magnum se esse nesciat: qui vult esse perfectè humilis, necesse est, vt bona sua etiā à propriis oculis abscondat. ¶ Terium est, respectus meliorum. Greg. Non quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite. Idem: Sicut incentiuū elationis est respectus deterioris: ita cautela humilitatis est consideratio melioris. ¶ Quartò, quum quis assueſcit sustinentiæ cōtumeliarum. Bern. in epistolis: Humiliatio via est ad humilitatem: sicut patientia ad pacem, sicut electio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. ¶ Quintò, quum aliquis se exerceat in humilibus officiis: exemplo Domini qui lauit pedes discipulorum. Ioan. 13. Superbi ad minora officia se indignos reputant. Alij vero reputant eos indignos maioribus officiis: & sic inutiles sunt tam ad maiora, quàm ad minora officia. Nolunt enim facere quod possunt, nec possunt quòd volunt. Vnde accidit eis sicut illis qui rebus quas habent vendere nimia pretia imponunt, imò se ab eis non expediunt. Nolunt enim inde accipere quod possent habere: nec possunt habere quod vellēt accipere. ¶ Sextò memoria mortis, quòd docet ecclesia in principio quadragesimę, imponens cineres capitibus, dicens: Memēto homo quia cinis es, & in cinerē reuerteris. ¶ Et notandum quòd homo debet se reputare cinerem, & ex parte corporis, & ex parte animæ. Ex parte corporis, propter propinquitatem, & certitudinem quam habet ad hoc vt in cinerē redigatur. Sic enim solet loqui scriptura vbi aliquid quod futurū est, dicatur iam propter propinquitatē vel certitudinē. Greg. Ferè se mortuum cōsiderat, qui se moriturum nō ignorat. ad Rom. 8. Corpus moriturum est propter peccatum: id est, necessitati moriēdi addictū. ¶ Quātum verò ad animā, debet homo cinerem se repurare quo ad tria. ¶ Primò, quo ad vtilitatē. Cinis enim valde vilis est, licet materia ex qua factus est fuerit pretiosa: sic qui est in statu peccati, quasi nullius valoris est respectu valoris in quo erat ante peccatū. In Psal. Ad nihilū deductus est in conspectu eius malignus. Imò minus quàm nihil videtur esse, nisi sit spiritualiter resurrecturus. Melius enim esset ei nō esse, quàm malum esse, si perseueret ita. ¶ Secūdo quo ad hoc: quia sicut cinis resistere non potest modico flatui quin ab eo dispergatur, sic peccator resistere non potest sibilo modici verbi. In Psal. Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis. ¶ Tertiò, quo ad hoc: quia sicut cinis non potest naturaliter redire ad statum materiæ vnde factus est, sed Dei virtute: sic peccator non potest redire ad statum bonum, nisi Dei virtute. Eccl. 7. Cōsidera opera Dei, q̄ nemo possit corrigere quem ille despexerit. Verè Deus illos despicit quos luto peccati ita diu iacere permittit. Nec mirū, quum ipsi eum despiciant. Esa. 5. Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? Humilibus qui se cinerem reputant, specialiter debetur corona. Esaiæ 61. Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt darem eis coronam pro cinere. Non reputat se cinerem ex parte corporis, qui bruneta, vel scarlata corpus suum induit: quis enim, nisi fatuus, talem saccum facit cineribus suis? Item non reputat se cinerem ex parte animæ qui amat altitudinem. Non enim expedit cineri esse in alto, ne à vento dispergatur. Dixit dominus Moysi & Aarō Exo. 9. vt tollerēt plenā manū cineris de camino & spargerent in cælum, & subsecuta sunt hulcera & vesicæ. Sic cùm aliquis in alto ponitur, sequuntur vesicæ superbiæ & hulcera vanæ gloriæ, vt leprosus & hulcerosus interius coram Deo appareat, quantumcunque exterius pulcher videatur. Itē nō videtur se cinerem reputare qui præsumit, q̄ quādo volet se emendabit. Eccl. 29. Repromissio nequissima multos perdidit. Magna est illius fatuitas qui cinerem illum cuius pars est in vinea sua, & alia in agro, & sic de cæteris possessionibus eius, credit per seipsum congregari, & nouum hominem interiorem inde fieri: cùm hoc solius virtutis diuinæ sit, sicut suscitatio corporum ex puluēribus. Et notādum q̄ memoria mortis valde vtilis est homini. Ecc. 7. In omnibus operibus tuis memorare no-

uissima tua,& in æternum nõ peccabis.Hier.in epist.Platonis est sentẽtia omnium sapiẽtium vitã, meditationem esse mortis. Sapiẽs:Summa philosophia assidua est mortis meditatio.Eccles.38. Memor esto iudicij mei:sic enim erit & tuũ.Meũ heri,tuũ hodie. Hoc dicitur in persona mortui loquẽtis ad viuũ.Specialiter mortis memoria necessaria est iuueni. Vnde Thre.3.post illud. Bonũ est viro cùm portauerit iugũ ab adolescẽtia sua. Subditur:Ponet in puluere os suũ.Os sapiẽtium in corde eorũ.Ecc.21.Os ergo in puluere ponit qui cogitat,q̃ puluis sit.In hac meditatione proiiciẽda est cupiditas & vanitas seculi,vnde Leui.1.præcepit dominus vt faciẽs holocaustũ de turturibus vel pullis colũbæ,proiiceret vesiculam gutturis & plumas in locum cinerũ.Holocaustum facit Deo de turture, qui dat se Deo, vt ei seruiat in claustro:de columba,qui dat se Deo,vt ei seruiat in mundo. Turtur enim amat solitudinẽ,colũba gregatim volat.Vesicula gutturis quæ est quasi horreum auium,cupiditatem mundi signat,pluma vero leuitatem.In loco ergo cinerũ vesiculã proiicit, qui cõsideratione mortis suæ cupiditatem à se abiicit non curans acquirere ea quæ in breui perdat,& à quibus perdatur.Bern.Vtinã tantum congregata perirent,& nõ cõgregator eorum. Tolerabilius esset insudare labori perituro,quàm perempturo. Plumã verò in loco cinerum proiicit,qui cõsideratione mortis vanitatem huius mũdi refugit, intelligẽs fatuum esse in via ad mortem gaudere. Augu. Nihil aliud est tempus præsentis vitę quã cursus ad mortẽ.¶ Valet autẽ mortis memoria ad ista sex quæ sequuntur. ¶ Ad fugãdum exercitũ vitiorum,vel saltẽ terrẽdum.Sicut timẽt latrones iudicis aduẽtum,sic vitia mortẽ.Terribilis est eis locus iste quasi porta inferni. Aut ex toto hominem deserunt tũc,aut saltẽ tremunt.Thre.1.Sordes eius in pedibus eius:non est recordata finis sui.Iumentum cauda se defendit à muscis,sic homo à vitiis consideratione mortis.Secundo valet ad contemptum mundi. Vnde Hierony.Facile contemnit omnia qui se semper cogitat morituru̇m.Eccl.10. Si annis multis vixerit homo, & in iis omnibus lætus fuerit,meminisse debet tenebrosi tẽporis & dierum multorum:qui cùm venerint,vanitatis arguentur præterita.In morte arguitur vanitatis omne quod est in mundo, scilicet concupiscentia oculorum,& concupiscentia carnis,& superbia vitæ.Cõcupiscentia oculorum in hoc, q̃ homo nudus reuertitur in terram.Iob 1.Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.Cõcupiscentia carnis in hoc,q̃ corpus in deliciis nutritum vermibus datur. Superbia vitæ in hoc, q̃ ille qui volebat esse

esse super homines,ponitur sub terra, quę est infimũ elemẽtorũ. ¶ Tertiò valet ad sui cõtemptum. Facite enim, q̃ homo cognoscat se quasi per resolutionem,qui modus cognoscẽdi verissimus est.Et hoc est quod Dauid orat:Sciant, inquit,gentes, quoniam homines sunt:id est,de humo. ¶ Quartò valet ad hoc vt homo rectè se regat in via præsentis vitæ.Sicut aues cauda regũt se volãdo,& pisces natãdo.Iob 12.Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cęli,& indicabunt tibi &c.qui vult nauem regere ponit se in fine nauis.Et sapiens cõsideratione finis regit se in iis quę sunt ad finem. ¶ Quinto ad temperandam præsentem lætitiam. sicut & alia mala pœnæ.Ecc.11.In die malorum ne immemor sis bonorum.Memoria mortis multũ valet ad temperandã præsentem lætitiam,quia multum habet amaritudinis.Ecc.41.O mors, quàm amara est memoria tua homini iniusto. ¶ Sextò ad hoc vt homo rectè iudicet de præsenti vita & futura. Qui enim per meditationẽ ponit se in articulo mortis,quasi medius est inter præsentem vitam & futuram,vtranque videns de prope. Qui tenet se in initio vitæ suæ vel prope interponens sibi & vitæ futuræ, quicquid sperat se victurum,lõge est à vita futura, vnde bona illius modica ei videntur. Quasi in initio vitæ suæ se tenebat, qui dicebat Lucæ 12.Anima mea,multa habes bona posita in annos plurimos:requiesce,bibe,comede,epulare.Sed Deus posuit eum in fine vitæ,dicens:Stulte,hac nocte animam tuam repetent à te.

De signis Humilitatis. CAP. IIII.

PRimũ humilitatis signũ est amor humiliũ personarũ.Ecc.13. Omne animal diligit simile sibi.¶ Secundũ est,fuga altitudinis. Humilitas laudes fugit sicut venenũ, & sicut sagittas mellitas,& vt sermones fascinantes.Sap.4.Fascinatio nugacitatis obscurat bona.Et sicut rete expãsum gressibus suis.Prou.29. Homo qui blandis fictísque sermonibus loquitur amico suo,rete expandit gressibus eius.Christus qui verè humilis erat,fugit volẽtes eũ rapere in regẽ.Io.6.¶ Tertiũ est,amor propriæ vilitatis.Bern.Verus humilis vilis vult reputari,non humilis prædicari.Gaudet de cõtempru sui,hoc solo sanè superbus,q̃ laudes cõtemnit.De hoc exemplũ habemus in Dauid.2.Reg.6.Ludã,inquit,& vilior fiam. Et in dialogo Greg.legitur de quodã statura paruo,qui Cõstantinus dicebatur,q̃ cùm dixisset ei quidã,q̃ nihil hominis haberet, protinus lætus in amplexũ eius ruit,cũque ex amore nimio constringere brachiis cœpit & osculari, magnásque gratias agere, quòd de se talia indicasset, dicens, Tu solus es qui in me oculos apertos habuisti.Et de Dauid legitur 2.Reg.16. Dimittite inquit,

eum vt maledicat mihi.& Act.5.Et illi ibãt gaudentes à cõspectu cõcilij,quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliã pati:humilitas opprobriis pascitur vt cibo proprio. Thre.4.Saturabitur opprobriis.Sicut se habet superbia ad gloriã, sic humilitas ad ignominiã. Vnde sicut superbia gaudet de gloria, sic humilitas de ignominia. Humilitati ea sunt pretiosa quæ alij essent vilia. Ipsa enim sputum abominationis & contemptus conuertit quasi in aurum & gemmas.Ipsa vilis vult videri aliis,sicut & sibi vilis videtur.Et quãto est sibi vilior,tãto est Deo pretiosior. Gre. in Mora.Tanto vnaquæque anima fit pretiosior in cõspectu Dei, quãto pro amore Dei despectior fit ante oculos suos.Item Greg. Tãto fit quisque vilior Deo,quãto pretiosior sibi.Et tanto pretiosior Deo,quãto propter eum vilior. ¶ Quartum est,si humilia officia libenter quis facit. De hoc exemplum habemus in Abigail. 1.Reg.25.pro qua cùm misisset Dauid vt eam duceret in vxorem, ipsa ait:Ecce famula tua sit in ancillam,vt lauet pedes seruorum domini mei.In Vitis patrum,quidam senex perfectus virtutibus orauit dominum, Ostende mihi domine quid sit perfectio animæ,& faciam.Et quum requireret cõsilium à quodam alio sene: ille respõdit ei de hoc per reuelationem: Vis facere quicquid dico tibi? Et ille,Volo.Et dixit:Vade, pasce porcos: & fecit sic.Et quum alij viderent,q̃ pasceret porcos,dixerunt q̃ factus esset fatuus.Et visa eius humilitate,reuocatus est ad locum suũ. ¶ Quintum est,si cõsilio acquiescit:sicut hoc quòd aliquis non acquiescit cõsilio,signum est superbiæ.Greg.de non acquiescente consilio: Si se,inquit,meliorem nõ crederet, nequaquam cunctorum cõsilia suæ deliberationi postponeret. ¶ Sextum est, si cõtumeliam vel etiam correptionem mãsuetè audit.Greg. Qui gloriam non quærit,cõtumeliam nõ sentit. Idem:Non timet confundi in cõspectu hominum qui solum gloriam quærit apud Deum. ¶ Septimum est,si secretum diligit.Bern.loquẽs de illo verbo.2.ad Cor. 12.Parco autem &c.Quãm pulchrè,inquit,dicit parco. Nõ parcit sibi arrogãs,nõ superbus,nõ cupidus vanæ gloriæ, vel iactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, vel mẽtitur de se quod nõ est.Solus vere humilis parcit animę suæ,qui ne putetur quod nõ est,semper quãtum in se est vult nesciri quod est. ¶ Octauum est,si libenter obedit.ad Philip.2. Exinaniuit semetipsum factus obediẽs vsque ad mortem.Exinanitio præmittitur tãquam causa obedientiæ.Qui enim humilis non est,non libenter obedit.

De diuisione humilitatis. CAP. V.

COnsequenter ponẽdæ sunt diuisiones ad humilitatem pertinentes Notandum ergo q̃ est humilitas ficta, & est humilitas vera.De ficta legitur Ecc.19.Est qui nequiter se humiliat,& interiora eius plena sunt dolo. Vera humilitas, est humilitas cordis, de qua Matthæ.11. Discite à me,quia mitis sum, & humilis corde. Non fictè, dicit Interli. Humilitatem cordis sequitur humilitas exterior, sicut ramus prodit ex radice.1. Petr.5. Omnes inuicem humilitatem insinuate. ¶ Item est humilitas sufficiens & abundans & superabundans. Quam diuisionem innuit gloss. super illud Matthæ.3.Sic decet nos implere omnẽ iustitiã,id est, humilitatem,dicit glo.& subditur:Perfecta humilitas habet tres gradus. ¶ Primus est,subdere se maiori, & se nõ præferre æquali,hic vocatur sufficies,quia sufficit aliquem sic humiliari:& iste gradus omni iusto est necessarius. ¶ Secundus gradus est,subdere se æquali,nec præferre se minori,hic dicitur abundans. ¶ Tertius est,subesse minori,in quo est omnis iustitia. Hunc Christus impleuit. ¶ Item humilitas diuiditur in humilitatẽ intellectus, quæ consistit in cognitione veritatis:& in humilitatem affectus, quæ cõsistit in contemptu vanitatis.Sicut beatus Bern.superbiã diuidit in sex species:Superbia, inquit, in species duas diuiditur. In cæcam & vanam superbiam:quarum prior intelligentiæ,posterior voluntatis vitium est.Idem:Est humilitas quãm in nobis veritas parit,& nõ habet calorem:& est humilitas quam charitas format & inflammat:atque hæc quidem in affectu,illa in cognitione cõsistit. ¶ Cõmuniter etiã quatuor gradus humilitatis distinguũtur.Quorũ primus est, spernere mũdum:siue mũdi gloriam.Secũdus spernere nullum.Tertius,spernere sese. Quartus, spernere se sperni. ¶ De xii. gradibus humilitatis quos Bern.distinguit,require in tra.de Superbia.3.parte. 35.cap. ¶ Notandum quod Bern.in libr.suo de xii.gradibus humilitatis,non expresse illos xii. gradus humilitatis ponit, sed per oppositum eos insinuat.Bernar.in prologo libri illius tituli inquit, qui de gradibus humilitatis inscribitur:Pro eo forsitan, q̃ non humilitatis gradus, sed superbiæ potius distingui describique videatur, calumniam patietur:sed hoc à minus vel intelligentibus vel attendentibus tituli rationem. Idem in libr.eodem: Idem sunt gradus ascendentium in solium & descendentium,& eadem via ascendentium in ciuitatem & recedentium,& idem ostium ingredientium domum & egredientium.Per vnã denique scalam ascẽdentes angeli & descẽdentes Iacob apparuerunt. In eodem:Propõbat tibi beatus Benedictus gradus quos ipse prius in corde suo disposuit. Ego quid proponam tibi non habeo nisi ordine de-

scensionis meæ, in quo tamen si diligenter inspicitur, via forsitã ascẽsionis reperitur. Si enim tibi Romã tendẽti, homo inde veniens obuiaret, quæsitus viam, quid melius quàm illã qua venit ostẽdere? Denique castella, villas & vrbes, fluuios ac mõtes per quos trãsierit nominat, suũ denũtians iter, tuũ tibi prænũtiat: illa vt eadem loca recognoscas eũdo, quæ ille pertrãsiit veniẽdo. ¶ Hi sunt xii. gradus humilitatis secũdũ sanctũ Benedictũ. Primus est, si quis timorẽ Dei in memoria habeat, Dei præcepta & pœnas paratas eorum trãsgressoribus, & præmia parata obseruatoribus, & sic omni hora à peccatis se custodiat. ¶ Secũdus est, si quis nõ amãs propriam volũtatem, desideria sua nõ delectetur implere. ¶ Tertius est, si quis pro Dei amore omni obedientia maiori se subdat. ¶ Quartus est, si in ipsa obediẽtia cõtra aspera patiẽtiã amplectatur. ¶ Quintus est, si omnia mala sua abscõdita abbati suo humiliter confiteatur. ¶ Sextus est, si ad omnia quæ sibi iniungũtur, indignũ se iudicet. ¶ Septimus est, si omnibus se inferiorẽ & viliorem non solum lingua sua pronũtiet, sed etiam intimo credat cordis affectu. ¶ Octauus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula probat, & maiorum exempla hortantur. ¶ Nonus est, si linguam suam cohibeat, & eam vsque ad taciturnitatem teneat. ¶ Decimus est, si non sit facilis & pronus in risu. ¶ Vndecimus est, si pauca verba & rationabilia habeat, & non loquatur clamorose. ¶ Duodecimus est, si non solum in corde humilitatem habeat, sed etiam corpore ostendat eam semper defixis in terram aspectibus.

De Paupertate. PARS V.

PAupertas quandoque dicitur carentia diuitiarũ. Et secundũ hoc dicit Aug. Inuestiganti singularum rerum naturas, non inuenietur quid sit paupertas, nuditas & foramen. Sic paupertas, priuatio est. Priuationes verò causæ sunt directæ aliarum priuationum, & occasiones multorum bonorũ. Multa vitia elõgata sunt ab eis qui hãc paupertatem habent. Greg. Habent sancti hoc proprium: nã vt semper ab illicitis longè sint, à se plerunque licita abscindunt. ¶ Quandoque dicitur paupertas contemptus diuitiarum. Seneca: Nemo dignus Deo, qui opes non contẽpserit. Tertiò dicitur paupertas amor paupertatis. Ber. in epistolis: Nõ paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, sed spiritu. Idem: Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem. Idem: Amicitia pauperum regis amicos cõstituit, amor paupertatis reges. Item, Paupertem æquo animo ferre, virtus patientiæ est: sponte appetere, sapientiæ laus est. ¶ Et notãdum, quòd paupertas multis de causis amanda est. Quarum prima & maxima est, quòd Deus eã amat. Cuius amoris primum signum est, quòd filius Dei voluit eam assumere. Ber. in Sermonibus: Fortè aliquis arbitraretur filio Dei sublimia esse quærenda palatia, vt cũ gloria rex gloriæ susciperetur: sed nõ propter hoc ille à regalibus illis sedibus venit. In iustitia eius diuitiæ, & gloria, in dextera longitudinitas vitæ. Horũ omniũ æterna in cælis affluentia suppetebat: sed paupertas nõ inueniebatur in eis. Potrò in terris abũdabat & superabũdabat hæc species. Nesciebat homo pretiũ eius. Hãc itaque filius Dei cõcupiscẽs, descẽdit, vt eã eligeret sibi; & nobis quoque sua æstimatione faceret pretiosam. De paupertate Christi habetur Luc. 2. Pãnis eũ inuoluit, & reclinauit eũ in præsepio: quia nõ erat ei locus in diuersorio. Itẽ Matth. 18. vbi misit dominus Petrum ad piscandum pro tributo soluendo. dicit gloss. Tantæ fuit paupertatis, vt vnde daret tributum non haberet, & super illud Mat. 11. Circunspectis omnibus cùm iam vespera esset hora exiit in Bethaniam cũ duodecim. Dicit glo. circunspectis si quis eum hospitio susciperet. Tãtæ enim paupertatis fuit, & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullũ inueniret hospitiũ. 2. ad Cor. 8. Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Thren. 3. Recordare paupertatis meæ &c. Ber. Magna abusio, & nimis magna, vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis & dominus sabaoth voluit pauper fieri. Paupertas Christi crescendo processit. In natiuitate pannis inuolutus est, & pro domo habuit diuersorium: deindẽ hospitium non habuit. Matth. 8. Filius homini non habet vbi caput suum reclinet. & Mar. 11. Circũspectis &c. In passione verò etiam propriis vestibus spoliatus est. Matt. 27. Exeuntes eũ &c. Aliud signũ amoris Dei ad paupertatem est, q̃ propter pauperes filius Dei in mundum venit. In Psal. Propter miseriam & gemitum pauperũ nunc exurgam, dicit dominus. Luc. 4. Euangelizare pauperibus misit me. Bernar. in sermonibus: Quærat diuitias paganus, qui sine Deo viuit: quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. sed qua fronte, magis autem qua mente Christianus diuitias quærit, postquam Christus bẽatos esse pauperes prædicauit? Pauperes Christus in principio doctrinæ suæ beatos prædicauit: Mat. 5. & Luc. 6. Et diuites infelices. Lucæ 6. Væ vobis diuitibus: Pauperes iudicat Christus dignos mensa sua. Vnde Lucæ 14. leguntur pauperes ad cœnam domini introducti. In Psal. Paratti

in dulcedine tua pauperi Deus. Pauperes Deus adiuuat. In Psal. Et adiuuit pauperem de inopia. Illis parcit. Esa. 49. Pauperũ suorum miserabitur. Illos elegit. Esa. 48. Elegit te in camino paupertatis. Iaco. 2. Nónne Deus elegit pauperes in hoc mũdo? Illos exaudit. In Psal. Desideriũ pauperum exaudiuit dominus. Eccle. 21. Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures perueniet. Illorum est mẽmor. In Psal. Non in finẽ obliuio erit pauperis. Illorũ est solicitus. In Psal. Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus autem solicitus est mei. Illorum est refugiũ & fortitudo. In Psal. Factus est dominus refugiũ pauperi. Esa. 25. Factus est fortitudo pauperi &c. Illos saluat. In Psalm. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperũ saluas facit. 2. Reg. 22. Populum pauperem saluum facies. In Psal. Eripiens inopem de manu fortiorũ eius. Societatem pauperum prælegit dominus in mundo isto societati diuitum. Luc. 14. Omnis qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 1. Reg. 30. Dauid puerum Ægyptium assumpsit, quem dominus suus reliquerat. Sic Christus assumit quos mundus reliquit. Psalm. Pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me. Item: Tibi derelictus est pauper. Grego. in homil. Hos elegit Deus, quos despicit mundus: quia plerunque ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Idem: Infirmi quique atque in hoc mundo despecti plerunque tãto celerius vocem Dei audiunt, quanto in hoc mundo nõ habent vbi delectentur. Item pauperibus regnũ cælorũ tribuitur. Mat. 5. & Lucæ 6. Et non solũ ad possidendum, sed etiam ad dandũ aliis. Luc. 16. Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cũ defeceritis recipiãt vos in æterna tabernacula. Ipse Deus pauperum est. Nu. 18. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem: ego pars & hæreditas tua. Ipse est spes pauperũ, & exultatio. Esaiæ 14. In ipso sperabunt pauperes populi eius. Eiusdẽ 29. Pauperes homines in sancto Israël exultabũt. Ipse de pauperibus specialiter requiret in iudicio: vt habetur Mat. 25. Imò ipse pauperibus iudiciũ tribuit. Iob 36. & Matth. 19. Vos qui secuti estis me &c. sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Pauperes honorat, dicẽs in Psal. Honorabile nomẽ eorũ coram illo. Illos agnoscit, & nominatim vocat: vt patet in Lazaro, Lucæ 16. Illos ab angelis deportari facit ad locũ quietis. In eodẽ: Factum est, vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Et vt vno verbo dicatur, tanta est dilectio eius ad pauperes, vt quod fit pauperi, sibi reputet fieri. Matthæi 25. Quod vni ex minimis meis feci

feciſtis, mihi feciſtis: & quod vni eorum non feciſtis, mihi nõ feciſtis. Væ pauperibus, ſi eum non amant qui tantum eos amat, qui tot ſigna amoris eis oſtendit. Multum contemnerentur pauperes in mundo iſto, niſi Chriſtus eos tãtum honoraſſet. ¶ Multis aliis de cauſis amanda eſt paupertas. ¶ Prima eſt, quia eſt valde munda: ſicut econtrario diuitiæ immundæ ſunt, amatores ſuos inquinantes. Quod in rerũ natura Deus ſignificari voluit, in hoc, quod aurum & argentum quę videtur eſſe pretioſiora inter eas, tangẽtes inquinant. Ber. in epiſtolis: Beatus qui poſt illa non abiit quæ poſſeſſa onerant, amata inquinãt, amiſſa cruciant. Eccl. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et ſuper illud Iaco. 1. Religio munda &c. dicit gl. Qui temporalia non diligit, immaculatum ab hoc ſeculo ſe cuſtodit. ¶ Item paupertas eſt Deo propinqua. Quod figuratum eſt Lucæ 2. in hoc, q; paſtores de loco vicino venerunt ad Chriſtum. Econtrario verò reges à remotis partibus venerunt. Mat. 2. Paupertas etiã ſancta eſt, tanquam locus in quo manſit filius Dei plus quàm triginta annis. Exo. 3. Solue calciamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Paupertas ſpecialiter poteſt dici terra ſanctorum. Eſa. 26. In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei. Eſaiæ 60. Adorabunt veſtigia pedum tuorum. In eodem: Locum pedum meorum glorificabo. Item expedita eſt. Greg. Liberius ad patriam tendimus, quia quaſi in via pondere caremus. Idem: Terrena ſubſtantia æternæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium. Aug. in libro de verbis domini: Abiice à te diuitiarũ onera, abiice vincula volũtaria, abiice anxietates & tædia quæ te plurimis annis inquietant. Hieronym. in epiſtolis: Si habes, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es. Grego. Qui mihi onus diuitiarum abſtulit, me ad currendum citius expediuit. Itẽ paupertas læta eſt. Seneca: Sæpe pauper fidelius ridet: nulla ei in alto ſolicitudo eſt. Idem: Qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, & grauis triſtitia, eo quidẽ grauior, quia interdũ non licet palàm eſſe miſeros, ſed inter ærũnas cor ipſum excedentes neceſſe eſt agere felicem. Aug. in lib. Confeſ. loquens de quodã mendico exhilarato vino: Ille, inquit, lætabatur, ego anxius eram. Nimirum ille felicior erat, non tantum quia hilaritate perfundebatur, cũ ego curis anxiarer: verũetiam, quòd ille bene operando acquiſierat vinum, ego autem mentiendo quærebam typum. ¶ In Vitis patrum quidam pauper habebat vnam mattam, de cuius medietate ſe cooperiebat, aliam medietatem ſibi ſub-

mittebat, & erat validum frigus: & pater monasterij de nocte exiens, audiuit eum dicentem, Gratias ago tibi domine. Quot sunt modo diuites in custodia, & qui in inferno sedent, aut pedes hadent in ligno cõstrictos? Ego autẽ velut Imperator sum, extendens pedes meos, & quo volo ambulo. Senec. Felix paupertas læta: nec tamen paupertas est, si læta est. Grego. Cui cũ paupertate bene conuenit, non est pauper. Itẽ paupertas secura est. Greg. Magna securitas cordis: nihil concupiscentiæ habere secularis. Seneca: Etiam in obsessa via pauper pax est. Gregorius: Qui nihil habet in mũdo quod diligat, nihil est in mũdo quod pertimescat. Paupertas, iuxta verbum Sapientis, bonum est sine calumnia. Pro ea non mouentur lites, non timet fures vel raptores, non timet aëris passiones, ipsa est donum à paucis cognitum. Poeta: O munera nondum intellecta, domi paupertas angustíque lares. Ecc. 11. Paupertas & honestas à Deo sunt: Paupertas secura est, & temporaliter & spiritualiter. Prouerb. 1: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Gl. Facile laqueos euadit in terris, qui oculos habet in cælis. Iob. 18. Abscondita est in terra pedica eius. Cain habuit caput tremulum. Cain interpretatur possessio: qui possessiones habent in mundo isto, in tremore sunt. In Psalm. Trepidauerunt vbi non erat timor. Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Item paupertas quieta est. Senec. Quietissimè viuerent homines, si hæc duo vetba tollerentur, meum & tuum. Grego. Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? quid quietius, quàm nihil huius seculi appetere? Hinc est, quod Israël custodiam sabbati accepit in munere, Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Item paupertas licet terra macilẽta videatur: fertilissima est verorum bonorum. Gene. 41. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. In hac terra voluit plantari vnigenitus Dei, lignũ scilicet vitæ. Item paupertas vitiis materiã subtrahit: quia nõ habet vnde suum paupertas pascat amorem. Iuuenalis: Præstabat castas humilis fortuna Sabinas. Senec. In quis, Pecuniam perdidi. O te felicem, si cũ illa auaritiam perdidisti: sed si manet illa apud te, es tanto felicior, quo tanto malo materia subducta est. Paupertas vermẽ diuitũ superbiã occidit. Ipsa etiã duas filias sanguisugæ infernalis, quæ semper clamant, Affer, affer, suffocat, scilicet gulam & luxuriam. De quibus habetur Prou. 30. Paupertas medicinalis est. Grego. Quos morum infirmitas vulnerat, paupertas medicina sanat. Ipse purgat eos qui sunt aurũ & argentum: ideo

ideo caminus dicitur. Esaiæ 48. Elegi te in camino paupertatis. Ipsa est fortitudo sanctorum, sicut diuitiæ sunt fortitudo diuitum. Prouerb. 10. Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius. Ipsa est vt fossatum profundissimum, quod diabolus multum nititur implere. Habac. 1. Comportabit aggerem, & capiet eam mira fatuitas aliquorum qui diabolum iuuant ad implendum fossatum castri sui. Habac. 2. Væ qui congregat non sua. Vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Pauperes in ecclesia remanent, dum diuites in regnum diaboli transferuntur. Sicut Nabuchodonosor pauperes dimisit in terra promissionis, nobilibus translatis in terram suam. Iere. 39. Sophoniæ 3. Derelinquam in medio tui populum pauperem. Pauperum est hæreditare regnum cælorũ: mobilia verò huius seculi sunt diuitum, sicut figuratum est Genesis 25. vbi Abraham dedit Isaac cuncta quæ possidebat, filiis autem concubinarum largitus est munera. Paupertatem posuit filius Dei vt fundamentum religionis Christianæ. Matth. 5. Iob 26. Qui extendit aquilonem super vacuum. Super vacuum, inquam, paupertatis. Aquilonem vocat ecclesiam de Gentibus conuersam, quæ congelata erat in peccatis suis. Paupertatem posuit Christus gradum, quo ad perfectionem ascenditur. Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. ¶ Paupertas mater & nutrix & custos religionis est. Vnde qui ingrediuntur religionem, ad eam voto se astringunt. Econtrario abundantia religionem destruit. Adeò enim occupat eam, vt meditationes, lectiones, orationes quibus debet sustentari, in ea pereant, ita quòd seruitium ecclesiæ est inordinatus strepitus. Amos 5. Aufer à me tumultum carminum tuorum. Vbi ipsa non est, vitia sunt in pace. Nõ fiunt ibi correptiones, sed supputationes, vt potius videantur trapezitæ, quàm religiosi. Virgæ sunt ibi potius ad ostensionem quàm ad vitiorum effugationẽ. In refectorio lapidatur sobrietas varietate ferculorum. Ministri manibus elcuatis varia portantes fercula afferunt vnde ipsa lapidetur: sicut Iudæi afferebant lapides ad beati Stephani lapidationem. In clausttris vbi est abundantia temporaliũ, inueniuntur multi habitum religionis deferentes, qui tamen non sunt religiosi. Sicut clerici qui communiter dicuntur Goliardi, quandoque habitum monachalem deferunt, & tamen monachi non sunt. Aliqui proiiciuntur ibi à parentibus sicut catuli quos matres non sufficiunt enutrire. Aliqui etiam intrant vt fures: vt scilicet ditentur & possint res monasterij consanguineis suis dare. Aliqui instar vulpis se mortuos spiritualiter simulant, vt prę

dam

dam faciant. Vbi est abundantia, behemoth quiescit, qui in aridò paupertatis requium non inuenit. Lucæ 11. Paupertas omnes ingredientes in mundum istum excipit: sed postea à multis eiicitur de possessione sua sine culpa sua: sed in exitu de mundo isto, iterum recuperat eos: Iob 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Paupertas seruitutem diuitiarum quæ adeò generalis est, excu[illegible]r. Ecclesia. 10. Pecaniæ obediunt omnia. Ipsa cum Petro super aquas ambulat, scilicet super mare huius mundi. Matth. 14. Bernardus in sermonibus: Hæc prærogatio debebatur Petro: nouum iter & noui modus itineris. Antiquorum sanè patrum diebus, donec in terris videretur & conuersaretur inter homines Deus maiestatis, non erat euangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. ¶ Paupertas luto diuitiarum si affluat; non vult cor apponere. Ipsa ordinem naturæ seruat. Sicut enim terra exterior pedibus, sic ipsa terrena calcat mentis affectibus. Ipsa de fimo stabuli thesaurum facere dedignatur. Stabulum est hæc pars mundi in qua sumus, quia habitaculum est iumenti nostri, scilicet corporis. ¶ Paupertas terram talpis & serpentibus relinquit: Esaiæ 65. Serpenti puluis panis eius, Ipsa hominem custodit ne à serpente infernali comedatur. Cassiodorus super illud Psalm. Omnia à te expectant. Quem Deus pro malis suis abiicit, fit diaboli pabulum: quapropter si in escam inimici dari nolumus, non debemus esse terreni: quia sic in principio maledictus est vt terram comedat. Gene. 3. ¶ Paupertas amatores suos miro modo facit abundare. Habent enim de ea quantum volunt. Ecclesia. 11. Est homo marcidus, egens recuperatione: plus deficiens virtute, & abundans paupertate. Paupertas etiam terrenis diuitiis facit quodammodo abundare. pauper enim diuitias quas pro Christo contẽnit, quodãmodo habet, dum eas Christo vendit, & de illis in cœlo thesaurum facit. Vnde Dominus emit à Petro quod pro eius amore reliquerat. Matt. 19. quòd non feciſſet, nisi illius fuissent. Non enim emeret prædam. Quando aliquis ex corde dicit, Volo habere thesauros regios vel imperiales, & hoc propter Christum: statim Christo eos vendidit, & in cælo eos thesaurizauit, & hoc sine damno eorum qui eos possidebant. Remanent enim eis pleno iure. Et quod mirum est, eosdem thesauros diuersi possunt vendere, & in cælo thesaurizare. Et non solum hæc possunt facere de his quæ sunt, sed etiam de his quę non sunt, sed possunt esse. Bern. in Sermonibus: O mira nouitas eius qui omnia noua facit: tollens iugum inuenit requiem, relinquẽs omnia cẽtuplũ habet.

¶ De

¶ De illa verò paupertate quæ est eorum qui habent multas diuitias, quarum non se reputant dominos, sed solum ministros, notandum quòd ipsa valde glorioſa est. Ipsa est velut liliũ inter spinas. De paupertate huiusmodi verum est illud Prouerb. 14. Est quasi pauper cum in multis diuitiis sit. Ipse in diuitis dupliciter negotiatur, bene ministrando & non amando. Ipse diuitias terrenas in arca seruat, & tamen in thesauro cælesti eas reponit: qui enim ad pios vsus diuitias seruat, non claudens viscera sua indigentibus, in cælo iam eas reposuit, cùm eas corde iam Deo obtulerit. Pios vsus diuitiarum intelligas etiam vxorum & filiorum cõpetentes prouisiones, cùm ad Dei honorẽ & animarũ salutem referuntur. Non sic est de illis qui auarè retinẽdo diuitias, quos non pascunt occidunt, dum eos fame mori permittunt, qui pauperibus partem suã auferũt. Et notãdum quòd qui amat paupertatem, nõ debet eius sequalam fugere: scilicet famẽ & sitim, nuditatem, defectum tecti, defectum auxiliorum, defectum consolationum. Bern. in Semonib. Videmus aliquos pauperes qui si veram haberent paupertatẽ, non adeò pusillanimes inuenirentur & tristes, vt pote reges vt reges coli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto vt eis nihil desit: & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.

De Mansuetudine & eius descriptione. Quare etiam mansueti sint beati: vbi x v i. *tanguntur pertinẽtia ad commendationẽ mansuetudinis. Et quare mansueti possidebunt terram, ac cui dono mansuetudo adaptetur.* PARS VI.

POst paupertatem spiritus dicendũ est de Mansuetudine, quæ commendatur in verbo illo, Beati mites &c. Et sequitur bene mansuetudo paupertatẽ spiritus. Qui enim verè humilis est, cùm nihil habeat sui reputatione, non habet vnde turbetur, nec cõtra se quæ fiũt, fieri reputat. Item qui terrena nõ amat, elongauit à se causam perturbationum. Sicut terra mista aquæ eam turbidam reddit, sic terrena humano cordi per amorem sociata, causæ sunt perturbationũ. Si verò à corde humano fuerint separata, est tranquillitas in mente. ¶ De mansuetudine verò hoc modo dicetur. ¶ Primo ostendetur quid sit mãsuetudo. ¶ Secũdo quãdo mites sint beati: vbi tangetur de his quæ ad commẽdationem mãsuetudinis pertinent. ¶ Tertio quare mansueti possidebunt terram. ¶ Quarto, quod donũ huic beatitudini adaptetur. ¶ Mansuetudinem sic describit Peregrinus sacerdos: Mansuetudo, inquit, est modesti animi tranquillitas, quæ nulla incurrentium rerum tribulatione agitatur. Mansuetudo videtur esse temperantia seu mo

modestia vis irascibilis respectu mali vel inferendi vel destruendi: moderationem verò irascibilis in qua multum regnat impetuositas, sequitur mentis tranquillitas. Gl. super Matth. 5. Mores temperat mansuetudo & lenitas. Mansuetudo est dulcedo animi quam non vincit amaritudo. Vnde Gloss. super Matth. 5. Mitis est quem mentis asperitas seu amaritudo non afficit: sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam patiendam instruit patienter. Hæc dulcedo quandam causam habere videtur sanitatis vitium animæ. Prouer. 16. Dulcedo animæ est sanitas ossium. Mansuetudo bonitatis est, malitiam vincens, nulli malum vincens, mala in bonum conuertens. gl. super Matt. 5. Mansuetus non irritat vel irritatur: non nocet, vel nocere cogitat. Et alia glos. Mitis est quem non rancor vel ira afficit: sed omnia æquanimiter sustinet. Mansueti si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marc. vlti. Mansuetudo mollities est seu suauitas malo cedens, subesse sciēs, superiori nō resistēs, tractabilis siue bonis consentiēs. Primū tangit Glo. super illud Matth. 5. Beati mites qui cedūt improbis, & vincunt in bono malum. Secundum tangit alia glo. ibidē: Qui piè quærit, honorat sancta, non reprehendit, non resistit, quod est mitem fieri. Tertium tangit glosia super illud Galat. 5. Fructus spiritus, est charitas &c. Mansuetudo quòd non intractabilis, sed potius tractabilis est: quia mansuetudo vel in toto vel in parte videtur esse idem cum clementia, de qua dictum est in tractatu de Temperantia, vbi inuenies aliqua vtilia ad materiam istam. Aliquādo etiam benignitas pro mansuetudine accipitur. Tamen super illud 1. ad Corint. 13. Charitas patiens est, benigna est. vult glos. quòd benignitas consistat in largitione suorum, dicens: Benigna est, id est, larga egenis. Et super illud Ephes. 4. Estote inuicem benigni, dicit glos id est, de facultatibus largi. Et super illud Galat. 5. Benignitas, dicit gloss. largitas rerum. Animus mansuetus nobilitatem veram habere videtur, & nobilitatem quam aliena rusticitas non corrumpit. Nobiles huius mundi parum sunt nobiles seu curiales, vt primo rusticitatem huiusmodo non faciant: sed si eis facta fuerit, parati sunt eam reddere: sed Dominus vult filios suos adeò nobiles esse, vt nulla rusticitas eis facta eos possit rusticos efficere, vt scilicet nulla rusticitas de eis exeat. ¶ Circa secundum notandum est, quòd prima causa & maxima quare mites sint beati, est illa quam Dominus tangit, Quoniā ipsi possidebunt terram. Secunda est, quia sunt immunes à miseria, quæ iracundiam vel rabiem comitatur: de qua miseria require in tractatu de Ira. Tertio, ad beatitud

tudinem mitium facit excellentia huius virtutis, scilicet mansuetudinis: quę excellentia apparebit si ponentur ea quæ ad eius commendationem pertinent.

¶ *Decommendatione Mansuetudinis.*

Et possumus 16 ponere ad eius commendationem pertinentia. ¶ Primum est, quòd natura hominem ad mansuetudinem incitat. Figura enim hominis exterior indicat, quòd homo māsuetus esse debeat. Et Sapiens dicit hominem esse animal mansuetum natura. In omni specie animalis figura corporis attestatur naturæ interiori: sicut vngues acuti, magni, & fortes, & curuati, & dentes magni, & scissio oris magna, attestantur rabiei, vt appareat in leonibus. Contraria verò his attestantur mansuetudini, vt in homine. Homines crudeles quasi non sunt homines, in animalia enim syluestria transierunt. ¶ Secundum est mansuetudo Dei, quam scriptura sacra tantum nobis prædicat. Daniel. 3 Fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam. Sopho. 2. Quærite Dominum omnes mansueti terræ: quærite iustum, quærite mansuetum. Ioēl. 2. Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est. In Psal. Suauis est Dominus in omnibus viis suis. ¶ Tertium est, quòd hæc virtus speciale ornamentum fuit mediatoris. In Psal. Propter veritatem & mansuetudinem, &c. Matth. 21. Ecce rex tuus tibi venit mansuetus. Iere. 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum. ¶ Quartum est, quòd hæc virtus enumeratur inter fructus spiritus. Galat. 5. ¶ Quintum est, quòd hæc virtus ornamentum est multum decens seruum Dei. Ephe. 4. Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine. 1. ad Tim. 6. Tu autem homo Dei sectare patientiam & mansuetudinem. Item 2. ad Timot. 2. Admone illos neminem blasphemarem, nō litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem. ¶ Sextum est, quòd Christus magisterium huius virtutis sibi specialiter inscribit. Vnde gloss. super illud Matth. 5. Huius virtutis quasi magnæ magistrū se facit Dominus: quod non faceret, nisi via summæ perfectionis ista virtus esset. ¶ Septimum est, quòd hæc virtus diuina acquirit. Eccle. 10. Sedes ducum superborum destruxit, & sedere facit mites, pro eis. ¶ Octauum, quòd eadem conseruat. Prouerb. 20. Roboratur clementia thronus regis. ¶ Nonum, quòd vitam corporis conseruat. Prou. 11. Clementia præparabit vitam, & sectatio malorum mortem. Eiusdem 12. Qui suauis est viuit in moderationibus. ¶ Decimum est, quòd seruat animam. Eccle. 10. Fili, in mansur

Universidad de Deusto Biblioteca

suetudine serua animam tuam. Māsuetudo est sicut antemurale in castro animæ, lapides durorum verborū leniter excipiens, & ideo ictus frustrans & hominem à læsione custodiens. Sicut vasa vitrea in fœno, vel alia re molli inuoluuntur, & sic à confractione seruantur: sic mansuetudo animam seruat, ne ira eam cōfringat. ¶ Vndecimum, quòd animum delectat. In Psalm. Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Mansuetudo est velut culcitra mollissima in lectulo floridæ conscientiæ, in qua animus cum Deo quiescit. Cantic. 1. Lectulus noster floridus. ¶ Duodecimū quòd proximum corrigit. In Psal. Quoniam superuenit māsuetudo, & corripiemur. ¶ Tredecimū, quòd proximi gratiam acquirit. Eccles. 3. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris. Ezech. 3. Vt adamantem & silicē dedi faciem tuam. Sicut adamas ferrum attrahit, sic mansuetudo corda hominū. ¶ Decimūquartū, quod irā proximi frangit. Prou. 15. Respōsio mollis frāgit irā. ¶ Quintumdecimum, quòd hominem Deo valde placentē reddit. Eccle. 1. Et quod beneplacitum est ei, fides & mansuetudo. Hæ duæ gratiæ multū placent Deo in homine: quia fides facit vt homo possideatur à Deo quantum ad intellectum: Māsuetudo facit vt homo possideatur à Deo quātum ad affectum. Māsuetudo facit hominem à Deo exaudiri. In Psal. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Iudith 9. Humiliū & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Et Dominus beato Dionysio in carcere posito: Benignitas & dilectio quam semper habuisti, facient vt quicquid petieris, aliquibus impetres. Item mansuetudo dignum facit Dei allocutione. In Psalm. Docebit mites vias suas. Ecclesia. 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Iac. 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. Exod. 33. loquebatur Dominus cum Moyse qui fuit mitissimus hominum facie ad faciē sicut homo solet loqui ad amicum suum. Mansuetudo etiam dignū facit Dei defensione. Nume. 12. Locuta est Maria & Aaró contra Moysen &c. quod quum audisset Dominus, iratus est valde. Erat enim Moyses mitissimus: & subditur: Maria apparuit candens lepra. ¶ Decimumseptimum est, quòd in iudicio saluat. In Psal. Cum exurgeret in iudicio Deus vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Item: Diriget mansuetos in iudicio, & exaltabit mansuetos in salutem. Esa. 11. Arguet in æquitate pro māsuetis terræ. ¶ Circa tertium notandum quòd mansueti possidebūt terram viuentium. Vnde gl. Virtus mansuetudinis possidebit errā viuentium, & delectabitur in multitudine pacis. Māsueti in præ-

præsenti pacifici possidentur à Deo: ideo lege vicissitudinis in futuro possidebunt Deum, qui est beata habitatio viuentium. Aug. Nullius erit Deus possessio, nisi eius quem ipsæ prius possederit. Præterea, mansueti possident nūc corda sua: homines immāsueti non dominātur cordibus suis, sed potius ira dominatur in eis. gl. super Matt. 5. Mites sunt qui malis moribus dominātur: perfecta virtus morū possessio. Prou. 16. Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Item mansueti bona spiritualia si qua habent possident. homines iracundi ea nō possident, etsi ad horam ea habeant. Ignis enim iræ in momento eos depauperat. Item bona terræ magnificè possidēt, vt nō turbentur si ea amiserint. Qui ex amissione bonorum terrenorū turbantur, nō possident ea, sed potius ab eis possidentur. Serui enim eorum sunt, non domini. Vt igitur gratiæ tanquam merito gloria succedens vt præmium respondeat, mansueti qui in præsenti se & sua possident, tam spiritualia quàm terrena, meritò in futuro terram viuentiū possidebunt. Bernard. videtur intelligere hoc verbum, Beati mites &c. de terra quam calcamus. Ait enim: Si humilibus datur cælum, mitibus terra: quid relinquitur immitibus & crudelibus, nisi infernalis miseria? Idem in Sermo. verbum prædictum exponit de terra corporis, his verbis: Hanc terram corpus nostrū intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua, necesse est vt ipsa sit mitis & superiori suo subiecta: quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam creatoris: & ideo nouerit anima quæ rebelle inuenit sibi corpus suū, se quoq; minus quā oporteat superioribus potestatibus esse subiectā: mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu Altissimi, subiecta sit Deo, & his pariter quibus vice eius debet obedire prælatis, & continuo corpus suum inueniet obediens & subiectum. Veritas enim est quæ loquitur, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. ¶ Et notandum quod vera mansuetudo apparet, quando homini aliquid dicitur, vel fit contra eius voluntatem. Ber. Sunt alij mites, sed quandiu nihil dicitur aut agitur, nisi pro corū arbitrio. Patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si vel leuis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit quæ ante hæreditatem deficit? ¶ Circa quartum notandum quòd donum pietatis adaptatur mansuetudini. Si enim pietas accipiatur pro misericordia, manifestum est, quòd qui habet pietatem, malo proximi compatitur, nec vult nocere proximo. Vnde qui pius est, est māsuetus. Si verò pietas pro cultu Dei sumatur, cultus

Dei est iugum Dei suaue & onus leue. De quo legitur Matth.11. Qui mansuetus gratis se inclinat & superponit, sicut mansuetus aliud abiicit. Vnde qui mansuetus est pius est.

De luctu & eius descriptione, de speciebus luctus, & quare lugentes sint beati: vbi tangitur de his quæ ad commendationem lacrymarum pertinent, de impedimentis etiam lacrymarum, & cui dono luctus adaptetur. PARS VII.

POst paupertatē spiritus & mansuetudinē, dicendū est de luctu. Cum enim terreneitas vix ad plenū à corde amoueatur, tranquillitas autē mansuetudinis sæpe corrumpatur, necessarius est, luctus, vt aqua lacrymarū terreneitas perfectè expellatur. Iob 14. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur. Et vt incendia iræ aqua lacrymarum perfectè extinguantur. ¶ De luctu verò hoc modo dicetur. Primo ostendetur quid sit luctus, prout beatitudo dicitur. Secundo distinguentur diuersæ species luctus, vt manifestū fiat cui luctui consolatio debeatur. Tertio, ostendetur quomodo lugentes sint beati: vbi tangetur de his quæ pertinent ad commendationem luctus seu lacrymarū. Quartò, dicetur de impedimentis lacrymarū. Quintò, quòd donū apteturr huic beatitudini. ¶ Circa primū notandū, quòd luctus prout sumitur pro beatitudine, est gratia vehemēter dolendi de malo quod accidit, vel de bono quod deficit. Luctus verò sic sumptus nō est in iis qui adhuc sunt in peccatis suis. Greg. in Moral. Nisi à reatu culpæ quo nos ligauimus, misericorditer dimittamur, perfectè flere non possumus, quod in nobisipsis contra nosmetipsos dolemus. Malum verò in descriptione posita intelligas, non id quod mundus vocat malum, scilicet pœnam temporalem quæ medicinalis est: sed quod verè malum est, scilicet malum culpæ, & pœnam futuram quæ eius est sequela. Bonum etiam non intelligas bonum periculosum, vt est pecunia: sed verum bonum, scilicet bonum gratiæ vel gloriæ. Dolor huiusmodi signum est salutis. Grego. in moral. Argumentum salutis est vis doloris.

¶ *De speciebus luctus.*

CIRCA secundū notandū quòd super Matth.5. distinguit gloduas species luctus. Prior est, luctus pro peccatis, vel suis vel alienis. Secundus est, ex desiderio cælestis patriæ. Prior est irriguū inferius, secūdus irriguū superius. De quibus legitur Ios.15. & Iud.1. Ille lauat præsentes sordes: hic verò accendit aerius æternorum amatores: vt dicit gl. super Matt.5. Aliqui etiā distinguūt quatuor species luctus. Primus luctus est luctus pro propriis peccatis. De quo in Psa. Exitus aquarū deduxerunt oculi mei &c. Secundus est luctus

luctus pro alienis peccatis. Ier.9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontē lacrymarū, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Tertius est, pro incolatu præsentis miseriæ. Dauid: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quartus, pro dilatione patriæ. In Psal. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus &c. Hæ quatuor species luctus sunt velut quatuor hydriæ, quas iussit Elias impleri aqua, & effundi super holocausta: quā effusionē ignis cælestis subsecutus est. 3. Reg. 18. ¶ Possunt etiam distingui sex species luctus, quarū prima est ex consideratione diuinæ offensæ vel contumeliæ. Secunda est, ex consideratione gehennæ. Greg. super Iob: Super omnia præuisio inferni cōpunctionem prouocat. Tertia est, ex consideratione alienæ miseriæ. Ad Ro.12. Flere cū flentibus, gaudere cum gaudentibus &c. Quarta est, ex præsenti affectione. Thren.1. Plorans plorauit in nocte. Quintò, pro spirituali absentia sponsi. Matth.9. Non possunt filij sponsi lugere quandiu est sponsus cum eis &c. Sexta pro dilatione patriæ. Hæ sex species sunt velut sex hydriæ, quas dominus iubet aqua impleri. Io.2. ¶ Potest tamen poni diuisio luctus generalior, vt distinguamus luctū in luctū malum, & in luctum bonū, & luctum indifferentē. Luctus malus est, vt luctus cupiditatis. De quo dictum est: Ploratur lacrymis amissa pecunia veris. Vel luctus deceptionis. De quo poēta, Vt flerent oculos eruditere suos. Vel luctus inordinatæ compassionis. De quo Augustin. in primo lib. Confessionum: Cogebar, inquit, plorare Didonem mortuam, quæ se occidit ob amorem, quum interea meipsum in iis à te morientem Deus vita mea siccis ferrem oculis misertimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum? Vel luctus æternæ damnationis. Matt.8. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Idem eiusdem 13. & 22. & 24. & 25. Et Lu.13. Prou.14. Extrema gaudij luctus occupat. ¶ Et notandū quòd idem faciunt prudentes & imprudentes. Sed imprudentes illud non faciunt tempore opportuno. Eccles.20. Imprudens non seruabit tempora. Senec. De negligentibus facere quod faciendum est, tunc lacrymæ nihil profuturæ cadunt. Plorabunt fatui sicut hic sapientes plorant: sed tunc plorabunt, quando lacrymæ erunt eis inutiles. Si non plorarent damnati, nisi lacrymam vnam corporalem singulis diebus quibus erunt in inferno, plus plorarent quàm sint aquæ in mari. Omnes enim guttæ maris finitæ sunt, & posset Deus dicere: tot sunt, & non plures: damnati verò sine fine erunt in inferno. ¶ Luctus bonus triplex est, scilicet luctus compunctionis, compassionis & deuotionis. De primo

in Psal. Lauabo per singulas noctes lectum meum &c. De luctu compassionis, Iob 30. Flebam quondam super eo qui afflictus erat. Eccle. 22. Super mortuũ plora, defecit enim lux eius. Et super fatuum plora, defecit enim sensu. Iere. 13. Plorans plorabit anima mea, & oculus meus educet lacrymã: quia captus est grex domini. Eiusdẽ 14. Deducãt oculi mei lacrymã per noctẽ & diem &c. Thre. 2. Defecerũt præ lacrymis oculi mei super contritione populi mei. Eze. 32. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te. Luctus deuotionis est, vt cum anima viri perfecti Dei dulcedinem experta, deflet absentiam sponsi quo ad sensum dulcedinis. Bern. ad fratres de monte Dei loquens de illo qui repellitur à lumine Dei ad quod admissus est, Si amat, inquit, flere, dulcia habet, & non sine multo gemitu cogitur redire ad conscientiam suam. Item luctus deuotionis est, qui est ex desiderio diuinæ visionis. In Psa. Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuũ &c. Fuerunt mihi lacrymæ meæ &c. Luctus etiã deuotionis est luctus quem habet anima viri perfecti ex magnitudine gaudij spiritualis. De luctu deuotionis intelligi potest illud Aug. in lib. de Ciuita. Dei. Quanto, inquit, est quisque sanctior & desideriis sanctis plenior: tanto eius in orando fletus vberior. Idem in lib. Soliloquiorum, Modum, inquit, vis habere lacrymas meas, quum miseriæ meæ modum non videam. Impatiens est amor: nec lacrymis modus sit, nisi amori detur quod amatur. ¶ Luctus indifferens est: vt luctus afflictionis temporalis, vel etiam gaudij. Tob. 11. Fleuerunt ambo cum gaudio. Gene. 43. Erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit. Secundum glo. Luctus pro peccatis vel pro desiderio cælesti, consolationem meretur: alius verò luctus non. Secundum Bernar. Luctus eorum qui perseuerantiam non habent, non meretur consolationem. Alios, inquit lugentes video: sed si de corde procederent lacrymæ: non tam facile illico soluerentur in risum. Nunc autem quum abundantius otiosa & scurrilia verba profluant quàm prius lacrymæ, lacrymas huiusmodi de his esse nõ arbitror quibus consolatio diuina promittitur: quando quidem post illas tam facilè consolatio vilis admittitur.

¶ *Quare lugentes sint beati.*

Circa tertium notandũ quòd prima & maxima causa quare lugentes sint beati, est quam dominus tangit, dicens: Quia consolabuntur. Simile Luc. 6. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. ¶ Lugentes in futuro cõsolabuntur Dei visione, & etiam multis aliis modis. Esa. vlt. In Ierusalem consolabimini: videbitis, & gaudebit cor vestrũ. Et Luc. 15. Dictũ est diuiti de Lazaro, Nunc hic

hic consolatur, tu verò cruciaris. Ioan. 15. Tristitia vestra vertetur in gaudium, quod significauit aquæ mutatio in vinum. Ioã. 2. Ierem. 31. Conuertam luctum eorum in gaudium. In præsenti etiam lugentes consolantur. Exod. cap. 15. Aquæ Marath versæ sunt in dulcedinem. Tobiæ 8. Post lacrymationem & fletum exultationem infundis. Augusti. in lib. Confes. Quantum, inquit, fleui in hymnis, & canticis tuis suaue sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. De tali qui habet abundantiam dulcium lacrymarum, verum est illud quod solet dici communiter: Iste est sicut pisces qui natat in aqua. De suauitate ista non gustat cor ignobile. Prouer. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Gregor. in Moralibus. Luctu suo anima pascitur, quum ad superna gaudia flendo subleuatur. Et intus quidem doloris sui gemitum tolerat: sud eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Idem in eodem: Fit plerunque vt in ipsis piis fletibus gaudij claritas erumpat, vt mens quæ cęca iacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata conualescat. Aliud ad beatitudinem faciens in lugentibus luctu salubri potest esse, quòd tales immunes sunt a tristitia huius seculi, quæ mortem operatur. 2. Ad Corinthi. 7. Bernard. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua. Mortis horrorem, iudicij tremendum valde discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ & cogita humanæ vitæ pericula: cogita fragilitatem propriam,, & in huiusmodi cogitatione si perseueraueris, dico tibi parum senties quicquid foris videtur esse molestum, dum te toto corde circa interiorem molestiam occupaueris. Sed nec patietur dominus siue consolatione te esse: quoniam est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Et complebitur omnino quod pollicetur Veritas, Beati qui lugẽt &c. ¶ Tertiò, ad beatitudinem lugentiũ facit, quòd lacrymæ eos mundãt. Sunt & cæteri affectus lacrymarum, de quibus in earum commendatione dicetur.

¶ *De commendatione lacrymarum.*

Et notandum quòd ad commendationem lacrymarum, Primo valere possunt exhortationes quas scriptura sacra facit ad flendum. Ier. 6. Luctum vnigeniti fac tibi. Eiusdem 9. Docete filias vestras lamentum. Luc. 23. Super vosipsas flete & super filios vestros. Iac. 4. Miseri estote, & lugete. Eiusdem 5. Plorate

vlulantes in miſeriis veſtris. ¶ Secundo exempla, inter quæ præcipuũ eſt exemplũ Chriſti. Ber. Chriſtus cõpatitur & plorat: homo patitur, & ridebit. De luctu Chriſti habes ad Heb. 5. Cum clamore & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et Luc. 19. Videns ciuitatem fleuit ſuper illã. & Ioa. 11. Et lacrymatus eſt Ieſus. Primo fletu commendauit nobis fletum cõpunctionis. Creditur enim fletum illum emiſiſſe in cruce. Crux verò ſtatum pœnitentiæ deſignat. In ſecundo, fletum compaſſionis. In tertio, fletum deuotionis, quando fleuit Lazarũ reuocaturus ad præſentem miſeriam. Ber. in Sermonib. Chriſtũ ſuper Lazarum & ſuper ciuitatem fleuiſſe, & in orationibus pernoctaſſe lego: riſiſſe verò aut iocaſſe nunquam. Commendantur etiã lacrymæ exemplo Petri, Matth. 26. Egreſſus foras fleuit amarè. Hie. in epiſtolis: Petrũ ter negantem in locũ ſuum amaræ reſtituere lacrymæ. Item exemplum Magdalenę Lu. 7. Lacrymis cœpit rigare pedes eius. ¶ Tertiò, ad cõmendationem lacrymarũ poteſt loçus valere in quo ſumus. Aug. In valle miſeriæ ſumus, in qua eo magis flendum eſt, quo minus flemus. In Pſal. Aſcenſionis in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum. Eccle. 22. Muſica in luctu importuna narratio. ¶ Quarto, tẽpus in quo ſumus. Eccle. 3. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus flendi eſt in præſenti, vbi eſt multa materia fletus, & lacrymæ ſunt in ſuo valore. Materia fletus ſunt Dei iniurię & cõtumeliæ, ſtrages animarũ, incolatus præſentis miſeriæ, dilatio patriæ. De multiplici materia fletus, require in tract. de luxuria, ca. de Choreis. In futuro erit tẽpus ridendi. Qui erũt in paradiſo, nõ habebunt materiã fletus. In his verò qui erunt in inferno lacrymæ nullius erunt valoris. Tunc abſterget Deus omnem lacrymã ab oculis ſanctorũ. Apo. 7. Eſa. 25. Auferet dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie. Ber. Felices lacrymæ quas pia manus cõditoris abſterget. Tunc ridebũt electi pleno ore. Iob 8. Deus non proiiciet ſimplicẽ nec porriget manũ malignis, donec impleatur riſu os tuũ, & labia tua iubilo. Hic ridetur ore ſemiplено: quia hic implетur illud Prou. 14. Riſus dolore miſcebitur.

¶ *De virtute lacrymarum.*

De virtute lacrymarum, notandum eſt, quòd lacrymæ primo animam mundant. Aqua etiam lacrymarum eſt velut mare æneum, in quo ingreſſuri tabernaculum vel templum, manus & pedes lauabant. Exo. vlt. Et 3. Reg. 7. Aqua etiam lacrymarum eſt lauatorium in clauſtro ſpirituali. Quaſi aqua de puteo eſt, ſi lacrymæ veniant de profundo peccatorum. Et ſi ſint pro propriis peccatis, tunc eſt puteus in ipſo clauſtro. Si verò ſunt pro peccatis

tis alienis, & nõ pro propriis: tunc habet clauſtrum illud aquam quaſi de alieno puteo, & videtur habere malum prouiſorem. Si verò lacrymæ pro incolatu huius miſeriæ vel pro dilatione patriæ, tunc eſt aqua quaſi de fonte viuo. Ioann. 4. Aqua quam ego dabo ei, fiet fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aqua lacrymarum, balneum eſt in quo abluuntur animę vt ſponſę regis cęleſtis fiant. Iere. 4. Laua à malitia Ieruſalem cor tuum, vt ſalua fias. Item lacrymę deleut literas mortis, quas qui peccat, diabolo ſcribit manu propria in libro conſcientiæ. Daniel. 7. Sedit iudicium, & libri aperti ſunt. Libri, inquam, ſcilicet conſcientiarum. Literæ iſtæ effuſione propriį ſanguinis delendæ eſſent, ſi aliter deleri non poſſent. Sic Chriſtus deleuit chirographum nobis contrarium. Coloſſ. 2. Delens quod aduerſus nos erat, chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Item diabolum ſubmergunt. Aqua lacrymarum eſt quaſi mare rubrum, vbi Pharao infernalis cum exercitu vitiorum ſubmergitur. Exod. 14. In Pſal. Contribulaſti capita draconum in aquis. ¶ Item lacrymæ terram cordis irrigant, & fœcundant. Aqua lacrymarum eſt vt fons paradiſi. Geneſi. 2. Fons aſcendebat de terra, irrigans vniverſam ſuperficiem terræ. Eccleſiaſt. 14. Rigabo hortum plantationis. In Pſalm. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Item lacrymæ holocauſtum impinguant. Gregorius ſuper Ezechiel. Holocauſtum aridum, eſt nouum opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocauſtum pinguе. eſt bonum opus quod quum agitur, etiam lacrymis impinguatur. Item lacrymæ ardorem concupiſcentiarum ſedant. Gregorius in Moralib. Flammam ſuggeſtionum diaboli citius extinguit vnda lacrymarum. Si aliquis videat domum conſcientiæ ſuæ igne concupiſcentiæ ſuccendi, recurrere debet ad aquam lacrymarum. Item mentem humiliant. Prouerbiorum 12. Mœror in corde iuſti humiliabit eum. Item mentem mitigant. Bernard. in Sermo. Equum indomitum flagella domant: animam immitem contritio ſpiritus & aſſiduitas lacrymarum. Et vt breuiter dicatur, omnẽ infirmitatem ſpiritualẽ ſanant. Iob 5. Mœrentes erigit ſoſpitate. Item à Deo quod homo vult impetrant. 1. Reg. 1. Quum eſſet Anna amaro animo, orauit Deũ, flens largiter, quæ à domino exaudita eſt. Eſa. 38. dictum eſt Ezechiæ: Vidi lacrymam tuam, & ecce ſanauit te. Tob. 3. Orauit Tobias cum lacrymis, & Sara ſimiliter, & exauditæ ſunt preces amborum. Iudith 8. Indulgentiam eius cum lacrymis poſtulemus.

In Psalm. Auribus percipe lacrymas meas. Aug. Quæ violentæ sunt in precibus. Itē: Posuisti lacrymas meas in cōspectu tuo. Iere. 31. In fletu venient, & in misericordia reducam eos. Christus cum lacrymis preces offerens exauditus est. ad Hebr. 5. ¶ Item lacrymæ oculum cordis clarificant. Vnde aqua lacrymarum est natatoria Siloë. Ioann. 9. Abij in natatorium Siloë, & laui, & vidi. Greg. Mens lacrymis baptizata, in contemplatione videt limpidius. Idem: Sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit. Aqua lacrymarum est, collyrium visum iuuans. Apoc. 3. Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Item lacrymæ mentem eleuant. Genesi. 7. Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerūt arcam in sublime. Gregor. in Moralib. Quum per fletum mens ad summa rapitur, compunctionis suæ pœnam gaudens miratur, & libet affligi, quia afflictione sua se conspicit ad alta subleuari. Item lacrymæ vitam perditam reparant. Grego. Tempus redimimus, quando antè actam vitam quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Item regnum cælorum quasi quadam vi obtinent. Grego. in Homil. Regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, qđ nostris meritis non debetur. Lacrymæ vt virtus earum breuibus verbis exprimatur, operantur in cælo, in terra, & in inferno. In cælo, vnde Eccles. 35. Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt ad cælum. In terra operantur, quum multiplices habeant effectus in hominibus, vt prius ostensum est in inferno, quum ignem infernalem extinguant: quantum ad eum qui eas effundit. Item lacrymæ possunt in Deum in angelos, in dæmones & homines. In Deū, dū eum quasi cogunt ad miserandum. Vnde super illud Tob. 3. Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. dicit glo. Oratio Deum lenit, lacryma cogit. Lacrymæ Deum faciunt quasi obliuisci iniquitatum nostrarum. Lacrymę etiam angelos latificant. Lucæ 5. Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Secundum Bernard. Deliciæ angelorum, sunt lacrymæ pœnitentium. In dæmones possunt lacrymę, cùm ab eis submergantur, vt prius dictum est.

¶ De impedimentis lacrymarum.

CIRCA quartum notandum est, quòd sex videntur esse impedimenta lacrymarum. ¶ Primum est superbia, quæ est vt terra arens. Iosue 15. & Iudith 1. Terram arentem dedisti mihi. In Psal. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Humilitas est quasi aquæ ductus per quem lacrymæ veniunt, quē diabolus vult incidi.

di. Iudith 7. Incidi præcipit Holofernes aquæ ductum. Ipsa est vallis ad quam descendunt aquæ lacrymarum. Secundum est, amor terrenorum. Vnde Cain interfecit Abel. Genc. 4. Cain interpretatur possessio: Abel, luctus. Genesi. 26. Omnes puteos quos foderant serui Abraham, obstruxerunt Palęstini implentes humo. ¶ Tertium est, durities siue impietas. Gene. 29. Os putei grandi lapide claudebatur. Homines qui non habent pietatem ad proximum, non inueniūt Deum sibi misericordem: Ideo corda eorum sunt vt petra durissima. Iob 12. Si continueris aquas, omnia siccabuntur. Ideo necesse esset vt virga Dei percuterentur, vt aqua lacrymarum inde exiret. Deuteron. 8. Eduxit riuos viuos de petra durissima. Item in Psal. Percussit petram & fluxexunt aquæ &c. ¶ Quartum est, nimia occupatio, Genesi. 36. Ana inuenit aquas calidas, in solitudine. Esa. 22. Recedite à me, amarè flebo. ¶ Quintum est, ignorantia. Quod impedimentum tangit dominus Luc. 19. dicens: Si cognouisses, & tu, supple, fleres. ¶ Sextum est peccati magnitudo. Ber. in libro de consideratione: Si doles, cōdoleo: si non, doleo tantum & maximè sciens à salute longius abstistere membrum quod obstupuit, & ęgrum sese sentientem periculosius laborare. Greg. in homil. loquens de Pharisæo & Magdalena & Christo: Inter duos ægros medicus aderat, sed anus ęger in febre integrum sensum tenebat, alter verò in febre carnis & sensum perdiderat mentis. In ægritudine sensum perdiderat, qui hoc ipsum quod à salute longe esset ignorabat.

¶ Coadaptatio luctus in donum scientiæ.

CIRCA quintū notandū, quòd luctui adaptatur donū scientiæ. Vnde interl. Hi scientiæ spiritu illustrātur, vt sciant quibus malis inuoluantur. Hanc adaptationem insinuat Salomō Eccl. 1. Qui addit inquit scientiā, addit & laborem, & nō potest homo scire quibus bonis vel malis sit in præsenti vita, & non esse in luctu. Mala enim per se luctū inducūt, bona vero tēporalia causam luctus: id est, peccatū. Aug. Si bene est, tumes: si male, doles. Hanc adaptationē insinuat nobis ipsa natura. Ad idē enim mēbrorum pertinent visus & luctus. Idem insinuatur nobis Lucæ 19. Videns Iesus ciuitatem, fleuit super eam.

De Esurie Iustitiæ PARS VIII.

RECte post prædicta de Esurie Iustitiæ dicendū est quia prædicta valent ad esuriē iustitiæ. Humilitas quæ ad paupertatē pertinet, valet ad hāc esuriē quia humilis sentit propriā vacuitatē, ideo esurit repletionem. Ecōtrario superbus qui habet vanā

plenitudinẽ, habet fastidiũ iustitiæ. Item paupertãs voluntaria animam euacuat ab amore mundi. Vnde reddit eam capacem amoris veri boni. Amor enim mũdi, & amor veri boni mutuo se expellunt ab anima: coangustatum est enim stratũ, vt alter decidat & pallium breue amoris vtrunq; operire nõ potest, mundũ scilicet & verum bonũ. Esa. 28. Mansuetudo valet ad hãc esurię, quia animã euacuat ab amore iniustitiæ. Homines immites esuriunt malitiã seu proximi iniuriã: ideo nõ possunt perfectè esurire iustitiam. Luctus etiã facit ad hanc esurię. Qui enim lugent, recogitant annos suos in amaritudine animæ suæ, & cõcipiunt facere dignos fructus pœnitẽtiæ, volentes seruire iustitiæ, sicut iniustitiæ prius seruierunt. ad Ro. 5. Sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire immũditiæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nũc exhibete mẽbra vestra seruire iustitię. Bern. Esurię iustitiæ ad præcedentẽ ordinat beatitudinẽ, his verbis: Quid aliud est, inquit, hęc consolatio quę lugẽtibus promittitur, quàm procedẽs de spe venię gratia deuotionis & suauissima delectatio boni, & gustus sapientiæ, licet exiguus, quibus interim benignissimus Deus afflictam refrigerat animã. Sed gustus ille nihil aliud est quàm iritamentũ desiderij, & incentiuũ amoris, sicut scriptũ est, Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibũt me, adhuc sitiẽt. Propterea illico subinfertur, Beati qui esuriunt &c. ¶ Et notãdum quòd iustitia hic sumi potest generaliter pro probitate, seu bonitate, seu rectitudine vitæ. Ad qđ pertinet quod dicit gl. Amatores, inquit, veri boni sunt, quibus nõ satis est, q; iusti sunt, sed semper sitiũt opus iustitiæ. Vel potest sumi iustitia prout ad eã pertinet reddere vnicuiq; quod suũ est. Vnde gl. Iustitia est sua cuiq; tribuere, sibi, & proximis, & Deo. ¶ Itẽ potest sumi prout attẽditur in inflictione pœnarũ. Vnde Ber. in Sermo. Alij, inquit, tã vehementer contra aliorũ delicta zelant, vt videri possent esurire & sitire iustitiã, si esset apud eos de suis quoq; peccatis idẽ iudiciũ. Sed nunc pondus, & pondus vtrunq; abominatio est apud Deũ. Nã contra alios tã impudenter quàm inaniter çstuãt, seipos tam insipiẽter quam inutiliter palpant. Esurię iustitię, intelligas non quęcunq; amorẽ iustitię, sed amorẽ valde intẽsum. Et notãdum, quòd opera bona cibus sunt animę. Virtutes enim quæ sunt quasi quædã membra animæ inde sustentantur, reficiuntur, augentur, roborantur. Io. 4. Meus cibus est, vt faciã volũtatẽ eius qui misit me. Ad virtutes pertinet illud Esaiæ 4. Panẽ nostrum comedemus. Ipsæ de labore suo viuunt, propriis enim operibus pascuntur, & sine illis deficiunt. Ideo recte dicitur esuries esse iustitiæ,

tiæ. Esuries enim est respectu nutrimenti & refectionis. Qui esuriunt & sitiunt iustitiam: id est, vitæ rectitudinem vel bonitatem, & in se, & in aliis beati sunt: quia satiabuntur in futuro adepto quod desiderant: vt dicit glo. interlin. Tunc enim nullus erit cum eis qui bonus non sit, & qui bene non agat. Item qui iustitiam secundo modo esuriunt, nunc saturabũtur. Totaliter enim viuent Deo: vnde se totaliter reddent Deo, à quo totaliter habẽt: & sic verè erunt iusti. Item qui esuriunt iustitiam tertio modo, tunc saturabuntur: quia tunc nullum malum relinquetur impunitum. Tunc enim implebitur illud Psal. Lætabitur iustus, quum viderit vindictam. ¶ Item qui esuriunt & sitiunt iustitiam, habent beatitudinem vitæ. Primo propter lætitiam quæ iustitiam comitatur. In Psalm. Iustitiæ domini rectæ lætificantes corda. Econtrario iniustitiam comitatur miseria, à qua miseria ipsi immunes sunt. Prou. 14. Miseros facit populos peccatum. Aug. in li. de libero arbitrio: Tanta est beatitudo iustitię, vt nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. Secundo, quia quanto habent maiorem esuriem iustitiæ, tanto habent maiorem lætitiam operando iustitiam. Prou. 13. Desiderium si compleatur, delectat animã. In eodem: Lignum vitæ desiderium veniens. Tertio, quia spiritualem sanitatem habent. Esuries enim iustitiæ attestatur spirituali sanitati: sicut rectitudo appetitus corporali sanitati. Quarto, quia esuriem iustitiæ sequitur abundantia bonorum operum: vnde multiplicatur lætitia annexa bono operi. Anima bonis operibus abundans, est sicut arbor benedicta habens fructuum abundantiam: anima vero sine bonis operibus, est vt arbor maledicta. Mat. 21. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: ait Dominus, maledicens ficui. Item anima abundans bonis operibus, est vt mulier quæ lætatur de multitudine filiorum: quæ verò est sine operibus, est vt mulier sterilis quæ se miseram reputat. 1. Reg. 1. Ait Anna quæ fuit sterilis: Mulier, inquit, infelix nimis ego sum. ¶ Et notandum quòd sicut mulieres steriles multum desiderant fructum: sic anima multum desiderare debet fructum bonorum operum. Exemplum primi desiderij habes in Rachele, Gene. 30. Da mihi, inquit, liberos, alioquin moriar. Exemplum secundi desiderij in Bern. dicente super Cant. Quàm mitius me priuares, ô amara mors, vitæ vsu quàm fructu: nam vita sine fructu grauior mors. Denique duo mala parantur arbori infructuosæ, securis & ignis. Famæ iustitiæ multi sancti mortui sunt mundo. Multi etiam mortui sunt morte corporali, quia pro illa morti se exposuerunt. Esurienda est iustitia vt thesaurus aliis

thesau

thesauris prævalens. Eccles. 29. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum. Alios thesauros relinquit homo cùm moritur. Sed hunc thesaurum secum defert. Non est cessandum à bonis operibus pro amico aliquo. Bona enim opera faciunt homini societatem in morte, cùm amici nolunt hoc facere. Apoca. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Bona opera hominem ornant & honorant in illa magna curia quæ erit cùm fiet vniuersale iudicium. In Psal. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato &c. Item bona opera in futura vita hominem pascunt. Prouer. vlti. Date illi de fructu manuum suarum. De iustitia require in tractatu de virtutibus cardinalibus, vbi habes specialem tractatum de ipsa. ¶ Aptatur autem esuries iustitiæ dono fortitudinis. Vnde interli. Esuries iustitiæ spiritu fortitudinis fulcitur, ne in via lasseſcat. Item gl. Hæc virtus sine spiritu fortitudinis non impletur: quia per eum esuriendo ad satietatem quandoque venimus. Aliqui verò ideo esuriem iustitiæ dono fortitudinis adaptant: quoniam de refectione & exercitio operum est robur virtutum. Posset tamen dici quoniam de fortitudine est ista esuries: sicut de fortitudine vis appetitiuæ corporalis est esuries corporalis, & de debilitatione fastidium. Et sicut de fortitudine bellica est esuries certaminum: sic de bono fortitudinis esuries iustitiæ in præsenti, quæ certamen habet. Iob 7. Militia est vita hominis super terram.

De misericordia. PARS IX.

SEquitur de Misericordia. De qua cõgruè post prædicta tangendum est: quia post prohibitionem cordis per paupertatem spiritus à bono quod infra nos est: & per mansuetudinem à malo, & post ablutionem cordis per lauacrum lacrymarum, necessaria est directio cordis ad verum bonum, ad quam pertinet esuries iustitiæ, & deinde ad malum, quod fit per misericordiã, qua malis proximi compatimur. Misericordes verò ideo beati sunt, quia literas patentes habent euangelij quod ipsi misericordiã cõsequẽtur. Misericordes alienam miseriam in præsenti per cõpassionem sibi assumunt: & ideo in futuro iure viciſsitudinis Christus eos à miseria liberabit. ¶ De Misericordia, require in tractatu Cardinalium virtutũ, vbi habetur specialis tractatus de ipsa. Ea verò quæ ponuntur ibi ad ipsius cõmendationem, valere possunt ad ostendẽdum misericordium beatitudinem. Adaptatur autẽ misericordia dono consilij. Vnde glossa, Misericordia eget spiritu cõsilij, sine quo nemo circunspecte miseretur. Initium est sui misereri, finis est pro alio mori. Ordo enim est miserendi, vt vnusq

vnusquisque incipiat à se. Finẽ Christus insinuat, pro peccatoribus mortuus est ex misericordia. Misericordiã specialiter consuluit. Veritas iuueni requirenti quid boni faceret, vt vitam æternam haberet: Si vis, inquit, perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Matthæi 19. ¶ Et notandum quòd verè misericors est, qui est misericors de suo. Bern. in Sermone: Sunt alij misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur quòd nõ datur hominibus abundãter: sic tamen vt nihil penitus eos grauet: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam. Si non possent de substantia terrena, de voluntate bona darent. His qui contra eos peccare fortè viderentur, indulgentiam darent. Dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, vt eorum mentes ad pœnitentiam prouocarent. Denique & his omnibus quos in peccato esse cognoscerẽt, cõpassionem impenderẽt & orationem: alioquin misericordia eorũ nulla est, & misericordiã consequuntur nullam.

De munditia cordis, & eius descriptione: de his quæ eam efficiunt vel custodiunt: quare etiam misericordes sint beati: vbi tangitur de his quæ faciunt ad commendationem munditiæ, de partibus eius, ac cui dono adaptetur. PARS X.

SEquitur de munditia cordis, de qua hoc modo dicetur. Primo ponentur eius descriptiones. Secundo, tangetur de his quæ munditiam efficiunt vel custodiunt. Tertio ostendetur quare mundi corde sint beati: vbi tagetur de his quæ pertinent ad commendationem munditiæ. Quarto, tangetur de partibus munditiæ. Quinto, ostendetur quod donum huic beatitudini adaptetur. ¶ Circa primum notandum quòd mũditia sic describitur: Munditia est vtriusque hominis integritas, diuini amoris intuitu obseruata. Potest etiam sic describi: Munditia est puritas animi, omnem abhorrens immunditiam. Bern. in epistolis dicit, quòd puritas cordis consistit in quærenda gloria Dei & vtilitate proximi. Et loquitur de puritate cordis respectu operum. Super illo verbo Matt. 5. Beati mundo corde, dicit interl. quos non arguit conscientia peccatorum.

¶ De his quæ efficiunt mundiciam.

CIRCA secundum notandum, quòd octo sunt quæ videntur valere ad munditiam efficiẽdam vel custodiendam. ¶ Primũ est, aqua sapientiæ salutaris. Multum valet ad munditiam quòd homo libenter audiat verbum Dei, vel quòd libenter studeat in scriptura sacra. Ioan. 14. Vos mũdi estis propter sermonẽ quem locutus sum vobis. Eiusdem 18. Sanctifica eos in veritate: sermo

tuus

tuus veritas est. Dupliciter valet sermo Dei ad mũditiam. Primo, quia ostendit maculas cordis: & secũdum hoc dicitur speculũ. Secũdo, quia dat aquã gratię. Prouerbio. 13. Doctrina bona dabit gratiam. Et figuratũ est per lauatoriũ, de quo legitur Exod. 38. quòd habebat specula exterius, in quibus ingredientes tabernaculũ immunditiã suã videre poterant, & intus aquã, vnde eam lauabant. Sapientiæ studiũ ad munditiã valet: quia tollit otiũ, quod est occasio immunditiæ. Bernar. Omniũ tẽtationũ & cogitationũ malarum & inutiliũ sentina est otium. Propterea generat castas affectiones. Vnde dicitur vinum germinãs virgines. Zacha. 9. id est, virginales affectiones. Bern. super Cant. Iurãs sapientia dũ sensum carnis infatuat, purificat intellectũ cordis, palatum sanat, & reparat. Sano palato sapit, iam bonũ sapit ipsa sapientia, qua in bonis nullũ melius. ¶ Secũdum est cõtritio cordis, ex qua est aqua lacrymarũ. Multũ valet ad mũditiã, quòd homo frequẽter se abluat cum aqua ista. Cui aquæ admiscendus est cinis: memoria scilicet propriæ mortis, vel tẽporalis, vel eternæ, vel etiã memoria Dominicæ mortis. Per hunc modũ fit lixiuia ad abluẽdũ valde efficax, in qua bonũ esset lauare quasi per singulas noctes linteamina illius lecti, in quo tantus hospes debet iacere, Deus scilicet. Hanc ablutionẽ nõ dedignabatur facere Dauid, licet rex esset: Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meũ. ¶ Tertiũ est frequẽs cõfessio. Confessione mũdãdum est templũ spirituale. Quod figuratum est. Mach. 4. vbi legitur, quòd Iudas mũdauit tẽplũ Gentibus inquinatũ. Iudas enim cõfitẽs interpretatur. Attẽdenda sunt verò verba quæ ibi dicit Iudas: Ecce, inquit, contriti sunt inimici nostri: ascendamus nũc mũdare sancta, & renouare. Cõtritio inimicorũ mũdationẽ Iudæ præcessit: sic contritio de peccatis quã ex auditu verbi diuini homo recipit, præcedit cõfessionẽ peccatorũ. In Psal. Facta est Iudæa sanctificatio eius. 4. Reg. 5. Vade, & lauare septies in Iordane. Septies in Iordane lauatur, qui humiliter septẽ criminalia peccata cõfitetur. Bern. in epistolis ad quandã virginẽ: Audi cui places, ama vnde places. Ama confessionẽ ob quam amaris: ama cõfessionẽ, si affectas: decorẽ. Cõfessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. In Psal. Cõfessionem & decorem induit. Cõfessio & pulchritudo in cõspectu eius. Re vera vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. ¶ Quartum est, vitæ austeritas tam in victu quam in vestitu. ¶ Sicut defricatio & abstersio cum panno aspero valere solet ad munditiam scyphi: sic vitæ austeritas valet ad mũditiam spiritualẽ. De hac asperitate habemus exẽplum in Ioanne Baptista, Matthæi 3. Ipse autem Ioã-

nes

nes habebat vestimentum de pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca antẽ eius erat locustæ & mel syluestre. ¶ Quintum est, eleemosynarum largitio. Lucæ 11. Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. ¶ Sextum est, oratio. Luc. 9. Facta est dum oraret species eius altera, & vestitus eius albus & refulgens. Munditia orando acquiritur. Ideo orat Psalm. Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum &c. Matth. 8. Domine, si vis, potes me mũdare. Orãdo etiã conseruatur. Machab. 13. Sancte sanctorum Domine, conserua in æternum domum istam impollutam, quæ nuper mundata est. ¶ Septimum est lima correptionis. Qui munditiã desiderat, correptionem non fugiat, sed appetat. Bern. in Sermonibus: Sunt qui peccata sua sic confitentur, vt videri possint ex desiderio cordis mundandi id agere: omnia enim in confessione lauãtur, nisi quòd ea quæ sponte dicunt aliis ab aliis patienter audire non possunt. Qui si verè mundari desiderarẽt, vt videtur, nõ irritarẽtur: sed haberent eis gratiã, qui suas illis maculas demõstrarẽt. Greg. Ille solus amicus meus erit, qui antę aduentum districtis iudicis maculas mentis meæ tergit. Sunt quidã infelices qui à lima correctionis, ex qua debuerunt contrahere munditiã, potius contrahunt rubiginẽ, dũ de correctione indignãtur, & deteriores fiunt. De tali potest dici illud Psalm. Destruxisti eum ab emundatione vel emendatione, id est, vnde debuit emundari vel emendari. ¶ Octauum est, ignis tribulationis, quo Deus purgat illos quos aurum & argentum reputat. Vnde gaudere debet homo, cùm vider se in igne tribulationis positum. Iac. 1. Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Ille qui in igne tribulationis per impatientiam exuritur, paleam se esse ostendit, non aurum vel argentum, Vnde multũ potest timere illud Matth. 3. Paleas autem comburet igni inextinguibili. Ambrosius super Beati immaculati. Sicut aurum bonum: ita ecclesia cùm vritur, detrimenta nõ sentit, sed magis fulgor eius augetur. ¶ Et notandum quòd in veteri lege fiebat triplex sanctificatio. ¶ Primo, per aquam expiationis, de qua Num. 30. ¶ Secundo, per sanguinem, ad Heb. 9. Omnia penè secundum legẽ in sanguine mundantur. Tertio vnctione, vt tabernaculum & vasa eius & Aaron cum filiis suis. Exod. 30. Possunt hæc referri ad triplicem baptismum, scilicet fluminis, qui propriè dicitur baptismus. Et baptismum sanguinis, quo beatus Mauritius cũ sociis suis baptizatus est. Et baptismum flaminis, scilicet Spiritussancti, quo saluantur illi qui non possunt habere baptismũ, sed credunt,

&

& conteruntur de peccatis suis: & libenter reciperent baptismũ, si possent habere. Vel in ablutione per aquam facta, intelligi potest sanctificatio, quæ fit per solam gratiam Dei: vt in paruulis qui baptizantur. In ablutione facta cum sangnine, intelligitur ablutio, quæ fit per pœnitentiam, quæ est quædam carnis mortificatio & crucifixio. ad Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & cõcupiscentiis: per sanctificationem verò vnctione factam significatur sanctificatio, que fit per augmentum gratiæ, & sanctificatio specialiter quæ fit in ministris ecclesiæ. Sicut enim mundius seruanda sunt calix & alia vasa ecclesiæ, quàm vasa cõmunia: sic ministri ecclesiæ maioris mũditiæ debent esse, quàm laici. Exod. 30. eadem vnctione iubẽtur sanctificari Aaron & filij eius, & vasa tabernaculi. In ecclesia etiam ministri ecclesiæ habent quoddam speciale sacramentum, scilicet sacramentum ordinis, quo excellentius cæteris sanctificentur. ¶ Et notandum quòd ea quæ intrabant vnctionem illam, insinuant quomodo ministri ecclesiæ debent sanctificari. ¶ Primum erat myrrha, prima & electa. Sic dicitur myrrha illa quæ sponte manat ab arbore, & est pretiosior, quàm illa quæ eiicitur per incisionem corticis, & signat mortificationem carnis quæ fit in iuuentute quæ Deo est gratior & homini vtilior. Prius myrrha pœnitentiæ condienda est quàm vermibus vitiorum cõputruerit. ¶ Mira est fatuitas aliquorum, qui myrrha ista nolunt se inungere donec toti computruerint vermibus vitiorum. ¶ Secũdum erat, cinnamomum, quod est cinerei coloris, quod cùm frangitur, in modum nebulæ spiramentum visibile emittit: vt dicit glossa super Exod. 30. Et signat humilitatem ministrorũ ecclesiæ, quæ talis debet esse, vt populum visibiliter ædificet, cum debeat esse exemplaris. ¶ Tertium erat, casia, quæ crescit in aquis, & significat fidem quæ in aquis Sacræ scripturæ crescit: & sic tenenda est vt accipitur ex aquis Sacræ scripturæ. Non enim debet homo sequi rationẽ suam in iis quæ fidei sunt. ¶ Quartum erat, calamus. Et dicit gl. Exo. 30. quòd est arbor aromatica crescens iuxta Libanum. Et super illud Ezec. 27. Calamus in negotiatione tua. dicit glo. quòd in calamo vocalis sonus significatur. Vnde per calamum intelligitur deuotio ecclesiastici officij, cõ quòd calamo canitur. Quod multum cõsolatur & ædificat populum Dei. Iis quatuor speciebus ad miscebatur oleum de oliuetis, per quod significatur pietas, cui quatuor prædicta debent deseruire. Minister ecclesiæ pietati se totum debet dare vt sit vir misericordiæ. Exemplum habemus de hoc in oculo qui tener

tenerior & compassibilior est cæteris membris & lacrymis propinquus. Idem debet esse in clero, qui est quasi oculus ecclesiæ. Item de hoc exemplum habetur in Christo, qui totus fuit misericors. Misericordia eum traxit de cælo. Ipsa eũ per vias asperas huius vitæ duxit, pro redemptione miserorum eum vendidit, & morti crucis eum exposuit. Si ministri ecclesię essent ipsius misericordiæ in præsenti, vix essent aliqui quin saluarentur. Misericordia enim iure vicissitudinis eorum esset in futuro. Mortificatio carnis tunc seruit pietati, quando quod ori subtrahitur, pauperibus datur. Humilitas, quando in propriis vestibus parum expenditur, vt in pauperibus vestiendis multum expendatur. Fides, cùm aliquis frequẽter meditatur, pauperem esse membrum Christi vel filium Dei. vel quòd Christus sibi reputat fieri, quod pauperi fit, & alia quæ sunt fidei quæ pietatem incitant. Doctrina fidei pietati seruit, cùm doctor intendit iis quæ ecclesiam ædificant. Glossa super 1. ad Corint. 8. Hic Deum diligit, qui charitatis causa scientiam temperat, vt prosit fratri pro quo Christus mortuus est. Ecclesiasticum etiã officium pietati debet seruire, vt ministri ecclesiæ studeãt subuenire animabus quæ in præsenti pereunt, & illis qui in purgatorio cruciãtur. ¶ Item notandum quòd ministros ecclesiæ maximè decet munditia, & maximè in eis indecens est immunditia seu macula, quinque de causis. ¶ Prima est, quia ipsi sunt oculi ecclesiæ. In Psalm. Oculi mei languerunt præ inopia. Præ inopia, in quam luminis. Exponit hoc gl. de Apostolis qui fuerunt maiores ministri Christi. Macula in oculo maximè est noxia. Macula in cæteris membris etsi ea deturpet, tamẽ non reddit ea inutilia: possunt enim exercere officia sua. Multi maculatis pedibus rectè incedunt. Macula verò in oculo eũ inutilem reddit. Etiã modicum puluerис visum oculi impedit. Greg. Nequaquam in membro maculam purè cõsiderat oculus quem puluis grauat. ¶ Secunda, quia sunt, vt speculum ecclesiæ. Laici enim multum ad eos inspiciunt. Vnde satis possunt dicere illud 1. ad Cor. 1. Spectaculum facti sumus mundo. Sicut de Christo dicitur Sap. 7. quòd est speculum sine macula: ita pro possibilitate sua ipsi deberent esse speculum sine macula, in quo purè resplenderet Christi imago. Si macula fuerit in speculo, illam videt qui in eo faciem videre quærebat: sic si macula fuerit in ministris ecclesiæ, ad illam respiciet populus, & secundum eam se maculabit. Minister ecclesiæ debet dicere illud 1. ad Cor. tertio: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi. ¶ Tertia, quia sunt vasa electionis regi regum, & domino dominantium. Modica macula in scy-

pho vinum infusum abominabile reddit & inutile, quantum ad potum regis: sic sapientia in multis propter maculam vitæ abominabilis redditur Deo & hominibus. Greg. Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. De vno vase electionis habes Actu. nono: Vas, inquit, electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Vasa verò electionis hodie in vasa communia sunt mutata. Osee 8. Factus est Israël in nationibus quasi vas immundum. Iudæi immundum commune dicebant. Huius immūditiæ in magna parte est negligentia circa custodiam oris. Num. 19. Vas quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit. ¶ Quarta, quia habent mundare alios, ideo oportet eos esse mundos. Ecc. 34. Ab immundo quid mundabitur? Sicut non est calidi frigefacere, nec frigidi calefacere: ita non videtur immundi mundare. Greg. Superiectas sordes tergere non valet manus quæ lutum tenet. Neemiæ duodecimo. Mundati sunt, sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum. 1. Macha. 4. Elegit Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt sancta. ¶ Quinta, quia ministri sunt Altissimi: ideo sicut ipse immaculatus est, oportet eos esse immaculatos. In Psal. Ero immaculatus cum eo, &c. Item: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. ad Ephe. 1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.

¶ Quare mundi corde, sint beati.

Circa tertium notandum, quòd prima & maxima causa, quare mundi corde sunt beati, est illa, quā dominus tangit, Quoniam ipsi Deum videbunt. In futuro videbunt eum facie ad faciem, in quo erit maxima delectatio. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et super illud Psal. Ostendam illi salutare meum. dicit gl. id est, Christum in maiestate. Et subditur: Hęc visio est tota merces. In præsenti etiam videtur Deus à mūdis corde, eo modo quo prius ostensum est quarta parte, in tractatu de contemplatione. Bernar. Pura veritas non nisi puro corde videtur. Ad Heb. 12. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Mundi corde non solum sunt beati beatitudine spei, sed etiam beatitudine viæ, quia liberi à miseria immunditiæ, quæ magna est. In Psal. Beati immaculati in via. Apocap. 12. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni.

¶ De iis quæ faciunt ad commendationem munditiæ.

Et notandum quòd duodecim sunt quæ faciūt ad commendationem mūditiæ cordis. ¶ Primum est multiplex exhortatio, quam scriptura sacra facit ad mūditiam vel mūdationem. Leuit. 11. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Item eiusdē 19. & 20. Item Deut. 18. Perfectus eris absque macula cū Deo tuo. Eccle. 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. 2. Pet. 3. Satagite immaculati & inuiolati inueniri. Esa. 1. Lauamini, mūdi estote. Hie. 4. Laua à malitia cor tuum Ierusalem. Esa. 3. Mūdamini qui fertis vasa domini. ¶ Secundū est, quòd ipsa est naturalis animæ. Bern. in Sermon. Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas. ¶ Tertium est, quòd gaudium habet sibi adeò annexum, quòd ipsa vocatur gaudium. vnde super illud, ad Galat. 5. Fructus spiritus est charitas. gaudium dicit Glos. id est, puritas animi. ¶ Quartum est, purgatio quam naturaliter faciunt creaturæ irrationabiles, & etiam insensibiles, quasi exosam haberent immūditiam. Purgat se mare, mortuos ad litus expellens, purgat se vinum, purgat se etiam quod decoquitur. Corpora etiam animaliū vim expulsiuam habent, qua noxia à se expellūt. ¶ Quintum est, detestatio sui oppositi, scilicet immunditiæ peccati. ¶ Et notandum, quòd quinque sunt ex quibus intelligi potest, quàm timenda sit immunditia peccati. ¶ Primum est, dignitas rei quam peccatum inquinat. Panno pretiosiori magis timemus inquinationem, etiam anima quę per peccatū inquinatur, imago Dei est, & vnita diuinæ naturæ in persona Christi. Quid diceretur de illo qui imaginem Crucifixi, vel beatæ Virginis in lutum proiiceret, vel crucem, quæ corpus Christi tetigit paucis horis? ¶ Secundum est, difficultas recędendi, quæ patet in Lucifero, à quo immundicia peccati separari non potuit ex quo ei adhæsit. Item ex quo homo peccauit, nullus purus homo à peccato perfectè purgatus est, vt dignus esset videre faciem Dei: donec Christi sanguis effusus est, quo illa purificatio perfecta est. Præterea immūditia vnius mortalis peccati non potest ablui, tota aqua quæ sub cælo est, nisi aqua gratiæ desursum descendat, quæ cor abluat. ¶ Tertium est, huius immūditiæ vilitas, quod patet per hoc, quòd dominus immunditiam corporalem non reputat comparatione immunditiæ spiritualis. Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Hæc immunditia pulcherrimam creaturam, scilicet Luciferum ita deturpauit: & quū esset in tam sublimi statu, adeò eum vilificauit, vt serpentibus & bufonibus inferior videatur esse in hoc, quòd bonū ei esset, si nūquam fuisset. Vilitatem huius immunditiæ ostendit Dauid,

dices: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. ¶ Quartum est hoc, quòd Deus nō habet adeò bonum amicum quem non odiret ad mortem etiam æternam propter maculā vnius mortalis peccati. Eccl. 12. Altissimus hodio habet peccatores. ¶ Quintum est, ꝙ macula hæc adeò deturpat rem in quā cadit & deteriorat, ꝙ nisi vitute diuina remoueatur, perdita est, & melius esset ei nihil esse quàm sic esse. ¶ Sextum faciens ad cōmendationem munditiæ est, quòd ipsa multum placet Deo. 1. ad Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. ¶ Signa huius placentiæ multa sunt. ¶ Primum est hoc, quòd ipse filius Dei dignatus est humiliare se ad mundationē hanc faciendā. ad Heb. 1. Qui quū sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portánsq; omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorū faciens, &c. ¶ Secundum est, quòd ipse discessurus à discipulis suis documentum dedit eis de hac mūdatione. Ioan. 13. Si ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Ablutio illa, figura erat spiritualis ablutionis, qua volebat eos abluere se inuicem. ¶ Tertium est, quòd cum tantis expensis voluit facere hanc mundationem. Voluit enim nos mundare sanguine suo. ad Tit. 2. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. ad Hebr. 13. Vt sanctificaret populum suum, extra portam passus est. Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Pro mundatione mundi fecit Deus diluuium in mundo isto. Gene. 7. Et ante diem iudicij præcedet ignis, qui comburet faciem mundi, qui ascendet tantum quātum aquæ diluuij ad purgandum mundum. ¶ Quartum est, quòd voluit septem sacramenta esse in ecclesia Dei: quę omnia sunt vel ad sanctitatem faciendam, vel constituendam, vel augēdam. ¶ Quintum est, quòd Deus mundos corde in sui societate recipit, & in præsenti, & in futuro. In Psal. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Et respondetur, Qui ingreditur sine macula. Ioan. 13. Si non lauero te, non habebis partem mecum. 1. Ioan. 3. Omnis qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est. Apoc. 3. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum. Eiusdem 21. dicitur de ciuitate cælesti: Nō intrabit, in eam aliquid coinquinatum. ¶ Sextū est, quòd mundis corde abundanter dat Deus bona sua. Iob 17. Mundis manibus addet Deus fortitudinem. ¶ Septimum faciens ad commendationem mūditiæ est, quòd ipsa cor hominis Dei habitaculum facit. Aug. Munda tantum cubiculum cordis: intus est qui exaudiat. 1. Para

Paralyp. 19. Opus grande est: non homini paratur habitatio, sed Deo. ¶ Octauum est, ꝙ pinguedinem deuotionis recipit. In Psal. Pinguescent speciosa deserti. ¶ Nonum est, quòd amicum Dei constituit. ¶ Decimum est, quòd gratiam labiorum tribuit. Quæ duo tanguntur Prou. 22. Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, amicum habebit regem. ¶ Vndecimum est, quòd radix est totius munditiæ. Ad munditiam enim interiorem sequitur exterior munditia. Ad Roma. 11. Si radix est sancta, & rami. ¶ Duodecimum est, quòd ad Dei manifestam visionem perducit. Matt. 5. Beati mundo corde, &c.

¶ De partibus munditiæ.

CIRCA quartum notandum quòd est munditia ficta, & est munditia vera. Ficta mūditia est immūditia superficialis: vt mūditia Phariſæorum, de qua Matt. 23. Væ vobis scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia. Et subditur: Phariſæe, cæce, mūda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat & id quod foris est mundum. De ficta munditia tangitur Prou. 30. Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. ¶ Munditia vera est puritas cordis. Et diuiditur in munditiam intellectus, & munditiam affectus. Bernard. in Sermonibus. Duo, inquit, sunt, quæ in nobis purganda sunt: intellectus & affectus. Intellectus vt nouerit, affectus vt velit. Intellectus purgādus est à tribus, scilicet à falsis, ab otiosis & vitiosis. Falsitas intellectū obtenebrat. Otiosa eum impediunt. Abusio enim intellectus est, quum occupatur circa inutilia. Omnis autem potentia sui abusione præpeditur: vitiosā verò eum coinquinant. Item purgandus est intellectus vt oculus animæ à macula, quæ intelligi potest prudentia carnis, vel opinio propriæ munditiæ. Item à superaffluente humore, scilicet ab importunitate mundanæ solicitudinis. Affectus verò mundandus est à superaspersione, & infectione, & admistione sordium. Superaspersio in primis motibus, infectio in desiderio morosō admisto in amore. Amor enim est quædam admistio, siue vbio amantis ad amatum. Item affectus purgandus est à terrenitate, scilicet ab amore diuitiarum; & à crassitudine deliciarum, & rubigine iræ vel odij, vel alterius malitiæ: Item purgandus est affectus à macula quæ est ex inordinato appetitu boni; & à macula quæ est ex inordinato appetitu mali, & à macula quæ est ex inordinato appetitu amborum. Prima macula est, vt macula luxuriæ vel auaritiæ. Secunda est, macula malitiæ. Tertia est, macula superbiæ.

Superbus appetit alienum malum propter proprium bonum, vt proximi deiectionem propter sui exaltationem. Ipse vult facere de fratre suo scabellum pedum suorũ, vt sic altior appareat. Mũditia à macula malitiæ nihil aliud videtur esse quàm innocẽtia, quæ sic describitur: Innocentia est puritas animi omnem iniurię illationem abhorrens. Item notãdum, quòd cor mundãdum est vt speculũ, vt sic Deo inspectori faciem suã puram reddat. Abluẽdum est hoc speculum lauacro lachrymarum. Mundandum est tersione, quæ est cõfessio, & oratio pro venialibus & defricatione quæ fit vitæ asperitate. ¶ Item mundandum est cor, vt vas cui balsamum cælestis sapientiæ debet infundi. ¶ Munditia cordis adaptatur dono intellectus. ¶ Circa quartum notãdum, quòd mũditia cordis dono intellectus adaptatur. Facit enim munditia cordis ad intelligentiam, sicut puritas, & claritas pupillæ facit ad visionem oculi, & munditia speculi ad speculationem faciei, & munditia vasis ad hoc, quòd pretiosus liquor ei infundatur. Gl. super Mat. 5. facit adaptionem, his verbis: Spiritus intelligentiæ huic gradui adaptatur: quia intellectus mentis oculus est, & expletio mandatorum Dei aperit intellectum.

De Pace, & eius descriptione, de commendatione Pacis, de iis quæ ad pacem habendam valere possunt, de iis quæ paci aduersantur, & de diuisionibus ad pacem pertinentibus, qui sint pacifici, & quare sint beati, ac cui dono hæc beatitudo adaptetur.

PARS XI.

SEquitur de gratia, quæ cõmendatur nobis in illo verbo, Beati pacifici &c. De qua hoc modo agetur. ¶ Primò descriptione tangetur de iis quæ ad pacem habẽdam valere possunt. ¶ Tertiò, de iis, quæ paci aduersantur. ¶ Quartò, ponentur diuisiones ad pacem pertinentes. ¶ Sextò, ostendetur qui sint pacifici. ¶ Septimò, quare pacifici sint beati. ¶ Octauò, quod donum huic beatitudini aptetur. ¶ Pax sic describitur: Pax est concordantium in bono mentium ordinata tranquillitas. August. 9. lib. de Ciuitate Dei, multas ponit descriptiones particulares pacis, his verbis: Pax, inquit, corporis, est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita, & salus animãtis. Pax hominis mortalis & Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax cælestis ciuitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & inuicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Et subdit descriptionẽ ordinis: Ordo, inquit, est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Ad pacem generaliter pertinere videtur carentia repugnantiũ. Vnde dicit gl. super Matt. 5. Vera pax est, vbi nihil repugnat. Aug. 19. lib. de Ciui. Dei: Quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? quod quum factum fuerit, pax erit.

¶ De commendatione Pacis.

CIRCA secundum notandum, quòd 12. sunt quæ ad pacis commendationem pertinere videntur. ¶ Primũ est naturale desiderium pacis, quod inest omnibus. De quo Aug. 19. lib. de Ciui. Dei: Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacẽ habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt. Ad gloriosam ergo pacem bellãdo cupiũt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? quod cũ factum fuerit, pax erit. Idem in eodem, Superbus peruerse imitatur Deum: odit nãque cum sociis equalitatem sub illo: sed imponere vult sociis dominationem suã pro illo. Odit ergo iustam pacem Dei, & amat iniquã pacem suam. Non amare tamen qualẽcunque pacem, nullo modo potest. Nullius quippe vitium contra naturã est, vt naturæ deleat extrema vestigia. Secundum est, multiplex exortatio ad pacem, quæ nobis fit. Ad pacem monuit nos multitudo angelorũ nato Domino, dicens: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus. Lucæ 2. Ad hanc voluit Christus apostolos monere illos, in quorum domũ intrarent. Matthæi 10. Intrantes domum salutate eam, dicentes, Pax huic domui. Et Lucæ 10. dictum est discipulis: In quamcunque domum intraueritis, primũ dicite, Pax huic domui. Ad pacẽ etiã monuit Christus Io. 20. in duobus locis. Tota doctrina eius ad pacem videtur fuisse. Vnde super illud Ioan. 16. Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis, dicit gloss. Non solum quæ in cœna, sed quæ ab initio, & maximè quę in cœna hac de causa dicit dicta, vt in illo pacem haberent. Ad idem debet esse doctrina ecclesiæ. Columba ramum olivæ portat in ore suo. Genes. 8. Oliua signum est pacis: columba signũ est Spiritussancti. In hoc ergo signatum est, quòd viri spirituales debent portare in ore pacem, vt ad ea quæ pacis sunt, admoneant. Ad pacem monet Apostolus ad Romanos 14. Quę pacis sunt sectamini, &c. Eiusdẽ 12. Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pa-

cem habentes.2.ad Cor.4.Pacem habete.ad Ephe.4.Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.ad Hebræ.12. Pacem sequimini cum omnibus. ¶ Tertium est,frequens oratio quam sancti pro pace faciunt,& ab aliis fieri volunt.Nume.6.Conuertat Deus vultum suum ad te, & det tibi pacem.Iere.29. Quærite pacem ciuitatis, &c.In Psal. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.2.Macha.1.Adaperiat Dominus cor vestrum, &c.& faciat pacem. Paulus ferè in singulis epistolis suis pacem optat iis quibus scribit.Similiter Petrus in suis epistolis. ¶ Quartū est, quòd pax est verum bonum amicorum Dei. Vnde super illud, Pax super Israël.dicit Gl.Vno verbo omnia bona dicit: qui pacem non habet, infelix est.in Psal. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.Pacem specialiter reliquit Christus discipulis suis recessurus ab eis.Ioan.14.Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.ad Heb.4. Relinquitur sabbatismus populo Dei. Solent homines morituri aliquâ relinquere dilectis suis,& magis dilectis meliora.In hoc ergo,quòd pacem Christus reliquit apostolis sibi dilectissimis, monstrauit pacem optimam esse:Multum dolere deberet qui se videt exhæredatum ab eo,quod Christus specialiter fidelibus legauit.3.Reg.21.dicit Naboth ad Achab:Propitius sit mihi Dominus,ne dem hæreditatem patrum meorum, nec voluit aliquo modo vineâ quam habebat is hæreditariè commutare.Pacem comitatur gaudium.Prou.12. Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium. ¶ Quintum est, quòd pax finis videtur esse omnium, etiam sui contrarij. Aug. Tantum bonum est pax, vt etiam suo contrario quæratur. Idem:Constat pacem belli esse optabilem finem. Omnis homo etiâ belligerãdo pacem requirit. ¶ Sextū est, q̃ pax enumeratur inter fructus spiritus.Gala.5.Fructus autẽ spiritus, sunt charitas, gaudiũ,pax.Charitate diliguntur quæ sunt diligenda, & odiuntur quæ sunt odio habẽda.Si assint quæ diligũtur,est gaudium:si absint quæ odiũtur,est pax. ¶ Septimũ est, q̃ pax est specialis locus Dei.Psal.In pace factus est locus eius.Ad hoc signandũ,templum Salomonis in pace factũ est.3.Reg.5.Nũc requiẽ dedit Dominus Deus mihi per circuitũ,& non est satan, neque occursus malus.Quãobrem cogito ædificare tẽplum nomini Dei mei.Ad idem ostendendũ noluit filius Dei nosci in mundo isto, donec vniuersus orbis pacatus fuit,& durauit pax illa 12.annis.2.ad Corin.vlt.Pacẽ habete, & Dominus pacis erit vobiscũ.1.ad Cor.4. Nõ est Deus dissensionis, sed pacis. Deus est pacis quasi possessiue:quia vbi pax,ibi Deus. ¶ Octauum est, quòd Deus ita carè pacem

cem emere voluit.Chrys. Pro pace loquimur pro qua Dei filius passus est, propter quam crucifixus est & sepultus, quam nobis pro omni censu hæreditatis reliquit. Voluit Dei filius mori, vt nos reconciliaret Deo patri.Voluit quasi matrimonium contrahere cum sorore nostra, scilicet cum humana natura, vt pax in mundo reformaretur. Adhuc etiam pacem peccatorum paratus est emere regno cælorum.Væ illis qui tam honorabilem pacem recusant. Nonũ est, q̃ pax mũdissima est: mundat enim aquam mũdantẽ cætera.Si aqua turbata in pace dimittatur, clara efficitur. ¶ Decimũ est,quòd clarè videre facit. Aqua turbata nõ reddit imagines,vt ait Gregorius,sic cor turbatũ,non clarè videt.In Vitis patrũ tres studiosè diligẽtes se,facti sunt monachi. Quorũ vnus elegit litigantes ad pacẽ reducere.Alius visitare infirmos. Tertius abiit quiescere in solitudine.Primus laborans circa lites hominũ nõ valẽs eas sedare, tædio victus venit ad eũ qui seruiebat infirmis,& inuenit eũ animo deficientem.Qui de communi consensu abierunt tertium videre in eremo, dicentes ei tribulationes suas,& rogantes vt eis diceret statum suum: qui reticens paululũ,misit aquam in scyphũ,dicens eis: Attendite in aquam: & erat turbulenta.Et postmodicũ dixit eis: Attendite quomodo limpida facta est.Et cùm intenderent in eã,viderunt vultus suos tanquam in speculo.Et tunc dicit eis.Sic est qui in medio hominum consistit,non enim videt peccata sua. Cùm autem quieuerit,& maximè in solitudine,tunc peccata sua conspicit. ¶ Vndecimum est,quòd pax præsens arra est futuræ pacis. Esa.vlt. Erit sabbatum ex sabbato. ¶ Duodecimum est,quòd pax grata est, & Deo & hominibus. Eccle.25. In tribus beneplacitum est spiritui meo;quæ sunt probata coram Deo & hominibus,Cõcordia fratrum;amor proximorũ, & vir & mulier sibi bene consentientes.

¶ De his quæ valent ad pacem habendam.

Circa tertiũ notandum quòd duodecim sunt quæ ad pacẽ habendã valere possunt. ¶ Primũ est, amor pacis. Non enim dat Deus tantũ bonum illud contẽnenti, sed cum desiderio magno quærenti.In Psal.Inquire pacẽ,& persequere eã. Hoc est contra quosdam qui pacẽ oblatã reciperent, sed eam primo nõ quærerent.Hi non videntur intelligere pacẽ hæreditatẽ esse Christianorũ.Si enim se agnoscerent exhæredatos ab eo quod Christus eis legauit,nõ expectarent quòd alius eos incitaret ad hæreditatem eorum recuperandam.ad Heb.12. Pacẽ sequimini cũ omnibus.Ad Ro.14.Quæ pacis sunt, sectamini inuicem & in omnes. ¶ Secundũ est,vt à peccato nos remoueamus, & ab eo pro posse

caueamus. Non potest enim veram pacem habere qui male viuit. Prou. 16. Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. August. 19. lib. de Ciuitate Dei, Pacem, inquit, iniquorum in comparatione pacis iustorum, ille videt nec pacem esse dicendam, qui nouit præponere recta prauis, & ordinata peruersis. Sapient. 14. Magna mala pacem appellant. Esa. 48. Non est pax impiis, dicit Dominus. Quomodo pax vera est illi qui guerram habet cum omnipotẽte, cui iustitia Dei gladium euaginatũ tenet super caput, qui in domo propriæ conscientiæ litem habet, cui omnia nocent & bona & mala? Sicut enim bonis bona & mala cooperantur in bonũ: ita & malis bona & mala cooperãtur in malũ. Quomodo verã pacẽ habet qui iacet in spinis vitiorũ, quem vermis cõscientiæ mordet, qui onus diaboli continuè portat, qui iacet in immunditia quam nobilitas animi naturaliter refugit? ¶ Tertium est, quòd voluntatem nostram diuinæ voluntati studeamus cõformare. Luc. 2. Pax hominibus bonæ voluntatis. Quomodo pacem potest habere qui ei resistit, cui nequit præualere? Iob 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? Voluntati illius cui placent ea quæ placent Deo, nihil repugnat, sicut neque voluntati diuinæ: ideo pacem habet. Augustas animi naturaliter refugit? ¶ Tertium est, quòd voluntatem nostram diuinæ voluntati studeamus cõformare. Luc. 2. Pax hominibus bonæ voluntatis. Quomodo pacem potest habere qui ei resistit, cui nequit præualere? Iob 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? Voluntati illius cui placent ea quæ placent Deo, nihil repugnat, sicut neque voluntati diuinæ: ideo pacem habet. Augustinus. Qui iugo Christi subiectus est, subiecta habet cætera, & non laborat: quia non resistit quod subiectum est. ¶ Quartum est, frequentatio humilis confessionis. Esa. 57. Creaui fructum labiorum pacem. secundi Regum 12. Peccaui Domino, ait Dauid. Dixitque Nathan ad eum: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. ¶ Quintum est, districtio iustitiæ. Esaiæ 32. Erit opus iustitiæ pax. In Psalm. Iustitia & pax osculatæ sunt. Esai. 60. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. ¶ Sextum est, terrenorum contemptus. Non enim potest habere veram pacem, qui continuè sequitur quod non potest consequi. Ecclesiastic. 34. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Gregor. Quid quietius, quàm nihil in hoc mundo appetere? quid laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? Hinc est, quod Israel sabbatum accepit in munere. Ægyptus percutitur muscarum multitudine. ¶ Septimum est, mansuetudo. In Psalm. Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Homo immansuetus & impatiens qui aduersa fugit, quæ si effugit, non potest habere veram pacem: sed qui aduersa amplectuntur, tanquam pretiosa & salubria exemplo Christi, qui quod carni molestius erat, elegit, secundum Bernar. Qui proposito sibi

sibi gaudio sustinuit crucem. Ad Hebr. 12. ¶ Octauum est, moderata occupatio. Otiosus veram pacem non potest habere. Inertia enim est impatiens sui, vt ait Seneca. Prouerbiorum 21. Desideria occidunt pigrum, noluerunt quicquam manus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat. Item nimia occupatio aufert pacem. Marthæ enim turbatur erga plurima. Lucæ 10. Exod. 18. Stulto labore consumeris: ait Iethro ad Moysen. Et subditur: Vltra vires tuas est negotium. glossa Augustin. Vbi mihi videtur significari nimis internum humanis actibus animum Deo quoddammodo vacuari, quo sit tanto plenior, quanto in superna & æterna liberius extenditur. ¶ Nonum est, quòd homo non se intromittat de impertinentibus ad se. Dilatatio enim solet habere scissuram: vt dicit beatus Bernardus. Prouerbiorum 18. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. De dilatatione reprehenditur Petrus, Ioann. vltimo, à Domino dicente sibi: Quid ad te? tu me sequere. Et discipuli, actuum 1. Non est vestrum, inquit, nosse tempora vel momenta, &c. ¶ Decimum est, amor sacræ scripturæ. In Psalm. Pax multa diligentibus legem tuam. Luc. 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica. Sicut sacra scriptura hominem reddit pudicũ ita eũ in pace custodit. Et sicut pisces in aqua quiescit, extra aquã verò palpitat. Tob. 5. Sic cor humanũ in aqua sapientiæ salutaris quiescit: extra verò inquietatur. ¶ Vndecimũ est, frequẽtatio orationis, in qua Spiritus sancti gratia hauritur in quo solo est pax vera. Vnde pax numeratur inter fructus spiritus. Ad Galat. 5 ad Romanos 14. Sed iustitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu sancto. Iob 8. Si diluculo cõsurrexeris ad Deũ, & Omnipotẽtẽ fueris deprecatus, si mũdus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatũ reddet habitaculũ iustitiæ tuæ. ¶ Duodecimũ est si sensus tuos diligenter custodias. Eccle. 28. Ori. tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Esa. 26. Claude ostia tua super te. Discipuli ostia habebant clausa, quando Dominus dixit eis: Pax vobis. Ioan. 20.

¶ *De his quæ aduersantur paci.*

Circa quartum notandum, quòd paci videntur aduersari bellum, & lites, & tumultus interiores, & exteriores, & inquietudo secundum locum. Inquietudo etiam voluntatis fugientis malum vel præsens vel futurum, vel sequentis bonum, & non consequentis, timor mali futuri, & dolor de malo præsenti pacem perturbant. In Psalm. Non est pax ossibus meis à facie iræ tuæ, à facie peccatorum meorũ. Item molestia quam aliquis in vitiis sustinet, pacem turbat. Eccles. 33. Præcordia fatui, quasi tota carri.

Fatuus

Fatuus qui in murmure est, de hoc quod sustinet sicut rota carri murmurat: vnde non est in pace. Item non est in pace qui transitoria ista fugacia appetit. Appetitio enim illa quædam spiritualis motio est. Vnde Augusti. Pacem animæ irrationalis dixit esse ordinatam requiem appetitionum, vt prius habitum est.

¶ *De diuisione pacis.*

CIRCA quintum notandum quòd triplex est pax, scilicet temporis, pectoris, & æternitatis. De prima legitur 4. Regum 20. Sit tantum pax & veritas in diebus meis. In Psalm. Zelauit super iniquos, pacem peccatorum videns. Esaiæ 47. Vtinam attendisses ad mãdata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. Baruch 3. Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram. August. 19. lib. De Ciuitate Dei: Tantum est pacis bonum, vt etiã in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri. ¶ De pace pectoris, Ioan. 14. Pacem relinquo vobis. De pace æternitatis, Esaiæ 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. In Ps. Qui posuit fines tuos pacem: ad Philippen. 4. Pax Dei quæ exuperat omnẽ sensum, custodiat corda vestra. Glo. 1. Deus qui est summa pax, quæ nec cogitari potest: & ideo extra eum nullo opus est. Custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu. id est, voluntates & intellectus vestros, vt extra ipsum nihil intelligãtis vel appetatis. Gregorius: Quid est pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo dementius esse potest, quàm vestigia impressa pulueri diligere, sed ipsum à quo impressa sunt non amare? ¶ Item notandum quòd est pax bona, & est pax mala. De bona iam dictum est. Pax verò mala est triplex, scilicet inordinata, simulata, inquinata. Inordinata est, quum superior obedit inferiori: vt ratio sensualitati, vel prælatus subdito. Prouerbiorũ penultimi. Per tria mouetur terra, & quartum sustinere non potest. Per seruum, quum regnare cœperit. Eiusdem 19. Non decet seruum dominari principibus. Pax ista deterior est quàm guerra. Hanc pacem seruauit Adam potius obediens vxori, quàm Deo. Genes. 3. Quia audisti vocem vxoris tuæ &c. maledicta terra in opere tuo. Pax simulata fuit pax Iudæ. Lucæ 22. Iuda, osculo Filium hominis tradis? Et 2. Regum 20. dixit Ioab ad Amasam: Salue mi frater. & tenens manu dextera mentum Amasę, percussit eum in latere, & effudit intestina eius. In Psalm. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Ierem. 9. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Pax inquinata,

quinata, est eorum qui sunt in malo concordes: vt Pilatus & Herodes in morte Christi pacificati sunt. Lucæ 23. Matth. 10. Nolite arbitrari quòd venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Gregor. in sexta parte Moralium. Sicut esse noxium solet, si vnitas desit bonis: ita perniciosum est, si non desit malis. Idem: Peruersos quippe vnitas corroborat, Deum concordat, & tanto magis robustos quanto vnanimes facit. ¶ Item notandum quòd distinguitur quadruplex bellum, scilicet inter carnem & spiritũ, inter hominem & Deum, inter hominem & angelum, inter hominem & hominem. Et econtrario quadruplex pax. Pacem inter carnem & spiritum facit subiectio carnis ad spiritum. Gen. 13. dictum est Agar ancillæ Saræ: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius. Secundam pacem facit iustitia ex parte nostra, & misericordia ex parte Dei. In Psal. Misericordia & veritas obuiauerũt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Tertiam pacem fecit incarnatio filij Dei. Reconciliati enim sunt angeli homini, quum agnouerunt humanam naturam associatam diuinæ naturæ in vna persona. Esaiæ 57. Creaui fructum labiorum pacem. Pacem ei qui longe, id est homini: & pacem ei qui propè est, id est angelo. Pacem vocat fructum labiorum: quia prædicta erat per prophetas. Item quia orationibus erat impetrata. Vltimam pacem facit patientia, vel mansuetudo. ad Roma. 12. Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habẽtes, nõ vosmetipsos defendentes charissimi. Greg. in Pastoral. Lex Christi est charitas vnitatis. Quã soli perficiunt, qui nec quum grauãtur excedũt.

¶ *Qui sint pacifici.*

CIRCA sextum notandum, quòd gratia quæ in verbo isto, Beati pacifici &c. commendatur, non est pax, sed gratia faciendi pacẽ in se vel in proximo, & hoc vel respectu Dei vel respedu proximi. Vnde pacifici amatores pacis sunt, qui studiose intendũt paci faciendæ vel in se vel in proximo. Et primo in se. Vnde glo. super Matth. 5. Pax à vobis incipit: quia dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici. Sed postquam intus spiritus imperat vt totus homo spiritui seruiat: tunc pax ad alios deriuatur, vt pacem cum omnibus habeamus. Bern. in Serm. Sunt aliqui qui si viderint quempiã vel leuiter scandalizatũ, valde solliciti sunt quomodo in pacem eum reducere possint: & viderentur pacifici, nisi quòd eorum commotio, si forte quicquam contra eos factum dictúmue videbitur, tardius vniuersis difficiliúsque poterit sedari. Qui nimirum si ve-

re

rè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibiipsis. Item super Matt.5.dicit gl.Pacifici sunt, qui omnes motus animi componunt & rationi subiiciunt, quia his nihil repugnat.Bern.in Sermo. Per munditiam cordis reconciliamur Deo: beati verò qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè soliciti, eos quoque quantum prævalent, & sibi & Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu, fratrem illum, qui sine querela conversatur inter fratres, tota solicitudine cauet quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat, & quicquid in aliis est onerosum patientissimè portat, qui singulorum scãdala sua reputat? Et cũ Apostolo loquitur: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scãdalizatur, & ego non vror? Qui vere pacificus est, etiam belligerãdo est pacificus. Aug. Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas. Nõ pax quæritur, vt bellum excitetur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo in bello pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Beati enim pacifici. Idé: Hostẽ pugnãtẽ necessitas perimit, nõ volũtas. Sicut rebellãti & resistẽti violẽtia redditur: ita victo vel capto misericordia iã debetur, maximè in quo pacis perturbatio nõ timetur. ¶ Et notãdũ quòd pacẽ pectoris nõ abrũpit pugna cũ vitiis, si quandoque accidat. Vnde glos. super Matth.5. In præsenti homo pacatus, etsi bellum gerat cum vitiis, in nullo pacẽ abrumpit, quam Dominus dedit. Vnde pax multa diligentibus legem tuam domine, &c.

¶ *Quare pacifici sint beati.*

Circa septimũ notandum, quòd causa qua pacifici sint beati, est illa quam dominus tangit, quia filij Dei vocabuntur. In præsenti merito vocantur filij Dei, quia exercent officiũ illud quod habuit filius Dei in mundo isto. Ipse enim in mũdo isto bella pacificauit. In Psal. Ibi confregit potentias, arcum, scutũ, & gladiũ, & bellũ. In aduentu suo fuit impletũ illud Esa. 2. Cũfl abunt gladios suos in vomeres, &c. Ephes.2. Ipse est pax nostra, &c. Ipse sedauit litem, quæ erat inter nos & Deum. Psal. Quoniã fecisti iudicium meum, & causam meam. Esa.53. Ego sum qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Primum pertinet ad litis sedationem. Secundum ad belli pacificationem. Item ipse tumultum sedauit, dum silentio suo silendi exemplum dedit. Esa.53. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. Et Luc.23. Corã Herode nihil omnino respondit. Inquietudinem quãtum ad locum pacificauit, quando apostolis dixit, Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Luc.vlt. Inquietudinẽ animi pacificauit, cùm

cùm dixit Io.14. Manete in me, & ego in vobis. Eiusdem 15. Manete in dilectione mea. ibidem 17. Hęc locutus sum vobis vt in me pacẽ habeatis: in mundo autem pressurã habebitis. Christus finis est, ideo in eo quiescitur. Non est quiescendum in via, sed in fine viæ. ad Rom.16. Finis legis Christus ad iustitiam credẽti. August. in lib. Confess. Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostro, donec requiescat in te. Christus molestias mitigare venit, in cuius signum ecclesia cruces oleo facit in his qui baptizantur, vel ordinantur, vel confirmantur, vel ad honorem regni sublimantur, & etiam in dedicatione ecclesiarum. Cruciatus præsentis exilij per Adam factus est: oleatio verò siue mitigatio per Christum.

¶ *Donum sapientiæ adaptatur pacifici.*

Circa octauum notãdum quòd donum sapientiæ huic beatitudini adaptatur: qui enim pacem faciunt, quasi lectum Deo præparant, locum scilicet quietis, in Psalm. In pace in idipsum, &c. Vnde ipsi sunt quasi cubicularij Dei & secretarij, & consilia sapientiæ eis reuelantur. Præterea animus pacatus clarius videt: vt prius ostensum est per exemplum de aqua. Eccles. 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, id est, vacuationis & quietis. ideo dicitur in Psalm. Vacate primum. Deinde subditur, Videte quoniam suauis est Dominus.

De patientia persecutionum. PARS XII.

VLtimo tangẽdũ est in tractatu de Beatitudinibus, de Patiẽtia persecutionum. Et breuiter de ea dicetur, quia in tractatu de cardinalibus Virtutibus, specialiter de Patientia tractatũ est. Hãc beatitudinem post prædictas ordinat glos. super Mat.5. dicẽs, Qui vsque ad sapientiã per prædicta conscendũt, perfecti & roborati nõ cedunt persecutioni: quia neque mors, neque vita eos potest separare à Christo. Item sicut tangit glos. in patientia persecutionum est ostensio perfectionis & probatio, sicut in præcedentibus perfectio. Eccl.2. In igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis. Eiusdem 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tantatio tribulationis. ad Roma.5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, sunt beati: non qui patiuntur propter scelera sua. 1.Pet.4. Nemo vestrũ patiatur quasi homicida aut fur, &c. Eiusdem 3. Si quid patimini propter iustitiam, beati. Causa quare tales sint beati, est quam dominus tangit, Quia ipsorum est regnum cælorũ. Bern. in Sermo. Pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur: quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo

sto sine omni dilatione percipitur. ¶Eorum qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, regnum cælorum est. Primo quia iustitia pro eis erit in futuro, sicut ipsi modo sunt pro iustitia. Vnde obtinebit eis regnum cælorum. Non enim poterit aliquid fieri in iudicio extremo contra iustitiam. Eccl. 4. Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Secundo, quia regnum cælorum expositum est vim inferentibus. Mat. 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quasi publicè de illo clamatum est, Qui potest capere capiat. Matthæi 19. Patientes persecutionem quasi quadam vi illud capiunt. ¶Tertiò, quia pretium habent pro quo regnum cælorum venale expositum est. Matth. 20. Sedere ad dexteram vel ad sinistram, non est meum dare vobis. Vendere potius hoc volebat, quàm intuitu consanguinitatis eis dare. Augustinus in persona domini: Venale habeo. Quid domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. ¶Quartò, quia tales Christo societatem faciunt in vigilia præsentis afflictionis, in pane doloris, & aqua tribulationis: ideo merito erunt socij eius in festo æternæ iucunditatis. ad Roman. 8. Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur vt simul & glorificemur. 2. ad Timot. 2. Si cõmortui sumus & conuiuemus: si sustinemus, & cõregnabimus. 2. ad Corinth. 1. Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. Ecclesia. 22. Fidem posside cum amico tuo in paupertate ipsius, vt in bonis ipsius læteris. ¶Quinto, quia ipsi habent onus cælestis hæreditatis in præsenti, & ideo merito in futuro emolumentum eiusdem hæreditatis ad eos pertinebit. Præsentes præsuræ, sunt debita quibus obligauerunt parentes nostri cælestem hæreditatem.

SVMMÆ VIRTVTVM
FINIS.

INDEX RERVM SINGVLARIVM, QVÆ IN *hac Virtutum Summa continentur.*

AD amandum Deum nos incitare debet amicitiæ eius vtilitas & inimicitię dãnositas. 243
Aliqui amici quadrupliciter inueniuntur infideles. 244
Æqualitas diuinarum personarum ostenditur. 152
Æquitas valet ad spiritualis ędificij firmitatem, & corporis mystici decorem. 530
Amor Dei debet esse rectus, strenuus, lætus, desideriis plenus. 249
Amor Dei propter temporalia est ipsi contumelioſus. 249
Amatur Deꝰ quadrupliciter. 250
Ad amandum proximum duodecim nos incitant. 254
Appetibilius est amare proximũ quã amari à proximo. 259
Amauit nos Christus gratuitè. ibi. Itẽ discretè, vehemẽter, & fructuosè, & perseuerãter. 260
Amor proximi imitari debet amorem mẽbrorum eiusdem corporis, in decem. 263
Amor parentum multum Deo placet. 265
Amare vxores sexdecim inducunt viros. 266
Amare debemus bonos exmplo domini. 266
Amicitiæ descriptio. 271
Amicitiam veram duodecim efficiunt. 272
Amicitiam quinque solent dissoluere. 273
Aliquis dicitur magis diligi tripliciter. 274
Amor sui efficit hominẽ ciuem Babyloniæ. 276
Amor sui radix est multorum malorum. ibidem
Amare mundũ, est amare adulterum. 277
Anima quadrupliciter peccat circa bonum. 282
Aduersantia prudentiæ ponuntur. 316
Adolescentes debent exerceri, & senibus subiici. 335
Aureola est additio ad gloriam, & quot modis fit additio huiusmodi. 354
Additio gloriæ tripliciter. 355
Aureola ad quam virtutem animæ pertineat. 356
Auditus à multis est temperandus. 574
Adiutoria contra bellum dæmonis. 411
Adoratio quã Moyses fieri prohibuit, quæ dicatur. 425
Arcendus est aliquis à bono duplici causa. 463
Abel ostendit innocentiam. 34

Abraham venit ad ostendẽdam obedientiam. ibid.
Ad insinuandam munditiam venit Enoch. ibidem
Ad insinuandã longanimitatem spei & operis venit Noé. ibid.
Ad demonstrandã cõiugatis vitę castimoniã venit Isaac. ibi.
Ad insinuãdam laboris tolerantiam venit Iacob. ibid.
Ad retribuendum bonum pro malo venit Ioseph. ibidem
Ad ostendendã mansuetudinem venit Moyses. ibidem
Ad insinuandam contra aduersa fiduciam venit Iosue. ibid.
Ad ostendendam in flagellis patientiam venit Iob. ibi.
Ad omnes virtutes ostẽdẽdas plenus virtutũ venit Christ⁹. ibi.
Animalis homo dicitur quis dupliciter. 43
Adultus rationis capax potest cognoscere Deum esse timẽdum honorandum, amandũ, & in eo sperandum. 49
Argumenta quibus fides Christiana vnica & vera ostenditur. 49.& 50
Aliæ sectæ male sentiunt de Deo. 58
Alexander orat ad montes Caspios, & Iudæorum sacerdotem adorat. 72 & 73
Articuli fidei quot, & vnde dicantur. 74
Articuli fidei collecti sunt in tribus locis. 75
Articuli fidei ad quid pertineãt, & de quibus sint. 76
Ad Spiritũsanctũ tria pertinent in præsenti, & duo in futuro. 78
Ad bonitatẽ Spiritussancti pertinet remuneratio tã in corpore, quàm in anima. 79
Ad cognoscendũ Deum omnis natura incitat, scriptura indicat, creatura clamat. 82
Authoritates scripturæ quibus Manichęi innitũtur, impertinẽtes ostenduntur. 74.& seq.
Authoritates in oppositum dicti erroris ponuntur. 108.& 109
Actus qui est peccatum, est malus. 106
Authoritatibus noui testamenti ostenditur, q; lex vetus bona sit, & à Deo data. 126
Angeli Dei & diaboli. 135
Anima secundum aliquos est suæ potentię, secundum alios non. 154
Animarum immortalitas ostenditur rationibus philosophorum. 159. & idem ostenditur ex Dei bonitate. 160
Animã nulla destructione posse corrumpi ostenditur. 161
Admirationis diuinæ super non habente charitatem quinque possunt assignari causæ. 233
Ad amandum Deũ nos incitant scriptura, natura, gratia, gloria & vniuersa creatura. 238
Authoritatem excommunicandi habet ecclesia. 523
Alia sunt opera misericordiæ præter septem. 557
Affectio quadrupliciter ordinata potest esse in affectu. 579
Alas cordis debemus extẽdere sicut aues antequã volẽt. 626

Ali

Aliud est cum ipso intrare, & aliud ad ipsum exire. 628
Alienatio mentis quibus gradibus ascendat. 634
Ad bonum quomodo quis ordinatè se habeat. 648
Ad perfectionem duo requiruntur. ibid.
Animus tam cito sanatur, quã citò peccatũ ei remittitur. 649
BOni ideo lætificantur, quia voluntatem suam diuinæ voluntati per omnia confirmant. 33
Bonitas relata ad operationes sortitur quatuor vocabula. 75
Beneficia non parãt amicitiam, nisi discretè dentur. 258
Beneficiorum Dei magnitudo attenditur ex quinque. 479
Beneficij cõseruationis magnitudo attẽditur ex quinq;. 480
Beneficium conferens multa cauere debet. 559
Beatitudo describitur. 645
Benignitas legislatoris Christi apparet. 646
Bonum dupliciter. 648
Bellum est quadrupliciter. 717
COnscientia cõparatur vxori Zenonis philosophi. 31.
Conuenientia virtutis cum natura lætificat virtuosum. ibi.
Commendatur virtus authoritate Saluatoris. 33
Cognitio Dei efficit desiderium & spem. 38
Credendũ est de Dei filio enarranti, & his quibus enarrauit. 42
Cinifes de puluere educti, argumenta sunt philosophorum. 62
Credenda de Deo. 74
Credenda de aliis à Deo. 75
Causæ inducendi vel augendi idololatriam. 88
Contumelia est humanæ naturæ, quando creaturæ inferiori se subdit. 89
Conflellatio nõ est causa bonorum aut malorum morũ. 96
Causa quare valde fuit magnũ peccatum Adæ. 101
Creaturæ ad diuersos fines productæ sunt. 102
Creatura omnis ordinata est. ib.
Contrariorum non sunt vniuersaliter causæ contrariæ. 104.
Corruptio rerum fit multipliciter. 345
Certitudo duplex. 188
Consideratio liberalitatis Dei valet ad spem. 192
Consideratio bonitatis Dei & misericordię adiuuat spẽ. 195
Cõsideratio adoptionis promissionis, & redditionis. 196
Consideratio eorũ quæ pro Deo agimus, & malorum quæ sustinemus adiuuat spem. 196
Cõsiderationis beneficiorũ Dei quatuor sunt species quibus spes adiuuatur. 198
Considerationis circa sanctorũ merita species sunt quatuor, quibus spes adiuuatur. 199
Cõsideratio meriti angelorum spem adiuuat. 204
Consideratio meriti & suffragij sanctorum adiuuat spem. 205
Cõfidentia in creatura, & despe-

ratio de Deo est cõtraria spei. 206
Confidentia in creatura triplex. ibidem
Confidentia in homine fallax est. 207
Confidentia in rebus inferioribus valde periculosa. 207
Causæ desperationis sunt quatuor. 208
Charitatis descriptio. 219
Charitas inter virtutes est fini propinquior. 221
Charitas est virtus qua diligitur Deus propter se. 222
Charitas qua vnaquęque res tãti habetur, quanti habẽda est. ibidem
Charitas commendatur. 222
Charitas eos in quibus est ignẽ efficit. 223
Charitas mater est omnium virtutum. 224
Charitas animam Deo reddit gratam. 225
Charitas est locus securitatis & gaudij. ibidem
Charitas locus est veræ quietis, & mors vitiorum. 226
Charitas aliena bona sua facit. 227
Charitas est fons singularis bonorum. ibid.
Charitas Deo placet, & diabolo displicet. 228. & seq.
Charitas est via excellentior & vinculum quo solo Deus ligari potuit. 232
Charitas vnctio est qua filij Dei inunguntur in signum regni futuri. 232
Charitas ex omnibus causis est laudabilis ex quibus solet vestis laudari. 233
Charitas est chara vnitas. 235
Charitas sola est virtus, secundum doctores. 236
Charitas virtus est, cuius altitudo attingit altissimum. ibi.
Charitati attribuitur nomẽ virtutis propter multas rationes. 237
Captiuatio intellectus nostri debet esse quadruplex. 248
Charitati quatuor aduersantur. 332
Clementia quid sit. 330
Clementiæ virtus mediocritatem seruat. ibidem
Clementiam in principe duodecim excitant. 331
Continentię tres sunt partes. 338
Corruptio carnis non priuat inuitam aureola. 345
Continentia vidualis est nobilior coniugali. 351
Continentiam vidualem quid efficere debeat. 358
Castitas vidualis commendatur specialiter in iuuene. 359
Castitati viduali tria videntur appendentia. ibid.
Castitas multum competit ministris ecclesiæ. 34
Constantiæ descriptio. 427
Constantiam sex efficiunt. 428
Cultus Dei triplex. 443
Cultum Dei tres affectiones decent. 444
Cultus oris quid sit. 445
Correptionẽ facere incitamur ex multis. 508
Correptionem octo impediunt 509. & seq.
Correptio qualiter fieri debeat. 510
Corrẽptionem facturus, de Deo debet confidere. 516
Correptionem libenter recipere incitant multa. ibidem
Corripere peccantẽ, & ignorantem instruere monemur. 550
Corpus est velut castrum fidei nostræ commissum. 558
Consilij donum. 608
Consilij nomen dupliciter sumitur. ibid.
Consilium quod à multis despicitur, de faciendis est. 610
Consiliarium eligere monemur. 610
Consideratio & contemplatio distinguuntur. 614
Cõsideranda sunt quatuor. ibi.
Considerationis tres sunt species. ibidem
Contemplationis quatuor species. 616
Contemplatio distinguitur à cogitatione & meditatione. 616
Contemplationis forma videtur in cæli volatilibus. 617
Contẽplationis sex distinguuntur species. 619
Corpora quædam sunt cælestia. & quædã sunt terrestria. 360
Creatura spiritualis ad quid creatur, iustificatur, glorificatur 624.
Contemplationi diuinorũ duodecim præparẽtur. 631. & 636
Contemplatiui ascendunt octo gradibus. 639
Discretum regimen corporũ lætificat virtuosum. 32
Dionysius cęcum in sui conuersione illuminat. 52
Diuersitas credendorum. 74
Duo sunt genera idolorum. 88
Duplex est idololatria in peccato idololatriæ. 90
Diuersitas creaturarum contrarietatem principiorum non potest ostendere. 116
Dæmones non viuificant corpora ab eis inhabitata. 134
Dæmones non detinentur violenter in corporibus. 135
Deus qui spiritus est, ministros spirituales habet. 135
Dæmon non facit vnum cũ corpore quod inhabitat. 136
Deus non fecit corporalia propter creaturã purè spirituälẽ. 22
Deitas Filij probatur authoritatibus. 148
Deitas Spiritus sancti probatur. 149
Dicentes nullum esse peccatum veniale, non rectè sentiunt de diuina bonitate. 176
Diuersæ fides pronuntur. 183
Desperatio reddit hominẽ maledictum, & est peccatum in Spiritum sanctum. 206
Duodecim sunt quæ valent ad cognoscendum quòd gloria beatorum erit magna. 210
Duodecim erunt in electis post generalẽ resurrectionem. 212
Dies est qui habet charitatem, quatuor de causis. 226
Diligere inimicos, octo nos inducunt. 269. & seq.

Doctor debet tria attendere, & duodecim faciũt vt doctrina eius sit salubris. 311.& 307
Doctor tria debet attendere. 311
Doctor sacræ scripturæ non debet esse timidus vel remissus. ibidem
Discere Scripturam sacram septem conducunt. 311
Duabus de causis non intelliguntur quæ scripta sunt. 315
Diabolus habet mille tentandi modos. 413
Diabolus quinque modis decipit hominem. 415
Diabolus supra pectus graditur, terram comedit, calcaneo insidiatur. 416
Diabolus nos impugnat molestiis & deliciis. 423
Dulia variè sumitur 447
Deuotio describitur. 471
Disciplina quot modis dicitur. 506
Disciplina proprij corporis est multiplex. 517
Dissipantur dona Dei tripliciter. 863
Dona quare dicantur. 573
Dona Spiritussancti numerãtur & commendantur. 576
Dona septẽ sunt, contra septem mala quæ enumerat Gregorius. ibidem. Et contra alia septem mala. 577
Donum minimum inter ista præualet omni auro. 578
Donorum tria sunt in intellectu. 578
Donorũ tria pertinent ad diuina, quatuor ad humana. 580
Duo donã pertinent ad cõtemplatiuam. ibid.
Dolor damnatorum ex diuersis causis proueniet. 602
Donum timoris. ibid.
Disciplina morum partim ex diuina, partim ex humana institutione prouenit. 621
Dilecta ex munere dilecti accipit duo remedia. 633
Donum intellectus dicitur. 642
Donum sapientiæ differt à dono intellectus. 644
Deus libenter acceptat dona humilitatis. 637
Effectus virtutis multi sunt, à quibus commẽdatur. 35. & sequen.
Eleemosyna cui petitur, quatuor debet attendere. 546
Errores circa ea quæ sunt fidei ponũtur in capitulo sexto. 80
Error eorum qui dicunt Deum nõ esse, non solũ stultitia, sed etiam insania est. ibid.
Errorem prædictorũ odire debet quisquis odire potest. 82
Error prædictus improbatur, in eodem cap. ibid.
Error Manichæorum est valde cõtumelios⁹ Deo & creaturis. 99
Errores procedẽtes ex errore Manichæorum ponuntur. 121
Error primus, videlicet circa distinctionem ciborum, vnde occasionem sumpsit. ibid.
Error secundus occasionẽ sumpsit ex grauitate legis. 123
Error ponentiũ animas de nouo non creari, diuersificatur in quatuor oppositos errores. 129
Error eorũ qui dicũt animas esse angelos apostatas, fulcitur impertinentibus authoritatibus scripturæ. ibid.
Error idem tria ponit quæ falsa ostenduntur. 130
Error eorum qui ponũt animas non esse, reprobatur authoritatibus euangelij. 131
Error eorum qui ponũt animas esse dæmones, Deo & hominibus est valde odibilis. 132
Error ponentium duas animas in humanis corporibus, cõfutatur. 138.& per totum caput.
Error ponentium animas esse de substantia Dei, facile destruitur. 140
Error ponentium animas fuisse simul creatas, cofutatur. 141
Error ponentium animas de semine traduci, refellitur. 142. & per totum caput.
Error ponentium Christũ non esse verum hominem, fulcitur authoritatibus, & reprobatur dupliciter. 144.& seq.
Error condemnantiũ Ioannem Baptistã, fulcitur & reprobatur. 145.& per totum caput.
Error negantium Trinitatẽ diuinarum personarum, improbatur authoritatibus scripturæ. 147.& seq.
Errores cõtra Dei misericordiã & iustitiã numerãtur sex. 156
Error negantium filij Dei incarnationem confutatur. ibi.
Error dicentium animas simul perire cum corpore fulcitur, & ostenditur. 157
Error negantium corporum resurrectionẽ, authoritatibus & rationibus destruit. 166.& se.
Error eorum qui ponũt vnumquẽque saluari in sua fide, vnde occasionem sumpserit, & q̃ falsus sit ostenditur. 169
Error huiusmodi destruitur. 169 & sequen.
Error dicentiũ animas in mortali peccato decedentes, non puniri æternaliter, multa mala inducit. 172
Error ponentiũ animas in charitate decedẽtes, nulla pœna purgatoria puniri, annectit se cum tres errores. 176
Error eorum qui dicunt q̃ non dimittitur culpa, nisi dimitta tur & pœna, valde perniciosus est. 178
Error dicẽtiũ ecclesiæ suffragia non prodesse defunctis, valde detestabilis refellitur. 179
Errorum circa fidem octo sunt causæ. 181
Error damnantium matrimonium destruitur. 362. & per totum caput.
Electo proueniet triplex gaudiũ ab amœnitate loci. 215
Electis proueniet triplex gaudium à societate aliorum sanctorum. ibid.
Electis proueniet quadruplex gaudium ex corpore glorificato. 216
Electis proueniet triplex gaudium ab inferno. ibid.

Electis proueniet triplex gaudium à mundo. ibid.
Exemplũ triplex dat nobis scriptura, quòd proximum amare debeamus. 259
Eligendo amicum quatuor attendere debemus. 273
Electi trib. de causis gaudent in tribulationibus. 290
Error eorũ qui ponũt ecclesiam idololatrare, eò q; adoret imagines, vnde occasionẽ sũpsit, & quomodo destruitur. 450
Error dicentium, q; soli Deo & non homini est obediẽdum, confutatur. 509
Error dicentium neminem esse excommunicandum. 522 & confutatur ibid.
Error dicẽtium maleficios non esse puniendos. 524
Eleemosyna est facienda de his quæ iustè acquisita sunt. 557
Eleemosy. dãda est pauperi. 558
Eleemosyna danda est. 559
Error eorũ qui dicũt veritatem nõ esse iuramẽto firmãdam, ponit & destruitur. 664. & se.
Esurię iustitię multa iuuãt. 697
Esuriẽtes iustitiam habent beatitudinem vitæ. 699
Esuries iustitiæ aptatur dono fortitudinis. 700
Finis est prior in intẽtione. 38
Fides nos Deo supponit, spes erigit, charitas vnit. 39
Fides describitur. 43
Fides sustinet ædificium spirituale, sicut substantia substat accidentibus. 44
Fides dedignatur esse conclusio, quia est argumẽtum, ex quo tria sequuntur. 45
Fides summã veritatem cognoscit & in eam tendit. 46
Fides licet sit cognitio, est tamẽ virtus propter quatuor. ibid.
Fides adiuuatur rationibus naturalibus. 47
Fides est lucerna ad recuperandam drachmam perditã. ibi.
Fides nostra de homine probabiliora sentit. 58
Fidelibus Christi omnia in bonum succedũt: infidelibus autem & paganis e contrario. 59
Fides Deo multũ placet, diabolo displicet, homini prodest. 60
Fides porta est per quã princeps vniuersorum intrat cor hominis. 61
Fides porta est ecclesiæ. ibid
Fides thesaurum ostendit, hostem vincit. ibid.
Fides intellectum captiuat, in arce mentis insigne regium ponit, matrimoniũ inter Deum & animam initiat. 62
Fides est velut anulus argenteus in digito sponsæ. ibid.
Fides est virginitas mentis. ibid.
Fides quantum proprio sensui detrahit, intantum diuini sensus intellectum capacem facit. ibid.
Fides primogenita est inter virtutes. ibid.
Fides diabolo multum displicet & eum expulit de mundo. ibidem
Fides est oculus dexter animæ. 64

Fides contumeliam diabolo facit. ibid.
Fides est valde vtilis homini. ibidem
Fides inter opera recreationis prima est in minori mundo. ibidem
Fides est columna ignis illuminans intellectũ & fulciẽs cor ad exeundum de Ægypto tenebratum errorum. ibid.
Fides est lucerna, & cæteris virtutibus lumen præstat. 64. & sequen.
Fides est stella matutina cardinalis, & quæ reges ad Christum adducit. 65
Fides est prima gemma in corona intellectus, in qua quinque aliæ sunt. ibid.
Fides est vita intellectus & vitæ spiritualis initium. 66
Fides initium & radix omnium bonorum. 67
Fides hominem filium Dei efficit. 68
Fides viam regni ostendit. ibid.
Fides habet primum congressum in bello spirituali, & ei victoria ascribitur. ibid.
Fides vincit mundi diuitias, delicias, honores. 69
Faciem fidei triplex mors præcedit. 67
Fides est scutum triangulare. 70
Fides ostendit Christũ pugnantibus tripliciter. ibid.
Fides est virtus probata quę corripit insipientes. 73
Forma multipliciter est. 158
Fides multiplex. 183
Fidem commendabilem multa reddunt. 186
Fortitudo multis modis sumitur. 375
Fortitudo describitur. 376
Fortitudo commendatur. ibid.
Fortitudo virtus est inseparabilis. 377
Fortitudinem iuuãt duodecim. ibidem
Fortitudinis quatuor sunt partes. 379
Fides seu fidelitas. 570
Fides seu fidelitas commendatur. 571
Fidem seu fidelitatẽ debet quis alteri in quatuor. ibid.
Fidelitas quãtum ad bona commissa in quinque attenditur. ibidem
Fortitudo donum. 607
Gaudium virtutis excellit quadrupliciter gaudium mundi. 28
Gaudium mundi est à Deo maledictum. 38
Gens Iudæorum & Turcæ indigna sentiunt de Dei magnificentia. 58
Gaudium & solatium differũt. 192
Gloria sanctorum est valde magna. 210
Gaudium futurũ differt à præsenti in multis. 217
Gradus charitatis. 279
Gratias ad agendum octo nos incitare debent. 477
Gratias agere Deo debemus de beneficiis generalibus & spi-

ritualibus. 478
Gradus obedientiæ ponuntur. 495.& sequen.
Gratia describitur. 531
Gratus qui vult esse multa cauere debet. ibidem
Gradus diuersorum generum contemplationis. 619.& seq.

HOmo absque fide circuit ad molam. 38
Homo necesse habet multa cognoscere. 39
Homo medius est inter creaturas. 137
Hominum duæ sunt personæ laudabiles. 314
Hominum tria sunt genera detestanda. ibid.
Honor multipliciter sumitur. 447
Honor exhibendus est humanæ naturæ à verbo assumptæ, Virgini, angelis, prælatis, amicis Dei. 448.& seq.
Hominem occidere licet. 527
Hospitalis commendatur. 551
Hospitio recipiendi sunt boni viri. 553
Hospites suscipiendi sunt frequenter. 553
Humilitatis triplici ratione est regnum cælorum. 652
Humilitas describitur. 654
Humilitas commendatur. 655
Humilitas mirè Deo redolet. 669
Humilitas accipit intra, superbia extra in diuisione mundi. 665
Humiliratis vtilitas ex diuersis figuris designatur. 665
Humilitas supplet defectus aliorum bonorum. 668
Humilitatis causæ in omnibus rebus reperiuntur. 669
Humilitatis causę in nobis plures reperiuntur. 670
Humilitati multa conferũt. 672
Homo debet se reputare cinerem, ex parte corporis & animæ. 672
Humilitas diuiditur multipliciter. 676.& seq.
Humilitatis gradus duodecim secundum sanctum Benedictum. 672
Humilitas valet ad esuriem iustitiæ. 697

IOcunditas boni operis lætificat virtuosum. 31
Initium eundi ad virtutes est arduum & difficile. 33
Iesum cognouit terra, mare, infernus vniuersorum esse Dominum. 52
Idololatria honorem Deo debitum creaturæ confert, æquat creaturam creatori. 90
Idolorum cultura omnis mali causa est, initium & finis. ibi.
Impotentia idolorum ostenditur. 91
Idololatria vna destruit aliam. 92
Idololatria quæ ad dæmones transfertur, maximè detestabilis est. ibid.
Idololatria dæmonum improbatur. 90.& seq.
Idololatria militiæ cæli. 98
Ignorans peccatũ pœnitere non potest. 132
Ioan

INDEX.

Ioannes Baptista commendatur. 145
Iugũ charitatis propter sex causas suaue est. 235
Intelligentia scripturæ inquiritur dupliciter. 113
Infirmitates contingũt quinque modis. 411
Impugnatio quam facit diabolus homini. 412
Instabilitatem sex efficiũt. 430
Iustitia variè sumitur. 436
Iustitia describitur. 437
Iustitia commendatur. 438
Iustitia diuiditur. 441
Impedimenta orationis. 462
Ieiunium cõmendatur ex multis. 517
Irridendi sunt dicentes se non posse carnem vincere. 519
Ieiunium est triplex. 520
Ieiunium à cibo triplex. ibid.
Ieiunium laudabile describitur. 586
Ieiunium concomitari debent tria. 521
Immisericordi homini videntur peccata redire. 444
Iniuriati parcere monemur. 550
Infidelitas est triplex circa multiplicationem beneficiorum Dei. 572
In iudio extremo multa sunt attendenda, quæ timorem incutiunt. 592.& seq.
Iudicium extremum signa præcedent sex de causis. 594
Inclinare se solet quis tribus de causis. 671
Iustitia quomodo sumatur, cùm dicitur esuries iustitiæ. 699

LIbertas lętificat virtuosũ. 31
Latria quid sit. 87
Lex subintrauit vt abũdaret delictum, quantum ad cognitionem. 125
Lex antiqua valde sapienter tradita fuit. 128
Liliũ habet folia & grana. 348
Latria describitur. 448
Latria commendatur. ibidem
Latriæ seu religionis quadruplex est officium. 446
Laudare Deum nos plura incitant. 473
Loquela homini data est ad laudandum Deum. 474
Laudi Dei instare debent homines, quia redempti. 475
Laudi Dei insistere volenti necessaria est munditia. ibid.
Laudandus est Deus non solum sermone, sed opere. 476
Lucrum bonorum operum in tres partes diuiditur. 572
Luctus beatitudo quid sit. 690
Luctus duæ sunt species. ibidem
Luctus sunt sex aliæ species. 691
Luctus diuiditur. ibidem
Luctus bonus triplex. ibidem
Luctus indifferens. 692
Lugentes quare beati sint. ibid.
Lacrymas lugentium commendant quatuor. 693.& seq.
Lacrimę multa efficiunt sua virtute. 694
Lacrymarum sex sunt impedimenta. 696
Luctui adaptatur donum scientiæ. 697

MAli & peccatores multipliciter cruciantur, 28

Modus cognoscẽdi per fide lau dedignus, Deo glorioſus, & homini meritorius. 40
Miracula confirmant fidem no ſtram. 50
Miracula hæc talia fuerũt, quòd ſolus Deus ea facere poterat. Mãdatũ de dilectione proximi ibidem
Miniſtri Chriſti maiora mira- cula fecerunt quàm ipſe. 52
Mundus quaſi duabus manibus nobiſcum pugnat. 70
Minus malũ ſequitur ad credẽ- dũ Deũ eſſe, quàm ad nõ cre- dẽdũ, & maius bonũ ſequitur ad illud quàm ad iſtud. 84
Multæ ſunt ſpecies idololatriæ 90
Multum eſt contra rationem quòd homo adoret opus ma- nuum ſuarum. 91
Multipliciter oſtenditur quòd dæmones non ſunt colẽdi. 92
Malum duplex eſt, malum pœ- næ, & malum culpæ. 184
Malum culpæ eſt velut fructus degener. 105
Martinus non timuit latronem. 196
Meritum Chriſti iſpem noſtram adiuuat. 199
Mediatrix Dei & noſtri Maria, plurimum ſpem noſtram eri git. 200
Maria eſt turris. ibidem.
Ipſa eſt virga, aurora, cellaria, quæ mœſtis vinum conſola- tionis tribuit. 201
Maria eſt electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 203
Miſericordia Mariæ nõ defuit Theophilo. 202
Mali non habent pacem. 235
Modus amandi Deum. 246
Multa ſunt quæ valere poſſunt vt aliquis ametur. 259
Mãdatũ de dilectione proximi dupliciter poteſt intelligi. 261
Modus amandi proximum. 259
Mos quid ſit. 286
Mala quæ ad donum ſcientiæ pertinent ſunt duplicia. 604
Memoriam habere monemur. 301
Multa ſunt quorum memoria eſt laudabilis. ibidem
Memoriæ quinque ſunt cauſę. 303
Memorię nimiũ cõfidere aut dẽ ea diffidere vitiũ eſt. ibidem.
Modus à quo moderatio dici- tur, eſt quadruplex. 424
Modeſtia deſcribitur. 333
Modus à quo modeſtia, eſt tene re decorem & in quo conſi- ſtat. 334
Modeſtia indecentiam cauet in multis. ibidem
Motus corporis non debet eſſe nimium tardus aut velox. 335
Modus ſine mẽſura ad ſobrieta- tem pertinens eſt duplex. 342
Matrimonium commendatur ex duodecim. 364
Matrimonium cõtrahens quid obſeruare debeat. 367
Matrimonium propter multas cauſas eſt inſeparabile. 371
Meditatio prępparans ad tribula tionem, poteſt diuidi in quin que ſpecies. 394
Modus repugnãdi diabolo eſt contritio capitis eius. 420
Magnanimitas quomodo ſumi tur. 433
Magnanimus terribilia aggre ditur. ibidem
Magnanimitas iniurias rece- ptas vilipendere facit. 434
Magnificentia quid ſit. 435
Magnificentiæ officia tam in pa ce quàm in bello. ibidem
Malum multiplex prouenit ex ingratitudine. 478
Miſericordia deſcribitur. 535
Miſericordiam commendat na tura. ibidem
Miſericordiam commẽdat ſcri ptura. ibidem
Miſericordia commendatur ex tribus. 536
Miſericordia peccato obſtat, & multos alios effectũ habet. 537
Miſericordia hoſtẽ impugnat. 539. & viam paradiſi dilatat, fi lium Dei efficit. ibidẽ. & ami- cos multiplicat &c. 540
Miſericordiæ duæ ſunt partes, quę deſignãtur per duo oſtio la oraculi Salomonis. ibidem
Miſericordia terram in cælum commutat. 541
Miſericordia bona quæ dare vi- detur in ſaluo ponit. 542
Miſericordia non ſolum eſt vti lis, ſed etiam mirabilis. ibidẽ
Miſericordia dupliciter habet mercedem. 543
Miſericordia præſtat abſtinen- tiæ. 545
Miſericordiam mouet multi- plex meditatio. 596
Miſericordia commẽdabilis & deteſtabilis. 547
Multa ſunt propter quæ aliquis debet alij compati. 548
Multiplex fuit cauſa, quare Do- minus diceret, Dico vobis omninò non iurare. 568
Memoria mortis valde vtilis eſt homini. 673
Memoria mortis valet ad ſex. 674
Manſuetudo deſcribitur. 685
Mites quare ſint beati. 686
Manſuetudinem ſexdecim com mendant. 687
Manſueti poſſidebunt terram vi uentium ſibi. 688
Manſuetudini donum pietatis adaptatur. 690
Miſericordiæ adaptatur donũ conſilij. 700
Mũditia cordis deſcribitur. 701
Munditiã cordis octo efficiũt, ibidem
Miſericordia traxit Dei filium decælo. 705
Munditia decet miniſtros eccle ſiæ, & & immunditia dedecet quinque de cauſis. ibidem
Mũdi corde quare sũt beati. 706
Munditia commẽdatur ex duo- decim. ibidem
Munditia patitur. 708
Munditia cordis adaptatur do- no intellectus. 710

NAtura cognoſcendorum re quirit fidem. 42
Natura eorum qui cognituri ſunt requirit fidem. 43
Negãtes incarnationẽ filij Dei, cõtradicũt bonitati diuinę. 156

Occasio erroris quòd patres veteris testamenti sunt damnati. 127
Ordo virtutum triplex. 221
Ordo diligendi variatur. 275
Officia prudentiæ. 288
Ordo facit quietem mentis. 305
Ordinatio quadruplex debet esse in homine. ibidem
Ordo virtutum cardinaliũ. 322
Officia temperantiæ quinque sunt. 342
Opus carnale meritoriè exercetur à coniugatis in tribus casibus. 370
Oratio diuersimodè sumitur. 369
Opus carnale vt sit sine culpa & meritorium, multa requirun tur. 370
Opus carnale non debet exerce ri tempore mẽstruorum. 373
Oratio quot modis dicatur. 453
Oratio describitur. 453
Oratio commendatur. 454
Orare Christus nos diligentissimè docuit. 455
Oratio commendatur à suo effectu. 457
Orationem iuuant ieiunium & eleemosyna. 460
Orare monemur mane exemplo Christi. 496
Orandum est vbique. 467
Orandi locus est tẽplũ ibidem
Orandum est attentè. 468
Orãdum est cũ magnitudine desiderij humiliter, confidenter. 469
Orantes non debemus quærere temporalia. ibidem
Oratio diuiditur. 470
Oratio fructuosa habet species. ibidem
Orationis infructuosę species, 471
Oratio insuper diuiditur. 472
Obedientia describitur. 481
Obedientia circa quid attenditur. 482
Obedientia commendatur. 483
Obedientia Abrahæ in filij immolatione difficultatem patiebatur ex quatuordecim. 484
Obedientiam Christus docuit in mundum veniens, in mundo manẽs, & de mũdo exiẽs. 486
Obedientia est commẽdabilis à multiplici suo effectu. ibidẽ
Obediẽtia ponit homines in excellentissimo statu hic, & in futuro. 487
Obedientia sola virtus est, quæ menti cæteras virtutes inserit. 492
Obedientem quinque efficiunt quę reddunt aliquid flexibilius. 493
Obediẽtia perfecta se habet immediatè ad Deum. 500
Obedientia commendabilis & reprehensibilis. 501
Obedientia reprehensibilis triplex. ibidem
Obedientia commendabilis necessaria & perfecta. 502
Obedientiæ aduersantur proprius sensus & propria voluntas. ibidem
Obediendum est successoribus Apostolorum, & non solum bonis, sed etiam malis. 505
Opera misericordiæ quædam sunt spiritualia, quædam corporalia. 548
Opera misericordiæ corporalia sunt sex. 550
Operatio quædam est naturæ, quædam industriæ. 622
Opera bona sunt cibus animę. 698

Pvritas lætificat virtuosũ. 30
Peccator ligatur seruitute peccati. ibidem
Probatur testimoniis Noui testamenti patres antiquos fuisse bonos & sanctos. 128
Præcepta legis veteris ad quid pertinent. ibidem
Platonis & Irenæi de animalibus disceptatio. 192. & seq.
Per hominem corporalia omnia ordinantur in Deum. 137
Procedit Spiritussanctus à Patre & Filio. 151
Pœnã maiorem esse culpa. 246
Peccator iustè punitur æternali pœna. 173
Præceptum de amore nostri nõ datur nobis. 253
Parentes diligendi sunt affectu duplici. 277
Prudẽtia diuersimodè sumitur. 286
Prudentia describitur. 286
Prudentia quomodo dicatur virtus. ibidem
Prudẽs dicitur quis non intellectu solũ, sed etiã affectu. 288
Prudentia commendatur. 295
Prudentia sanctorum debet assimilari sex astutiis serpentem 299
Prudentiã docẽt nos bruta. 298
Prudentia diuiditur in cognitionem diuinorum & humanorum. 300
Prudentia distinguitur secundũ Senecam & Tullium. ibidem
Prouidentia ad tria valet. 304
Prudentia diuiditur secundum Senecam. ibidem
Prudentia secundũ quosdam diuidit' in quatuor species 306
Prudentia propriè sumpta respicit futura. ibidem
Prædicatori conuenit abrenuntiatio propriorum, quinque de causis. 307
Patientia describitur. 387
Passiones duplices intrinsecus & extrinsecus natæ. ibidem
Patiẽtia dupliciter sumitur. 388
Patiẽtia commendatur. ibidem
Patientia vincit seipsam. 389
Patienti seruiunt persecutores. 390
Patientia hominem ditat. 391
Patiẽs in multis sapienter agit. ibidem
Patientia iram Dei & proximi mitigat. 392
Patientiam tria adiuuant. 394
Patientia diuiditur in tria. 410
Patientiæ diuisio. 425
Peccatum perpetratur quatuor modis, in corde, & totidem in opere. 415
Perseuerantia communicat cũ cõstantia, & ab ea differt. 431
Perseuerãtia duplex est. ibidem
Perseuerantia cõmẽdatur. ibid.

Perseuerantiæ mutiplex effectus. 432
Præparatio ad orãdũduplex.458
Præparatio ad orãdũ remota.525
Præparatio propinqua. 461
Pretiositas temporis ex duobus perpenditur. 479
Peccator debet cogitare à quibus vinculis liberauerit eum Deus. ibidem
Paulus ieiunauit quousq; panis ei de cælo mitteretur. 518
Pietas diffinitur secundum Tullium & Macrobium. 531
Pœna inferni est multiplex.549
Pietas differt à misericordia.603
Paupertas quid sit. 650
Paupertas spiritus videtur in tribus consistere. 651
Pauperes spiritu quare sunt beati. 652
Paupertas spiritus dono timoris adaptatur. 653
Paupertas variè dicitur. 678
Paupertas plutibus de causis amanda est. 679
Paupertatem Deus amat. 681
Paupertas, mater, nutrix, & custos religionis est. 683
Paupertas diuitum valde gloriosa est. 684
Pax discribitur. 711
Pax commendatur ex duodecim. 712
Pacem acquirere faciunt duodecim. 713
Paci multa aduersantur. 715
Pax est triplex. 716
Pax mala triplex. 716
Pacifici qui sint. 717
Pacifici quare sint beati. 718
Paci adaptatur donum sapientiæ. 719
Patientium persecutionem propter iustitiam, regnum cælorum est. 719

QVies à tumultuosarum cogitationum cruciatu,& vermis conscientiæ lætificat virtuosum. 30
Quinque videntur facere ad fidei vnitatem. 47
Quidam dixerunt corpus obliuionis esse causam. 133
Quatuor sunt causę desperationis. 208
Quòd habens charitatem nõ erret errore periculoso, potest esseverũ duabus de causis.332
Quatuos de causis Deus est amandus. 242
Quinq; emolumẽta proueniũt ex societate proximi & amicitia eius. 259
Qui se non diligit, proximum diligere nescit. 262
Quadruplex est ordo charitatis. 275.& seq.
Quatuor sunt quorum obliuio videtur esse laudabilis. 305
Quadruplex datur responsio ad illud Iacobi, Ante omnia nolite iurare. 569
Quæ circa diuinitatem sunt, humanæ excedunt intelligentię modum. 629
Quinque sunt attendenda & admiranda circa doctrinam nouæ legis. 646

REgnum Dei est in cordibus sanctorum dupliciter. 33
Roboratio apostolorum fidem Christi ostendit. 50
Reuelatio & prophetia ostẽdũt Christianę fidei veritatem.57
Reuelatio & prophetia translatæ sunt de synagoga ad ecclesiam. ibidem
Rationes Manichæorum refelluntur.102.& seq.
Rationes ad destructionem erroris Manichæorum. 108
Rationes pulchræ ponuntur ad ostendendum animæ immortalitatem.157.& seq.
Res sperandæ. 209
Reuereri tripliciter accipit.447
Reuerantia debetur rebus Deo dicatis. 449

SAnitas lætificat virtuosũ. 30
Superbi dimittẽdi sunt sibi, quia separatum est conuiuiũ eorum. 4
Scientia humilium superbis absconditur. ibidem
Superbi nolunt Socratẽ imitari, sed malũt vesci quàm saturari,& discere quàm nosse.ibid.
Si virtus esset venalis, non inueniretur qui eam emeret. 16
Sine fide non cognoscimus Deũ neque parentes. 17
Socrates ideo occisus est, quia noluit adorare idola. 98
Species idololatriæ ponuntur plures. 90
Spiritus malus non infunditur corpori vt pœnitẽtiã agat. 132
Spiritussanctus procedit à Patre & Filio. 151
Similitudo Trinitatis inuenitur in creaturis. 152
Similitudo Trinitatis assignatur in creaturis secũdum tria, scilicet modum, speciem & ordinem. 155
Spes describitur. 187
Spes multipliciter accipitur. ibi.
Spes commendatur ex scriptura. 189.& seq.
Spes Omnipotenti innititur 189
Spes est velut arbor sita in optimo loco. ibidem
Spes commendabilis est ab effectu. 190
Spes meretur intelligentiam & Dei auxilium. ibidem
Spes liberat. ibidem
Spes saluat. 191
Spes columna est totum ędificiũ spirituale sustentans. ibidem
Spes est baculus valde necessarius peregrinantibus. ibidem
Spes animam in possessionem regni cælestis ante Christum introducit. ibidem
Spei fit promissio. ibidem
Spes de illis tribus; quę vidit Ezechiel, carnem assumit, lamentationes dono scientiæ & pietatis & dono timoris relinquens. 192
Spei concessum est intrare in hortum voluptatis. ibidem
Spes est mola superior,& timor inferior. 193
Spes est cõmẽdabilis à suo cõtrario, scilicet desperatione.194
Spes adiuuatur tribus speciebus meditationis. ibidem
Septẽ considerationibus in Deũ spes adiuuatur. ibidem
Spes commendabilis & detestabilis. 218

Spes detestabilis quadruplex. ibidem
Spē cōmēdabilē tria efficiūt.219
Septē sunt quæ faciūt vt aliquis ametur à Deo, scilicet sapientia, mūditia, mansuetudo, liberalitas, humilitas, dilectio Dei, contēptus terrenorū.245
Signa quibus cognoscitur Deū amari sunt decem. 251
Sex sunt quæ valent vt charitas proficiat. 288
Stultitię quibus imprudētes succūbunt in bello spirituali.293
Sapiētia huius mūdi quid sit. 317
Societas insipientium prudentiæ aduersatur. 318
Stultitia, imprudētia, seu insipiētia non solum pertinēt ad intellectum, sed etiam ad volū tatem. 319
Stultitiæ quibus peccantes moraliter adhærent.320.& seq.
Sobrietas quadrupliciter sumitur. 337
Sobrietas commendatur. ibidē
Sobrietas valet ad multa. 338
Sobrietatis officia. 342
Sobrietas ponit modum quo ad omnes circūstantias. ibidem
Securitas pars est fortitudinis. 380
Solatia contra timorem mortis sunt duodecim. 381
Solatia alia secundū Senecā. 383
Securitas timorem inordinatū expellit. 384
Securitas commendabilis & reprehensibilis. ibidem, & seq.
Socrates noluit exire de carcere. 389
Sacrificia spiritualia sūt sex.448
Scalaquam vidit Iacob quatuor habebat.449.& sequen.
Sepelire mortuos monemur.556
Sepultura priuantur aliqui propter peccata sua. ibidem
Septem dissuadentur circa iura mentum. 568
Scientię donum describitur.603
Sapientia dupliciter sumit. 643. & sequen.
Sublimitatē doctrinę Christus ostendere voluit. 646
Sententię nouę legis valde extraneæ sunt à sententiis sapientiæ mundanæ. 647
Signa humilitatis. 675
Sanctificatio triplex fiebat in veteri lege. 703
Superbi dimittēdi sunt, eò q; seratum sit eorum cōuiuiū. 14
TRes sunt partes doctrinæ moralis. 30
Tria requiruntur ad bene operandum. 38
Tres sūt virtutes theologicę. ib.
Testificatio fidei qualis & à quo sit. 51
Testiū omni exceptione maiorū potest probari veritas fidei. 53
Testimonium fidei nostræ dant Deus & homo & angelus. 54
Testimonium dant domestici & extranei. 56
Testimonium dant aliæ sectę & vniuersæ creaturæ. 57
Tripliciter fallūt hominem bona temporalia. 65
Tripliciter mala sunt ordinata. 103
Triplici ratione peccata abundauerunt lege data. 124
Tripliciter homo est insufficiēs ad subsistendum. 206
Tripliciter insufficiens est homo ad bene viuendum. 207
Triplex materia gaudij electorum significatur. 218
Tria tanguntur quæ ad charitatem disponunt. 220
Tēperātia tripliciter sumit. 323
Temperantia describitur. ibidē
Temperātia commendatur ex multiplici eius officio. 324
Temperantiæ partes, & in quibus regunt hominem. 327
Temperantiæ partes quæ regūt animam circa delecta tionis sensum. 336
Temperantia secundum tactum diuiditur. 343
Tribulatio à quo sit, & in quo. 397
Tribulatio non est proiiciēda, sed potius quadruplici falsa condienda. ibidem
Tribulationis multiplex vtilitas. ibidem
Tribulatio multos alios effectus habet. 401
Tribulatis Deus assistit. 405
Tribulatio multis modis facit perfectionem virtutis. 405
Tribulatio est virga Moysi in qua mirabilia fiunt. 408
Tribulatio est locus quē elegit Dominus ad manendum in hoc mundo. ibidem
Tribulationis septē sūt effectꝰ secūdū ꝓprietates aquę. ib.
Tētatio ad multa vtilis est. 412
Tria solēt esse hominibus occasio clamādi quę nos incitare debēt ad orandū. 456.& seq.
Tempus orandi Deus determinat. 465
Timor describitur. 582.& seq.
Timor Domini cōmēdatur. 581
Timor cōmendatur ab effectu multiplici. 784.& seq.
Timēdum est in tribus, secūdū Bernardū, & aliæ tres causæ assignantur timoris. 586
Timoris tres species. 586.& seq.
Timor filialis fugit malū culpę, naturalis malū pœnæ. 589
Timor describitur. ibidem
Timoris species distinguit & describit Damascenus. 590
Timorem homini duodecim incutiunt. ibidem
Tribus modis in gratiam contemplationis proficimus, & totidem videtur contemplationis qualitas variari. 630
Tribus de causis in mentis alienationem abducimur. 63
Tres modi excessionis in cantibus describuntur. ibidem
VTilia docere debemus exēplo Domini. 13
Veritas quæ in scripturis gētiū est, tāquā ab iniustis possessoribus surripienda est. ibidē
Vile est corpus & vilia temporalia. 15
Virtus quomodo debeat quęri, doceri, haberi. 13
Virtute nihil vtilius. 23
Virtutes sunt prætiosæ & veræ diuitiæ. 15
Virtus commendatur. 16
Virtus quia ignoratur, despici-

tur, nec à Deo quæritur. ibid.
Virtus olim sola fortitudo dicebatur. ibidem
Virtus variè nominatur in Scriptura sacra & apud philosophos, propter duplicē quam habet comparationem. ibi.
Virtuosus dicitur à vi, vnde dupliciter sibi vim facit 18
Virtus & honestas idem re ipsa. ibidem
Virtus describitur. ibid. & seq.
Virtus tria facit in anima nostra. 19
Virtus facit æqualitatē vitæ. ib.
Ad virtutem inducunt nos natura, ratio & gratia. ibid.
Virtus est medietas duarū malitiarum. 20
Virtus dicitur bona, sicut albedo dicitur color albus. ibid.
Virtus dicitur bona, quia ducit ad bonum. ibid.
Virtute rectè viuitur. ibid.
Virtutes cardinales superfluitatē excludunt & indigentiam, Theologicæ curuitatem. ib.
Virtus aliquādo est causa mali, sed actus eius nusquam est abusus. 21
Virtus commendatur à dignitate dantis, accipientis, & à bono situ. 22
Virtus nō solum est bonitas hominis, sed etiam operum 23. & seq.
Virtus est bonitas rerum temporalium. 24.
Virtus mala pœnæ in bona conuertit. 25.
Virtus est proprium bonum hominis: bona autem fortunæ aliena. 25.
Virtus est possessio habenti sufficiens. 26
Virtus est bonum iocunditatis. ibid.
Virtus efficit dignitatem & felicitatem. 26
Virtutem habēs assimilatur paradiso propter amœnitatem, fœcunditatem, securitatē. 27
Virtus docetur, eget & magistro vt doceatur. 13
Virtuosum octo lætificant. 30
Vermis conscientię cruciat peccatorem. 30
Virtus est vnctio non solum ad regnum futurum, sed etiam per eam sancti ducunt vitam regiam. 33
Virtus est signum quo distinguuntur hæredes à non hæredibus. 32
Virtus est arra hæreditatis eternæ. ibid.
Virtus est pretium regni cælestis. ibid.
Virtutis multiplices effectus. 34. & seq.
Vita triplex, naturæ, gratiæ, & gloriæ. 37
Virtutes theologicæ ad finem ordinant, morales ad ea quæ sunt ad finem. 38
Virtutes theologicæ mentem exhibent Christo virginem castam. 39
Vtilitas charitatis. 229
Vtrū bonitas propinquitati circa diligenda præualeat. 276
Virtutes quare dicātur cardinales. 281
Virtutes cardinales numerantur. 282
Virtutes cardinales sunt contra quatuor defectus originales. ibidem
Virtutibus cardinalibus quasi quatuor lapidibus pretiosis constat corona sponsæ Christi. ibid.
Virtutes cardinales diuersis designantur in locis scripturę. 283
Voluptatis amorem duodecim dissuadent. 327
Voluptates nocent homini multipliciter. 329
Voluptas diffinitur. 340
Virginitas quadrupliciter sumitur. 345
Virginitas describitur. ibid.
Virginitas commendatur. 346
Virginitas est flos qui bene seruatus non decidit. 347
Virginitas est principium spiritualis pulchritudinis. 349
Virgines sunt superior pars ecclesiæ. 24
Virgines timere debent sex. 351. & seq.
Vidua debet peccandi occasiones declinare. 359
Visus est supra auditum & olfactum. 373
Visus est habitus, habens curiositatem insatiabilem. ibid.
Voluntas propria hominis multipliciter nocet. 503
Vindicatio describitur. 534
Vestire nudos monemur. 554
Visitare infirmos & incarceratos. 555
Veritas duplex. 562
Veritas creata triplex. ibidem
Veritatē amare monemur. ib.
Virtutum cardinalium diuisio secundū Macrobium. 573
Vita contemplatiua in duodecim præeminet actiuæ. 546
Visionis tres sunt species. 574
Vnctio tabernaculi & vasorū significat qualiter ministri ecclesiæ debēt sanctificari. 470

FINIS INDICIS SVMMÆ VIRTVTVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca